Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
30 — C
22 H
ROMA

R. P.
IOANNIS GRVZEWSKI
ULTIMA
&
MAXIMA HOMI-
NIS MVTATIO

Digitized by Google

VLTIMA

ET MAXIMA HOMI-NIS MVTATIO

Sive

DE MYSTICA

EAQVE ADMIRABILI ILLIVS, CVM

DEO VNIONE.

ET DE DVPLICI DISPOSITIONE AD EANDEM, TRIBVS LIBRIS EXPLICANDA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Libri Primi

De Prima & Remota Dispositione pars posterior, scilicet, de Fortitudine, de Iustitiâ, & de modo consequendi Virtutes Morales acquisitas.

Auctore R.P. IOANNE GRVZEWSKI SOCIETATIS IESV Sacræ Theologiæ Doctore.

VILNÆ Typis Acad: Soc: IESV.
Anno Domini 1644.

D.PROB.ROM.S.J.



VIRGINI MATRI

PArs hæc secunda, fortitudinis, & justitiæ continens Virtutes, tibi meritò dicanda; Virgo, & Mater, in qua mira, & a sæculis non audita, quâ fortitudinis, quâ justitiæ, Vis elucet. In te triumphat invicta Virginitas, Matris comitata fæcunditate; & naturæ iniuriam, quia Virgo peperisti; eadem gratiæ dono, & compensas, & superas. Tu eum, per quem facta sunt sæcula, quiq; portat omnia Verbo Virtutis suæ, & quem cœli cœlorum capere non possunt, in te conclusisti: tantum in ipsum, ab ipso adepta robur. Et torus quidem Virginalis, novem mensibus detinuit clausum: Verum id, quo hoc interim spatio, intra te circumdedisti, & quasi Vallasti immensum; ascitâ Spiritus Sancti ope, &

Heb: 1.
3. Reg. 8.
Hier: 31.

Altissimi Virtute; caro, inquam, illa, è Purissimo Tuo formata sangvine, æterno ævo tenebit,
Prov. 3. nec dimittet detentum. Quis ita fortis, ut Tu Virgo, ac Mater, in Deum? an alia, non jam mulier fortis, quam quærit Sapiens; sed quæcunquè creatura par Tibi invenietur? Neq; sola fortitudo Tua victoriam canit; concinit & justitia. Ti-
Mal. 4. mebat reus, solis justitiæ, intolerabilem rigoris æstum, atq; incendia; timebat, & illud palpitantibus labijs in cœlum mittebat. si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Sed
Isa. 19. en in te effulsit spes desperanti. Ecce Dominus ascendit super nubem levem naturæ nostræ, ex Te, & per Te, ipsi Vnitæ: in hâc nube refracti sũt radij solis illius, vt non ita clarè observentur iniquitates nostræ; hebetata est vis rigoris infiniti, vt possimus sustinere. Nam dum justitia Divina
Deu. 32. levat ad cœlum manum, & dicit: vivo ego in æternum; si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, ut his qui oderunt me, retribuam: dum ita justitia Dei vindicatura minatur; se ipsam in eo reperit, in quo omnium scelera castigavit. Factus par Deo, qui olim idem fuit, a-
2. Cor. 5 bundè satis Pari fecit: nec jam puniendus rigidè homo à justo Deo, quem satis superq; conciliavit homini, jn homine justus Deus. Filij Tui, ô Virgo Mater, justitia, juxtà, & tua (quid enim eius non tu-

nōn tuum, si ipse tuus? aut quid ille egit, te non prosequente! deniq; quo egit, si non tuo unà cum suo?) iustitia, inquā, utriusq; vestrûm, triumphat de Divina iustitiā, reddens par per impar, nihilq; relinquens debiti in iustitia hominis, quod adhuc exigat iustitia Dei. Triumphantibus acclamamus, inuicemq; nobis gratulamur iussi: Laudate gentes populum eius, quia sangvinem servorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum; & propitius erit terræ populi sui: scilicet illi terræ, in cuius medio facta est salus. Tibi enim, & ex Te genito, propitia est Divina Iustitia; nimirum, quæ nihil habet quod vestrum puniat; & pro alieno, præscriptam acceptat satisdationem, quin & satisfactionem. Tu es illa populi terra, in cuius medio operatus est Deus salutem per Salvatorem; quando de terrena carne, Verbum, terrena caro factum est. Tandem, per Vos duos, severam cetero-quin in peccata (hostes animæ) nobis quoq; servis, propitiam nacti sumus eandem Dei iustitiam, nil nocituram ijs, qui vobis, ut scuto teguntur. De his hostibus fortitudo, ac justitia à me in aciem pruducta, triumphos sibi pollicetur, Te Victrice: Te omnino sẽper Victrice; nam nunquam ei succubuisti, cuius (simul, & ministri ipsius) caput magno, & antiquo Dei promisso contrivisti Sunt de inimicis plurimi, qui jam timidè, jam audenter invadunt

Deu. 22

Psal. 73.

Ioan. 1.

Gen. 3.

 forti-

fortitudinem: innumeri prodeunt, qui iura violant iustitiæ: quid contra hos, quosvis? Magna à
Lucæ 1. Te expectamus: quia fecit tibi magna, qui potens est, & ex hoc, vt prædixisti, Beatam Te dicunt omnes generationes. Fer jam opem, ad ambiguam pugnam; comitare, ad operosam Victoriam; excipe victores, ad æternam gloriam.

FACVLTAS R. P. VISITATORIS IN REGNO POLONIÆ.

Fabritius Banfus Visitator Societatis IESV in Regno Poloniæ, Potestate ad hoc mihi facta ab Ad: R. P. N. Mutio Vitellesco Præposito Generali Soc. IESV, facultatem concedo, vt Secundus Tomus *de Vniõe hominis cum Deo* à R. P. Ioãne Gruzewski Soc: Nostræ compositus, & gravium Virorum eiusdẽ Societatis judicio approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidẽ has Literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Vilnæ 3. Iulij A. D. 1641. *Fabritius Banfus*

INDEX

JNDEX

CAPITVM ET SECTIO-

num hoc opere contentarum.

Sect. 10.

Caput IV. Quid & quam multiplex sit justitia. paginâ 118.

Cap: V.

Sect. 1.

Sect. 1.

Sect. 1.



CAVSA LIBRI PRIMI, IN DVAS PARTES DIVISI.

PRopositum quidem erat, vno primi libri tractatu omnes virtutes morales acquisitas comprehendere; sed quia consideratio prudentiæ ,& temperantiæ, ac honestatis in vniuersali eius ratione, iustam videbatur attigisse operis magnitudinem, præsertim in materia morali, in qua breuitas, & distinctio placet, maioremq; habet ad instruendum aptitudinem, eò quod, non tam discursiuum vnius ex altero consecutioni, ad ueritatem intelligendam necessaria, innitatur, quã simplici agendorum propositioni, ad formandam actionem: hanc ob rem, liber hic primus in duas diuisus est partes, in quarum priore de enumeratis iam virtutibus actum est, in hac posteriore de fortitudine, ac iustitia dicetur. Et, sicut in illa, principio est præmissum, quid sit honestas moralis acquisita; ita in ista afferentur in fine nonnulla, quæ ad consequendam, eandem in singulis uirtutibus honestatem apprimè faciunt, vt ita exordium fini, intelligentia praxi, correspondeat.

CAPVT I.

In quo sita sit fortitudinis virtus? & num in morte tantùm perferenda? vbi & de martyrio.

TRia possunt nomine fortitudinis significari, 1. robur corporis, & de tali hic non agimus neq; enim honestatis seu virtutis nomine appellandum id est, quod in belluis etiam, & quidem potissimum locum habet. Quis enim hominum fortior est leone, vrso, crocodilo, elephante & similibus? quæ ingentem corporis firmitatem nacta sunt à creatore, sitam in neruorum, ossiumque apta magnitudine, ac spirituum vitalium copia. 1.

Reperti quidem sunt nonnulli homines, cæteris ac ipsis etiam
vrsis, & leonibus fortiores, qui vel ita nati sunt, vel certo tempore
atque occatione, singulari à Deo donati robore, vt de Samsone Iudi-
cum 14. & de Dauide 1. Reg: 17. legimus; sed hoc tale diuinum
donum, nullam illis contulit propriè dictam fortitudinis excellen-
tiam, quæ in mente ac ratione sedem habet, vt in priore parte libri
huius explicatum est capitibus primis. Quapropter errant illi, qui
honore prosequendos putant robustos corpore, cùm honor virtuti,
ac honestati, propriéque dictæ debeatur excellentiæ, vt docet Aristo:
4. ethicorum cap: 3. vbi sic inquit. *Si verum iudicare volumus, bo-
nis honor debetur*; bonum autem eum appellat, qui excellens præstans-
que dici potest.

Sectio. I.

Cui Laus fama & honor debeatur?

2. EX quo tanquam certum infert, nobilitatem generis, diuitias,
imperia, & quidquid aliud, quod virtus non est, non facere
hominem dignum fama, laude, aut honore, nisi cum honestate
& præstantia mentis coniungantur. Verba eius sunt: *Nobiles gloria
digni putantur, & ij, qui sunt in imperio, & diuites, quód excellunt aliqua
præstantia; habet autem venerationem iustiorem, quidquid excellit: in quibus
autem hæc talia bona insunt sine virtute, ij neque se ipsi iure magno honore
dignos putant.*

Hæc Philosophi doctrina ab omnibus recepta ostendit nobilitatem
3. imperiaque, ijs duntaxat conferenda esse, qui sunt virtute præditi.
Cùm enim nobiles, & in dignitatibus constituti, honorem à cæteris
exigant (& iurè quidem, nimirum ij, qui habentur maiores & præ-
stantiores alijs; talibus autem honor debetur, ac reuerentia) pro-
fecto si verâ carent præstantia in virtute, atq; honestate fundata, mi-
nimè sunt digni honore, qui merces quædã est, & testis virtutis. Quare,
aut non deberent ipsi hanc mercedem exigere, aut studiosiùs connitendũ
illis esset ad virtutem sectandam, vt eam qua gaudent, meritò sibi
tribuant nobilitatem, ac dignitatem, quæ (vt testatur ibidem Aristo-
teles) constare sine virtute vndique perfecta, nullo modo possunt.

Adstipulatur Aristoteli prudentiæ laude insignis Alphonsus Arago-
niæ Rex, qui vt scribit Panor. lib. 2. Alphonsinorum Apophtegma-
tum, laudanti se cuidam, & ob id mirè prædicanti, quod esset regis
filius,

filius, nepos, & frater. respondit: nihil esse quod in vita minoris ipse duceret, quàm id quod ille tanti facere videretur. Laus enim illa (inquit) non mea, sed maiorum meorum, quippe qui iustitiæ moderatione, atque cum excellentia sibi regnum compararssent. Successoribus oneri regna cedunt, & ita quidem honori, si virtute potius, quàm testamento illa suscipiant; aut, si quæ extant, elice ornamenta, non à patribus iam mortuis extorque.

Huic simile quid à Maximiliano imperatore dictum refertur, nam cum diues quidam multa aureorum millia offerret, vt insigniretur nobilitate, ita eum à se expediuit: Ditare te possum, sed nobilitare nonnisi te propria virtus potest.

Non alia est mens illius, per quem reges regnant, Prouerb. 8. & à quo vt à sole radij, omne nobilitatis, excellentiæque emicat decus, non alia (inquam) est mens sapientiæ diuinæ Christi Seruatoris, qui Ioan: 8. exprobrauit Iudæis, quòd Abraham patre gloriarentur (quem DEVS ob præclaras ipsius virtutes, caput omnium fidelium voluit esse) neque tamen egregia eius imitarentur facinora. Ita ergo eos, libertatem, nobilium.q; insignia sibi arrogantes, exagitat ibi Dominus. cùm enim dixissent: semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam, quomodo tu dicis; si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis? respondit eis IESVS: *Amen Amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum seruus est peccati, seruus autem, non manet in domo in æternum, filius autem manet: si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.*

Clarè hic Saluator eos uerè nobiles asserit esse, nobilitate, quæ in domibus, ac familijs terrenis incipit, permansura in domo, & familia cælesti in æternum; eos (inquam) censet nobiles esse, qui non seruiunt vitijs. Et sicut serui non succedunt in vllã hæreditatem, ita neq; vitiorũ serui, nobilitatẽ, & ea quæ ipsã consequuntur, deberent iure hæreditario sibi vendicare; id quod factũ à Iudæis reprehendit Dominus.

Sectio II.

In potestate constitutis deferendus honor.

QVod si nobiles, atq; ij, qui præclari habentur vitijs sint dediti, & nihilominus honoribus afficiantur, id fit consuetudine & congrua quadam ex Dei nutu necessitate. Consuetudo est; 4.

& ferè vbique gentium, vt posteri eorum, qui ob egregia facta nobilitatis decus, & gloriam sunt adepti, lege hæreditaria succedant in illorum insignia, neque ijs, vt plurimum priuentur, et si degenerent à virtute suorum maiorum. Dixi, vt plurimum ita seruari, interdum enim ob quædam enormia facinora, infames, & ignobiles redduntur, vt supra notaui.

Consuetudo etiam & necessitas est, vt ijsdem, præsertim cum regimen obtinent, debitus honor, quanquam vitiosis impendatur, propter ipsam fastigij, ac potestatis excellentiam à DEO collatam; *non est enim potestas nisi à DEO Roma*: 13. Huic ergo potestati deferendus honor tum maximè, cum vitia præsidum, nihil derogant diuinæ legi, neque sunt in causa, vt aliquid DEO contrarium præcipiatur. Id quod inter fideles potissimùm obseruandum, quibus plurimæ, & faciles suppetunt viæ corrigendi mores, vitiaq; castigandi, inter alias, per Sacramentum pænitentiæ, quo sæpius dignè iterato, pessimi, fiunt citò optimi. Et licet non corrigantur adhuc, tamen honorandi sunt, non propter suam virtutem, sed alienam, nempe Dei cuius vices gerunt, aut aliorum, vt rectè docet S. Tho: 2. 2. q. 63 a. 3. in Corp:

Non alia est voluntas CHRISTI promulgata omnibus fidelibus, per Vicariũ eius, Sanctũ Petrũ. I Petri. 2. vbi iubemur, præstare obedientiam, honorémque deferre, quibusuis in regimine positis: *Regem*, inquit, S. Petrus, *honorificate, serui subditi estote, in omni timore Dominis*
5. *non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis*. Hæc de nobilitate, diuitijs, atque imperijs, ex occasione virium corporis dicta sunt, vt constet honorem non deberi corpori, aut corporis fortunæ, aut quibusuis bonis, sed animæ, ac Spiritui, neque omni, verum illi duntaxat, qui præstantissimam suam facultatem rationem ducem sequitur, eique subijciendo alteram, nempe voluntatem, insuper etiam appetitum, eam consequatur ordinatæ perfectionis excellentiam, ad quam est præstanti sua natura destinatus.

Sectio III.

Docti ob solam doctrinam non sunt honore digni.

6. EX quo etiam fit, vt illi qui mentem varijs imbuunt doctrinis, Mathematica, Philosophia, Rhetorica, & id genus alijs, non censeantur honore digni, si aliam negligant potentiam, appetitum videlicet-

ect, qui videtur in anima perinde esse, atque in corpore humano altera manus.

Sicut ergo corpus mancum, imperfectum, ac deforme est, eò quòd careat sua integritate, ita Philosophus, Rhetor, Eloquens, & quivis doctus, sed non studiosus virtutum, mancus, ac deformis, turpisq; dicendus, propterea quòd destitutus sit parte, ad Spiritalis, rationalisq; perfectionis dignitatē, atq; excellentiam omnino necessaria.

Certè doctis, verùm non bonis, dicit citatus supra numero. 2. Philosophus: *Si verum indicare volumus, Solis bonis honor debetur.* De ijsdem maior Philosopho CHRISTVS, idem censet Matth. 5 10. *Qui soluerit* inquit, *vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines minimus vocabitur in regno cœlorum, qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum.* Docere (quemadmodum faciunt docti) & non facere, est minimum esse apud DEUM, siue, est à cœlo excludi, atque in æternum infamem esse ac inglorium, vt hunc locum interpretatur Abulen: & Iansen: apud Barr: lib: 7. c: 14.

Habentur quidem docti mali in honore, verùm ab ijs, qui, quibus 7.
ille impendendus sit, aut nesciunt, aut voluntate propria metiuntur officia à se præstanda. Et uulgi quidem laudes contemnendas à magnanimo putat Aristoteles, Ethic 4. c. 3. Hos (inquit) *quos uulgus ei, tribuet honores, omnino contemnet, ac pro nihilo putabit, siquidem talis meritus non est, nimirum apud illos, qui ob aliud quid quàm ob solam virtutem deferre non solent.* Eos autem qui commodis & lucris suis ad honorandum mouentur, vocat Aristoteles 4. Ethicorum capite 6. assentatores, qui decipiunt credulos, mendaciorum vanitate.

Sectio IIII.

Quinam videntur, sed reuera non sunt fortes.

SEd ad propositum reuersi, reliquas fortitudinis acceptiones prosequamur. Secundò enim nomen fortitudinis illis tribuitur, qui 8.
aliquid ostentant, quod videtur similitudinem quandam virtutis præseferre. Horum genera quinque recenset Aristoteles. Ethic 3. cap: 8. &. 9. Sunt inprimis quidam ciuiliter fortes, qui multa, & ardua ferunt, vel vt assequantur præmia honorum, opumq; laborantibus proposita, vel vt euitant probra, ignominias, supplicia, quibus afficerentur ignaui, & scelesti. Tales vocantur fortes, non quòd vera for-

ra fortitudinis virtute prædìti sint, sed quòd magna perferant, & maiora interdum, quàm verè fortes. Neque ex eo ijdem similitudinem virtutis habent, quòd commodis, & honore moueantur (id enim non est alienum à virtute, vt capite 3. de magnanimitate & magnificentia dicitur) sed quia propositis sibi opibus, honore, pauperie, dedecore, pœna: & illa consequi, & hæc effugere omnino nituntur, nihil interim attendentes, qua via, & modo id præstent; hoc solo contenti, quòd difficilia sustinere sint parati, neq; consulunt prudentiam, quando, & quomodo illa sint ferenda.

Itaque omnes illi, qui siue domi, siue foris, siue in pace, siue in bello hac ratione magna patiuntur, aguntque, vt in republica, aut adipiscantur, quod optant, aut vitent, quod timent, fictè sunt, & ad speciem tantùm fortes, etsi suam ipsi deprædicent tanquam veram fortitudinem.

Rectè tamen docet Aristoteles locis citatis, non procul istos à vera abesse virtute. Nam vbi accesserit, norma & regula rationis, ea, quæ ciuiliter, & politicè aguntur, fient honestè, & fortiter.

9. Sunt alij fortibus similes, qui scientiæ, & peritiæ suæ confisi, magna subeunt: eiusmodi sunt milites, veterani: sæpiùs enim experti pugnam discunt vitare ictus, hostemque ferire. Hi etiam non ex vera fortitudine operantur; sed tanquam ebrij, qui tam diu animosi sunt, quàm diu sibi fidunt, vbi spes fallit, fugiunt turpiter: ita planè huius classis homines eo vsq; magnis se exponunt, quoad vis, experentiaque suppeditat vires, modumque audendi, vbi hæc defecerint, cadit animus.

10. Tertij generis sunt, qui ex ignorantia periculis se obijciunt, existimantes esse parua: postquam autem cognouerunt esse tanta, quanta reuera sunt, cedunt. Ita (vt refert Aristoteles 3. Ethicor. Cap 9.) Argiui in Lacedemonios, quos putabant esse Sicyonios inciderunt, & cesserunt. Hi quoque non ex virtute agunt, vtpote, quæ non ignorantiâ, sed prudentiâ, & scientia regitur.

11. Quartò, dicuntur fortes, qui fortunæ se committunt, multaq;, illâ nixi audacter inchoant, sed non virtute duce, hæc enim ex electione operaturo non casu, & fortuitò, in id quod occurrit impingit, neque, si non occurrat id, quod optat, desistit à cœpto.

12. Postremò fortes & illi habentur, qui irâ, tristitia, metu, aut alio quouis affectu, ad audendum ardua impelluntur: tamen quia naturæ atque appetitus sequuntur impetum, sicut & animalia bruta, fortes minimè

nimè sunt censendi: beneque de talibus ita loquitur 3. Ethicorum, Cap. 9. Aristoteles: *Isto, inquit, modo licet dicere fortes asinos cùm esuriunt, quòd, ne verberibus quidem deterreantur à pastu. Cum etiam adulteri, cupiditatis causa multa faciunt audacter.*

Expeditis iam duabus acceptionibus à virtute alienis, sequitur 13 tertia, veram, & propriam illius continens honestatem: sed quædam sunt præmittenda.

Sectio V.

Quænam passionum sunt potissimæ?

Atque vt hæc intelligatur, suppositis illis, quæ de passionibus, & de necessitate moderationis illarum diximus libri huius parte priore. C. 11. s. 1. & 2. Præmittendum hic est, inter omnes passiones, 4. esse quæ maximam facessunt studioso virtutis difficultatem: nempe delectationem, quæ percipitur ex tactu, præsertim venereo: tristitiam, de malo præsenti: iram, quæ nititur malum præsens, sed arduum depellere: denique metum, qui fugit futurum, pariter arduum malum. Istæ passiones potissimæ sunt, magnamque pariunt molestiam, propterea quòd prima vehementer afficiatur præsenti bono, secunda & tertia præsenti etiam malo plurimùm turbetur: præsentia enim, vt est vetus dictum, mouent. Timor quidem futurum horret malum: tale tamen quod iam instat, & sua ardui molestia plurimùm terret: vnde etiam non exiguè percellit timentem, sicut & contraria timori audacia, mouet acriùs ad prosequendum arduum bonum. Reliquæ passiones, tam concupiscibilis, quam irascibilis appetitus, nimirum amor, & odium, desiderium, & fuga, spes & desperatio, quia remotiores sunt tam bono quàm malo (neque enim in præsens feruntur) non tantam habent annexam difficultatem. Et licet desiderium, & fuga, perinde distent siue à bono, siue à malo, ac distat audacia, & timor; plùs tamen ipsa difficultas ardui, tam boni, quàm mali, in audaciam, timoremque potest, quàm nudum, & simplex bonum malumue, in desiderium, & fugam: quapropter timor, atque audacia, magis nos afficit, quàm desiderium & fuga.

Confirmatur hæc tota doctrina, de 4. prædictis passionibus. nam 14 nulla alia ita alterat corpus, atque hæ: quæ tanta alteratio difficili-

orem

orem reddit moderationem [illegible] enim verbi causa, calore efferuescente, impotentem efficit animum ad cohibendum: & sic de alijs tribus passionibus, quarum quæuis peculiarem, cæteris maiorem efficit in corpore commotionem. Certum ergo sit, has passiones potissimas esse, neque his contrarium asseruimus in parte libri hu-
15. ius priore Cap. II. sec: 6. vbi ostendimus amorem omnium passionum, aut affectionum esse primum & præcipuum, hic autem quatuor istas appetitiones cæteris anteponimus; nihil inquã, nunc contrarij dicimus. Nam consideratio passionum duplex potest esse, vel quoad ordinem, vim, ac potestatem, mouendi appetitum ad prosequendum bonum, aut fugiendum malum: vel quoad difficultatem, moderationis, & regiminis. Priore consideratione amor præcipuum locum inter omnes affectiones obtinet, vt ibi declarauimus. Ille enim primò exoritur, quem deinde sequuntur alij affectus: posteriores quatuor istæ passiones præ cæteris sunt habendæ, quemadmodum nunc probatum est, ideo quòd difficulter comprimantur.

16. Cùm igitur iam nominatæ appetitiones, vehementiores sint, cæteris egent virtutibus, quibus ad normam rationis redigantur. Eædem autem virtutes, moderando has passiones facilè, component alias omnes, in quauis honesta materia, nempe amorem, desiderium, fugam, & reliquas.

Et de delectatione quidem, per temperantiam compescenda, priore parte huius libri actum est: sicut & de ira, ac tristitia comprimenda per mansuetudinem, ac patientiam; restat dicendum de timore, & opposita illi audacia per fortitudinis virtutem, ad imperium rationis cohibenda.

Sectio VI.

Quo pacto in timore, & audacia occupetur fortitudo?

17. VT autem intelligatur quid in his duabus passionibus efficiat fortitudo, notandum est ex S. Thom. 2. 2. q. 123. art I. in corp. duplex afferri homini à passionibus impedimentum inhonestè operando: quædam enim feruntur in bonum delectabile, quale est potissimùm voluptas corporis: aliæ vehementer terrentur à malo, quale maximè est mors corporalis: priores temperantia cohibet, ne quid fiat præter rationem, posteriores fortitudo moderatur ne

tur ne plùs quàm ratio dictat timeatur mors. Et ficut temperantia, vel concedit conuenientes delectationes per castitatem, verbi causa, matrimonialem, & vsum cibi, potusque moderatum: vel ab eis prorsus abstinendum censet, vt virginitas, castitas religiosa ieiunium, & Eiusmodi: ita fortitudo, aut subeundam suadet audacter mortem, cùm id prudentia dictat, tanquam necessarium, cohibito interim timore, qui illam vitandam suggerit: aut declinandam mandat eandem mortem, quando ita ratio praescribit, compressa interim audacia ferociùs in illum impellente.

Cur autem virtus haec occupetur in morte sustinenda, aut vitanda, infra à numero 19. explicabitur. Nunc dicimus fortitudinis munus esse, timores, atque audacias ad medium redigere, vitando vtrobique extrema, seu excessum, & defectum. Defectus timoris est, quem nonnulli vocant intimiditatem, si flocci pendatur mors, cum reuera vitae priuatio, sit maximũ malum: malũ autem omne, debet in appetitu parere horrorem, timoremque: Excessus eiusdem timoris est, mortem fugere etiam tunc, cùm ratio dictat subeundam, & hic excessus, potest vocari timiditas. Audacia defectu laborat, (quam possumus vocare ignauiam, aut vecordiam) cùm vitantur ardua, & periculosa, aut vix aliquid assumitur, licet ratio sana contra nitendum, audendumque suadeat. Excessu eodem laborat, vocata a nonnullis praesumptio, quando vita exponitur periculo, vbi, & quando non est exponenda. Itaque fortitudo, in moderandis praedictis passionibus versatur, & in appetitu residet, atque hic est totus conatus, negotiumque honestatis illius. 18.

Sectio VII.

Cur mors assignetur materia Fortitudinis?

AD pleniorem autem eius intelligentiam, sunt hic aliqua declaranda, quae partim ad obiectum, materiamque illius, partim ad actum, operationemque pertinent. Quod spectat ad materiam, imprimis afferenda est causa, ob quam omnes, qui de fortitudine agunt, mortem, & pericula eius, pro obiecto assignant: cùm tamen sint alia aequè, vel magis formidanda, quàm mors: vt tormenta, & supplicia grauissima, quantumuis illa non subsequatur interitus vitae: timetur etiam paupertas, ignominia, aegritudo cor- 19.

 poris,

poris, denique amissio bonorum animæ, vt est virtus & vita æterna.

20. Ad hoc respondendum est, merito assignari mortem, in qua aut fugienda, aut appetenda, occupetur fortitudo: cùm enim, vt docet Aristoteles 3 ethic. c. 6. *Omnium rerum nihil sit morte terribilius*, nihil acerbius, præsertim cùm vniuersorum sit extremum: & ob id maximè timeatur; propterea asserit idem Philosophus, propriè, ac verè fortem videri eum, qui morte honesta proposita, ijsque omnibus, quæ mortem adferunt; *cùm repentè appropinquant, metu vacare.* Addit hoc (*Cum repentè appropinquant*) nam qui præuisam bene ante subit mortem, fortitudinis quidem opus exercet, potest tamen hoc esse, non ex habitu iam aliàs possesso, sed ex animi antecedenti præparatione, primò tunc consequi: Cæterùm, qui in repentinis periculis fortis est, is ostendit se ex firmo, ac insigni, multis actibus comparato, operari habitu, id quod excellentius est, quàm si quis nunc primùm ad fortia se accingat.

21. Responsio ista ostendit ideo fortitudinem in morte versari, quòd sit maximum omnium malum, sicut temperantia ad voluptates carnis sectandas est necessaria, eò quòd illæ maximæ sunt. Tormenta autem, & supplicia quæ interdum grauiora sunt morte, ad eandem pertinent fortitudinem, non solùm tunc, cùm sequitur mors ex ijs, tanquam ex dispositionibus (cum quibus, veluti cum inchoatâ, pro eodem, consummata mors reputatur) sed etiam tum, cùm non sequitur. Satis enim est, quòd naturâ sua tormenta, & supplicia, sint inimica vitæ. Quare sicut mors, quæ est priuatio vitæ, maximum est malum: ita & tormenta quæ natura sua corrumpunt vitam, sunt maxima mala.

22. Quod attinet ad illa alia supra num. 19. enumerata mala: vt est paupertas, dedecus, & similia: responderi inprimis potest, cum S. Thoma: 2. 2. q. 123. art: 4. ad 2. virtutem vnamquamque, sicut amare suum bonum, ita moderari timorem oppositi mali: hoc modo, inquit, liberalitas, quæ moderatur amorem pecuniarum, per consequens etiam moderatur timorem amissionis earum.

Ex quo inferendum est, timorem dictorum malorum, spectare ad virtutes varias, quæ suum vnaquæque prosequendo bonum, malum illi contrarium debitè timet, & fugit. Hæc doctrina declarat duo, primò mortem maius malum esse, quàm sunt quædam mala, vt est verbi causa, amissio bonorum: secundò, ordinariè maximum malum esse mortem, raròque venire, vt aliquid aliud æquet, aut superet

Digitized by Google

superet illam acerbitate, propterea, solius mortis timor ad fortitudinem spectat, aliorum autem malorum, ad alias virtutes, vt est timor amissionis bonorum pertinens ad liberalitatem.

Cæterum cùm dentur nonnulla mala, non quidem ita grauia, vt 23
mors, habentia tamen non leuem ardui molestiam; cùm etiam fieri possit, vt quædam sint paria, aut maiora, morte, idcirco propter hos extraordinarios casus, duo mihi videntur dicenda. Primò fieri posse, vt quædam mala, spectatis omnibus circumstantijs, personæ, loci, grauitatis, & similium, ita nonnullos moueant, sintque ita ardua, & acerba, vt virtutes illæ, quæ opposita bona spectant, non sufficiant ad comprimendum timorem, audaciamque tenendam: eò quòd non ferantur in ardua, præsertim tam grauia. Quo in casu necessaria est fortitudo, saltem similis veræ fortitudini, & quasi potentialis quædã illius pars, quæ in eiusmodi malis, debitè sustinendis occupetur, vel certè, quòd, fortitudo mortem sustinens, etiam ad hæc dicta mala extendatur, vt indicat Suar: opere de triplici virtute Theologica Disput. 1. de Spe. sec. 3. Id quod, vel inde patet: nam licet omnes virtutes habeant inditam sibi firmitatem, vt constanter suas peragant operationes, tantòque hæc firmitas est maior, quantò habitus virtutis est perfectior, & intensior (talis enim difficiliùs à contrario debilitatur) nihilominus in eo casu, in quo aliqua virtus nequit suum retinere bonum, verbi causa, castitas suam integritatem, nisi mors superanda esset, non sufficit sola castitas ad tuendam se, nisi adsit fortitudo, eò quòd arduum sit tunc, esse castum, quando vita amitti debet. Ita planè eadem castitas, non sufficiet ad tuendam se, quando nequit conseruari, nisi extrema egestatis, aut dedecoris sint perferenda. Egebit ergo tunc fortitudine illâ, quam dixi, simili veræ fortitudini, quæ iuuet castitatem in retinendo suo bono, maximè cum castitas, aut alia quæpiam virtus, non feratur in arduum bonum, quemadmodum fortitudo. Atque hoc videtur sentire Aristoteles. 3. Ethic c: 6. vbi eum, qui magno animo fert egestatem, dedecus, morbum, similitudine quadam. *Fortem* appellat. *Quanquam*, inquiens, *à nonnullis fortis nuncupatur, translationis vsurpatione, quoniam simile quiddam, fortis habeat, vacat enim metu vir fortis*. Fortitudinem istam similem, non vocat Aristoteles temperantiam, aut iustitiam, sed fortitudinem, propriè dictæ persimilem. Sensit ergo distinctum esse quendam habitum ab omnibus alijs virtutibus, & potiùs ad fortitudinem propriam reuocandam, quàm ad vllã aliam.

Idem etiam tenet S. Thom: 2. 2. q. 123. artic: 4. ad 2. vbi docet fortitudinem, quæ aliqua ardua mala, minora tamen morte, sustinet, esse secundum quid, cùm illa quæ maxima tolerat, sit absolutè fortitudo.

24. Præter hoc quod iam dixi, alterum mihi hic dicendum videtur conformiter ijs, quæ huius libri priore parte: cap: 14. num: 56. de patientia, & mansuetudine tenui, asserendo vtramq; esse parem, vel etiam interdum maiorem, ob aduersa, quæ in anima sustinentur, quàm ob amissionem vitæ corporalis. Pari enim ratione nunc dico, fortitudinem illam, quæ perfert mala animi, vel parem esse, vel etiam interdum maiorem, & perfectiorem eâ, quæ mortem corporis tolerat. Perfectiorem, inquam, non solum aliqua perfectione accidentali, vt est, v: causa intensio, sed natura, & specie, (quod idē de patientiâ ac mansuetudine, iudicandum) sicut mala animi sunt distincta à malo vitæ corporeæ Et quando dico parem posse esse fortitudinem, quæ tolerat mala animi, illi, quæ sustinet mortem, intelligo paritatem in accidentali aliqua perfectione, vt est difficultas in sustinendo, vel intensio, non in natura, & essentia.

Rationes, quæ mouent ad asserendum hoc de fortitudine, hic non affero, propterea quòd eædem seruiant, tam illi, quam tolerantiæ, ac mansuetudini vt, quæ loco iam citato, probabant tolerantiam, verbi causa, quæ fert mortem, posse esse parem, vel minorem, illâ, quæ patitur mala animi eædem idem probent de fortitudine. Neque in hoc contrarium quid sentio S. Thom: qui 2. 2. q. 128. art. vnico in corpore, negat fortitudini vllam partem subiectiuam, seu speciem aliquam; hic autem plures fortitudinis species assignantur. Nam S. Thomas, ideo negat species fortitudini, quia illam considerat, vt versatur solùm in perferenda morte, quæ cùm sit specialis valde materia, non admittit diuisionem in plures. Cæterum ampliùs, & generaliùs acceptum nomen fortitudinis, siue, vt occupatur in sustinendo malo arduo, & graui: hoc modo, sicut potest habere distincta specie mala ardua, (vt quædam ad corpus, aliæ ad animam pertineant) ita etiam & ipsa in plures species diuidatur.

Et hoc ipsum videtur S. Thomas tenere, 2. 2. q. 124. art: 4. ad 2. vbi docet virginem posse esse æquè fortem, quæ amore fidei perdit violentè integritatem carnis, ac si perderet vitam, cùm autem integritas corporis, sit distinctum specie obiectum à morte, sequitur vt fortitudo, quæ sustinet violentiam carnis, sit distincta specie

ſpecie à fortitudine ſuſtinente mortem.

Sed iam oſtendendum eſt, dandusque aliquis caſus, in quo æquè, difficile, vel difficiliùs ſit ſuſtinere mala animi, quàm corporis mortem.

Sectio VIII.

Beatiſſima virgo fortiùs mortem Filij ſui ſuſtinuit: quam ſuſtinuiſſet ſuam ab alio illatam.

HOc in Beatiſſimâ virgine clarè oſtendi poteſt, quemadmodum de patientia, ac manſuetudine, eius probaui, parte prima huius libri c. 14. a. n. 65. Certum enim eſt CHRISTI Domini mortem fuiſſe vnum, & quidem maximum malum, quod ſummo dolore affecturum erat Beatiſſimam Virginem Matrem eius, id quod prædixit Propheta Simeon Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius doloris*. Malum hoc, ſcilicet mors CHRISTI, DEI & Virginis Filij, non ſolùm in æſtimatione matris, ſummè & ardentiſſimè ipſum diligentis, ſed re ipſa fuit maius, quàm eſſet mors Virginis, ſicut, & ipſe Filius DEI, vitaque eius infinitè præſtantius eſt bonum, Virgine, & vita illius. Quando ergo illa vidit eum duci ad atrociſſimam, & ignominioſiſſimam necem, minimè ambigendum eſt, quin certò tenendum, de ſumma prudentia, & charitate ipſius, eam promptiſſimè vitam, & ſanguinem profuſuram fuiſſe, ſi morte ſua potuiſſet Filium a nece eripere, plus in anima cruciata fuit, ob amiſſionem Filij, quàm fuiſſet paſſa amittendo propriam vitam. 25.

Hinc verò ſequitur, maiore illam fortitudine tuliſſe mortem Filij, quàm tuliſſet ſuam, id quod ſic oſtendo. Nam ad tolerandum æquo animo tantum diuinum malum, oportebat Dei voluntati, quâ illud propter ſalutem hominum permiſſum fuit, conformare ſe. Hic ergo Beatiſſima Virgo immenſam quandam præſetulit fortitudinem, quâ maluit potiùs carere Filio, & atrociſſimo illi ſpectaculo intereſſe, quàm indignè ferre diuinæ voluntatis permiſſionem. Meritò ob hanc tantam fortitudinem prædicatur à Sanctis Patribus Mater CHRISTI tanquam Martyr, & talis, quæ ſuperauit omnium martyrum fortitudinem, vt cap. illo de Patientia oſtendi. Alij enim Martyres, vel fidei, vel virtutis alicuius conſeruandæ gratia vita corporali priuati ſunt, illa maluit potiùs orbari eo, *In quo eſt omnis vita,* 26.

Digitized by Google

Ioan. 1. quàm diuinæ contraire ordinationi. Itaque ex hoc capite enituit fortitudo Virginis, maiorque fuit eâ, quæ laborat in sustinenda morte.

27. Idem dici potest de sanctis, Moyse & Apostolo Paulo (de alijs etiam, si qui in hoc sunt, vel fuerunt ijs persimiles) ille Exodi. 32. locutus est DEO: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, de libro tuo dele me, quem scripsisti*; iste ad Romanos 9. de se scripsit. *Optaui ipse ego anathema esse à DEO, pro fratribus meis*. Hæc si ita intelligenda sunt, (quemadmodum multi Doctorum intelligunt) vt vterque pro DEI gloria, in proximorum salute promouenda, optauerit carere vita, & beatitudine æterna nulla suâ culpâ, sed solo Dei placito; fatendum est, eos multò fortiores fuisse in sustinenda priuatione (à se electa) vitæ æternæ, quàm fuissent, si illis vita corporis amittenda esset; siquidem, illa infinitis passibus hanc antecedit, maximè in æstimatione hominum cælesti lumine prudentiaque insigni illustratorum.

28. Atque hæc exempla hactenus allata sunt rara, & valde extraordinaria; afferenda sunt alia communiora, vsitatioraque, quæ idem intentum probent, simulque ostendant, non esse expectandam solā occasionem mortis, ad exercendam præclaram animi fortitudinem. Nam fieri potest, vt quis amet rem, siue personam quampiam, honestè quidem, sed tanto amore, vt vel æquè, vel plùs amet illam, quàm vitam suam corporalem. Ita Dauid diligebat filium suum Absolon 2. Regum 18. quod indicant illa verba: *Absalon Fili mi Absalon*; *Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* Simili prosequebatur amore Ionathas Dauidem, vt legimus 1. Reg: 18. *Dilexit eum* IONATHAS, *quasi animam suam*, hoc est vitam suam. Quod si ita est, omnino illud sequi debet, vt aduersa fortuna Absalonis plùs moueret Dauidem, quàm sua propria, maluissetque ipse mori, quàm videre illum occisum: Hoc quippe exprimere voluit, quando dicebat: *Quis mihi tribuat, vt pro te moriar?* Et tamen tulit fortiter mortem illius, nihilque contra DEI prouidentiā, atque vltionem de Absalone sumptam, aut locutus est indignè, aut egit: fortiorem igitur se tunc præbuit, quàm si ipse in bello occubuisset. Simile quid de Ionatha sentiendum videtur; aduersa enim fortuna Dauidis adeo illi chari, ad nihil vnquam indignum, contra patrem iniquum, Saulem, aut DEI permissionem impulit (quod sciamus) etsi grauissimè eum, & æquè, atque sua propria torserit semper: paratus

paratusque videbatur fuisse vitam perdere, quàm tam charum amicum videre mortuum, aut eius spectare mala. Huiusmodi armati fortitudine, æquè dilectas sibi personas (quales sunt parentes, vel amici) atque est vita, relinquunt, vt CHRISTVM, amore eius sequantur: aut certè eodem sancto amore impulsi, valedicunt consuetudini vitiosæ, qua priuari perinde est illis graue, & arduum, ac destitui vitâ. Hac etiam ratione fortis esset virgo aliqua, (vt testatur S. Thom: 2. 2. q. 124. art: 4. ad 2.) quæ amore fidei aut propositi casti, vi cogeretur ad perdendam integritatem carnis: cùm potius mallet mori, quàm id pati. Ita inquit ibi S. Thomas, Lucia dixit tyranno: *Si me inuitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Non minus putarem & illum esse fortem, qui sibi infensissimo & inimicissimo deprecanti, tandem condonet omnia, CHRISTI & legis Christianæ amore; quod facere perinde esset illi graue, ac vita carere. Denique ita fortes censendi omnes DEO dicati homines, qui obedientia iubente desistunt ab operibus aliàs sanctis & pijs, æquè tamen sibi gratis: vel gratioribus ipsâ etiam vitâ. Talem fortitudinem præsumpsit S. Pater noster Ignatius de sancto Xauerio in Indis conuertendis distento. Nam, vt refert, in vita illius. Tursel. l. 6. c. 8. volebat reuocare Franciscum inde Romam, sola vna litera. I. id ipsi præcipiens persuadebat certò sibi, obedientem filium relicturum fuisse omnia; quæ pro salute Indorum, iam fælicissimè inchoauerat, & tot continuabat annis. Quanquam, & illud bène sciebat, non minùs Xauerio graue, aut forte grauius futurum fuisse, desistere à tam vtili salutis hominum, & diuinæ gloriæ opere, quàm fuisset vitâ priuari, & tamen hæc omnia, Obedientiæ Sanctæ (quæ DEO dicati hominis vnica est agendorum regula) amore postpositurum illum minimè dubitabat. Noluit DEVS tantam in seruo suo luctam, aliàs multa grauia passo; quippe contentus animi ad omnia parati promptitudine, ante eum tulit è viuis, quàm illa litera. I. ad ipsum peruenerit. Habent, præsertim nostri ordinis homines, quod in similibus obedientiæ mandatis, sibi exemplar proponant. Ex his omnibus clarè opinor constat, fortitudinem veram, non tantùm in morte sustinenda occupari, sed alijs etiam posseque fieri, vt sit æquè magna, vel maior fortitudo hæc, quàm illa: de qua re, non pauca sunt dicta parte priore c. 14. à num: 59.

Sectio.

Digitized by Google

Sectio IX.

An fortitudo ad aliarum virtutum honestatem referenda sit?

29. VNa dubitatione expedita, veniendum est ad alteram, spectantem ad eandem Obiecti materiam, quo videlicet modo intelligendum sit id, quod ab omnibus, qui de fortitudine agunt, asseri solet, vt fortis morti, aut periculo eius se exponat, non quomodocunque, sed honesta aliqua ex causa, quam Aristoteles 3. Ethic cap. 6. pulcherrimam vocat in bello, in quo pro pace communi mors oppetitur. S: autem Thomas 2. 2. q. 123. art. 6. in corpore duplex bellum assignat, vnum publicum, de quo Aristoteles loquitur, alterum priuatum, quando quis boni alicuius honesti gratia, morti se exponit; ita Iudex fortis est, si iustum ferat decretum, etsi propter illud, immineat ei periculum mortis: ita Sancti, iam ob tuendam fidem, iam ob conseruandam virtutem quampiam v: c: castitatem; Obedientiam Mandatorum DEI, mortem oppetiere. Vocat hoc S: Thom: priuatum bellum, nimirum in quo non pro communi pace, atque bono, sed pro priuato; neque inter multos (vt in bello certatur) quacunque ratione morti quis se exponat. Sed illud hic in dubium vocatur, quonam pacto fortis, pulchrum, & honestũ aliarum virtutum bonum sibi proponat. Nam si vt finem, & Obiectum, sequitur, vt operatio fortis, sit eius virtutis actus, ad quam fortitudo refertur: verbi causa, si quis morti se exponat, amore boni communis, & iustæ per bellum vindictæ, erit actus pietatis in patriam, aut iustitiæ: Si amore castitatis tuendæ, erit actus castitatis. Atque ita virtus fortitudinis, non erit. distincta a virtutibus alijs, siquidem eodem, quo illæ vtetur fine, & obiecto, a quo omnis virtus totam suam sortitur naturam.

Quod si fortitudo non spectat bonum aliarum virtutum, tanquam finem, sed tanquam circumstantiam suam, ostendendum adhuc est, quænam sit propria eius honestas, quisue finis: nam nulla virtus sola circumstantia constare potest, sed vltra illam, eget fine & obiecto, vt apud omnes Philosophos & Theologos certum est.

30. Restat ergo explicandum, quodnam sit proprium fortitudinis bonum, atque honestum, distinctum a bono, & honesto aliarum virtutum. Hoc proprium bonum, non aliud videtur esse, quàm malũ arduum,

arduum, & graue subeundum, iuxta rationis præscriptum, aut omnino fugiendum prout quisque sui honestè amans, debet aut fugere cùm nulla necessitas est mortis, aut acceptare, exigente aliqua iusta causa. Sicut enim temparantia, pro Obiecto habet voluptatem carnis, non quamcunque, sed moderatam, hoc est, vt, aut certo modo vsurpetur, prout ratio præscribit; ita fortitudo molestiam seu malum arduum habet pro obiecto, non quomodocunque, sed debitum, vt vel vitetur, vel sustineatur, pro vt ratio dictat.

Ex hac comparatione fortitudinis cum temparantia, ostenditur necessitas illius, quam deducit S. Thomas 2. 2. q. 123. art. 1. in corpore: operatio enim honesta, & moralis, nihil aliud est quàm rectitudo rationis, quæ primario residet in ipsa ratione, per directionem autem communicatur voluntati, & appetitui sensitiuo. Et voluntas quidem in ijs, quæ sunt propria illi, tanquam rationali appetitui, (qui ex perfectione sua, confert vnum cum alio) per Iustitiam dirigitur, quæ iura, & debita cuiusque conseruat. Vt dicetur de iustitia. Restat appetitus duplex, nimirum concupiscibilis & irascibilis, ille solet honestatem morum impedire, nimia sensualium delectatione, hic fuga terribilium. Sicut ergo, ne voluptas inuertat rectitudinem rationis, per temparantiam est moderanda: ita ne terribilia, eandem rectitudinem perturbent, per fortitudinem cohibenda sunt: atque ita rectè obiectum, & materia fortitudinis assignatur malum arduum, debitum hic & nunc: tali vel tali modo. Hanc rationem cohibendi, arcendique formidolosa S. Thom: 2. 2. q. 123. art: 2. in corpore: appellat firmitatem animi in bono, seu in rectitudine rationis, quæ præscribit debito modo tentanda, aut vitanda esse ardua. Et licet omnis virtus, præsertim perfecta habeat firmitatem, vt sup: num: 23. capite hoc dixi: vnaqueque enim laborat, in resistendo vitio opposito, tueturque se perinde atque solet calor contra frigus, aut hoc contra illum se tueri, tamen, hæc firmitas fortitudinis, præter illam omni virtuti communem, habet aliquid peculiare, & proprium, quia nimirum arduis toleranter, & audenter se exponit, neque ab ijs sinit se deici, aut superari.

Porro firmitas iam dicta, & rectitudo, etsi sit in sustinendo malo arduo: nunquam tamen, illud præscribit acceptandum ratio, nisi occasione alicuius boni honesti, quod ad aliam spectet virtutem: verbi causa, in bello fortiter pugnatur, cùm iustitia exigit, vt pugnetur. Martyrium subitur, cùm fidei professio vrget: & sic de alijs 31.

 occasioni-

occasionibus. Propterea Aristoteles 3. Ethic. cap: 6. supra citatus dicit *Fortitudinem esse in pulcherrima moriendi occasione*, vt in bello: vnde rectè ibidem negat eos fortes esse, qui in mari moriuntur: aut in lecto; neque enim hi mortem ferunt occasione alicuius boni. Quo in casu finis & bonum aliarum virtutum non intenditur a fortitudine, sic enim non esset ab illis distincta virtus: sed bonum operatioque illarum est circumstantia temporis: per vnam ex circumstantijs, nimirum per (Quando) solet à Philosophis exprimi, est, inquam, circumstantia requisita ad exercendam fortitudinem: quando enim iustitia exigit bellum, fortitudo exponit periculo vitam: quando professio fidei est exercenda, etsi periculosè ob Tyrannorum metum, fortitudo pericula contemnit. In his igitur, & similibus euentis, aliæ virtutes imperant fortitudini, vt ad earum honestatem ipsa quoque operatione sua concurrat.

Sectio. X.

Quo pacto vna virtus imperet alij?

32. Porro imperium hoc virtutum, quo pacto fiat explicat S: Thō. I. 2. q. 17. art. I. in corp: docetque imperare propriū esse rationi, quæ adinuenit, ordinat, & præscribit facienda, vtendo illo interno dictamine: Faciendum est hoc: aut, Fac hoc. Semper tamen (nimirum in moralibus) associatur rationi, voluntas; siquidem honestas, seu bonum morale ad voluntatem spectat, vt propriū ipsius obiectum, associatur ergo voluntas, mouendo & excitando intellectum ad imperium, Quando enim illa per vnam virtutē, verbi causa, per iustitiā bellicam expetit, vt ius proprium cuiusque seruetur, quod ratio interim adducit, non posse fieri sine periculo mortis, eadem voluntas per eandem virtutem, mouet rationem ad imperandum fortitudini, vt aggrediatur pericula mortis, propter bonum Iustitiæ bellicæ; mox ratio mandat fortiter esse agendum, & tandem fortitudo accingit se ad opus. Nec mirū videri debet, à voluntate excitari intellectum, qui est potentia prior in homine & nobilior volūtate: cū enim hæ duæ facultates at spirituales habentesq; id in sua perfectione, vt vna supra alterius actū possit se re flectere; sicut intellectus excitat voluntatem præscribendo vt expetat aut fugiat quidpiam, ita voluntas excitat vicissim

sim intellectum mouendo, vt intelligat id, quod faciendum, aut omittendum sit, maximè cùm inter has potentias sit naturalis sympatia, & concordia.

Atq; hæc est ratio, qua fortitudinis virtus, occasione, & necessitate alterius cuiuspiam virtutis conseruandæ, suam propriam arduam, & grauem prosequitur honestatem, quæ, vt ostendimus, est, in sustinendo, arduo illo malo accedente, tanquam circumstantia, honestate alterius virtutis, aut in vitando, deficiente illa honestate.

Sectio XI.

Num requirat Fortitudo vt malum arduum re ipsa toleretur.

RESTAT TERTIA DVBITATIO, SPECTANS etiam ad obiectum Fortitudinis An s· & Quando requiratur, vt mors, seu malum arduum, reipsa sustineatur? Ad intelligentiam eius dubitationis conducit doctrina moralis, quam tradit S. Thom: 2. 2. Q. 124. art. 1. ad 3. qui duos modos acquirendæ virtutis assignat. Vnus est, exercitij actus, & operationis præcipuæ, cuius virtuti proportionatæ; ita abstinentia tunc exercetur, cum vel non sumitur potus, cibusve ratione id suadente, aut sumitur moderatè. Ipse vescendi vel abstinendi actus, est operatio abstinentiæ, & quidem præcipua, & proportionata ipsi. Abstinentia enim, in vsu cibi potusue vltimò perficitur, & cũ præcipua difficultate; Nam dificiliùs est re ipsa moderatè vesci, quàm desiderare, vel alios præmittere actus disponentes animam ad debitè vescendum. Alter modus Virtutis adipiscendæ est, hæc quam, dixi, dispositio, propositũ, & præparatio animi, quæ fit per amorem, desiderium, & similes actus in bonum tendentes; vel per odium & fugam, aliosq; actus oppositum horrentes malum. Cùm verò hi actus ferantur in vnum, eundemq; finem ac honestatem, in quam feruntur, & præcipui cuiusq; Virtuti actus, ad eandem pertinent Virtutem. Nam tam amor, verbi causa, & desiderium moderatè vescendi, quam ipse vescendi vsus & fructus, eandem spectat abstinentiæ honestatem. Quanquam aliquando, non in 33.

ipsam honestatẽ,seu obiectũ Virtutis,feruntur hi posteriores actus, sed in ipsam præcipuam operationem, Verbi causa, potest quis desiderare iam cibum moderatum, iam ipsum etiam actum, vtendi cibo moderato, quomodocunque id fiat, ad eundem habitum, actus hi vtrique, nempe & disponentes, & vltimò perficientes, videntur pertinere, siquidem vnam & eandem concernunt honestatem, etsi aliter, atque aliter: vnde etiam vtrique hi actus augent & confirmant habitum, licet magis hoc faciat, vltimatum illud Virtutis exercitium, eò quòd vltimam pertingat difficultatem.

Vltimam hanc voco difficultatem: nam præparatio animi non habet tot annexas impedimentorum circumstantias, tum ob obiecti præsentiam deinde superuenientem, tum ob passionis vehementiam, tum ob tentationes extrinsecas á Diabolo,& malis socijs ingestas. Quapropter accidit non rarò, vt is qui proponit temperatè sibi vescendum esse, vbi habuerit varia, & irritantia gulam oblata, cedat passioni, vitioque det locum.

34. Et quanquam ipsa Virtutis vltima exercitatio, præstantior sit præparatione animi, eò quòd difficilior sit, fatendum tamen est rarò admodum euenire, vt quis sine vlla antecedente præparatione,mox vt est oblata occasio, exerceat præcipuum Virtutis actum, sicut enim in naturalibus videmus prærequiri, verbi causa, in ligno dispositiones præuias caloris,& siccitatis, vt tandẽ ignẽ cõcipiat,ita ad Virtutis perfectũ opus exercendum necessaria est illa, quam dixi, operatio, semper enim imperfectiora præcedunt, & sequuntur perfectiora. Qui sine tali præparatione sectatur Virtutes, perinde facit, atque si quis in arte quapiã, aut disciplina statim vellet esse summus nondũ consecutus minora.

35. Ex dictis respondendum iam est ad dubitationẽ in qua propositum fuit, an fortitudo ita morti vitam exponat, vt illa reipsa debeat consequi. Primò enim asserendum est, minimè requiri mortem reipsa consequentem, si de fortitudine illa sit sermo, quæ in animi præparatione sita est,ad hanc enim sufficit, amare,sperare, desiderare,& similibus appetitus voluntatisque actibus ferri in honestatẽ fortitudinis propriam. Quod si sermo sit de præcipuo fortitudinis actu, sic etiam non est necesse subsequi mortem, sed satis est, exponere illi vitam, quando sic expedit. Cùm enim fortitudo, vt supra dixi hoc cap: num: 18. timores compescat & audacias, sicut vtraque hæc passio, non est de præsenti malo,sed de futuro,& imminenti ita fortitudo, non requirit præsentẽ mortem, sed satis est, si fortem exponat periculo eius, exigente id,

aliqua

aliqua honesta causa. Quamobrem is, & perfectè fortis est dicendus, qui timet ita mortem, vt ratio dictat timendam, tanquam malum naturæ, & nihilominus, audet se illi exponere, si ratio ita suadeat, quidquid sit quòd re ispa sequatur, aut non sequatur interitus.

Sectio XII.

An ad Martyrium axigatur Mors re ipsa subsequens.

VNum Fortitudinis actū excipio, in quo requiritur omnino mors, 36.
videlicet actum Martyrij, quemadmodum sentiunt omnes Theologi. cum S. Thoma secunda secundæ Q: 124. articulo 4. Hòc Martyrium est vulgo celebre, vt passim à Fidelibus concipitur: nam de alio agetur infra, sect: 13. & 14. Quod vt clarum sit, aduerti debet tria ad Martyrium requiri, vt idem S. Thom: eadem Q: art: 1. 2. & 3. docet; primo est necessaria causa mouens, & imperans actum fortitudinis, & quidē optima & pulcherrima, qualis est Fides, & Charitas Dei. Fides enim præcipit moriendum pro confessione, & attestatione veritati Christianæ à Deo reuelatæ; Charitas verò mouet, vt fortis vitam suam pro Deo exponat, pluris illum & gloriam eius æstimando, quàm quoduis suum bonum, etiam Vitam ipsam.

Vnde censet S. Thom: Q: citata arti: 3. in Corp: Martyrium non posse esse nisi ex imperio Charitatis, sine qua atrocissima etiam, & acerbissima mors, non meretur salutē, vitamque æternam, multò minùs laureā Martyrij: Quod testatur S. Paulus 1. ad Corynthios 13. *Si tradidero, inquit, corpus meum ita, vt ardeam, nihil mihi prodest.* Propterea enim actus Martyrij dicitur esse maximæ perfectionis, quod ex Charitate in Deum prodeat, propter quem omnia, etiam vita ipsa exponitur periculo, quam perfectionem prædicat Saluator Ioannis 15. his verbis: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Quapropter si contingat talis casus, vt aliquis sit in peccato mortali 37.
(nec studio manet in graui peccato, de quo mox dicam) cùm patitur pro fide; hoc ipso quòd pro Fide sanguinem fundit, meretur gratiam, & charitatem, quantumuis tunc, vel per obliuionem, vel per attentionem ad alios pios actus, omittat contritionem, neque habet copiam pænitentiæ Sacramentalis, cuius vicē subit, mors pro fide tolerata.

rata. Meretur igitur tunc gratiam, & charitatem, quæ infusa imperat Martyrium, vt finiatur ex charitate, quod fuit inchoatum sine illa, id quod inter alios docet Caietanus in 2. 2. Q. 124. art: 2. Suar. etiam tom: 3. in 3. p. dis. 24. S. 3. putat cū alijs sufficere solam attritionem. Caietanus addit, posse fieri, vt quis studiò duret, in statu peccati mortalis, v. c. in concubinatu, aut auersione animi à proximo, moriaturque interim pro Fide, quo casu non erit coram Deo Martyr, nec saluabitur prout testatur S. Pauli Epistola illa ad Corint: c. 13. Nam in dicto euentu, mors nō sequetur ex optima, & pulcherrima occasione, ex imperio videlicet charitatis diuinæ, sed vel ex fide tantum diuina, quæ sola sine charitatè non saluat, vel ex motiuo fortitudinis, vel alio aliquo vario fine.

38. Posse autem varia bona, vel mala motiua actui externo Martyrij superuenire, constat ex materia de actibus humanis, vbi docetur, aliter actus internos, voluntatis, videlicet, atque appetitus ordinari ad suum obiectum, aliter externos, sēsuum, & membrorū. Priores, vel immediatè feruntur in suū finē, & obiectum, à quo sumunt speciem, & naturam, vel in actum aliquem internum ordinando eum, ad finem suum Primo modo charitas amat Deum, secundo desiderat actum internum fortitudinis propter Deum, qui vterque actus fit ex Charitate: nihil enim tunc adhuc operatur fortitudo, sed postea, imperata à charitate, fortiter tolerat aduersa: per quod imperium nihil interni accedit, actui interno fortitudinis, nisi, vt dicunt Theologi, relatio quædam, aut denominatio extrinseca à charitate imperāte, Itaque actus interni vnū duntaxat habent finem, vnumque obiectum, à quo sumunt in quauis virtute suam speciem, & distinctionem vt sup: dixi num: 32. de imperio: secus est de externis actibus Virtutū, qui possunt habere tot fines, ad quot eos voluntas, & appetitus refert. Cum enim actus externi sint animalis vitæ opera, quæ, nullum finem moralem propositum habent, sed ad illum sint de se indifferentia: sequitur, vt eum à voluntate, atque appetitu sortiantur. Si ergo voluntas, ad bonum finem talia opera dirigat, bona cēsentur, si ad malū mala, atque ita actus externus Martyrij, seu mortis toleratæ, si ex Charitate fiat, martyriū erit & si ex alio motiuo, erit talis quale est motiuū, & , quod supra dictum est, potest fieri, vt quis moriatur pro Fide, non tamen vt Martyr, sed vel vt Christianus, si pro Fide occumbat in malo statu, vel vt vanus & gloriæ appetens, si mortem ob vanitatem quandam toleret. Neque hæc doctrina contraria est Christo dicenti, apud Ioannem. C. 15. *Maiorem Charita-*

Charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis. Dominus enim ex suppositione loquitur, posito quippe, quòd quis ex Charitate moriatur, non potest plus in gratiam Dei præstare, quàm si det Vitam.

Posset quis hic quærere, an imperium Charitatis ita sit necessarium ad Martyrium, vt nisi semper actu adsit, mors pro fide, & ex imperio fidei toleratæ, non sit censenda martyrium, quantumuis is qui moritur in Charitate habituali decedat ex hac vita. 39.

In hac re illud imprimis videtur certum, & receptum ab autoribus, vt qui pro fide cogitur mori, neque potest aliquo casu, actu mortem referre in Deum, non solùm charitate, sed neque ipsa fide, si verbi gratia in somno occideretur, is verè sit martyr, acceptante Christo implicitam quandam, & in Charitate inclusam pro se moriendi voluntatē. Qui enim Deo gratus atque amicus est, beneficio habitualis Charitatis, censetur paratus esse pro illo mori quando fuerit opus. Hoc modo innocentes, vt Martyres sanguinem fuderunt, eo quod pro Christo sint occisi, nec potuerint propria voluntate ad mortem se offerre, nempe impotentia naturali ad id impediti. Neque verò putandum est Christū aliter acceptare mortem adultorum in somnis, quàm acceptarit paruulorum rationis incapacium: Cùm sint omnia paria quoad impotentiam offerendi se ad mortem. Hæc tamen inter innocentes adultosque in somnis pro Christo occisos est differentia, quod illi ipsa effusione sanguinis à peccato sint abluti, quotquot ante circumcisionē sunt mactati eò quod non potuerint suo proprio labore ad consequendam remissionem peccati originalis se disponere, quam illorum impotentiā sanguis pro Christo fusus suppleuit. Qui verò adulti occiduntur, possunt & debent pro mortis euentu in gratia eius se constituere & parati esse ad sanctè moriendum. Vnde si in pecccato mortali adultus pro Christo in somnis occideretur, non esset saluus, ne dum martyr, teste S. Paulo 1. ad Corint: 13. cap: vbi sic ait: *Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Iam qui in vigilia moriuntur pro Fide, ex imperio ipsius, interim in gratia habituali constituti si casu intermittant actu referre mortem ex amore Dei vt quia verbi causa, obliti sunt diuinæ Charitatis occupati fortitudinis tolerantia, timore, & tristitiâ, idem de illis dicendum videtur, quod & de occisis in somnis in gratia Dei: perinde enim impotentes efficiūtur, ad actuale habendum imperium Charitatis, (dum illis non occurit, necessitas referendi mortem in Deum) atque hi qui somno sopiti decedunt.

Quod

Quod si occurrat Charitatis eliciendæ memoria, & nihilominus omitat (nō tamē ex cōtēptu) is qui moritur, referre actu in Deū mortē contentus eo, quod pro Fide occumbat, is quidem saluus erit, siquidem in Charitate moritur: præsumendum tamen videtur de diuina bonitate, etiam talem non carere martyrij corona, eò quòd ex habituali quodā,& implicito,vt paulo ante dixi Charitatis imperio moriatur, & tam insignem sui præferat victoriam, qua fidem Christi protestatur. Ita tenet cum alijs Suar: in 3.p. disp: 24.sec: 2. tom: 3. Quanquam multò securiùs, & perfectiùs ille faceret, qui in vltimo vitæ momento, quam periculosè terminat, in Deum se totum referret actu, eius, in re tanta indigens ope, quam eò maiorem quisque meretur, quò magis Deum amat. Ex dictis patet triplici modo actum Martyrij imperari à Charitate 1. vt dicūt Theologi formaliter, quando actus amoris Diuini imperat actum Martyrij: secūdo, habitualiter,& implicitè, cùm quis moritur actus charitate, quæ tamen non refert actu mortem ad declarandū amorē Dei. 3. interpretatiuè, quādo peccato subditus letali, oblitus pœnitentiæ, seu Contritionis, detentus alijs pijs operibus pro Fide Christiana subit mortem.

40. Præter causam mouentē, secundū, quod ad martyrium exigitur, est testimonium veritatis Christianæ, non tam cōfessione verborum, quàm Vitæ profusione, vt hoc ipso testetur fidelis, se pluris facere Deum, & eius infallibilem veritatē, quàm propriam vitā. Quia verò omne testimonium integrè compleri debet, vt Veritas illo censeatur comprobata, idcirco Martyrium, non inchoata, aut intenta, sed consumata morte completur, quæ est perfecta attestatio Veritatis. Atque hoc est tertium quod ad Martyrium requiritur, nempe mors, re ipsa subsequens,& complens veritatis Diuinæ attestationem: de quo plura infra Sec: 14. huius capitis. Itaque quam diu Martyr patitur, meretur quidem ille semper gratiam, vitamque æternam, gratiæ proportionatam, nondum tamen est martyr, nisi vt dicunt Theologi, in fieri, In quo verò puncto seu instanti, mors completa fuerit, cessat meriti accessio, succeditque tunc, atque incipit præmium æternæ salutis, vna cum laurea Martyrij,

Sectio XIII.

An solius Fidei attestatio faciat Martyrium, an verò etiam alterius cuiuspiam Virtutis exercitium.

Cæterum

CÆterum duo hîc obiter explicanda sunt, ad pleniorem Martyrij 41.
intellectum, primum proponit S. Thom: 2. 2. Q. 1. 24. quæritque an sola fidei professio Martyrij causa sit â vero etiam aliqua alia virtus, eandem fortitudini præstantiam, denominationemque dare possit? tum videlicet, cùm subsequitur mors, propter exercitium virtutis cuiuspiam. Ad hoc ipsum S. Thom: respondet docens cuiusuis virtutis opus, modo in Deum referatur, posse esse causam Martyrij, id quod ille ita probat in corpore articuli citati, Martyres dicuntur quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus vsque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicunque, sed veritati, quæ secundū pietatē, quæ per Christum nobis innotuit: vnde & martyres Christi dicuntur, quasi testes ipsius. Huiusmodi autem est veritas fidei, & ideo cuiuslibet martyrij causa est veritas fidei: sed ad fidei veritatem non solùm pertinet ipsa credulitas cordis, verum etiam exterior protestatio quæ quidem fit non solùm per verba, quibus aliquis confitetur fidem sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud Iacobi 2. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Vnde de quibusdam dicitur ad Titum 10. *Confitetur verbis se noße Deum, factis autem negant.* Et ideo omnium virtutum opera secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus huiusmodi opera à nobis requirat, & nos pro eis remuneret, & secundum hoc possunt esse Martyrij causa. Vnde etiam Beati Ioannis Baptistæ Martyriū in Ecclesia celebratur, qui non pro negādaFide, sed pro repræhēsione adulterij mortē sustinuit. Hæc S. Thom:

In qua eius doctrina aliquod sunt notanda 1. Fidem omnis Marty- 42.
rij esse causam, nam illa manifestat, à Deo reuelatum esse, vt & credamus quæ sunt diuinitus patefacta, & exequamur illa, quæ sunt à Deo præcepta, tanquam pietatis opera, ad cultum & amorem eius relata. 2. Hæc opera pia debent in Deum referri, vel quia sunt ex actuali imperio charitatis, id quod est optimum, & maximi meriti vel quia saltem per fidem ad Deum ordinantur, iuxta dicta supra numero 39. Fides etiam, vt inquit S. Thom: loco proximè citato manifestat nobis voluntatem esse Dei, vt huiusmodi opera aggrediamur quando, vbi, quomodo, opus, aut conueniens est, quantumuis ob illa moriendum sit.

De industria addidi illas circumstantias, Quando, vbi, quomodo 43.
opus, aut conueniens fuerit, vt enim rectè aduertit Caietanus in 2. 2. Q. 124. art: 4. triplicia possunt esse opera pia, quædam sub negati-

uis præceptis contenta, vt non fornicandum, non occidendum, & similia non patranda. Atque hæc semper sunt exercenda, licet mors immineat; quia nunquã licet offendere Deum. Qui ergo committit graue quid in hoc genere, timore perterritus mortis, letaliter peccat, qui leue leuiter: Qui autem propter obseruantiam horum præceptorum mortem sustinet, martyr est. Alia opera sunt contenta sub præceptis affirmatiuis, vt est cultus diei festi, eleemosynæ largitio, hospitalitas & id genus alia, Hæc, si spectatis omnibus circumstantijs obligant sub graui necessitate, debent exerceri, licet inde sequatur mors, alioquin graue erit peccatum omittere eiusmodi op era ob metum mortis. Ita peccaret sacerdos, qui morientem in grauibus peccatis, nec scientem se contritione iuuare non absolueret ob timorem pestis, quod si absoluendo peste infectos moriatur, martyr est. Iam si minor sit eiusmodi operum necessitas, & solùm sub veniali obligant, erit quoque obligatio moriendi sub veniali, & si quis propter huiusmodi opera, morti se offerat, martyrij coronam consequetur.

Sunt demum quædam opera, quæ omnibus expensis circumstantijs sub nullo peccato obligant, sed solùm maioris essent perfectionis Christianæ, illa non omittere: in hoc casu, actus fortitudinis, seu mors, non est de præcepto, sed de consilio, & qui secutus consilium mortem oppetat, martyrio coronabitur. Vltimò docet S. Thom: opera quæcunque pia debere esse testimonium Virtutis, sicut & ipsa mors, nam cùm fiant ex fide manifestante Veritatem, voluntatemque Dei, sicut fidei professio, est testimonium reuelationis Diuinæ, ita operum per fidem manifestatorum executio externa, erit testimonium eiusdem veritatis, voluntatisque Diuinæ, hoc modo S. Ioannes Baptista & morte sua, & libera repræhensione adulterij, testatus est fidem Diuinam, quæ reuelauit detestandum esse adulterium.

44. Ex hac S. Thomæ doctrina inferri debet, Martyres esse eos, qui quod non consentiant inducentibus, cogentibusue ad libidines, ad furta, ad latrocinia, & alia peccata, morte afficiuntur, modò hanc suam nõ peccãdi constantiam referant in Deum ratione iam explicata, n: 39. Martyres item sunt, qui propter aliqua pia opera in Deum relata, morti se exponunt, talis esset fæmina, quæ quia nollet nubere amore castitatis occideretur. Tales sunt Martyres, qui iuuando peste infectos ipsi in hoc Dei, animarumque obsequio succũbunt leto. Eiusmodi sunt qui in graui fame, subtractis sibi ad vitam necessarijs egenti succurrunt, siue teneantur id facere, vt cùm egens est vtilior communitati,

tati, quàm ipsi, siue non, vt cùm æquali sibi opem ferunt, & hac de causa ipsi fame decedunt. Martyres etiam, & quidem præclari sunt, qui zelo animarum Diuinæque gloriæ impulsi, tantos perferunt labores (qui tamen è dictamine sint prudentiæ) siue præceptos, siue tanquam consilia propositos, vt tandem eos deficere, ac mori necesse sit.

Prorsus quæuis mors, modò sustineatur pro tuendo bono honesto, & hoc in Deum referatur, semper erit martyrium tanto præstantius, maiorisque meriti, quantò perfectior erit illa virtus pro qua mors eligitur. Quapropter non dubitat S. Thom: 2. 2. q. 124. art. 5. ad 3. asserere, etiã in bello decedentes martyres esse, modò bonum, & pacem communem, pro qua pugnant in Deum referant. Quod autem ordinariè, non vocẽtur martyres milites Christiani in bellis cæsi, est, quia, vel non referunt in Deũ suam mortem, sed in bonum Reipublicæ, vel non constat, eos referre in Deum, id quod ad martyrium requiritur, vt iam dictum est.

Sectio XIV.

An quis Martyr esse possit sine morte.

Restat explicandũ alterũ, quod ad martyrij pertinet intelligentiã: Possit? nec ne aliquis, non quidem mortem, sed aliquid passus, verè martyr esse, & appellari? Vbi distinguenda sunt duo, quæ in martyrio interueniunt, meritum scilicet gratiæ vitæque æternæ, tanquam præmij essentialis, & dignitas seu, vt vocant Theologi, aureola præmij accidentalis. De primo hîc non quærimus, certum enim est, posse meritum & præmium æquale, vel etiam maius dari ei, qui non est martyr, si magis Deum amet, quàm is qui moritur pro illo. Nam licet Christus dicat Ioannis 15. *Maiorem dilectionẽ nemo habet, quàm qui ponit animam pro amicis suis.* Id tamen intelligendum est, vt etiam sup: dixi, num: 38, de signo, & quidem ordinario Charitatis, quòd homo nequeat maius indicium amoris in Deum declarare, quam si pro illo moriatur. De ipsa vero charitate interna agendo, certum est, & inter martyres, ab vno plus diligi Deum, quàm ab alio, cùm tamen idem Charitatis signum præferant, nempe mortem. Et non martyr potest maiori ferri in Deum Charitate, quàm aliquis martyr, quod de Beatissima Virgine plus quàm certum est apud omnes Sanctos Patres & Doctores, vt latius ostendi lib: hoc parte 1. cap. 14. Itaque non quæ- 45.

rimus hic de substātia præmij æterni, sed de illa aureola martyrū, quæ, vt docent Theologi supl: 3. par: q. 66. ar: 11. Domin. Soto in 4. sent. dist: 49. & alijs consistit tum in singulari quadam lætitia, ac voluptate animi, ob mortem toleratam; tum in corporis aliqua insigni nota seu ornamento, quale est in cicatricibus Saluatoris nostri. Singularis quæpiam lux, splendor & color. Aliqui etiam putant esse in anima quasdam characterum notas. Quod de aureola martyrij dico, tenendum de alijs aliorum Sanctorum coronis, nempe eas consistere in Signo & interna lætitia, debenturque præter martyres Virginibus, & Doctoribus, vt docent citati Theologi. Quanquam non his solùm putandum dandas aureolas, sed alijs: si enim Doctor meretur hoc insigne, quia instruendo alios ad salutem, opus misericordiæ exhibet spiritualis, cur non illi, qui insigni eleemosyna iuuant egentes, vt instructi huius vitæ necessarijs, futuram commodiùs inquirāt? Certè nunc S. Martinus eximio gestit gaudio, quia Christo dedit partem chlamidis, in qua ipse aliquando spectabilem se obtulit Angelis. Si Virgo aureolam habet quia in re difficili se vicit, an non difficilior est victoria illa, quā Spiritus S. prædicat prou: 21. *Vir obediens loquetur Victoriam*, non de corpore spiritui per Virginitatem subdito, sed de spiritu per obedientiam subiecto Deo? Martyr laureatus in cælo rutilat, quia ex imperio charitatis vitam pro Christo dedit: quid ille an non flammea coruscabit laurea, qui ardebat charitate & quiduis vna cum vita paratus erat pro eâdem dare? Credendum profectò est vnumquemque peculiarem habiturum accidentalem coronam, pro quouis opere pio præsertim ex insignibus, tum ratione obiecti, tum ratione subiecti, & difficultate in exercenda virtute, id quod videtur prædixisse Isaias cap. 23. *Dicite iusto, quoniā bene quoniam fructū adinuentionum suarum comedet.* Vt enim qui in pugna militari sunt constantes, statutam ab Imperatore referunt mercedem, & præter illam, præmia laudis, honoris, ac spoliorū illi merentur, qui egregiè se gerunt: ita agonotheta noster Christus omnes is quidem pro omnibus etiam minimis rectè factis præmio afficiet substantiali æternæ gloriæ, qui tamen singulare quid pro honore ipsius egerunt, eos peculiari corona, vt dicimus, accidentali donabit: & quanto quisque magis fuerit strenuus in inueniendo, quod agat, tantò dignior erit ad accipiendum quod dabitur, tali enim a Propheta promittitur: *Dicite iusto quoniam bene*.

Trium quidem aureolarum communiter meminerunt auctores, quia earum claræ sun Victoriæ, & quidem insignes; in Martyre, de hoste Christi,

Christi, qui fidem, vel iustitiam oppugnat; in Virgine de carne propria; in Doctore de mendaciorum patre Diabolo, quas de his hostibus victorias deprædicat S. scriptura. De martyribus legitur Apoc: 7. *Hi qui amicti sunt stolis albis, sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni*. De Virginibus scriptum ibidem cap: 14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt, hi sequuntur agnum quocunq; ierit*. De Doctoribus refert Daniel cap: 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stella in perpetuas æternitates*. Cæterum aliorum aut non ita sunt arduæ victoriæ vt liberalium in dandis eleemosynis, aut non ita clarè patent, vt eorum qui per obedientiam de voluntate, & iudicio proprio deuicto triumphant per charitatem, quæuis bona alia præter vnum Deum contemnunt, vt nihil: ideo talia nōcitantur ab auctoribus, quasi obscura. Nihilominus Glossa quam affert supplementum Diui Thomæ q. 66. art: 12. disertè assignat laureolam sequentibus illud Christi consilium Mat: 19. *Si vis perfectus esse vade, vende omnia*. Et idem ob rationes supra allatas alijs quoque insignibus virtutibus tribuendum est, quas qui sectantur habent quoque à Spiritu Sancto futurorum decorum sua encomia. Ecclesia: 17. ita misericors extollitur. *Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & postea resurget & retribuet illi retributionem*. Prouerb. 21. prædicit sapiens fore vt obediens victoriæ palmam præferat. Ioan. 13. Christus dat diligentibus insignia discipulatus sui: *In hoc*, inquit. *cognoscent quia discipuli mei estis si dilexeritis inuicem*. Matt: 19. secutis se iudicialē pollicetur potestatem. *Vos qui secuti estis me sedebitis super sedes duodecim*. Sic de alijs extant scripturæ, sed cæptum prosequamur.

Ad Quæstionem igitur propositam de martyrij aureola, an scilicet ea alijs, præterquam morientibus pro Christo debeatur, facilis est ex dictis sup: cap. hoc, à num: 24. resolutio. Vbi ostendimus dari posse aliquod malum æquè graue, atque est mors, aut certè grauius Hoc ergo tale malum, si ex imperio Charitatis Diuinæ toleretur, & ita quidem, vt sit signum, ac testimonium, re ipsa præstitum Diuinæ voluntatis per fidem reuelatæ, constituet perinde martyrem, atque mors, tantòque præclarior erit aureola martyrij, quantò id, quod toleratur malum, maius magisque erit arduum. 46.

Clarum habemus in Beatissima Virgine huius rei exemplum. Illa enim offerendo suum Filium ad necem, conformandoque se Diuinæ ordinationi tum, cùm sub cruce stabat, testata est Dei voluntatem permittendum

mittentem (tantum diuinum, & suum malum) se pluris facere, quã proprium omne bonum, quod ex præsentia vitaque Filij habere potuit. Vnde à Sanctis Patribus prædicatur Mater Christi verissime tanquam martyr, & plus quàm Martyr, vt ostendi parte priore cap: 14. a num: 66, Martyrium autem eius in hoc fuit, quod grauissimo suo cum dolore, passa sit amissionem Filij, vt se Diuinæ voluntati conformaret. Hoc ipsum videtur sentire. S. Thom: 2. 2. q. 124. art: 4. vbi cum mouisset dubium, in quo quærit, an de ratione martyrij sit mors? respondissetque necessariam esse idcirco, quòd martyr morte testatur se Deum eiusque veritatem, ac voluntatem pluris facere, quàm omnia bona terrena, quæ vt plurimum ad Vitam hanc ordinantur. Vnde homines priuant se possessionibus, amicis & similibus, imo etiam tolerant, multa, vt possint viuere, quamdiu ergo quis vitam retinet, non censetur sufficienter testari se pro Deo omnia contemnere. Hac resolutione data, obijcit sibi in secundo argumento, dari posse imo de facto fuisse quasdam virgines, quæ pro fide, exposuerunt periculo Virginitatem, non quoad mentem, & propositum persistendi in illa, sed quoad corporis, & externam integritatem. Hæ virgines, si passæ sunt vim, sunt verè martyres, & tamen non sunt mortuæ pro fide, non igitur mors omnino requiritur ad martyrium. Ad hoc dubium ita respondet. Ad secundum dicendum, Quod in muliere quæ integritatẽ carnis perdit, vel ad perdendam eam damnatur occasione fidei Christianæ, non est apud homines manifestum, vtrum hoc mulier patiatur, propter amorem fidei Christianæ, vel magis pro contemptu castitatis, & ideo apud homines non redditur testimonium sufficiens Vnde hoc non propriè habet rationem martyrij, sed apud Deum, qui corda scrutatur, potest hoc ad præmium deputari, sicut Lucia dixit. Quid autem dixerit in Argumento proponit. *Si me inuitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad Coronam*

47 Hic clarè S. Thomas perinde tales virgines martyres appellat ac milites in bello cæsos, vt supra num: 43. & 44. ex illo attuli, sicut enim hi modò referant in Deum suam mortem, martyres sunt apud illum, licet, cùm non constet id illos ita facere, non censeantur apud homines martyres, ita Virgines si pro fide vim patiantur, erunt verè martyres apud Deum, & si apud homines non censeantur tales, quia non constat id eas intuitu Dei passas potius, quàm impuritatis alicuius affectu acceptasse.

Non solùm autem tunc tales fœminæ erunt martyres cùm fidem violentiã

violētiā illata testitur, sed etiā tū, cū pietatis Christianæ gratiā idē patiūtur qñdo cogūtur, ad fornicādū, aut nubēdū, neque volunt, eo quod virgines sēper amore Christi esse decreuerunt, vel insuper voto, ad id se obligarint.

Ex mēte igitur S. Thomæ, martyrij corona, atque aureola debetur nō tantū morientibus pro Christo, sed etiā aliquid æquale morti ferētibus. 84.

Rectè enim ille docet 2. 2. q. 124. art: 3. in corpore ideo per mortē fieri martyres, quia est valde graue dolores corporis acerbissimos ferre, quorū metu, vt docet S. Aug: lib. 83. q q. q. 36. etiā bruta animalia à maximis voluptatibus abstrahuntur, qui igitur acerbissimum quid (etsi non mortem) tolerat amore Christi, pro martyre ab eo habetur, quippe qui tali tolerantia testatur se valde amare Deū. Porro quæ sint hæc æqualia, aut interdum etiā maiora ipsa morte, supra hoc cap. à num 26. per aliquot allata sunt, res enim quæpiā v. c. vel persona æquè aut magis ipsā vitā adamata, æstimataque, si amore Christi deperdatur, conferet aureolam ac coronā martyrij, in quo hoc vel maximè attenditur, vt sit fortis sui victoria, in priuando se pro Deo, insigni re, qualis est vita, vel quidpiā aliud, æquiualens, aut etiam eā prudēti hominū æstimatione) superans. Idem ostendimus ex S. Aug. agentes de obedientia par. hac post. c. 19. à n. 21. & capite 2. n. 21.

Sectio XV.

Fortitudinis materia & Finis quisnam sit?

HVc vsque explicata est materia finisque, & honestas tā proxima, quā remota fortitudinis. Proxima materia est, malū arduum & graue, aut fugiēdū timore, aut sustinēdū audaciā. Ne verò id temere, otiosè, & inutiliter fiat, ac proinde malè, debet accedere causa, occasio, circūstātia, atque imperiū virtutis alicuiusquæ ratione præscribēte, vrgeat ad acceptandū malū graue, & arduū, & ex hoc sit licita honestaque mali tanti acceptatio. Atque hæc est honestas proxima, & finis fortitudinis. Remotus verò finis, est bonū cuiuspiam virrutis, qualis est verbi causa iustitiæ, pacisque communis fidei, aut alterius, ad quod bonum tanquā ad finē remotum actus fortitudinis vltimo ordinatur: Iustitia enim v. c. bellica assūmit fortitudinē tanquā mediū ad suū propriū consequendū bonū, vt vnicuique ius suū integrum reddatur. 49.

His iam circa materiam expeditis, restat aliquid dicendum de ipsa fortitudinis operatione, quæ etiam solet appellari materia proxima, nam vnaquæque virtus versatur circa suos actus rectè ordinandos,

nandos, tanquam circa materiam, quam elaborat, informatque debita honestate.

Sectio XVI.

Quo pacto Fortitudo operetur, & quæ habent in agendo adminicula.

50. OPerationes hasce, supra hoc cap. à num: 17. exposui. Aliud enim fortitudo non agit, quàm vt reprimat timoris excessum, caueat defectum, cohibeat pariter audaciæ excessum, stimulet ne deficiat cum audendum est. Bene autem docet Aristoteles 3. Eth cap: 10. ad debitum timoris, & audaciæ vsum multum conferre iram, hæc enim per mansuetudinem (explicatam huius libri parte priore) rectè composita, malum arduum præsens moderatè depellendo, iuuat passiones timoris, & audaciæ, vt hæ quoque debitè imminentia futuraque sustineant mala. Hinc illud Homeri. *Furor arma ministrat* Ibidem docet Aristoteles, passionē delectationis non concurrere ad fortitudinem, eò quòd in ea molesta potius sint omnia, & formidolosa sensu, quàm iucunda, nisi sit sermo de delectatione honestatis, qua omnis virtus fruitur, cum ex habitu & consuetudine promptè, iucundèque operatur.

Cæterum hæc talis delectatio modica est, atque vt plurimùm, superatur a dolore & molestia, quæ se admiscet fortitudini, quanquā singulari Dei influxu fit interdum, vt in ipsa dolorum tolerantia, adsit tanta internæ delectationis copia, quæ cruciatum temperet, aut etiam superet, id quod nonnulli martyres experti sunt. Admiscet se etiam timori dolor, nam dum aliqua timemus, adsunt quædam præsentia mala, quæ nos turbant, saltem ipse timor præsens non modicè affligit animam. Itaque doloris moderatio per patientiam, adminiculo est fortitudini.

51. Totam hanc operationum Fortitudinis seriem duobus verbis exprimunt auctores, & ad duo reuocant omnia, nempe ad Sustinere, & Aggredi. Primum continet promptitudinem, quiā se fortis exponit periculo malorum, non timendo ita illa, vti velit fugere, sed potius expectādo firmiter immobiliterque. Secūdum innuit resolutionē quādam, qua fortis in pericula vltro se conijcit, prius ad timorem spectat posterius ad audaciam. Et quanquam vtrumque futurum respiciat malum, tamen ex modo quo anima passionibus timoris & audaciæ mouetur,

tur, timor perſentit imminere pericula, & quaſi iam iam adeſſe, audacia venturis obuiat, & velut illa quærit ac remotiora proſpectat. Quapropter Ariſtoteles cap: 9. & 10. & S. Thom: 22. q: 123. art: 6. docent ſuſtinere formidoloſa, eſſe grauius quàm fidenter audere contra futura, & fortitudo magis elucet in ſuſtinendo, quàm in audendo, cuius rei dat tres pulchras cauſas S. Thom: loco citato ad primum.

Suſtinere, inquit, eſt difficiliùs quàm aggredi triplici ratione. Primò 52. quidem, quia ſuſtinere videtur aliquis ab aliquo fortiore inuadente, qui autem aggreditur, inuadit per modum fortioris, difficiliùs autem eſt pugnare cum fortiori quam cum debiliori. Secundo quia ille, qui ſuſtinet iam ſentit pericula imminentia, ille autem qui aggreditur, habet ea vt futura, difficiliùs autem eſt non moueri à præſentibus, quàm a futuris.

Tertio quia ſuſtinere importat diuturnitatem temporis, ſed aggredi poteſt aliquis ex ſubito motu, difficilùis autem eſt diu manere immobilem, quàm ſubito motu moueri ad aliquod arduum. Vnde Philoſophus dicit tertio Ethnicorum cap: 8. quòd. *Quidam ſunt præuolantes ante pericula, in ipſis autē diſcedunt.* Fortes autē è contrario ſe habent: hæc S. Thom: Quapropter licet illi tanquam fortiores ab hominibus laudentur, qui ſe periculis dant obuios magno & audaci animo, tamen præſtantiùs eſt ſuſtinere illa firmâ & immobili conſtantiâ, maximè cum ad audendum ira ſuo acceſſu multum conferat; à ſuſtinendo autem triſtitia (quæ tum ſolet excitari, à præſenti timoris afflictione) non modicum retardet. Sufficiant hæc de ipſa Fortitudine.

CAPVT II.

Quantum momenti ad ſalutem afferat Fortitudinis virtus?

VNū eſt quod maximè cōmendat fortitudinem, quodque oſtendit 1. quantum conferat ad omnem honeſtatem, & tandem ad ipſam ſalutem, nimirum firmitas, & conſtantia in bono, à quo grauiſſimis etiam deterrentibus malis ac periculis, non permittit ſe retardari, nedum retrahi. Nam vt bene docet S. Thom: 2. 2. q. 123. art: 11. in corp: duo hominem retrahunt à bono rationis ſeu honeſtate, duoque ad malum in pellunt voluptas, & dolor. potentiùs autē à dolore, quàm à voluptate concitamur. Ad quod probandum adducit ibidem S. Auguſtinum lib: 83. qq. q. 36. vbi ſic ſcribit *Nemo eſt qui non magis fugiat*

giat dolorem, quàm voluptatem, namq; videmus & immanissimas bestias, à maximis voluptatibus exterreri dolorũ metu. Idem asserit Philosoph: 3. Eth: c. 10. cum ait. *Difficilius est, res periculorum molestiæq; plenas ferre, quàm se ab ijs, quæ voluptatem afferunt abstinere.* Hæc cum vera sint magna laus
2. Fortitudinis, & necessitas ad omnem honestatem agnoscenda est, vt pote quæ timores cohibendo, præcauet dolorẽ (qui semper admiscet se timori; vt dixi cap: præcedenti, numero 50) magnitudini, atque ita facilem reddit, & expeditam ad omnẽ honestatem viam. Quam ob caussam vna inter cardinales virtutes numeratur fortitudo, quarum munus, & officiũ est in præcipuis negotijs, atque operationibus rectè ordinare vitam humanam, quẽadmodum facit hæc virtus, in aduersis formando animum constantẽque reddendo in bono. Vnde S. Thom: quæstione citatâ art: 12. agẽdo de perfectione, quam fortitudo inter virtutes cardinales sortita est; hæc de illa in corpore articuli enunciat: *Bonum rationis, est hominis bonum.* secundum Dionis: 4. cap: de Diuinis nominibus. Hoc autẽ bonum essentialiter quidem habet prudentia, quæ est perfectio rationis, iustitia autẽ est huius boni factiua, in quantũ scilicet ad ipsam pertinet, ordinem rationis ponere, in omnibus rebus humanis. Aliæ autem virtutes sunt conseruatiuæ huius boni, in quantùm nimirum moderantur passiones ne abducant hominẽ à bono rationis. Et in ordine harum fortitudo tenet locum præcipuũ, præstatque alijs virtutibus quia timor periculorũ, mortis, maximè est efficax ad hoc, quòd hominem faciat recedere à bono rationis; Post quam ordinatur temperantia, quia etiam delectationes tactus, maximè inter cætera impediunt bonum rationis. Vnde inter virtutes cardinales est potior Prudentia. secũda Iustitia, tertia Fortitudo, quarta Tẽperantia. Cum verò cap: præcedenti à num: 28. diximus ad Fortitudinẽ spectare non mortem tãtùm, magno animo ferre, sed alia quoque ardua mala; tantò illa præstantior & vtilior est, quantò crebrior in vsu, atque operatione. Nam cum ita sint res humanæ nunc quidem in statu mortali constitutæ, vt malorum innumera sit multitudo, ingensque moles, ac grauitas, quæ se actionibus humanis immiscent, ægrè aliqua honestè possunt expediri sine certamine, & lucta cum aduersis, quæ semper timenda sunt, semperque contra ea audendum, Quemadmodum ergo hæc mala, nunquã nos non impetunt, estque fatalis quædã ex Diuina prouidentia, pugnæ necessitas, ita par est necessitas virtutis huius, sine cuius adminiculo, nihil propè boni honestiue iam fieri possit, cùm nihil sit iam boni, sine adiuncto graui malo à bono reuocante.

Sectio

Sectio. I.

Fortitudinis vtilitatem ac necessitatem ostendit Christus.

Porro vtilitatẽ virtutis huius, non meliùs vllus cõmendatam reliquit, quàm Christus suis fidelibus. Matth: 24. Vbi depinxit ad viuũ plurima, grauissimaque mala mũdo superuentura, post quorum longam enumerationẽ subdit. *Erit tum tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet.* Tam exacta, & fideli declaratione futurorum, quid aliud Dominus ab ijs, quos intimè dilexit, & quibus à ruina præcauebat, quid, inquã, aliud voluit, quàm vt contra aduersa fortitudine se armarent? ne forte periculis adacti fidem, & amorem sibi debitum terrori postponerẽt, fieretque quod in fine capitis Euangelista minatur. *Veniet Dominus serui illius, die, qua non sperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium.* Posset quidem aliquis apud se cogitare, istiusmodi mala, in fine mundi excitanda, proinde ijs, qui interim viuunt, neque postrema attingent tempora, sicut non sunt talia timenda mala, ita neque fortitudine contra ea esse opus. Huic cogitationi duabus vijs occurrendum est, etsi enim certum sit, Diuina Christi reuelatione, vicina iudicio extremo tempora fore periculosissima, quibus fortitudo, associata sibi fide comite, tolerãtia ac mansuetudine maxima debeat aggredi, cùm tamen de fine mundi, vt testatur ibidem Christus, nemo sciat, neque Angeli, & eodem loco vigilandum omnibus & singulis quauis die, & hora præcipiat, *Vigilate (sunt verba Christi) quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.* Sequi oportet, vt quouis mundi sæculo, & quacunque sua quiuis ætate expectare debeat tempora illa extrema, paratusque esse ad sustinenda fortiter, quæ tunc certò futura sunt, & cùm non sciamus, quando sint ventura, semper in metu, & expectione esse debemus, quantùm ad salutem conferat, 3.

Hæc forte est causa, ob quam non annos, aut sæcula, sed horam assignet huic præparationi Dominus, quando monet: *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*, Quasi hoc suo dicto indicare voluerit, non debere fideles longum, & remotum tempus, quo forti pugna sit opus, sibi præfigere, cùm hora neque longa sit, neque longè distans, illa nimirũ, qua Dominus vigilandum cuique præcipit, hoc est omni, quam quis inchoat. Omnis proinde suspecta debet esse, nullaque secura, quia non sit accingendus lateri, fortitudinis ensis, vt hostis paratũ inueniat. Ita volebat Dominus paratos esse Apostolos, & discipulos su- 4.

os, quos bene sciebat non victuros, vsque ad diem Iudicij, & tamen ad fortia concitabat Matt: 10. *Eritis odio omnibus propter nomen meū, qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Quibus verbis duo intendebat efficere in ipsis, primum est, vt ad Fortitudinē comparandam explicarent animum, ad quam nisi timeantur mala, mens non mouetur, atque ita Apostoli carerēt vna è virtutibus Cardinalibus, Quod tamē in Apostolis efficere conatus est Dominus, idēq; cupit in omnibus, vt odia hominum, & quæ ex his sequuntur præuidentes, robore mentis contra ea se muniant.

5. Est & aliud, quod ex Christi verbis elici debet, nempe, virtutis huius, non illa tantùm in fine mundi pericula, necessitatem atque vtilitatem proponere, sed alia, quæ quisque, quocumque durantis mundi sæculo, & quouis vitæ suæ spacio, tanquā imminentia timere, & contra ea armare se debet. Atque hoc est, secundū, quo cogitationi illi supra propositæ satisfaciendum est, nimirum non ijs tantùm qui ad diem Iudicij victuri sunt, fortitudine esse opus, sed omnibus & quocunque tempore, cùm semper non desint grauia, & ardua mala. Talia erant immanis tyrannorū persecutio in primordio Ecclesiæ, in quo Apostoli, & tot martyres cum morte, ac tormentis luctati sunt, id quod illis Dominus prædixit. *Eritis odio omnibus*, statimque suggessit esse animū, fortitudinis vi, cui salus certa futura esset, roborandum, *Qui perseuerauerit* inquit, *vsque ad finem hic saluus erit.*

6. Non sunt nunc, tot præsertim, quot ante erant tyranni, qui fideles ad necem trahant, sed nunquam & nusquam desunt, qui tyrannorum, & id genus hominum obeant munus, aut iniquè, permittente Deo, aut iustè, iubente. Timent Chari charorum mortem, ruinasue; præuident ex euentu, quem formidant, secuturas plurimas maximasque suas calamitates, egestatem, iniurias, spoliationes, angustias, pressuras, infamias contumelias, & simila morte ipsa interdum acerbiora, imminet tandem, iamque adest, id quod timebatur futurum. Qui non est fortis, sed debilis, atque ignauus cedet tot malis, & postposita in Deum fiducia, in maledicta, blasphemias, periuria prorumpet, magos, sagasque in opem vocabit, amplectetur turpe viuendi genus, fraudibus, & vindictæ se dedet, multa demum & omnia illa tentabit, quibus aduerso casui i. deri possit. Et non nunquam (quod omnium miserrimum est) violentas sibi inferet manus, salutis & moniti illius Saluatoris oblitus. *Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Matt: 10.

7. Debilis ignauique animi reliquit fædum in se exemplum Saul vt legimus

gimus I. Reg: 28. veritus congregatos Philistinos contra se, *Cōsuluit Dominum, qui non respondit ei neq; per somnia, neq; per Sacerdotes, neq; per Prophetas* In tantis constitutus angustijs. Deū quem suppliciter precari, malorumque anteactæ vitæ pænitentia conciliare debuit, reliquit, hostem animæ, in patronum sibi delegit. *Quærite*, præceperat suis; *Mulierem habentē, pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam.* Cumque in acie pugnans vulneribus esset confossus, necem sibi propria manu accelerauit; & cum morte luctans, dixit ad armigerum suum. *Euagina gladium tuum, & percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi.* Quo postremo certè facto, præterquam quod infelicissimè sibi consuluerit, abiectissimam testatus est animi imbecillitatē. Rectè enim Aristoteles lib: 3. Ethic: c. 7. de talibus dixit: *Mortem sibi ipsi consciscere fugientem vel inopiam, vel amorem, vel molestiam, fortis animi, magniq; non est, sed angusti potiùs & timidi.* Nam quæ laborem, sollicitudinemque desiderant, ea fugere, nec quia honestum est, id ferre, sed ea fugere, ne malum habeas, mollis animi est, atque effæminati.

Non desunt his similia, & nonnunquam æquè fæda, ex inopia fortitudinis, etiam ab illis patrata, qui quòd Christiani sint, hoc ipso nomine fortiores esse debent, nimirum quibus, etsi non in tanta copia in quanta Apostolis, in maiori tamen, quàm vnquam veteris testamenti fideles habuerunt, Spiritus Sancti confertur gratia, roburque, ac virtus, ad confirmandam mentem. Apostolis promisit Christus abundantiam, quæ vt vestis totum ambit corpus, ita omnem infirmitatem carnis ablatura erat, Luc: 24. *Ego mitto promissum Patris mei in vos, vos autē sedete in ciuitate quoadusq; induamini virtute ex alto.* Quibusuis, post Apostolos Christianis, fluenta quædam gratiarum per Prophætam Ioelē cap: 2. danda prædixit; Deus Effundam, inquit, spiritum meum super omnem carnem, sed & super seruos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum, & erit, omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. 8.

Ex his præmissis inferendum est, magis decere Christianos fortitudinem, quam alios ante Christum fideles: nam Spiritus Sanctus ita affluenter, propter merita Christi effusus, inter alia quæ ipsum comitantur dona, infundit animæ donum fortitudinis, vt hoc impulsa virtutē quoque fortitudinis labore proprio assequi conetur tantò robustiorem, quantò potentiùs est donum supernaturale. Tali dono, ac Virtute imprimis, & præcipuè insignitus fuit Saluator, Dux, & Caput omnium saluandorum, de quo Isaiæ 11. legimus, Et egredietur Virga de radice Iesse, & 9.

flos de

flos de radice eius ascendet, & requiescet super eũ spiritus fortitudinis. Hoc ille spiritu valens immenseque robustus factus ad imitanda sua facinora, sic animabat cæteros Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis sed confidite, ego enim vici mundum.

Sectio II.

Post aduentum Christi virtus fortitudinis viget.

10. Porro quam copiosè, ac liberaliter effuderit se in credentes Spiritus Dei fluentis huius præstantis doni, quod emanauit ex infinito bonitatis Diuinæ ac misericordiæ fõte, quã etiam habuerit vim, in primis Christianis, pijssima Ducis omnium in Ecclesia militantium, animatio illa, Confidite, ego enim vici mundum, prima eiusdem Ecclesiæ testata sunt tempora, & deinceps (etsi non in tanto numero) non defuerunt, qui prioribus sunt ad stipulati. Certè à Christo in cœlum assumpto per aliquot centenos annos, hoc est vsque ad Constantinum magnum, non alios fere cœlum excipiebat, quàm egregiè fortes nimirum, qui exilio, egestate, ignominijs, omnium, quæ in mundo carissima habebant, destitutione, denique cæde, & atrocissimis tormentis fidẽ in Christũ professi sunt. Quæ singula, nisi inuicta fortitudine, Duce Christo tolerassent, neque militantem Ecclesiam adeo illustrem, & vt scribit S. Paulus 1. Corin: 4. spectandam mundo, Angelis & hominibus reddidisset, neque triumphantem, tot victoribus cumulasset.

11. Quis deinde ad nostra vsque tempora, enumerabit omnes, qui non quidem sanguinem pro fide Christi fuderunt, aut fũdunt, sed ijs, amore eius, se priuant, quæ gratissima sunt, quæque deperdita amorẽ pariunt interdũ dolorem, atque acerbitatem (adiuncta, præsertim longitudine ac multitudine, molestiarum, anxietatumque,) quàm esset ipsa profusio sanguinis. Quod si ea, quæ sustinentur, non solùm magnitudine sua, siue ex obiecto, sed etiam ex subiecto, siue comparatione sustinentiũ æstimare velimus, iuxta dictum illud Aristotelis. Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur, reperimus profectò insigni eos fortitudine præditos, qui molestissima sibi ferunt, etsi ea quæ ferunt, non ita sunt acerba alijs, sed ipsis acerbissima. Non discutio autem hic, quid potius & maioris meriti sit, vtrum illa sustinere, quæ in se, & omnibus grauia sunt, an verò illa, quæ minora in se cum sint, sustinẽti tamen grauissima videntur. Satis est hoc loco interim ostendere non illa tantùm ad fortitudinẽ referenda esse, quæ in se maximè ardua sunt

sed illa

ſed illa quoque quæ ferenti videntur talia, quidquid ſit, quod cæteris paribus, ea maiorem indicent fortitudinem, quæ in ſe, maiorem continent ardui difficultatē.

Itaque fortes ſunt, qui grauia in arduis bonis illata damna modeſtè tolerant, neque tentant vllos iniuſtos, vindicandi ſe, modos, aut compenſandi amiſſa. Non minus fortes ſunt, qui iniurias, famæ & honori proprio inimicas, non contenti quod æquo animo ferant, condonant etiam, aut (ſi neceſſarium eſt) exigunt quidem iuſtitiæ vindictam, ſed modicam illam, & leuem, Chriſti inducti exemplo) qui amore ipſorum, tradidit in mortem animam ſuam, & peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit, Iſaiæ 53. 12.

Fortes item ſunt, qui moleſtiſſimos labores, curaſque perferunt, pro Patria, pro Eccleſia, pro pupillis, & innocentibus, pro afflictis & à potentioribus oppreſſis, pro iuſtitiæ rectique iudicij adminiſtratione, non parcentes expenſis, inuidias, offenſaſque iniquorum nihil curantes politico omni timore contempto, Deo nixi, in cuius virtute confidunt, ſecuti illam vocem: Confidite, ego vici mundum,) Ioan: 16. Fortes & quidem præclarè ſunt hi quoque qui propoſitam ſibi optimam, quam Dei nutu, ſanaque mentis ſententia, elegerunt viuendi, & quam tantò plura comitantur aduerſa, quantò in illa præſtantior elucet pietas, ſolidarumque & integerrimarum virtutum laus, & ſtudiū. Tale ſtudium, vigere debet, maximè in Epiſcoporum, aliorumque clericorum perfectiore ſtatu, in religioſis etiam ordinibus, vt oſtendi hac parte cap: 18. à Sect: 6. & parte priore cap. 10. a Sect: 2. aut in alijs, qui in imperfectiore ſtatu, perfectiores ſunt: hanc talem viuendi rationem, ſemel arreptam, qui conſtanti, & toto conatu vſque ad finem vitæ proſequuntur, fortiſſimi ſunt.

Fortiſſimos hos iudico, primo quidem teſtimonio Sancti Pauli Eph: 13.
2. ad Tim: cap: 3. vbi cum laudaſſet ſe ipſum, ob illa quæ pro Chriſti fide ac religione, acerbiſſima, vt ſcimus, fortiſſimè pertulit, ſubiungit. Et omnes, qui piè viuere volunt in Chriſto IESV, perſecutionem patientur. Mens itaque S. Pauli eſt, pietati fortitudinem ita aſſociandam, vt ſolent ea, quæ nunquam ab inuicem ſeparantur. Hæc porro Societas, ſiue ex eo eſt neceſſaria, quia res tam excellens, nempe pietas, ardua, & difficilis eſſe debet, proinde forti animo quærenda, ſiue etiam ex eo magis, quia Agonotheta, & immenſi præmij largitor Chriſtus, ita decreuit, vt tanta merces nō debeatur niſi fortitudinis athletis. Quod ipſum S. Paulus teſtatur eadem Epiſt 2. ad Tim: cap: 2. Non coronabitur

nabitur, inquiens, nisi qui legitimè certauerit. Ipsemet etiam Christus sui decreti testis est, Matt: 11. Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Sectio III.

Pietas sine Fortitudine consistere non potest.

14. QVapropter ex mente S. Pauli, & decreti Saluatoris, hæc sunt tanquam certa habenda. Inprimis, qui pius esse vult, fortis oportet, vt sit, neque illum se speret fore vnquam, nisi hanc teneat & possideat. Deinde quoniam pietas tã arctè fortitudinem in suam societatem deposcit, amorisquoque, & fidei comites, non debent deesse tantò igitur solidius robur fortitudo offeret, quantò pietas eâ magis opus habet, neque enim ardua & præclara pietas, sine magnarum persecutionũ & difficultatum tolerantia potest esse, sicut nec magna merces, aut cõmodum, sine magno labore, & cura. Non leuis profectò error est, putare se non mediocriter pium, & tamen neque adhibere ardua ad pietatem colendam, neque cùm se illa offerunt, velle acceptare, sed subterfugiendo, optare pijssimam pietatem, quæ sine fortissima fortitudine non dignatur esse, dedignante eo, qui ita statuit Christus, quemadmodum testatus est, Matt: 11. Regnum cœlorum vim patitur, vim illam, quam Apostolus 2. ad Tim: 2. vocauit legitimum certamen nimirum, vt & pugnetur pro pietate, & pro eximia eximiè pugnetur, & vsque ad mortem pugnetur.

Postremo hoc quoque ad mentem Apostoli, voluntatemque Redemptoris referendum est, quod cum pietas, vt legimus 1. ad Tim: 4. ad omnia vtilis sit promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Et meritò quidem, omnem enim continet virtutem, quæ ad vitam æternam vtilis, & necessaria est, quoniam ergo ad vitam æternam prorsus necessaria est pietas, tantùm eadem vita æterna innititur fortitudini, quantùm pietati, cum hæc nequeat haberi sine illa. Quare, sicut qui non est pius, nec saluus erit, odio enim sunt Deo, impius & impietas eius sap: 14. ita qui non est fortis, non erit saluus, forti enim & ad finem perseueranti salus á Christo promissa est) Matt: 10. Qui, inquit, perseuerauerit, scilicet in persecutionibus fortiter toleratis, de quibus ibi sermo est, vsque in finem, hic saluus erit.

Sectio IV.

Fortitudo ad salutem necessaria.

IAm cum tantum faciat, & ad omnem pietatem & ad vitã æternam fortitudo, quid aliud de illa sentiendum, quàm quòd præter vtilitatẽ, ipsamquoque necessitatem salutis positam esse voluit ille, qui salutem, pietatem, vt necessariò adipiscendam homini imposuit. 16.

Sed vt euidentiùs pateat, quam verè sint fortes illi, qui sunt & pij,& magis pij, magis fortes, atque non solùm testimonio S. Pauli supra, num: 13. allato, sed aliunde, & ex re ipsa ostendatur, præclarè pios illos esse, qui præclarè vigent fortitudine, tenendum est hîc illud, quod certum & exploratum est apud omnes pietatis studiosos, neque modica, neque leuia, sed plurima, & grauissima se offerre illi timenda,atque audenda, qui eximiam sibi proponit sectandam pietatem. Eximiam in quam, nisi enim sit talis, rem propositam non demonstrabimus, siquidẽ mutabitur casus, ita vt quem fortissimum ostendere voluerimus, ignauum, aut vix aliquid valentem reperiamus,nempe, si vel modicè pius sit vel statu, duntaxat, & professione censeatur pius, non re ipsa, vel denique pro quibusdam tantùm temporibus,sit vtcunque pius, quibus, impijssimi, pietatem aliquam sectantur. Ille ergo, qui eximiè pius est eximiè quoque fortis sit, ostendemus, eo quod plurima ei occurrant timenda & audenda. Hæc autem iam in ipso homine resident, iam futuris veniunt. 17.

In ipso quæ sint describit S. Paulus ad Gal: 5. Qui inquit sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitijs & cõcupiscentijs: vitia hæc & concupiscentias, eodem loco paulò superiùs recenset. Manifesta, inquit, sunt opera carnis quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudentia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ rixæ, dissensiones,sectæ, inuidiæ,homicidia ebrietates, commessationes, & his similia. Cum vero in homine præter carnem sit, & quidem potior anima, in hac quoque idem Apostolus ad Rom: 12. duo ostendit timenda, ne aliter quàm oportet de rebus sentiamus, illisque adhæreamus proprium secuti peruersum iudicium, propriamque Deo rebellem voluntatem. Sic de hoc vtroque ibi S. Paulus. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei, & beneplacens, & perfecta, dico enim per gratiam Dei, quæ data est mihi, in omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, 18.

19. Iam illa quæ aliunde timenda veniunt, tria seu tres aduersarij videntur esse, contra vnum sic Apostolus idem ad Ephes: 6. nos armat: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli; quoniam non est nobis colluctatio, aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

Alterum, qui nobis aduersatur, putat Dominus esse, hominem de quo ita ipse Matt: 10. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus Patrem suum, & Filium aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.

Denique postremus, & summè horum omnium expauescendus est Deus, qui de se Malachiæ 1. scriptū reliquit. Si ego Dominus, vbi est timor meus? Et S. Iob c. 30. Aduersariū sibi fuisse aliquādo fatetur Deū, ita enim eum alloquitur: Matatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.

Sectio V.

Fortitudo contra internos hostes exigitur magna.

20. HÆc sunt, quibus cum fortitudo, pietatis fida comes, sustinendo & aggrediendo agere debet: quanta vero contentione animi, quoue sensu, iam declarandum est. Et primò quidem eum, qui in carne concupiscentias crucifigere, in anima iudicium, ac voluntatē debitè componere velit, & in hoc se strenuè elaboraturum proponat, non dubitat S. Paulus, ad Rom: cap: illo 12. supra citato, holocausti quodam genus exercere, quo propria caro Deo offertur, id quod sine graui doloris sensu esse nequit, quantumuis absit mors corporis, semper enim holocaustum corruptionem indicat. Atque ne quis putaret leue quid esse, hac ratione se immolare Deo, adhibet obsecrationē cum attestatione Diuina, vt persuadeat, & simul ostendat, arduam, difficilēque esse hanc sui immolationem. Obsecro, inquit, vos Fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, Sāctam, Deo placentem, rationabile sit obsequium vestrum. Verbis illis, rationabile obsequium vestrum, magis elucidare videtur sententiam suā Apostolus, ac demonstrare, arduum esse ad illa duo in carne, & anima mortificanda se offerre. Verebatur quippe S. Paulus, ne quis siue pertæsus secum luctæ, siue, quod putaret gratiorem fore Deo hostiam, si se

vsque

vſque ad interitum carnis affligeret, aſſerit id erroneum, malumque fore, magis enim, vel ſaltē perinde Deo placet cædes quædā ſpiritualis ſui, per mortificationē, atque placeret, ſi corpus iuſſu Dei ipſi per mortem offerretur. Propterea monet, vt in hac re ducē rationē ſequantur, potiùs, ſanctam, placentem Deo hoſtiam ſui offerendo, quàm impetū aliquem affectumque animi ſequendo ſe plus æquo, aut quod peius eſt, ad necem vſque cruciare.

Sectio VI.

Obedientia æquè eſt grata Deo, ac eſſet ipſi per mortem hominis oblatio facta.

ID quod Patriarchæ Abraham facto Geneſis 22. facilè comprobari 21.
poteſt, cum enim ille arripuiſſet gladium vt immolaret Deo Iſaac vnigenitum ſuū, ab Angelo audiuit; ne extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam, nunc cognoui, quod times Deum, & non pepercisti vnigenito Filio tuo propter me. Tantum ergo erat, tantique apud Deum placiti, amori innato erga vnicum Filium, præponere Dei timorem, quantum fuiſſet necare eundem Filium, & in holocauſtum offerre. Quod ſi Abraham non credidiſſet ſic ſuadenti Angelo, ſed quaſi rem gratiorem Deo facturus, nihilominus obtuliſſet Filium, talis hoſtia nequaquam accepta fuiſſet, eo quod iudicio proprio, voluntatique nixa, Dei aduerſaretur mandato, cui parere, (poſtpoſito ſenſu, & voluntate priuata) maius eſt obſequium Dei, maiorque ſui victoria, quàm quiduis aliud facere, quātumuis præclariſſimum videatur, modo illud diſſonum ſit ſententiæ, decretoque diuino.

Non nouit hoc, aut certè noſſe renuit vnus è poſteris Sancti Pa- 22.
triarchæ Rex Saul, vt ſcriptum habemus 1. Reg: 15. qui à Deo iuſſus erat, omnia in Regno Amalecitarum ferro, & igni demoliri, neque vrbes tantùm & homines, ſed & pecora. Hanc ille Dei voluntatem tranſgreſſus eſt relinquendo ad immolandū pinguiora pecora, parcendoque ipſi Regi. Quā inobedientiam ita reprehendit Samuel, loco proximè citato. Nunquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia, quàm victimæ, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum; Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Afferebat Saul cauſā inobedientiæ ſuæ, timorē populi. Peccaui, dicebat Samueli, timens populum, & obediens voci eorum. Faſſus ergo eſt ſe non fuiſſe armatum fortitudine contra timorē

vanum, & contra animi sui sententiam, qua putauit, satiùs populi obediendum voci, quàm Dei.

Fortis idem erat, contra Regem Amalec, quem debellauit, vniuersúmque exercitum eius, cuius vrbes, mæniaque solo æquauit, vt eodē capite refert historia, sed nimirum caruit illa fortitudine, quæ potior est de qua Poeta. Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit Mænia. Debellato itaque hoste externo, pugnandum illi erat cum interna timoris cõcupiscentia, iudicioque, ac voluntate propria, quod quia non fecit, vt imbellis & ignauus miles à Deo reiectus est, Pro eo, inquit Samuel, quod abiecisti sermonē Dñi, abiecit te Dominus, ne sis Rex.

23. Non omittendum hic puto quod in repræhensione à Propheta, vel potiùs à Deo per ipsum facta, expendendum se offert, vbi inobedientia, sententiæque, ac propositi mali tenacitas, notatur crimine Idololatriæ: Quo videtur insinuari, inobedientem præferendo suum sensum, voluntatemque Diuinæ, tali suo ausu (quantùm in illo est,) pro Deo se suum sapere, & velle habere, quæ est idololatria quædam practica. Practica inquam, non speculatiua, neque enim is, qui non paret, iudicat se maiorē Deo, & pro Deo colendum, sed re ipsa & in praxi perinde se gerit, atque si non haberet Deum, cui præ omnibus parendum est. Ac quemadmodum is qui Regi suo rebellis est, potestate illum regia, præsumente quadam audacia priuare contendit, in qua re minimè fortis, sed temerarius dicendus: ita inobediens, Deo rebellis, quantum in illo est, priuare ipsum nititur suprema potestate, quo facto, plus quàm temerariè audet contra illum, & idololatriæ quoddam crimen committit, sibi tribuendo supremam mandandi potestatē, quæ propria est Deo.

24. Quod qui diligenter aduertit, non mirabitur obedientiam, præstantissimam esse omnium moralium virtutum, vt ostendimus hoc lib: parte priore. cap: 10. num: 36. & hac par: c. 19. a num: 1. Contrariorum enim, vt dicunt Philosophi, sicut contrariæ sunt causæ, ita & effectus, Quemadmodum ergo inobedientia (quantùm in illa est) tollit Deum, infra hominem illum ponendo, ita obedientia intactum relinquit, & vt sic liceat dicere, reddit Deum Deo, vt in sua gloria, Maiestate, celsitudine, imperandique potestate integer remaneat. Hinc tanta obedientiæ laus, & eminentia inter virtutes morales emicat, quarum reliquæ omnes corpus, appetitum, humana spectans iura, sola obedientia, hæc quasi transcēdens, in Deum quodamodo fertur, vicinissima, vel ob hoc ipsum virtutibus Theologicis, quæ in Deo quiescunt.

25. Verum ad Saulis factū reuersi, illud quoque in eo considerare possumus,

sumus, quòd vna timoris concupiscentia, vnaque inobedientia tantùm illi nocuit, vt spoliaretur regno caduco. Idem profectò facient alijs, aliæ concupiscentiæ, atque inobedientiæ, non quidem hisce regnis, sed illo supremo priuando eos, qui non statuunt apud se fortiter contra internos hostes bellandum, quemadmodum mandat Deus Eccles: 4. Pro iustitia, agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem, certa pro iustitia. scilicet, non ad externam tantùm, sed vsque ad internã mortẽ concupiscentiarum.

Sed fatendum est, graue hoc esse certamen, magnusque is fortitudine sit oportet, qui ad illud se offert pro Iustitia, & pietate. Scribit Lipp: tom: 5. de quodã Presbytero, nomine Sapricio, qui pro fide Catholica grauissimè tortus, post omnia tormenta superata, accepta mortis sententia, ducebatur ad locum supplicij, eunti occurrit quidam Christianus vocatus Nicephorus deprecans, rogansque, vt condonaret, si quid à se offensæ tulisset; noluit ille, iterum, atque iterum interpellatus, preces repulit. Et tandem cùm iam vltimum expectaret ictum quasi somno solutus, rogat causam necis, accipit, non aliam esse, præter religionem Christianam, Mox illam abnegat, liberque dimittitur: sed in eius locum libens suffecit se ille, qui deprecatus erat obstinatum, martyrijque laurea est donatus. Fortem fuisse presbyterum dictum, qui pro fide Christi tormenta sustinuit, nemo non dicet, sed eundem imbellem debilemque fateri necesse, quòd odio fratris adeo exagitatus fuerit, vt ne in puncto quidem vitæ vltimo, veniam dare voluerit petenti, quantumuis memor fuerit, id à Christo præceptum omnibus dimittite & dimittemini Luc: 6. illudque legerit opinor, à Sancto Paulo scriptum 1. Corint. 13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, Charitatem autẽ non habeam nihil mihi prodest. Nihil certè illi profuit, ignem aut alia fuisse passum, cum & martyrio priuatus sit, & ex fideli sacerdote impius Apostata effectus exemplo suo docuit, grauiorẽ sibi fuisse luctam, cum interna animi concupiscentia, quàm cum tormentis, nam cùm ad hæc ferenda suffecisset sibi fortitudo, ad illam non item, nimirum, alia maior, accersenda illi fuit. 26.

Iam si ad vnum odium debellandum tantâ fortitudine erat opus; quanta erit necessaria ad omnes alias concupiscentias atque ad id quod in homine supremum ac difficillimum est, ad iudicium, ad voluntatem propriam expugnandam? Si ad fidem, in Christum tuendam, tali egebat ille mentis firmitate, quali egebit is, qui, & fidem & insignem in Deum pietatem assequi decreuit. Si vnâ inimicitiæ affectione in aciẽ prodeunte territus, fugit fortis alias, contra ignes, ferrum catastas Cru- 27.

ciatus immanens, (quos aut tulit, aut ferre paratus erat) quid faciet ille qui (quid contra tormenta possit necdum certus) non vnius inimicitiæ, sed tot sibi proponit acerrimas mētis perturbationes, quot in homine tota vita excitari possunt? iras,vltiones,tristitias, timores, fugas desperationes, desideria, spes, amores, delectationes, lætitias: deinde hæc ipsa in tot, quæ occurrunt difficillimis negotijs, curis, & laboribus; postremo istorum omnium, veluti militum gregariorum duces, & antesignanos, tot nempe de rebus diuersis iudicia, tam varias in singula propè momenta, tanque multiplices voluntatis inclinationes. Hæc, inquā,qui sibi obijcit, quid de viribus suis præsumet? quippe qui cum ingenti hostium domesticorum, potentissimaque, quin & importunissima (quando enim ab his pax,& quies?) turba certandū sibi videt, & vt monet Spiritus Sanctus Ecclesiastici, 4. Agonizandum pro iustitia, & pietate vsque ad mortem.

Sectio VII.

Quibus cordi est Fortitudo.

28. RARò, paucisque subit cogitare, in tanto eos, qui pij esse volunt discrimine versari. Cur autem rarò id cogitent, in promptu causa est, quod non illam, quam supra, num: 17. insignem appellauerimus, proponāt sibi sectandam pietatem cum Dei cæpe, sed quæcunque occurrit, quasi nihil cogitantibus, & casu, fortuitòque agentibus, eam (si tamen per difficultatem libet) acceptant. Interea verò vehemens ira rationem peruertit, tristitia acerba pusillum facit, sensuum oblectamenta ad indigna trahunt, pertinacia regnat iudicij, voluntas propria dominatur. Quæ & similia, aut omnem tollunt pietatem (si præsertim tollunt, matrē illius, Dei amicitiā) aut perexiguum relinquunt.

Cæterum præclaræ amator pietatis, vel hac vna cogitatione ad maximam animi fortitudinem con parandam excitabitur, quòd innumeros intra se abditos aduertat se gerere hostes,tāto infestiores, & periculosiùs insidiantes, quātò interiores sunt. Et prorsus tales sunt, qui nunquam in aciem prodeunt, vt extranei, atque aduersi, sed vt domestici & amici, contra quos nulla est pugna, nisi ab ijsdem petantur subsidia, qui placati beneuolentissimi sunt, turbati inimicissimi, semper hostes (quando enim non timendi?) semper fautores, nā nisi à nobis sint, nunquam vincimus. Hostis est ira, fautrix ira, impugnat tristitia, propugnat tristitia, timor impellit, propellit timor, audacia instat, obstat audacia: omnino tale quid in isto perenni cernitur conflictu, quod in nullo alio.

Mira sanè pugnãdi ratio, & ab alijs diuersissima bellis, in quibus homo quidem prodit contra hominem, quo ex capite in vtroque est naturæ similitudo, sed dissimilitudo & diuersitas magna in ducibus, personis, loco, & affectu hostili. Nam neque vnus regit contrarias acies, sed neque eidem vtrique subsunt, nec loco vno consistunt, qui se vicinos pati non possunt, neque vitam mutuo sibi optant, sed quisque hosti necem, sibi incolumitatem. In domestica nostra lucta, nihil simile cernitur, concupiscentia mala, & inhonesta impugnat honestam, vtraque est disparis naturæ, vt tam Philosophi, quàm Theologi procertò habent. Quæ enim similitudo potest esse, inter aliquid, & nihil inter ens, & non ens, cúm honestas sit res, inhonestas priuatio eius, & nulla res, si formaliter accipiatur? Idem asserendum de iudicio peruerso, & recto, de voluntatis affectione mala, & bona. Iam quod ad reliqua attinet multò est euidentior disparitas: ibi duo duces sibi aduersi, hic vnus, & idem homo, acies sibi instruit contrarias: plurimæ ibi personæ sibi inimicæ, hic vna tantũ ita amica, vt idem potest sibi ipsi esse fauens, locus illic castrorum, minimum duplex, vnum in nobis cor, omnis pugnæ receptaculum: denique ibi contrarij hostium affectus, hic omnis concupiscentia omnisque voluntas ac sensus fauentissimus est homini, neque solum bonus, sed pessimus etiam. Nam quid aliud facit, aut facere potest quiuis sensus, & appetitio, quàm id ad quod faciendum impellit amor sui intimus? 29.

Hæc tam mira, & vnica inter omnes bellandi ratio, difficillimam, & maximè arduam, declarat pugnam, rarissimamque pro iustitia, & pietate victoriam, quam nullus sanè nouit, nisi qui victor eam in se experitur, nempe eximiè pius, & fortis. Victoriã exigo in solidè pio, ac forti, non enim inficior multos esse, qui pugnandi necessitatem præuident, fortiterque sibi agendum proponunt, sed hoc illorum propositum debile est, si conspecto hoste, mox receptui canant. Tales lepidè quidã Lacon expressit, vt referunt historici in Gestis Laconum, cum enim ille vidisset in tabella picta, iugulari ab Atheniensibus suos ciues, audiuissetque à quopiã dictum, Fortes sunt Athenienses; in tabula, ridens, respondit. Tabula est, in anima, depicta, propositum futuri certaminis, & ne in tabula eiusmodi, tota prædicetur fortitudo, factum, & victoria subsequi debet. 30.

Sectio VIII

Ratio perueniendi ad fortem sui Victoriam.

ET solidum quidem, constansque propositum plurimum facit ad egregiam 31.

egregiam fortemque de se victoriam aliquando ferendam, illud tamen solum non sufficit, nisi accedat ipsa pugnandi exercitatio, primò cum leui, minúsque feroci hoste, vt deinceps potentiores debellentur. Non contemnendũ eius rei documentum offert se in vitâ Bruti, à Plutarcho scripta, moliebatur Brutus necem Cæsari Iulio, conscia intenti Porcia Catonis filia vxore sua, quæ (dum interim res in insidijs latebat) accepto cultello, vnguium resecandorum gratiâ, eo quasi casu è manibus elapso, se grauiter vulnerauit, mox Brutus clamore ancillarum in cubiculum reuocatus, eam obiurgat, quod tonsoris vsurpasset officium. Hîc illa clam marito: Non hoc, inquit, temere feci, nam experiri volui, si quod constitutum est, parùm cesserit ex sententia, quam æquo animo, me ferro sim peremptura. Cæteris, in hoc toto facto, vt Ethnicæ fæminæ relictis, hoc vnum nobis accipiamus velim, quod ad maiora sustinenda, minoribus se illa aptarit. Ingens est enim robur, ita dominari suis appetitionibus, vt nunquam vincant, semper rationi pareant, ac quod maius est, leuis etiam sentiatur rebellio, atque insultus ab illis, quæ alias potentissimè impugnabant: vèrum nemo erit ita fortis, qui non priùs cultello oblato à S. Paulo 2. Corinth:4. continuæ mortificationis IESV in suo corpore, ea resecuerit, quæ vnguiũ instar superflua quidem sunt, tamen, quia vicina carni sensum aliquem secta pariunt, si præsertim paulò altiùs cultellus ille defigatur, neque blandè nos palpemus, sed cum vera, etsi non statim maxima (qualis in maximis esse solet) doloris molestia.

32. Ferrum erat, & acutum sanè, quod animã Dauidis trucidauit adulterio fædo, & immani homicidio 2. Reg: 11. si ille cultellum priùs adhibuisset, mortificationis aspectus curiosi & somni, fortè meridiano illo tempore, non necessarij, & quidem in delicato strato, leuioris pugnæ experimento, ad eam se comparasset, quæ illum non minus, imò multò magis illustrem de se reddidisset victorem, quam reddidit de ingenti Goliatho superato 1. Reg: 17. Et quemadmodum huic, proprio ipsius gladio caput præcidit, ita & illa horrenda concupiscentiæ vitia, eiusdẽ concupiscentiæ acri fortique castigatione iugulata fuissent.

Regem hunc sic tum debellatum ducem sibi statuunt, qui minores pugnas, neque nosse volunt, neque experiri, sed quasi puerile quid contemnunt, rati, ad maiores magis se idoneos esse, magísque instructos. Itaque in illis vltro se permittunt vinci, quasi ludicris, has vt serias, pro victoria sibi reseruant. Sed sicut ibi vincuntur, quia volunt, ita hic non vincunt, quia non possunt, non quod reuera non possint, sed quod difficultatem insolitam, & nunquam aliàs in leuioribus superatam

ratam, experti, tanquam si nullas ad resistendum habeant vires, cedunt ac ferè sem per expugnantur. Id ita cum talibus fore, prædicit certò is, qui nouit, quantum in hac interna, cum domesticis hostibus lucta, momenti sit in eo, vt cum minoribus præludatur: Qui modica (inquit Spiritus Sanctus Eccles: 19.) spernit, paulatim decidet.

Quapropter (vt iam de primis hostibus, quibus cum fortitudo certat satis sit dictum) Spiritus Sancti prædictione, hoc modo superantur à concupiscentijs per Sanctum Paulum ad Gal 5. enumeratis, qui vltro non cauent modicas culpas. Nam qui, verbi causa, concupiscentiæ carnis dat in leuibus locum, erit tandem, vt ibi recenset S. Paulus, Fornicator, immundus, impudicus, luxuriosus. Qui non cohibet, ex contemptu quodam, leues impatientias, prorumpet in inimicitias contentiones, æmulationes, iras, rixas, graues dissensiones, sectas, homicidia. Quæ & similia, (sic à minoribus progrediendo) qui agunt (plurimi autem agunt, non multis exceptis, spritualis vitæ & salutis suæ bene studiosis,) Regnum Dei, inquit ibidem Apostolus, non possidebunt.

Sectio IX.

Cum Dæmone fortitudo certare debet.

PRæter internos hostes, diximus Supra numero 19. adesse exter- 33.
nos quibus cum agit fortitudo, atque ex his vnus est Diabolus, cuius insidias, vt S. Paulus ad Ephes: 6. cautè nobis vitandas esse ostenderet, duo affert, quibus machinationum eius vim fraudesque demonstret, vocat enim Dæmones, *Potestates & rectores mundi*, nec qualescunque sed *Spiritualia nequitiæ*.

Fide quidem vera tenendum est, mundum ab eo gubernari, qui de se 34.
Prouerb: 8. testatur. *Per me Reges regnant &* Matt: vltimo: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*. Deus ergo in carne humana, cui ad diuinitatem associatæ collata est omnis potestas, regit mundum: verum tamen Apostolus dicit, qui eodem spiritu, dicit, quo allata illa scripturæ testimonia sūt edita, verè, inquā, Paulus, potestatem in mundū Diabolo tribuit. Hac non ea ille ratione vtitur, qua Angeli administratorij spiritus, regunt vniuersum orbem, Diuinam exequentes voluntatem propter eos missi qui *hæreditatē capiunt salutis Hebr: cap.* 1. Sed vt rebellis Deo, sem perque illud vnum agens, quò sancta eius impediatur lex, ac decretum in ijs, qui ad vitam æternam sunt præordinati.

Rebellio tanta, non necessitate aliqua in mundum est inuecta, qua- 35.
G si omni-

ſi omnipotentiæ diuinæ non ſuppetant vires ad perfringendam Dæmonum potentiam, ſed permiſſa eſt magno noſtro commodo, quod pugna, ac victoria de illis à nobis obtenta afferat ſalutis maximum incrementum. Id quod certa ipſiuſmet Dei prædictione, & victuro homini, & vincendis malignis ſpiritibus promiſſum eſt Geneſis 3. Audiuit callidus ſerpens ſibi dictum. *Quia feciſti hoc, maledictus es, inter omnia animantia, & beſtias terræ, inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.*

36. In qua Dei prophetia tria videmus expreſſa, perennes, imprimis, inimicitias Dæmonem inter & hominem: ac quemadmodum ille vnus ſerpens, omnium damnatorum geſſit perſonam, ita mulier, & proles eius, vniuerſos vtriuſque ſexus homines referebat. Omnes igitur, & ſinguli Dæmones, omnibus & ſingulis hominibus ſunt infenſi.

Eſt deinde expreſſa victoria de ſerpente obtinenda, cuius caput debet conteri: poſtremò deſignati ſunt ex hominibus illi, qui fœliciter pugnaturi erant, mulieris, videlicet, & prolis eius, Mariæ & Chriſti partes, (modo infra à numero 40. explicando) ſectaturi. Rectè id quidē, nam ſicut Vetus Adam & Eua Parentes noſtri, ſe, poſteroſque ſuos hoſti manciparunt, ita nouus Adam, Materque eius, ac noſtrum omnium, in ipſo renatorum, ſic genitos ab eiuſdem tyrannide debeant vindicare vt quantum per priores Parentes paſſi ſumus diſpendij, victi, tantum cōmodi referremus victores, beneficio, & ope poſteriorum.

Sectio X.

Quinam vincunt Dæmonem.

37. VErùm, vt iam dixi, nec Victoria nec emolumentum promittebatur alijs, quam qui a Partibus eſſent, mulieris, & Filij, illa peperit Saluatorem, hic ſalutem meruit, vtrique obſtitit Infernalis anguis: cumque nec præuidere, nec impedire poſſet naſcituri ortum, vix progenitum è viuis tollere conatus eſt, opera Herodis Matt: 2. Non deſtitit deinde moliri, vt licet natus viueret homo, non tamen moreretur parens, authorque ſalutis: ſed nihil effectum, Saluatorē & mater fouit, & mors ſuſtulit, non alium terra, inferi, cœlique excepere.

Verum ita excipiendus, pugnandum ſibi cum Diabolo ratus, illud identidem ingeminabat Ioan: 12. *Nunc princeps huius mūdi eijcietur foras.* & manus cum illo collaturus, ita ſe animabat, Ioan: 14. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam, ſed vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem,*

Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio, surgite eamus hinc, scilicet. ad certamen pro hominum salute. Et quia non sibi tantùm soli dicit. Ibo hinc, sed plures inuitat, mandando (Eamus) sibi Matrique suæ, asciscit in societatem omnes, quibus cordi est salus. Hanc pugnandi, ac vincendi Diabolum necessitatem, Duce Christo Matreque eius, clarè expressit in sua Apocalipsi S. Ioan: cap: 12. *Proiectus est, inquit, draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, qui seducit vniuersum orbem & proiectus est in terram, &. Angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui vocem magnam in Cœlo dicentem: nunc facta est salus, & virtus, & Regnū Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator Fratrum nostrorum, qui accusabat illos, ante conspectum Dei nostri die ac nocte Et ipsi vicerunt eum, propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui.* Prædicatur hic potestas Christi tanquam victoris, laudantur & fratres eius pariter victores, victores, inquam, per Sanguinem Iesv Christi, qui merito suo contulit illis vires, & gratiam vincendi, ad quam tamen gratiam suum laborem conferre victores debent, credentes testimonio verborum eius laborem præcipuum. In quo autem sit hic labor, societasque vna cum Saluatore, pro salute pugnādi, infra numero 40. explicabitur. Idem Euangelista eodē capite non cum Christo tantùm, sed cum Matre quoque eius inimicitias Draconis, bellúmque describit. *Signum, inquit, magnum apparuit in Cœlo, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & visum est aliud signum in Cœlo, & ecce Draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem: & Draco stetit ante mulierem, vt cum peperisset Filium eius deuoraret, & peperit Filiū,* qui recturus erat omnes gentes, & raptus est Filius eius ad Deum, & mulier fugit ad solitudinem, vbi habebat paratum locum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis, & sexaginta. Locus solitudinis potest intellgi Matris dignitas: sola enim talis erat Beatissima Virgo, cuius merito dignitatis tuta fuit degens hāc mortalem vitam. Raptus Filij ad Deum, est vnio cum Diuinitate, in qua securus fuit Christus a dracone. Itaque Filius & mulier sunt primi, inter homines, qui cum Dracone bellum gesserunt: Jstis ducibus, nemo qui cum eodem hoste manus conserit, victoriam desperet, sed nimirum ingenti fortitudine opus est, ad debellādos rectores, & potestates mundi, & spiritualia nequitiæ.

Atque, vt appareat quāta sit hæc potestas & quæ versutia nequitia- 38.
rum, adducam duo scripturæ loca hoc ipsum declarantia. Primus sit ex veteri testamento, Iob cap: 40. & 41. vbi Deus per Leuiathan siue Cete maximum piscem, bestiam orci inprimis describit ab eo, quod nequeat capi, aut, mactari: An inquit: *Extrahere potes Leuiathan homo*

& fune ligabis linguam eius? Nunquid pones circulum in naribus eius, & armilla perforabis maxillam eius? nunquid, multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? nunquid faciet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum? Nunquid, illudes ei quasi aui, aut ligabis cum ancillis tuis, concident eum amici, diuident illum negotiatores.

Hîc tanta Dæmonum ostenditur potentia, vt a nullo hominum capi, aut interimi possint, sed semper timeri debeant, tanquam semper liberi semper viui, neque timeri solùm, sed forti reprimi audacia, vt qui nunquam ab impugnando desistunt. Ad pugnam classicum canit Deus cap. 40. Iob. *Pone super eum manũ tuã, memento belli, nec vltra addas loqui*

39. Et quidẽ Spiritus maligni, quod nequeãt perimi aut capi ab homine, mirũ nõ est, sunt, enim immortales & concretæ materiæ, quæ comprehendi possit, expertes. Illud vnum mirandum, & formidandum, quod nulla vi humana conatus eorum ita dissipentur, vt quasi mortui, & cæsi nihil possint, aut audeant, vel saltem technæ, & artes, quibus impetimur perspectæ nobis ita sint, vt aliæ nouæ incognitæ, ac semper pestilentiores non addantur, vt ita velut capti a nobis tenerentur, quando nihil insidiarum nobis ignotarum moliri possint. Non dissipantur eorum impetus, eo quod potesta, sit ipsis à Deo permissa, ad regendum mundum, hoc est ad tentandum nos, quoad mortalitas non consummatur: & sicut ad diem vsque Iudicij alij alijs succedunt mortales, neque interumpitur succesionis series, ita & potestas eorum manet, semper ad nocendum expedita. Quod verò nullum finem faciant, versutiarum, & machinationum, rectè illos appellauit Apostolus *Spiritualia nequitiæ*, Ingenij quippe puri & ab omni phantasmate secreti, atque ob id subtilissimi fæcunditas, innumeros, & vaferrimos nequitiarum parit, nectitque laqueos.

Sectio XI.

Vnde est quod plurimi superentur a Diabolo.

40. SEd, quam multis, ingens Dæmonum potestas, & abdita obsit versutia, docuit S. Agu: tom: 9. tr: 42. in c. 8 Ioan. verum ex eodẽ Patre afferenda videtur priùs ratio cum Dæmone pugnandi vt aduertamus paucos esse, qui illã vtendo victores euadant. Sanctus ergo hic, tom: 3. lib: de Agone Christiano c. 2. non alium censet, resistendi hosti, ab vllo meliorem excogitari posse modum, quàm qui à Duce militantis Ecclesiæ Christo adhibitus est: huic enim, simul & Matri eius ostendimus supra n: 33. 34. & 35. impositã a Deo bellandi cũ Dæ-

mone neçessitatem, deinde nobis posteris eorum. Porrò Christus, vt docet S. Aug: vicit inuisibilem Diabolum, vincendo inuisibiles cupiditates: id quod probat ex S. Paulo ad Col: 2. vbi de victoria Christi, pro pace, & salute nostra parta, sic legimus: *Vos cum mortui essetis in delictis, conuiuificauit, donans vobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti & ipsum tulit de medio affigens illud cruci: expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Per triumphum in semetipso intelligit S. Aug: victoriam Christi de Diabolo, sed in carne propria obtentam, non solùm quòd passus sit mortem in illa, sed quod nullis concupiscentijs morem gesserit, in quas Satan inducendo homines, delicti, & chirographi reos efficit.

Confirmat suum propositum Aug: tali ex alio loco scripturæ formato discursu, quo ostendit homines affectibus subditos quàm simillimos esse, & quodammodo idem Diabolo, vt deinde hinc deducat, eos, qui vincunt hosce affectus, dissimiles, & contrarios esse, victoresque Dæmonum. *Quando, inquit, dictum est Diabolo: Terram manducabis Gen: 3. dictum est peccatori: Terra es, & in terram ibis:* datus est *ergo in* cibum, Diabolo peccator: *non simus terra, si nolumus manducari a serpente: sicut enim quod manducatur in nostrum corpus conuertitur, vt cibus ipse, secundum corpus hoc efficiatur, quod nos sumus, sic malis moribus per nequitiam, & superbiam, & impietatem, hoc efficitur quisque, quod Diabolus est.* 41.

Id ipsum vltimò probat, eodem loco S. Pauli ad Eph: 6. vbi cùm dixisset Apostolus: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes & potestates in cœlestibus,* Ne quis putaret pugnandũ esse contra Diabolos in aere constitutos, eos, quodamodo in illo turbando, alio loco, nempe. 1. Corint: 9. explicat se: *Ego, inquit, sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo,* concupiscentias, videlicet, corporis reprimendo.

Ex discursu hoc S. Augustini, clarum est, nihil esse aliud pugnare cum Diabolo, quàm resistere desiderijs, ab ipso in carne nostra excitatis, neque enim ille ferro, aut lapide nos petit, sed affectionum telis, quibus eorũ cor transfigit, qui præbendo consensum, a salute aberrant.

Cæterùm illi, qui hæc tela excutiunt, pro salute, Duce Saluatore, ac eius Matre, pugnant, sed paucos ita fortes esse, vt id præstent ex Sancto Augustino iam ostendendũ, qui Tractatu illo supra citato 12. in Ioan: cap: 8. explicans verba ea Christi de Diabolo prolata. Ille homicida est ab initio, Quia, inquit Agustinus, serpente indutus locutus est mulieri, & de muliere venenauit & virum, videte genus homicidij, homicida dicitur Diabolus, nõ gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem 42.

minem venit, verbum malum ſeminauit, & occidit, hæc ille. A momento certè eo, quo primum Adam, atque Eua excepit verbum malum inobedientiæ, & intemperantiæ ad momentum illud, quo quis viuit, non deſiſtit venenoſus ſerpens, ſeminare peſſima, & aſtutiſſima nequitiarum verba, in cuiuſque corde. Quot inprimis ſunt, non dico ignari ipſius fradum, idiotæ ſimplices, ac improbi (quorum infinitus eſt numerus) ſed docti, & rerum gnari, qui iacta mali ſemina acceptant, vt acceptarunt ſcientiſſimi, prudentiſſimi, & pijſſimi parentes noſtri, primi. Quis deinde numeret eos, qui ſemel quidem, vel etiã ſæpius ingeſta reiectant ſemina, ſed cedunt tandem fatigati aſſidua, die, ac nocte ſeminãtis importunitate? Quis poſtremò illos ſciat omnes, qui craſſiores euadendo tentationum laqueos, calidiſſimis, & ſubtiliſſimis capiuntur? profectò qui tentationum à Diabolo ingeri ſolitarum ſimilitudinem a ſeminãdo deſumptã expenderit, fateri debebit innumeris hominibus nocentiſſimam eſſe Diaboli poteſtatem, atque aſtutiam.

Nam quemadmodum is, qui nullum tempus opportunum negligit vnquam, quin iaciat copioſiſſimum ſemen, & in ampliſſimo quidem agro, optiméque exculto, fertiliſſimã colligit meſſem: ita cum Diabolus omne prope tempus opportunum habeat ſeminandi, omnia mala in vniuerſa terra, ſiue in omnium hominum cordibus (quam terram ipſe primigenia labe, fomiteque inde conſequente ſuis ſeminibus in paradiſo aptauit) quam tandem meſſem horreo orci inuehendam expectare debeat!

Formidandum iſtud horreum, & non ex inferioribus quibuſuis, ſed ipſis poſt ſe primis principibus, & colũnis Eccleſiæ prædixit Dominus quando velut ſtupens auidiſſimam ſerpentis nocendi cupiditatem prorupit in illa verba Lucæ 22. Simon Simon, Ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret, ſicut triticum. Tam euidenti, periculo, aliud non reperit præſentius remedium, quàm ſe, ſuaſque preces, ac merita. Ego, inquit, oraui pro te, vt non deficiat Fides tua. Mira, & diligentiſſima conſideratione res digna, Saluator orat pro Apoſtolis, nec pro illis tantũ, ſed, vt ipſemet teſtatur Ioan. 17. pro ijs etiam, qui credituri erant per verbum eorum in ipſum, & tamen ex Apoſtolis vnus cribratus eſt, & reconditus in horreo Gehennæ, alter, & omnino Simon, cui Dominus ſuas obtulit preces, non multùm abfuit. Quod deinde ad reliquos fideles attinet, qui per Apoſtolos ſunt conuerſi, & in gremium Eccleſiarum, ab ipſis in varijs orbis partibus fundatarum recepti, quot, ſunt qui deficiunt? Id, qui conſiderat ita, vt debet, timebit ſibi certè, à malis, mali ſeminatoris, verbis, quæ vel fidem, ſuadeant aliam quam illam vnam

nam Simonis, vel opera non illa, quæ cõmendat Simonis fides.

Sed fortè minus timenda pessimi huius coloni pessima semina putabit is, qui illud legerit apud S. August: Tom: 9. Tractatu 4. in Epl: ist: Ioannis: Habitare vult Diabolus corda hominum, & loqui ibi omnia, quæ valent ad seductionem. Sed quid, ait, Dominus Iesvs? Princeps huius mundi, missus est foras: nunquid extra cœlum, & terram; extra fabricam mundi? non. sed extra corda credentium foras misso inuasore, habitet Redemptor: Quia ipse redemit, qui creauit. Cùm igitur corda nostra clausa sunt Dæmoni, nihil seminis mali potest in eis deponere: cum præsertim Apocalypsis 20. Angelus descendens de cœlo, habens clauem abijssi, & catenam magnam, apprehendit Draconem, Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, vt non seducat homines. Neque igitur accedere potest ad cor, n mirum, in damnationis loco ligatus. *Ista* quidem pijs salutis amatoribus solatio sunt, sed securitatem non promittunt, nec a certandi necessitate immunitatem. Refractæ fateor sunt vires Draconis, Christi morte, sed non sublatæ penitus: detinetur ille in abysso, sed non cæteri, quos a se instructos, mittit ad nocendum. concessa, est nobis a Saluatore facultas reprimendi impetus Dæmonum, quali non erant muniti ante Christianos, præteritorũ sæculorum homines, propterea etiam multo plures perierunt, quam nunc pereunt: verum enim testatur Dauid Psal: 13. Dominus de cœlo prospexit, super filios hominum vt videat si est intelligens, aut requirens Deum: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum. Sed & de nostris tẽporibus legimus a Christo dictum Matt: c. 7. Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam: Portam inferi latam aperit Satan multis, quos per latam ducit, & seducit viam. 43.

Sectio XII.

Exacta & integra ratio pugnandi & vincendi Dæmonem.

QVod cùm ita sit, etiam num, cum eiectus foras, & ligatus serpens, timere vnusquisque nostrum debet, ne sit vnus ex multis, 44.
qui ab illo seducuntur: timori adiungenda, non turpis fuga, vel desperatio, verùm audacia fortis, conandumque cuique, vt vnus sit e paucis, qui prostrato Satan, angusta porta, & stricta via præeuntem

Christum

Christum, ad cœlos vsque sequuntur. Non segniter agendum, neque quali quali, sed maxima fortitudine cum Leuiathan certandū esse, facile vel ex hoc vno possumus conijcere, quod potentissimus, & versatissimus sit, potentiorem autem & exercitatiorem vincere, rarissima est fortuna, quæ in Dauide, a Spiritu S. 1. Reg. 17. prædicatur, quòd iuuenculus immanem trucidasset Goliath, militē exercitatum. Et tamen multa hic erant paria, præter virium, & artis militaris imparitatem: homo enim cum homine pugnauit, & quidem aperto marte, vnus cum vno, quorum vtrique de vita corporis agebatur. Alia sunt omnia in nostro conflictu, vbi cum innumerâ Dæmonum multitudine certandum, qui occultissimi sunt, nempe spiritus, ad hæc non de vulnere, aut interitu corporis, sed de æterna vita,& morte res est.

45. Ista expendens S. August: duas solūmodo cum spe victoriæ assignat confligendi vias: alteram iam ex illo attulimus, quæ est voluntas constans,& sincera obseruandi mandata Dei non obstātibus terrenarū concupiscentiarum impedimentis: alteram putat sitam in adiutorio Christi, certò adfuturi suppliciter postulantibus: nam qui dixit Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, nimirum sine eo, cui vt Duci victorum, promissa est Genes: 3. victoria, vnà & Matri ipsius, Deo ista dicente: *Ipsa conteret caput tuum.* idem vult adesse omni pugnanti, qui cùm destituatur suis, ab omnipotente petit concedi sibi vires,& gratiā.Itaque Christus & Maria inuocandi, si Satan concupiscentijs inducentem ad violanda Dei mandata, cupimus debellare. Sed Aug: ipsum tom: 9. tr: 4. in Epistolam Ioan. audiamus de hac re loquentem.

46. *Exercitatus est hostis, quot palmarum? considerate, quos deiecerit, vt mortales nasceremur, ipsam originem nostrām de paradiso deiecit. Quid ergo faciendum? Inuocetur omnipotens, aduersus exercitatū Diabolū, habitet in nobis qui non potest vinci, & securus vinces eum, qui vincere solet. Contēpsit Adam in paradiso præceptum Dei, & erexit ceruicem veluti in potestate sua esse cupiens, & nolens subdi voluntati Dei, & lapsus est ab illa immortalitate. Homo autē quidam, iam exercitatus, natus mortalis cum sederet in stercore, Diabolum vicit. Ipse Adam, & in Iob ipse, quia de genere ipsius Iob, ergo Adam victus in paradiso, vicit in stercore.* Dat S. Aug: Victoriæ præclarum in S. Iob exemplum, in eo scilicet, qui petit iuuari, fortissimáque, & constantissima voluntate sua, Diuinam propugnauit voluntatem, nam ita dicebat c. 13. *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo, verum tamen vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit Saluator meus, non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita.* Post Christum inuocandam quoque esse Matrem eius in auxiliū ab omnibus, qui suæ fragilitatis collatæ, cum tanta Dæmonū

Dæmonum potentia conscij sunt, idem S. Augustinus censet, nam sermone 18. de Sanctis, tom: 10. quantum in illa momenti Salus nostra habeat, ita imprimis piè decantat. *O beata Maria, quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo comercio recuperandi aditum inuenit, accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa, admitte nostras preces intra Sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. accipe, quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes vnica peccatorum, per te speramus delictorum veniam, & in te beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum.* His de auxilio Dei Matris præmissis & de fiducia nostra in illam, subiungit deinde preces pro omnibus, omnis status, & conditionis, hominibus, *Sancta MARIA Succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fæmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam commemorationem.*

Sectio XIII.

Quanta sit in Diabolo nocendi auiditas.

47. HActenus ex cap: illo Iob 40. declarauimus quanta sit Dæmonum potentia, & calliditas, non absre erit ostendere, maximam in illis esse nocendi voluntatem, Aduersarius enim non ex eo solùm est timendus, quia potens, ac dexter est, sed quod talis cum sit, auidissimè sitiat sanguinem. De Leuiathan, siue de Diabolo per illum significato, hæc a Deo. Iob cap. 41. dicta legimus. *Non quasi crudelis suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo?* Quo pacto Deus suscitat Leuiathan, non imperando ei, tanquam crudelis in nos, vt nobis noceat, sed permittẽdo, vt ille suã exerat potẽtiã de qua supra, num: 33. & 34. diximus. Excitatus iam sic, qualis compareat? *Sternutatio eius*, loquitur Deus, *Splendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi, de ore lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ, de naribus eius procedit fumus ollæ succensæ, atque feruentis, &* quæ sequuntur ad finem vsque capitis.

Tria in tota hac descriptione afferuntur, quæ infensissimum nobis Leuiathan demonstrant, est enim primò, immanissima in illo ira, furorque nocendi, qui denotatur similitudine sumpta ab igne è naribus erumpente, a lampadibus, a fumo, ab ollis succensis, a flamma, & prunis: quæ omnia significant furias infernales, immenso & nunquam ex- 48.

 tinguendo

tinguendo odio, ac ira in nos ferri, vt cum de Deo, a quo æternùm cruciatur, vlcisci se non possint, in nostram quidquid possunt, faciunt perniciem. Hic porro furor, & tantum hoc odium potestati supra expositæ adiunctum, quæ hominibus afferat sæpissimè detrimenta salutis, indicant illa verba, In cœlo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedet egestas, hoc est, quocunque se Satan verterit, ingentia patrat damna, vt nihil supersit, nisi egestas, in animabus, quas prosternit.

49. Alterum, quo pleni sunt maligni spiritus, est inuidia, hæc facit, vt nullo vnquam in nos moueantur misericordiæ affectu. Nihil igitur hominibus boni optant, sed omne malum, timentque vehementissimè, ne illo bono, quo ipsi priuati sunt, fruamur. Tantam inuidiam continent illa verba: *Cor eius indurabitur tanquam lapis, & astringetur, quasi malleatoris incus.*

50. Prudens quisque merito miratur audaciam Dæmonis illius, qui ausus est tentare Filium Dei, in carne sucepta famentem, vt testatur S. Matt: cap: 4. Ingens sanè audacia hæc fuit, in quam eum adeo proteruè, & quodamodo cæcè impulit liuor, vt ipsum Deum conatus fuerit spoliare bono Diuino, Deitate videlicet, se enim illi adorandũ loco Dei proposuit: *Hæc omnia, dicebat, dabo tibi si procidens adoraueris me.* Quod si suprema inuidia instigante, non est veritus aggredi celsitudinem, si tantam, quanta in Christo fuit spe deuorauerat Sanctitatẽ, quem tandem hominum reuerebitur? aut cuius sanctitas in tuto erit? postremo cui non inuidebit bonum, quod omnes post hanc vitam expectamus, si Deo inuidit ipsum, qui fuit ab æterno, Deum?

51. Quis sit eius de sanctissimo, & fortissimo quoque Christi athleta sensus, quæue opinio, expressit Deus, eodem illo cap: Iob. 41. *Reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs, non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ, quasi stipulam æstimabit, malleum, & deridebit vibrantem hastam, sub ipso erunt radij solis, & sternet sibi aurum, quasi lutum. Sancti, fide, & pietate, tanquam æs ferrùmque solidi. sunt apud illum palea, lignum putridum, stipula:* Splendentes eosdem virtute, tanquam radios solis, fulgentesque vt aurum, reputat tenebras, suæ ditioni infernæ subijciendas, & lutum, in quo ibidem volutatur. Tanto liuore & furore exagitati sceleratissimi spiritus, ita omnia in mari, seu totius generis humani multitudine, expetunt susque deque miscere, vt sequentia continent verba: *Ferueſcere faciet, quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cum vnguenta bulliunt, post eum lucebit semita, æstimabit abyssum, quasi senescentem.* Senuit certè mundus hic in oculis eorum, quem tanquam, attritum iam assiduo conflictu a se superandum,

perandum, suæque subdendum potestati expectant, illi, inquam, tantæ potestati, de qua ibidem testastur Deus. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeat.* Liuori, & furori adiungit bestia infernalis tertiam superbiam,& quidem magnam, postremis hisce verbis eodem loco, apud Iob descriptam: *Omne sublime videt, ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Non tantum nobis obesset ira, & inuidia, nisi vtrique elatio associaretur, quæ erigit serpentis caput, vt in omne sublime, ac in ipsum etiam sublimitatis cacumen Deum, liuidissimos, & furentissimos conuertat oculos, eique (cum non possit, ita æquari, vt optauit, quando dixit Isaiæ 14. *Super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo,*) vel in hoc vno nititur assimilari, vt quàm plurimos hominum in sua retineat dominatione, & vel hac ratione, ad Altissimum ascendat. Quod vt superbus consequatur, inuidus, furensque agit, & ita agit, vt nullus alius filiorum superbiæ, siue damnatorum hominum (nam, & hi vt Deo rebelles, sunt filij superbiæ) e quibus nemo hanc dominationem ambit, solus pater superbiæ Dæmon ipse est Rex super omnes.

Sed vt de hoc salutis hoste, plura non dicantur, adducendus, expendendusque est breuiter, alter ex nouo testamento locus, quo magis appareat formidandus Satan, & hactenus de illo dicta magis confirmentur. Sanctus Petrus 1. Epla cap: 5. ita illum depingit, itaque nobis illum iubet cauendum: *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quẽ deuoret, cui resistite fortes in fide* Immanissima & quæ omnes alias superat crudelitates, est feritas, nolle scilicet, manu sua aut aliena vindicare se de aduersario, sed ore, dentibus, visceribusque proprijs, quemadmodum facit hic leo: id quod inter homines vix gestum legitur, etsi quidam satis fuerint crudeles. Maximæ immanitatis notatur Antoninus Caracalla Imperator Romanorum, vt scribit Baron: Tom 3. ad Annum Dñi, 213. & 214. eo quod Getam suum fratrem in sinu matris iusserit occidi, & omnes qui occisum cõmiseratione ducti nominassent, curarit mactari, quorum erant viginti millia. Puer dum adhuc, ille esset, vehementissimè ab omni specie feritatis abhorrebat, sanguinem que humanum, nec conspicere quidem poterat; ac cum semel Christiani cuiusdam filiolus persuaderet fidem septenni tum Caracallæ,atque ob id a Seuero huius Patre, virgis vapulasset; Caracalla in lacrymas solutus, diu eos, qui castigarunt, in conspectum admittere noluit, ita benignus erat. Sed regnandi libidine ad eam venit immanitatem, vt præter iam dicta, ipsi quoque Seuero Patri necem intentare decreuerit,cæterisque,qui eius tuerentur partes, eandem & fratri intulit. 52.

 Dominandi

Dominandi ſuperbiſſima in Dæmone cupido, ſuperat hanc,& omnimodam aliã feritatẽ. Timuit Caracalla ne à fratre ſibi auferretut imperium, propterea timore, & ira actus, de medio illum ſuſtulit, timet & ſuperbiſſima, liuidiſſima, & furentiſſima inferni beſtia, ne in homines perdat dominium, idcirco quærit, quem deuoret, ac in ſe quodamodo conuertat,vt ne nomen quidem, aut memoria ſuperſit hominum, quod aliquando creati fuerint, ad obſequendum ſuo creatori. Nihil quidem hæc eius, pluſquam ferina auiditas facit, cum ſemper damnati homines ſicut & ipſi infœlices ſpiritus, duraturi ſint, ſed peruerſitatem, atque inſatiabile in nos odium leonina iſta fame, & voracitate oſtendit, a quâ Apoſtolus Petrus fortitudine muniendos putat omnes, qui in ſpurciſſimis Satanæ viſceribus horrent recondi *Reſiſtite*.inquit,*fortes* Quàm ergo neceſſaria ſit fortitudo, quæ tantum ſalutis hoſtem debellare debeat, arbitror ſatis manifeſtum eſſe ex dictis.

Sectio XIV.

Inter hoſtes ſalutis, eſt homo.

53. NOn contemnenda quoque eſt, hoſtilis inimicitia inter ipſos homines, quam fortitudini, perinde ac Diabolicam expugnare incumbit. Quis vero homo, & cui homini, ſit inimicus, docuit Matt: 10. Dominus, vbi poſtquam dixiſſet *Veniſſe ſe mittere gladium, inter patrẽ & filium, inter filiam & matrẽ*; mox attulit cauſã inimicitiæ, inter cõiũctiſſimos aliàs,vt ſũt Pater & filius,filia, & mater & ſimiles. Qui, inquit, amat Patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus, & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Itaque Pater,qui vult a filio magis diligi,quàm eſt diligendus Deus, eſt inimicus filio: Pari modo Mater, quæ ſupra Deum cupit a filia diligi, eſt inimica filiæ, & eâdem ratione, filius eſt inimicus patri, & filia Matri, ac quiuis homo alteri homini, a quo vult amari magis,quàm eſt amandus Deus.

54. Inimicus is meritò vocandus, nam quod peſſimum & maximũ omnium malorum eſt, id optat ei, a quo ſupra Deum diligi cupit. Contemptus certè Dei, qui iram eius, & æternam meretur vindictam, malum eſt, & quidem maximum, tale optat alteri, qui inducit ad neglectum Dei, mandatorumque eius: ſemper verò is, qui inducit, ſui amorem, Diuino præfert: ſiue cum perſonam ſuam cupit amari, poſtpoſito ſummè amabili bono, Deo, eiuſque præcepto, vt faciunt luxurioſi:

ſiue

siue cum iussa humana Diuinis aduersantia mandant, persuadent, adiunctis minis, aut blanditijs, in hoc etiã euentu, se pluris, quàm Deum æstimari, coli, & diligi exoptant, non tam in persona, quàm in peruerso iudicio, ac voluntate, vt faciunt tyranni, iniqui domini, & fraudulenti. Cũ his omnibus salutis hostibus fortiter congrediendum præcipit Christus eodem illo cap: Matt: 10. post illa verba: *Qui amat Patrem, aut Matrem, non est me dignus,* subinferens hæc: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus* Ingenti Christus fortitudine tulit crucem suam, sequendum se proponit, & in obsistendo Patri, Matri, aut cuiuis, intimè etiam coniuncto (si tamen se plus putet amandũ, quàm Deum) fortiter agendum, fortitudinemque debere esse crucem cuiusque propriam, qui dignus Christo esse velit.

Non nouerat adhuc Christum, sed eum qui in illo futurus erat, præcipientem sciebat Susanna Deum, præcipientem, inquam, vt si quos haberet, qui amorem humanum Diuino præferrent, ijs fortiter obsisteret, prout & fecit, quemadmodum refert Dan: cap: 13. nam sceleratis illis duobus senibus qui ad nefandum facinus iam blandè, iam minando solicitabant, ingemiscens dixit: *Angustiæ sunt mihi vndique si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras: sed melius est mihi absque opere, incidere, in manus vestras, quã peccare in conspectu Domini.* Post verba, ventum ad conflictum, fortem se in pugna præstitit Susanna, pugnam secuta victoria, victoria innocentiam declarauit, cognitũ scelus, & tandem Christo, quo iam fruitur, dignã se fecit Susanna. 55.

Sectio XV.

Quæ sit causa plurimorum peccatorum.

QVi diligenter expenderet vniuersa hominum, quæ fiunt peccata, reperiret plura fortè esse, ad quorum complementum, requiritur societas hominum, siue illa sint tẽperantiæ, siue Iustitiæ, alijsque virtutibus contraria. Hæc ergo tot peccata committuntur, ideo, quod homo homini sit ad illa dux, & calcar. Et si quæramus, cur seduci, & pertrahi se inuicem sinant homines, ad malum, causa in promptu est, defectus fortitudinis. Solidè enim fortis, & blanditijs & terroribus maior est, apud quem, neque magnitudo, neque multitudo, neque assiduitas, siue minantium, siue palpantium, locum præbet delicto. 56.

Debili ita facilis est culpa, vt ægro corpori lapsus, timoribus ille, cor perinde gerit vndequaque constrictum, ac est domus ruinosa, &

peruia ventis: neque verò magna necesse est esse illa, quæ timentur, cum timentis qualitas, & dispositio, etiam parua faciat magna, quare, modica deijciunt, & velut labantem subruunt ædem. Non mortem, non spoliationem bonorum, aut infamiam grauem timuit Samson a Dalila, quæ assiduis precibus extorsit ab eo, vt secretum Dei sibi aperiret: cum enim, vt narrat historia Iudicum 16. *Molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spacium ad quietem non tribuens, defecit a anima eius & ad mortem vsque lassata est.* Anima illa quæ cum millenis Philistinis acriter dimicando non deficiebat, defecit in lucta cum vna Dalila: nimirum ibi voluntatem Dei exequendo, fortis contra tot homines erat: hic ab eadem deuiando, debilis effectus est, contra vnam fæminam: ibi non timuit plurimorum iram, hic veritus est leuem amicæ offensam: illic terrorum iacula immobilis excipiebat, hic blanditijs cessit. Ità sæpe euenit, vt vani hominum respectus & vix alicuius commodi, nugæ, virtuti obicem ponant, quid iam non efficiet, in destituta fortitudine anima, potentiorum timor, aut iactura fauoris, in quo non leue momentum æstimatur?

Sectio XVI.

Quot malorum causa sunt respectus hominum.

57. Magis sibi timens a respectibus humanis, quàm ne propter illos perderet aliquid, vir ille testante Spiritu S. 4. Reg: 5. *Fortis & diues*, etsi tardiùs veri Dei notitiam consecutus Naaman Princeps Syriæ, qui eiusmodi petitionem detulit ad Eliseum, recens ab illo ad Deum conuersus. *Hoc solùm est de quo preceris pro seruo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente super manum meã, si adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodẽ loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re.* Egebat Naaman fauore Regis, ac Domini sui, quem fauorem, nisi sibi in cultu idoli innitentem ipsum sustantaret, præsumere poterat se amissurum, & fortè cum graui bonorum, aut etiam vitædamno, sed pluris veri Dei æstimans gratiam consuluit Prophetam, liceret nec ne ita obsequi Regi? nõ obsecuturus aliàs, si id citra offensam Dei facere non posset, quidquid sit, quòd respectus humani aliud suaderent.

58. Non eam habent animi fortitudinẽ, quotquot propter timores hominũ vanos, iam maiora, iam minora in Deũ cõmittunt, peccata rariùs templa inuisunt, parùm in ijs morantur, & quamdiu sunt colloquijs,

iocisque

iocisque vacant, sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ægrè aliquando vsurpant, ne nimiæ cuiusdam pietatis, ac deuotionis notam incurrant, aut dissimiles coæqualibus videantur, atque ob id afficiantur pudore, aut etiam rideantur. Minora sunt hæc; illa maiora, fœda loqui, cantare lasciua, agere ea, quæ nisi fiant, sociorum timetur obtrectatio vt sunt inebriare, & inebriari, applaudere potentioribus, aut æqualibus, dum iniqua gerunt, socios se adiungere peierantibus, maledicentibus, rapientibus, obloquentibus, laudare pessima, optima vituperare, postremò facere, non facienda, omittere, non omittenda, hac sola de causa, quia timentur qui præeunt, nisi sint, qui sequantur.

Et hi quidem sunt, vt plurimùm filij tenebrarum, qui palam fatentur se non posse, aut non debere astrictos esse ad obseruandam legem 59.
Dei, quando instant timores, non contemnendorum malorum: sunt alij filij lucis, qui se seruos Dei nominant, & tamen pudor, vanusque timor minuit, aut certè subtrahit Deo seruitutem. Timent non nulli pastores Ecclesiastici asperiùs, quando est opus, oues arguere, multa interim committuntur, & omittuntur, pudet in congressibus, ac conuiuijs, non vlulare cum lupis, cùm interea, aspergitur integritati, atque authoritati macula, splendor sanctitatis tenebrescit, Fit nonnunquam ab ijs, qui votis se Deo manciparunt, vt paupertas, statusque vilitas, sit pudori, vanitatis consectatio honori ducatur, vt timeantur incommoda nisi mundanorũ more, ea, quæ mundi sunt quærantur, honor scilicet, fama, gloria, vitæ iucunditates, vt etiam rubor sit, obseruantissimum esse seruandorum in propriæ regulæ disciplina.

Sectio XVII.

Qui nam sint Fortes, contra homines ?

PLurima eiusmodi ex vno, eoque generali emanant fonte è debili 60.
videlicet flaccidóque animo, quem apposita similitudine expressit Dominus Matt: 7. omnis, inquit, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam supra arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Domus, quam quisque sibi ædificat, sunt opera, teste S. Paulo 1. Cor: 3. *Fundamentum*, inquit ille, *aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus IESVS, Si quis autem superædificat, aurum, argentum lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit.*

Solidissi-

Solidissimum est fundamentum, Iesus Christus, in quo securè ædificat, qui forti,& inuictâ constantia,voluntati, verbisque eius, innititur, Verba autem eius, sunt apud Matt: cap: illo 7.hæc. *Intrate per angustam portam*, quæ significant angustias animi in fortiter pugnando, non solùm cum inuisibili hoste salutis, Diabolo, vt supra a numero, 46. explicuimus, sed etiam cum visibili homine, quo crebrò inuisibilis Satan, vt instrumento vtitur. Quod si quis languidus, & inconstans, verba hæc Domini negligat, perinde se habet, atque si in arena fabricā construat, mox enim,vt venti, pluuia, aquæ vanorum timorum superuenerint, domus ruit, opera pietatis propter homines omittuntur, fiunt aduersa pietati. Propter homines, inquam, non semper crudeles tyrannos,creberrimè,& vsitatissimè propter eos,qui amicissimi habētur. Huiusmodi sunt, testāte Christo Matt: 7. Pater, Mater, filius, filia, frater soror,vxor,maritus,socer, socrus, nurus, gener,affinis, notus, nota, intimus, intima: qui omnes debili, & in arena fabricanti, ad magnam, inquit Christus, Matt: 7. nocent ruinam.

Eodem loco fortē ita Dominus prædicat: *Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti & irruerunt in domum illam,& non cecidit, fundata enim erat supra petram.*

61. Hanc tanti Encomiastæ laudem, vt mereamur, illo mundi momento, quo, vt scribit S. Paulus 1. ad Corint: 4. *Laus erit vnicuique a Deo:* proponam duo exempla, quibus meritò excitemur ad opera fortia. Meritò inquam, eorum enim illa sunt, quos vinci potiùs, quàm vincere, magis procliuè videbatur. Primum refert Plutarchus lib: de mulierum virtutibus titulo, Phocides & Chiæ. Phocides vna cum paruulis obtulerunt se cremendas pro tuenda libertate: maluerunt enim mori, quā deuictis ipsarum maritis in manus hostiū deuenire. Vicerunt mariti, ipsæ quoque diruta congerie lignorum (qua erant vt comburerentur cinctæ) domum redierunt. Simile quid fecēre Chiæ: cùm enim Philippus Demetrij fidus comes, seruos earum ad defectionem solicitaret, pollicitus dominarum connubia, si proderent ciuitatem, præcauentes illæ futuram, quæ imminebat indignam seruitutē,muros conscenderunt,ita que strenuè propugnarunt ciuitatem, vt hostem ab ea depulerint. Debiles erant natura Chiæ, Phocidesque, nimirum fæminæ: debiliores cōditione, nempe fide, & gratia Dei destitutæ, non minuit, sed auxit debilitatē ipsa necessitas moriendi pro libertate, de qua agebatur, (quantò enim maius impetit malum, tantò facultas sustinendi, vt plurimùm magis debilitatur) tamen ita debiles, ita fortiter paratæ erant occūbere.

bere. Non acceptabit Christus, siue a fæminis, siue a viris, sua fide, & gratia roboratis, vllam excusationem, si qui languerint, & languoris causam, arduam aduersitatem prætetulerint: quin potius facturus est, in tremendo suo tribunali, quod prædixit futurum Luc: 11. Regina Austri surget in Iudicio, cum viris generationis huius, & condemnabit illos.

Maiores nos habemus fortitudinis causas & internas, quibus adiuuamur, & externas, quibus ad pugnam prouocamur, quàm habebant illæ mulieres. Internæ sunt, auxilia cælitus præstita, externæ, libertas æternæ vitæ, cui insidiantur hostes, rariùs vstione, aut nece, sæpius (quod plerumque tormentis leuius est) minis & terroribus, ac blanditijs: qui hostes, firmitate, & constantia in bono, prosternēdi sunt, si in Iudicio a Chrsto nolumus condemnari.

Multò illustriùs refert aliud exemplum Prudentius, in Libro Peristephanon, de fæmina quadam, & de filiolo ipsius septenni, qui coram Asclepiade præfecto, verum Deum confessus est, esse vnum, irrisa multitudine Deorum. Accensus ira tyrannus, iussit in præsentia Matris, immaniter puerulum virgis cædi, flebant, qui astabant, Mater imperterrita à lacrymis, & ab omni signo doloris sibi temperauit. Inter flagra sitire se tenellus martyr indicauit Matri, verùm illa seuero vultu: sufficit, inquit, tibi aqua viua in Christo, fons illius perennis iam proximus est. Superatis virgis, capite plectendus, accessit puer ad Matrem, valedicturus ei, quem osculata, tradidit carnifici: post omnia, desectam intuita Ceruiculam læta cecinit. *Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius.* 62.

Certabat nobile, istud fideliũ par fortitudine, filius, & Mater, vterque imbellis ille quia puer, hæc, quia fæmina: & puer quidem Matrem relicturus, fæmina, nato priuanda: certabant & secum, & cum hoste, secum, vter eorum esset fortior, mater ne, quæ doloris gladio transfigebatur, an filius, cuius innato mærori accessit ferrum: cum hoste res erat vt vinceret. Certamini affuit Diuinus fauor, vterque tandem victus, vterque vicit: victi huic caducæ vitæ a tyranno, qui (quod volebat) animam a corpore, filium a matre, hanc ab illo separauit: vicerunt æternitati, pro Christo pœana, Dauide Psal: 8. canente: *Ex ore infantium, & lactentium, perfecisti laudem, vt destruas inimicum & vltorem.*

Debilibus naturâ promissus est Spiritus fortitudinis Ioel. 2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: sed & super ancillas effundam Spiritum meum.* Hoc spiritu ista ancilla Christi fortis, tantùm egit, vt filio careret, quantùm aliæ

 matres

matres non agunt, vt quos habent, retineant. Fæminam, puerosque fortiter pro cœlo certantes, pudor sit non sequi, ijs præsertim, quos & natura, & gratia ad fortia destinauit.

Sectio XVIII.

Quo pacto fortis agere debet cum hominibus delinquētibus, aut quocunque ex capite toleratu difficilibus.

63. HÆc dicta sint de ratione pugnæ, quam fortitudo tenet, quoties proximi timor, aut vana quæpiam consideratio respectuum est, causa peccati: non omittam vnam adhuc eiusdem virtutis adferre dexteritatem, in tractando proximo, non eo qui timentem, ad delinquendum moneat, sed eo qui ipse delinquat, & ex hac causa sit sustinenti molestus, aut etiam aliunde, nempe vitio naturæ grauis videatur. Magna sanè dexteritas, eaque virilis est, posse ferre aliena errata, atque infirmitates: magnam appello hanc fortitudinis partem; animo enim excelso, & robusto is debet esse qui aliena nouit, etsi iure displiceant, vtiliter tolerare: id quod meliùs intelligemus, vbi ostenderimus quæ, & quanta in eiusmodi hominibus toleranda sunt. Ad magnanimitatem (quam sequenti cap: dicemus fortitudini militare) hæc Arist: 4. Eth: c. 3. refert *Magnanimus,* inquit ille, *non recordatur iniurias, siquidem magnanimi non est meminisse præsertim iniurias, sed potius contemnere: nec de hominibus sermonem habet, quandoquidem nec de se prædicat, nec de cæteris: nā nec vt laudetur, ipse laborat, nec vt alij vituperentur, nec laudat alios libenter:* itaque *nec conuiciator est, ne inimicorum quidem, nisi forte propter contumeliam.* Et paulò superiùs de eodem magnanimo hæc scribit. *Est etiam magni viri nullius omnino, aut vix egere, & opitulari vltro, aduersusque eos qui in magistratu sunt prosperaque fortuna vtuntur, magnum apud mediocres, modestum se mediocremque agere, nam & illis præstare difficile est, ac gloriosum, & his facile, interque illos gloriari ingenuum est ac liberale, inter humiles autē & abiectos homines sordidum, & importunū, aut si quis cum imbecillis vires suas ostentare vellet. Nec solet idem ad ea commeare omnia, quæ sunt apud vulgus in honore, & pretio, aut vbi obtinent alij principatum, quietus est, & cūctator, nisi vbi magnus honor agitur, & res magna: paucas res agit ille quidem sed magnas, & dignitate plenas. Idem & aperte oderit necesse est, & aperte diligat, quod timidi sit tegere, ac occultare sententiam: itaque libere quæ sentit solet dicere, id eo facit, quod & contemnat, & vera loquatur, nisi forte quid dissimulatione tegendum sit, cuius rei locus est apud multitudinem.* Hæc Aristote-

Aristoteles. Ex quibus habemus ad fortitudinis magnanimitatem spectare, scire, & posse tenere modum, quo proximus tractandus est; proximus, inquam, qui vt supra diximus delinquit, & propter quosdam asperiores mores difficilis est toleratu.

Et delinquentum quidem duo sunt genera, primum eorum, qui apertè, contentiosè, studiò peccant, alterum eorum, qui ex infirmitate: fortis & hos, & illos dextrè tractat. Et primis quidem, si taceat, aut dissimulet, maiora audendi præbet occasionē: ergo aduersus tales, magnum se gerit, licentias eorum castigat, vera loquitur, fraudes aperit, ausus periculosos prodit, denique ea adhibet, quæ nisi fiant, scelera impune grassantur, virtus, & innocentia ingens patitur præiudiciū. Nec verò magnanimus pauebit eos contra quos agit, nullo enim eget, ita, videlicet, vt fauores hominum, & sua priuata cōmoda honesto præponat. nam is est, inquit ibidem Aristoteles, qui res honestas, & præclaras, quamuis inutiles, fructuosis anteponit, hoc enim eum potiùs decet, qui se ipso contentus est. Pauci sunt, qui hæc præstent, non mirum, paucissimos enim capite sequenti numero 11. & 12. cum eodem Philosopho ostendemus esse magnanimos: illos verò potissimè talia decent, qui ad eam dignitatem sunt euecti, in qua, vel præesse debent vel eos qui præsunt adiuuare. Magnanimitatis suæ excellentiā testatus est PONTIFEX & Episcopus animarum, 1. Petri cap: 2. idemque REX REGVM, Apocalip: 19. Christus, quando Scribas & Pharisæos pertinaciter maleuolos apertè monebat, ratus se aliter nihil in eorum animis effecturum. Ergo sic illis dicebat Matt: 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis Regnum Cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Similem* magnitudinē animi præsetulit, magnanimi Magistri, magnanimus, isque primus è Discipulis S. Petrus, qui cùm prohiberetur veritatē fidei Christianæ publicè docere, nihil veritus n inas, audacter respondit Act 5. *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus*: Hanc vocem omnes magni, & excelsi animi, mentibus impressam debent continere, eamque quando oportet liberè promere. Itaque prima fortitudinis dexteritas in tractandis peruersis, est magnanimiter eos aggredi. Qui non ita agunt, sed ob respectus fauorum, commodorumque priuatorum tacent, dissimulant, adulantur, probāt vituperanda, improbant laudanda; sunt eiusmodi, quos eodem loco sic describit Philosophus: *Qui, inquit, ijs deest officijs, angusto, pusilloque animo dicitur*, Huiuscemodi autem animum duobus se prodere existimat: aut enim pusillus se ipsum despicit, siue ignorat, scilicet, potestate, scientia, authoritate, alijsque quibus reuera præditus est naturæ

ac fortunæ donis non vtendo : aut certè ille idē qui angustus est, q... stui, & vtilitati seruit, vereturque in offensam alicuius impingere, ne lucro, & sordibus priuetur.

64. Altera fortitudinis pars est, nō tam aggredi, quàm sustinere errantes ex infirmitate, aut natura asperos, modestè & placidè ijs cum agere, cunctari, expectareque oportunitatem corrigendi : dissimulare interdū ad commodum tempus, etiamsi quid iniuriæ feras, ne dū resistere mox velis, ex parua scintilla magnum excitetur incendium: non conuiciari, nec par reddere, nisi forte contumelia illata, & non repulsa, scandalum pariat apud astantes. Hac de causa fortissimus alioquin in sustinendo Saluator, ne quid sinistræ opinionis apud homines de sua doctrina remaneret, accepta alapa dixit, Ioan: 18. *Si male locutus sum, perhibe testimonium de malo, si autem bene, quid me cædis?* Prorsus magnanimus sicut in aggrediendo peruicaces, est inuictus, ita in sustinendo debiles, est indefessus : illis apertè aduersatur, his patrem, beneuolumque se exhibet amicum; illorum frangit impetum, horum ægritudinem, asperos mores, vitia naturæ morositatesque tolerat. Et quia capite præcedenti num: 52. diximus, faciliùs esse aggredi, quàm sustinere, etiam hic fatēdum est, magis elucere fortitudinis magnanimitatem in sustinendo infirmos, quàm in aggrediendo rebelles. Quare Apostol: omnibus in cōuictu, & societate degentibus commendat hanc fortitudinē, Rom: 15. *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere: vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonū, ad ædificationē: etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me,* Psalmo 68.

Sectio XIX.

Fortitudo cum ipso Deo congreditur.

65. De vltimo tandem, quo cum fortis congredi debet agendum est. Hunc supra num: 20. posuimus esse Deum, non vt hostem (nunquam enim ille aliud de nobis, quàm vt testatur per Hieremiam cap: 29. *cogitat cogitationes pacis & non afflictionis*) sed vt eum, cuius Prouidentiæ subdi necesse est omnes, quantumuis illa non semper grata, & iucunda videatur fortiter sustineamus Legimus quidem de illa ita scriptum Sap: 8. *Disponit omnia suauiter,* sed cùm priùs dictum sit: *Attingit a fine vsque ad finem fortiter*, scire nos voluit Deus neminem suæ Diuinæ Prouidentiæ sensurum suauitatem, nisi prius fortiter toleret ea,

quæ

quæ ab ipso fuerint ordinata ac disposita.

Magnam sanè supernæ Prouidentiæ expertus est Patriarcha Ioseph suauitatem, quando vt est Gen: 41. audiuit sibi a Pharaone Rege dictū: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium, cunctus populus obediet, vno tantum Regni solio te præcedā*. Sed ante hæc suauia, præcesserunt multa mala quæ ex præscripto Diuino fortiter erant Sancto Ioseph toleranda. Amarum certè erat vendi a fratribus, deuehique in alienam terram: orbari optimo, amantissimóque Patre, & charis omnibus: in Egypto tanquam adulterum ad carcerem detrudi, vt infamem tractari, necem expectare: aliquot annos in continuo metu, squallore, egestate, captiuum delitescere. Vbi hæc omnia cælitus permissa sustinuit fortiter, subsecuta est suauitas & maior, & lōgior, quàm fuit amaritudo doloris, atque aduersitatis: maior inquam longiorque, hoc enim Diuinæ bonitati solenne est, ampliora largiri præmia, quàm meretur labor. Ergo Pharao, scribit Moyses Gen: 41. *Tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stolla byssina, & collo torquem aureum circum posuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & Præpositū esse scirent vniuersæ terræ Ægypti*. Aliquot annorum mærori, successerunt hæc tanta, durarûntque toto vitæ tempore, quod fuit centum decem annorū, quemadmodū legimus in Gen: c. 50.

Sectio XX.

Diuinæ Prouidentiæ integrè subdi, maxima est fortitudo.

AB hominibus quidem maleuolis amara tulit fortis Ioseph, Deo tamen sic ordinante, ac permittente ad magnum illius bonum vt ipse capite illo Gen: 50. testatur. fratres vindictam sui ausus timentes, ita solatus: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos* 66.

Voluntatē Diuinam, Diuina Prouidentia aliquando in caducis corporalibus bonis manifestat, nonunquam in ijs, quæ bona animæ dicuntur, in vtrouis euentu subijci æquo animo Deo, contra quàm vellemus de nobis disponenti, magnæ est fortitudinis, & fortè maioris quauis alia, de qua hactenus egimus. Nam si in corporeo duorum conflictu, tantò robustior debet esse qui resistit, quantò is qui aggreditur est ualidior, quales iam vires habere debet homo, vt Dei omnipotentis sustineat manum? Non agnoscebat in se tantas vires sanctus Iob, vt

fatetur

fatetur cap. 6, vbi sic loquitur: *Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus? & qui capit ipse me conterat, soluat manū suam, & succidat me: & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti. Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam? aut quis finis meus, vt patienter agam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Optat vir Sanctus conteri dolore a Deo immisso, primo quidem ideo, vt nemini mirum videatur, si ab eo superetur, cui homo infinitis partibus impar sit: & propterea etiam solatio sibi ducit, a tali vinci; magnum enim est victo solatium, impar em fuisse viribus, vt si vnus a mille superetur. Deinde idcirco optat Sanctus Iob consummi tristitiâ, ne si diutiùs sustineat affligentē Deum, de fortitudine periclitetur, & contradicat sermonibus Sancti, iniquo eos ferendo animo. Qui fuerint hi sermones, quibus verebatur ne contradiceret, sequentibus indicat verbis: *Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarij quoque mei recesserunt a me.* Non habuit auxilium in se, vt occurreret spoliationi omnium bonorum, & corporis ægritudini, recesserunt item necessarij áb eo, tribulationem tantam occultis eius peccatis adscribendo: atque ita in vtrisque, corporis videlicet, & animæ bonis, probauit Diuina Prouidentia Iob fortitudinem, id quod totum effecit, in omnia potens sermo, ex ore Sancti profectus.

67. Neque ociosè Sanctum vocat Deum, & sermones in multitudinis numero ei tribuit; nam probatio permissióque Diuina Sancta fuit, nihil in se continens quod reprehendi posset: plures quoque sermones de Iob locutus est prouidus Deus, & omnino tot, quot permisit mala, bonis corporis, & animæ contraria; in his enim duobus elucet probatio Diuinæ Prouidentiæ, vt dixi supra num: 65.

Sectio XXI.

Quæ a Diuina Prouidentia sustinentur, acriter afficiunt tolerantem.

68. Porro in sermonibus Dei Sancti, considerandum illud est, quod prædicat S. Paulus ad Hebræos cap. 4. ita scribens: *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionū cordis.* Atque ita sermones, quos probaturus Deus protulit de Iob erant similes gladio ancipiti penetrāti nō corpus tantùm dolore, sed & animam tristitia, quæ viuacissimè Iob sentire de-

tire debuit. Duo quippe ille habuit, vtroque clarus, vtreque in vita mortali beatus, caducam, ſcilicet, fœlicitatẽ,& opinionem, nomenque ſanctitatis, quâ reuera præditus erat: fruſtratus eſt fortunæ corporiſque bonis, nomen etiam, opinionémque probitatis perdidit, id quod vtrumque acerrimè, & medullitus ſenſit. Nimirum nouit Diuina Prouidentia, quo quiſque maximè probandus eſt euentu, & quem maximè ſentiat dolorem, vſque ad diuiſionem animæ, hoc eſt talem, qui morti æquetur, aut etiam eam ſuperet: in morte enim ſeparatur anima a corpore, poteſt verò eſſe tantus & tam acerbus a Deo immiſſus animi dolor, vt videatur ipſam animam diuidere, & quaſi in partes ſecare. Dauid 2. *Reg*, 15. pulſus a filio regno, vagabundus exulabat, hoc in eum permiſit Deus; ſciebat enim tale exilium, magno illi futurum dolori: Excelſus quippe regis animus deſtitutus commodis acerbiſſimè fert iacturam Regij honoris. ſeni quoque exulare, & patri filium habere capitalem hoſtem, denique eodem orbari, ingens mæror eſt & ærumna. Ita ſemper fit, vt famam gloriámque appetenti, aut illa fruenti, grauiſſimum fit, dedecus, & infamia; inhiantes lucris, damna vehementer ſentiant: luxui, delicijſque dediti, ægerrimè ferant morbos: ei qui habet, vt inquit Ecclſ: c. 41. *Pacem in ſubſtantia ſua, viro quieto, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus, amariſſima* ſit, vel memoria mortis.

Prorſus de hac re ſentiendum, iuxta illud vetus prouerbiũ: Quiſque 69
patimur ſuos manes, neque putandum hoc ſolum eſſe moleſtiſſimum, quod omnium ſenſu, & ſua manifeſta mole ingens cenſetur, aut quod a nobis graue iudicatur: ſed potiùs credendum omne arduum, durúmque eſſe, quod quiſque vt tale ſentit. Certè Pharao Rex potens, non potuit ferre ciniphes, & muſcas, Exod: 8. intolerabilem a minutis vermiculis, non ab Elephantis, vel Leonibus ſentiendo cruciatum.

Hanc porro vim ita perſtringendi ſenſum, ſumunt aduerſa a ſermonibus Sancti, qui efficacitate ſua penetrant carnes, oſſa, medullas, animam, intimas demum cogitationes, & intentiones cordis. Parui, & vix alicuius momenti videtur eſſe ſuggeſtio inanis complacentiæ; hæc tamen adeo torſit S. Ignatium Fundatorem Societatis I E S V, vt per complures dies ſimilis mortuo iacuerit, & ex deliquio animi ad ſe reuerſus, ſuppetias ab adſtantibus expetierit, qui veluti pariclitanti de vita, & ſalute opem ferent, ita de eo ſcribit Ribad. lib: 1. c. 9. in vita ipſius. Proprium eſt Sãctis acerrimè quædã perſentiſcere, quæ alij non ſancti, ne quidem leuia reputant: quaproter idem Sanctus Pater, vt apud eundem legimus lib. 5. c. 1. perſpectã bene habens Diuinæ Prouidentiæ, non modo vim, & potentiam, ſed etiam quaſi quendam illi proprium

Digitized by Google

proprium morem, & afflicturus videat, quo quiſque maximè moueatur malo, & cuius boni priuationem dolentiſſimè ferat: expendit ſemel tacitus ſecum, quid tandem eſſet, quod illum angeret vehementius, vt ad illud fortiter ferendum maturè ſe armaret. Vnum reperit, Si nempe Societas ab illo recens inſtituta, & iam a ſede Apoſtolica confirmata, diſſolueretur. Et licet ſciuerit, ſe tali, in Dei prouidentia, fiducia præuentum, munitumque fortitudine, vt ob diſſolutionem Societatis ad ſummum vno quadrante turbandum ſe putaret, teſtatus tamen eſt hac præmatura, & præuia cogitatione Deum prouidum & poſſe, & quando vult ſolere, id permittere aduerſi, quod grauiſſimum ſit ei, qui ſuſtinet, atque, ſi quis malus eſt, caſtigare acriter, vt ceſſet a malo, ſi bonus, & pius, probare pietatem, vt in ea perficiatur, ſit cautus timiduſque ne amittat, conſtans, vt perſeueret, vt poſtremo ita euadat celebris, quò in eo laudetur Dei bonitas & potentia.

70. Euidēs huiuſce rei paradigma habemus inglorioſiſſima Virgine, quā, vt Deus ſua præſentiâ, modo a ſæculis inaudito, inuiſit, ſeu potiùs ſe ipſo repleuit, mox permiſit id, quod refert S. Matt: cap: I. *Cùm eſſet deſponſata Mater eius MARIA Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto: Ioſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, exurgens autem Ioſeph a ſomno, accepit coniugem ſuam.* Multa ſunt in hac hiſtoria, quæ oſtendunt magnam doloris acerbitatem fuiſſe, tunc in corde Virginis. Puriſſima erat, omnium Angelorum ſuperans puritatē, Virgo erat, quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſecundā, Deo plena erat teſte Gabriele Archangelo. Hæc tanta dona, & ipſum donorum fontem, in opinione Ioſeph videbatur perdere, & pati coacta id, quod puritati, virginitati, & Maternitati eius aduerſabatur, pati inquam, tanto cum dolore, quanto amore Deum puritatis, Virginitatis, ſuique datorem complectebatur, ſemper enim dolor ſequitur magnitudinem amoris. Probare voluit Deus Matrem ſuam, vt cui contulit immenſa dona, inſuper ſe illorum largitorem eandem roboraret fortitudine, ad tuenda tanta Diuina bona, nomenque ipſius celebrius in mūdo redderet, & vltimò, ac præcipuè ſuæ Prouidentiæ, in illla gloriam illuſtraret, Spiritum Sanctum, tam Virginitatis, puritatiſque conſeruatorem, quàm Maternitatis teſtando eſſe auctorem.

71. Iam cùm certum habeamus, vnumquemque Diuinæ Prouidētiæ ſubijci debere, probatum etiam ſit, ſiue pios, ſiue impios, multa grauia Dei nutu

Dei nutu ferre solitos, de quo præter nunc dicta plura legi possunt parte huius libri priore cap. 14. a sect: 2. per aliquot: nemo non videt, magna fortitudine esse opus ad sustinendam Dei omnipotentem manum. Præter necessitatem, accedit mandatum Diuinum Eccl: 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum, & sustine, & ne festines in tempore obductionis: Sustine sustentationes Dei, coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua.* Toties repetito illo verbo (sustine) quid aliud Spiritus Sãctus indicat, quàm quod difficillimũ sit, sustinere sustentationes Dei? Propterea sæpius idẽ inculcatur, vt maiori conatu, & studio pareamus præcipienti Deo. Deprimere cor iubemur, vt nouerimus in infimo nos esse imbecillitatis, & vt sic dicam, nullitatis virium, Deum vero in summo, & altissimo potentiæ. Magnum vero præmium sustinenti se promittit Deus. *Coniungere, inquit, Deo vt crescat in nouissimo vita tua*, id quod tum habebitur, cum fiet, vt scribit S. Ioan. Apocalips: 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus, cum eis, erit eorum Deus.* Postremo illis verbis: *Ne festines in tempore obductionis*, ratio sustinendi Diuinas sustentationes seu obductiones, exprimitur: aduersa, dicuntur sustentationes Dei & obductiones. Sustentationes, quia ferendæ sunt, a Deo humeris nostris impositæ, Obductiones, quia vt illi qui ab hoste vndique cinguntur, nequeunt euadere, ita quem Diuina aggreditur prouidentia, veluti circumobducit, vt nequaquam effugere possit sustinenda: sed iam modus hæc ferendi explicandus.

Sectio XXII.

Quid agendum toleranti aduersa ex nutu Diuinæ Prouidentiæ.

TEmpore igitur obductionis prohibemur festinare, illa, scilicet, festinatione, in quam impellit passio, & affectus, non retardante ratione. Festinant, qui imminentium aduersitatum mole in barathrum deijciuntur desperationis: festinant, qui vindicant se de Diuina prouidentia, blasphemijs: festinant, qui vt Dei effugiant manus, Dæmonum accersunt potentiam, ipsi se sacrilegè deuouent: festinant qui in Deum abiecta fiducia, impia hominum inuocant auxilia. Denique & illi festinant, qui tametsi nihil iam enumeratorum, cum ingenti salutis committunt damno, vel in hoc tamen deficiunt, quò minùs patienter sustinent minúsque viriliter formidolosa aggrediuntur, quem defectum, signo quopiam demonstrant, aut subitaneo motu, Deo noto. 72.

K Talem

73. Talem reperire qui omnipotentis manum, quantùm, & quoad Diuina eius Prouidentia decreuit, ita fortiter sustineat, vt in ipsa sustentatione, & obductione laudet illum, in eo speret, ab illo expectet, & vires sustinendi, & finem tandem ferendorum, neque in hoc, vel leuissimè deficiat: ita, inquam, fortem reperire perquam rarum, & difficile esse inde constat, quòd is, quē Deus ab hac ipsa fortitudine laudibus effert Iob 1. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est*, is tam fortis deprehendit in se aliquid quod pœnitentia luere debuit. Ita enim ipsemet de se cap: 42. testatur *Insipienter locutus sum, idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Non est quidem locutus stultum quid contra Deum, resistendo Prouidentiæ illius, quin potiùs illam prædicabat: Dñus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Dñi benedictum Iob 1. fatetur tamen ingenuè defectū aliquem, quem in se reprehendebat, & insipientiam leuem, quam erubescebat.

74. Multo vero magis timendum sibi indicauit, ne quid admitteret fortitudine indignum, cum se ad pugnam a Deo prouocari audiuit Iob 40. hac voce: *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & indica mihi: nūquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me vt tu iustificeris, & si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas: circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus Disperge superbos in furore tuo & respiciens omnem arrogantem humilia, & ego confitebor, quòd saluare te possit dextera tua.* Ad hanc vocem trepidus, etsi alioquin fortissimus vir respondit, Iob 42. *Scio quia omnia potes & nulla te latet cogitatio:* quasi dicat potentia tua tanta est, vt si quid possis, ostendere velis, nihil, vel cogitatione sola contra te niti valeamus. Hoc quicunque Deo (vt quisque debet) fide indubitata adscribit: & timebit, omnia potentem, & ab illo supplex petet, vt tantum audeat ferre, quantum imponitur ferendum.

75. Recensito eorum numero, qualitate, quibuscum fortitudo in vnoquoque congredi debeat, nempe cum innata ad malum propensione, cum Diabolo, cum homine, postremò cum ipso Deo: quorum quiuis explicata ratione sustinendus est, cum in quouis sit, quod prouocet fortitudinem ad pugnam: non difficile iam est conijcere, quantùm ad cōsequendam salutem faciat hæc virtus. Cum enim duo sint, quæ auocent hominem ab honesto, mala, videlicet, & ingrata, terrendo: bona & grata alliciendo: & (si rectè cōditionem exilij nostri, vitæque mortalis expendamus) aut plura sint illa, quàm hæc, aut saltem non pauciora, quemadmodum grata, & iucunda, nisi adsit moderatio ac temperantia, plurimorum

rimorum saluti obesse solent, & de facto obfuerunt, vt priore parte huius libri cap: 11. Sect: 5. ostendi, ita molesta, nisi fortitudo (adscita sibi socia mansuetudine, ac tolerantia, quæ illam, vt dixi, hac par cap: 1. num: 50. comitari solet) opem ferat non minùs nocitura sunt. Quod si ob dicta cap. illo, loco citato de tẽperantia maiorẽ in animabus stragẽ edunt priora, hæc certè posteriora pone sequentur: quare prudens æstimator rerum vtriusque huius virtutis tantùm cupidus esse debet, quantùm æternæ salutis & vitæ.

CAPVT III.

De magnanimitate, magnificentia & perseuerantia.

POstquam de fortitudine, in quo consistat, & quantùm ad honestè rectèque viuendum conducat, actum est, de ijs iam virtutibus agendum consequenter, quæ ad illam vt partes quædam ipsius pertinere videntur. Et partes quidem subiectiuas, siue proprias species negat illi S. Thom: 2. secundæ q. 128: art. vnico ob rationẽ quã expendimus hac parte secunda cap: 1. a num: 24. Ratio autem S. Thom: fuit ob quam asserit fortitudinẽ infimam esse speciem, quod habeat materiam valde specialẽ, nimirum mortem: sed ibidem diximus, posse esse plures fortitudinis species sine præiudicio rationis S. Doctoris, quod ipsum hîc potest ampliùs confirmari a simili. Nam sicut temperantia si applicetur ad vnam dumtaxat specialẽ materiam delectationis venereæ, ad vnam etiam arctabitur castitatis infimam speciem; si verò ad cibi quoque delectationem extendatur, aliam habebit abstinentiæ speciem, eò quòd distincta formali ratione ad tactum vtraque hæc delectatio referatur, & peculiarem quæuis habeat honestatis difficultatem: pari ratione fortitudo, si mortem tantùm spectet, vna erit specie virtus, si ad alia etiam mala ardua, animæ videlicet, referatur, sic plures erunt eius species, tum ob rationes formales ardui mali distinctas, tum ob peculiares honestatis difficultates, quas vnaquaque fortitudo peculiariter superare debeat. Quẽadmodũ ergo fortitudo in sustinẽda morte, tanquam maximo malo corporis, occupata, est infima species, ad quam quæuis tolerantia corporeorum malorum, tanquam minorum refertur; ita etiam fortitudo, quæ tolerat ardua animæ, illa, scilicet, quæ sunt maxima, ad Deum, eius voluntatem, vitamque æternam relata, erit infima species, alia autem animæ mala minora censebuntur, & ad candẽ fortitudinem, quæ maxima animæ mala sustinet, tanquam secundarium

quid spectabunt. Quod verò S. Thom: solius meminerit fortitudinis, quæ tolerat mortem, eámque posuerit infimam speciem, id fecit accommodando se Aristoteli, & alijs veteribus scriptoribus, qui non inquirebant, posset nec ne dari malum maius morte, aut illi æquale? vnde nec agnoscebant fortitudinem, quæ ad talia animæ mala ferenda, esset necessaria.

Sed in subtiliore horum speculatione non immorandum puto, contentus eo, quod ex dictis constet, posse dari fortitudinem in sustinendis malis animæ æquè, vel magis difficilem, quàm est illa, quæ tolerat corporis mortem, id quod ad persequendum propositum nostrum magis conducit, in quo praxim potiùs, quàm speculationem intendimus. Expeditis ergo partibus subiectiuis fortitudinis, ad potentiales, & integrantes veniamus, quæ quid sint, & cur ita vocentur, dictum est, lib. huius parte priore cap. 6. num: 1.

Sectio I.

Quæ virtutes ad fortitudinem spectant.

2. FOrtitudinis communiter assignãtur quatuor partes, eædemque sunt tam integrantes, quàm potentiales, diuersa ratione consideratæ, cuius numeri, & distinctionis dat causam S. Thom: 2. 2. q. 128. art. vnico: cùm enim duæ sint fortitudinis operationes, vt ostendimus hac parte cap: 1. nũ: 51. AGGREDI videlicet & SVSTINERE ad aggrediendũ ardua, eget fortitudine magna, & fidenti quadam animi altitudine, vt non terreatur aduersis, hæc altitudo vocatur magnanimitas. Ne verò eadem fortitudo deficiat in exequendo eo, quod magnanimitas proposuit, eget magnificentia, quæ ad magna facienda excitat. Pari modo ad alterum suũ actum opus habet fortitudo imprimis patientia, ne in sustinendis arduis dolori, & tristitiæ det locũ, ita vt a ferendo auocetur: eget deinde perseuerantia ne diuturnitate mali victa fastidiat continuare susceptum laborem. Omnes hæ virtutes sunt, vt dixi & integrantes, & potentiales fortitudinis partes: integrantes quòd eam iuuent in sustinendo, & aggrediendo ardua, eique seruiant tanquã modi quidam, adminicula, & complementa illius: potentiales autem sunt, quia alias tractant materias, arduas quidem, non tamen ita vt sunt illæ quas spectat fortitudo. Potentiales item dicuntur, eo quòd possint aliquid simile fortitudini, vocãtur eædẽ, & secundariæ virtutes, propterea quod fortitudo sit primaria inter omnes, quæ luctantur cũ arduis.

De pa-

De patientia iam dictum est lib: huius parte priore: illud de illa hîc non omittendum, quòd duplicem habeat sui considerationem: si enim spectetur, vt temperat tristitias delectationi oppositas, qualem tristitiam sentit is, qui abstinet a delectatione carnis, vel cibi potúsque, sic pertinet vt pars integralis ad eas virtutes, quæ moderātur delectationes V. G. ad castitatem, ad abstinentiam: si autem spectetur vt sustinet mala ardua grauia, & præsentia V. C. mortem quæ iam inchoatur, ita erit pars integrans fortitudinis. Quod si ardua quidem ferat mala, minora tamen quàm sunt illa, quæ sustinet fortitudo, erit pars potentialis eiusdem fortitudinis. Iam de reliquis fortitudinis partibus tribus in hac parte agendum: cùm verò supra cap: 1. num: 50. diximus mansuetudinem solere se adiungere fortitudini, qua ratione patientia vocatur pars fortitudinis, eadem posset, & mansuetudo pars eius dici: reuera enim fortis vtitur ira moderata ad debitè aggrediendum, sicut & tristitia, ad sustinendum: sed quicquid sit, de hoc certum est fortitudinem egere mansuetudine, saltem vt comite, si non vt integrante parte: nihil autem hic agimus de mansuetudine, quia parte priore iam explicata est. 3.

Vt verò reliquas virtutes huc spectantes, nempe magnanimitatem, magnificentiam, & perseuerantiam exponamus, notanda est doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 129. art. 2. in corpore huic loco, & toti materiæ morali valde accommoda, in qua ostendit triplicem esse in operationibus humanis difficultatem per virtutes superandam. Prima est in inueniendo medio rationis, atque hæc solùm percipitur in ipsa ratione, & voluntate rationi proxima, tolliturque per prudentiã, & iustitiã. Alia cernitur in materia interna, nẽpe passionibus, cũ ratione pugnantibus, quia tamen appetitus sensitiuus subditus est rationi, obeditque vt plurimùm ad nutum mandata exequendo, hinc fit vt non omnes passiones egeant virtutibus, quæ ipsarum rebellionem frangant, & subijciant rationi, sed illæ solum, quæ suapte natura sunt vehementiores. Talis est delectatio carnis, in qua difficultas obediendi castitate superatur, & aliæ delectationes de quibus in temperantia, priore parte dictum est, talis etiam est tristitia, ira, timor, & audacia, quæ retunduntur patientia, mansuetudine, & fortitudine. Tertia demum difficultas sentitur in materia externa, qualis est honor, & opes in quas feruntur etiam passiones amoris V. G. desiderij, & aliæ, sed tanquam in rem extrinsecam sibi, & aliunde aduenientem: in quo est differentia harum posteriorum passionum, a prioribus illis, quas diximus esse vehementes. Nam istæ licet nihil sit extrinsecum, possunt in homine excitari, V. G. dele- 4.

ctatio

ctatio morosa (quanquam fatendum est accedere crebrò aliqua extrinseca, quibus petitis concitantur vehementes passiones, ita ira excitatur a contumelia, vel vulnere inflicto, id tamen non semper requiritur) at verò hæ aliæ passiones, nunquam sentirentur nisi esset honor, & opes, res externæ. Et quia istæ externæ res sunt valde vtiles vitæ humanæ, fit crebrò, vt in vsu earum oriatur difficultas, etiam in mediocri, paruaque materia, ne dum magna: ad quam difficultatem superandam danturvirtutes ad opes quidem, in parua materia debitè vsurpandas, necessaria est liberalitas, in magna autem, in qua maior est difficultas requiritur magnificentia. Similiter ad mediocres honores licitè acceptandos, datur virtus,quam vocat S. Thomas modo citatus, philotimiam, Aristoteles autem 4. Ethic: cap: 3. modestiam ;ad magnos autem honores adhibenda est magnanimitas.

De Perseuerantia nihil dicit S. Thomas quo pacto iuxta eius doctrinam, dictis virtutibus annumeretur, sed idem dicendum videtur de ea, quod, & de magnanimitate, ac magnificentia: cum enim tempus ad vitam, & operationes humanas, valde sit necessarium, & tale quid quod vt Philosophi dicunt, quædam conseruat, corrumpit alia, si diuturniùs ad aliquam actionem requiritur, perseuerantia est adhibenda, ne diuturnitatis molestia abrumpat continuationem, & constantiam in honesto operando. Itaque perseuerantia concernit tempus tanquam materiam quandam externam, sperando eius continuationẽ, ac proinde spei passionem moderando, quemadmodum eandem moderatur magnanimitas, & magnificentia, vt in explicatione earum dicetur. Est tamen differentia inter perseuerantiam, & illas duas virtutes, quod materia harũ magna, nempe magnus honor, & magnæ opes, ad ipsas spectet: parua autem, nimirum paruus honor & modicæ opes ad alias, hoc est ad philotimiam, & liberalitatem. Iam verò perseuerantiæ materia si sit parua, siue breue tempus, ad nullam peculiarem virtutem pertinet, sed ad omnes tanquam generalis quidam modus, & circumstantia earum: vnaquæque enim virtus debet habere suam aliquam in operando durationẽ si autẽ tẽpus fuerit lõgius,& diuturnius constituet virtutẽ perseuerãtiæ.

5. Ex his non difficulter deduci potest, quonam pacto omnes hæ virtutes nempe magnanimitas, magnificentia, patientia, & perseuerantia iã sunt partes integrantes fortitudinis, tanquam modi quidam intrinseci eius, iam potentiales & ab illa distinctæ. Quando enim consideratur magnanimitas vt iuuat fortitudinem in ferendo arduo malo, (quale est mors) magno, & excelso animo, est modus integrans, & complens ipsam, similiter magnificentia perficiens tantũ opus, quantũ est mori, est modus

modus fortitudinis. Pari modo patientia moderans tristitiam ortam ex imminente morte, spectat ad fortitudinem tanquam leuamen quoddam eius. Denique perseuerantia (cui potest annecti securitas) sustinens diu pericula mortis, addit fortitudini firmitatem in loco, tanquam adminiculum, & fulcrum quoddam illius: Eædem vero virtutes sunt potentiales fortitudinis partes, si occupentur in sustinendis quidem malis, nõ tamen ita arduis, vt sunt illa, quæ fert fortitudo.

Sectio II.

Quid sit magnanimitatis virtus.

VErum iam singulæ, quo pacto distinguantur a fortitudine explicendæ. Ac inprimis magnanimitas habet pro materia magnũ honorem, ex honesta operatione consequentem: quia enim honor, vt ostendimus hac parte cap: 1. a num: 2. per aliquot, debetur virtuti, & honestati, magnus quoque honor debebitur magnæ honestati, quæ sine ardua difficultate consistere non potest. Nã cùm vt ille dixit. *Difficilia sint pulchra*, seu honesta (pulchritudo enim idem est, quod honestum, vt probauimus lib. hoc parte priore c. 1. num: 4) quantò aliquid est magis honestũ tantò & magis difficile: vbi verò peculiaris est in operando difficultas, ibi debet esse peculiaris virtus, vt omnes docent cum S. Thom: 2. 2. q. 149. art: 1. & 2. in corpore. 6.

Quare magnanimitas duo vel potius tria habet pro materia, ex proprio suo fine: opera videlicet ardua, honesta, annexum illis insignem honorem, & tandem gloriam magnam, quæ vt dicemus cap:hoc, num: 32. est effectus quidam honoris. Neque in hoc superbia aliqua, putanda est quòd appetatur a magnanimitate honor, & gloria, superbia enim tribuit sibi id, quod non habet, vt diximus, parte priore agendo de superbia, cap: 13. a num: 34. magnanimitas autem præsuppositis iam, & præhabitis donis, vtitur illis ad ardua opera, quæ ita consequitur honor, quemadmodum vmbra corpus 7.

Quapropter magnanimitas passionem spei moderatur, quæ proposito sibi arduo, tum in suis ab autore naturæ acceptis viribus, tum in alienis tantùm confidit, tantùmque se putat effecturam, quantùm pollicentur præfatæ vires. Adiungo alienas ad proprias vires: vt enim bene docet S. Thom: 2. 2. q. 129. art: 6 in corpore & ad 1. nullus potest seipso esse contentus, sed primo eget Dei auxilio, tum deinde aliorum, quales sunt amici, serui & cæteri eo, quòd homo sit animal sociale quod 8.

ſeipſo conſiſtere nequeat, id quod ad excellentiam quandam eius cenſet pertinere S.Thom: quod, videlicet, habeat alios a quibus iuuetur.

9. Vnde magnanimum ita deſcribit Ariſtoteles 4. Ethic. cap: 3. *Magno excelſoque animo is putandus eſt, qui res magnas illas quidem, ſed quibus dignus ſit, ſibi deberi iudicat.* Ex qua deſcriptione danda eſt differentia inter honorem, qui vnicuique debetur virtuti, & eum, qui eſt proprius virtutis magnanimitatis, omne enim honeſtum, excellens, honorificum, & glorioſum eſt, cum ob præſtantiam rationis, tum ob difficultatem, quæ in quauis ſentitur operatione honeſta, vt oſtendi hac parte cap: 1. a n. 2. Quare temperans, caſtus, patiens, & quiſque virtute præditus, dignus eſt honore debito temperantiæ, caſtitati, patientiæ, & alijs virtutibus, propriam præſtantiã & ordinariã difficultatẽ habentibus. Quando verò in aliqua virtute V. C. caſtitate, occurrit magna, & inſignis difficultas, qualem legimus pertuliſſe Suſannam Daniel. 13. cui, occaſione tuendæ caſtitatis, de fama, & de vita agebatur, maluitque de vtroque periclitari, quam inurere pudori notam: in hoc euentu caſtitas quidem ordinariam ſuam ſuperauit difficultatem abſtinendo a delectatione carnis, ſed illam aliam extraordinariam, in qua exponebatur, occaſione pudoris, periculo diffamationis, & mortis, debuit peruincere magnanimitas, tanquam ſpecialem vltra eam, quæ eſt propria caſtitatis. Quare Suſanna non ſolùm caſta, ſed & magnanimis prædicanda eſt.

10. Quod de caſtitate dixi, idem de quauis alia virtute aſſerendum, nempe in vnaquaque earum duplicem reperiri difficultatem, cum annexa honeſtate, ordinariam, quam quæuis, vt propriam ſuperat; & inſignẽ quam vincit magnus & excelſus animus. Et quoniam in vita humana crebrò adſunt in operãdo difficultates, neceſſaria cuius eſt magnanimitas, alioquin multa opera honeſta omittenda forent, multáque inhoneſta committenda.

11. Quapropter non dubitat Ariſtoteles 4. Ethic: cap. 2. affirmare rariſſimum inueniri magnanimum, eò quod talis debeat eſſe omnimodè bonus, hoc eſt nullis cedens arduis difficultatibus, quas ſi ferre detrectat, iam non eſt magnanimus, hic enim in quæuis ardua fertur: quod ſi vel vnam non ſuperet, non erit quoque magnanimus, ſi quidem hic pro obiecto, & materia ſua habet, opera magna & difficilia in quauis virtute. Verba Ariſtotelis ſunt. *Magni, fortiſque animi proprium eſſe videtur, quodin quaque virtute magnum, excellenſque ducitur: ac mihi quidem certe ſingula ſpectanti omnino ridiculus magnus animus videtur, qui non idem ſit bonus: qui ſi malus ſit, ne honore quidem dignus eſſe poteſt: eſt enim virtutis merces, gloria, quæ eadem bonis viris tribuitur.*

Quocir-

Quocirca videtur magnitudo animi quasi splendor quidam, & ornamentum esse virtutum omnium, nam & maiores eas splendidioresque facit, & cohærere sine illis nullo modo potest, ob eamque causam vix in quoquam vera animi magnitudo reperitur, siquidem esse sine singulari quadam, & eximia bonitate, nullo pacto potest. 12.

Veritatem sententiæ Aristotelis magis probabit, qui ex actis expendet propia quasi decora, & excellentias quasdam magnanimitatis, quas ex illo recensui cap: præcedenti num: 63. summam autem omniũ ipse aliquot verbis cõprehendit: *Omnino, inquit, magnus animus, in decore, & dedecore cernitur*, hoc est nunquam quicquam committit inhonesti, sed omnis honestatis studiosus est,nõ obstantibus quibusuis impedimẽtis, & difficultatibus: *A quo enim*, inquit, *inductus turpe aliquid faciat, cui nihil magnum esse videtur?* nihil scilicet, magnum præter solam virtutem, & excellentiam honestatis. 13.

Hactenus dicta de magnanimitate, declarant illam esse eam virtutẽ, quæ magna & difficilia operatur in cuiusuis honestatis executione.

Explicata, quid in se sit, magnitudine animi, aliqua dubia afferenda sunt ad maiorem dictorum confirmationem. 14.

Primò dubitare quis posset, quænam dicatur difficultas magna in vnaquaque virtute, ad quam peruincendam magnanimitate sit opus. Causa autem dubitationis ea est, quod in quauis virtute potest esse iam maior, iam minor difficultas pro varietate incidentium circumstantiarum, quæuis tamen talis difficultas, nempe maior, & minor, ad vnam, eandemque speciẽ virtutem videtur referenda, siquidem magis, & minùs, vt dicunt Dialectici, non variat speciem. Exemplum potest esse in allata supra num: 9. Castitate: nam hæc in senibus infirmis & extra occasiones peccãdi cõstitutis,neque habẽtib₉ habitusdiuturnis actibus cõtractos facilior est. In iuuenibus, vegetis, accedente insuper consuetudine periculosa, & longo vsu, difficilis admodum: siue tamen in his,siue in illis difficultates, atque impedimenta castitas perrumpere debet, non aliqua alia virtus. Declarandum ergo est, assignandáque ratio, & nota quæpiam,quæ ostendat propriam solius magnanimitatis difficultatẽ,non solum maiorem, quàm sit in alijs virtutibus, sed etiam peculiarem, & diuersæ speciei.

Dubitationi huic ita fit satis: difficultas propria cuiusuis virtutis, quæcunque illa fuerit, maior vel minor, intra eius materiã, obiectũque claudi debet: difficultas autem magnanimitatis, vltra eam quæ cuique virtuti propria est, continet peculiarem in magnitudine operis & honoris consistentem honestatem. Exempli causa: Omnis illa difficultas, 15.

quæ luctũ continet cũ carnis delectatione, parua illa, vel magna, in his, vel illis sit, ad castitatẽ spectat, quia ejus materiã, obiectũque concernit, nẽpe moderationẽ delectationis. Si verò accidat, vt in tuenda eãdẽ castitate mens attendat ad præstãtiã quandã,& excellentiã eximiam, arduãque (vltra eã difficultatẽ quæ est,non vinci a carnis cõcupiscentia) & eã sectandã voluntati proponat; ea præstantia erit propria magnanimitatis. Vtrumque hoc est videre in Susanna, quæ non tantũ delectatione carnis superior fuit, sed famâ, & ipsâ vitâ, de qua periclitabatur tuendo pudicitiã; illud prius castitatis fuit, hoc posterius, magni, & excelsi animi, itaque diuersitas difficultatis secundum magis & minus. Priori ratione considerata, non variat speciẽ, quia est intra eandẽ materiam: diuersitas autẽ sumpta, posteriori ratione, variat, eò quòd sit in alia materia, & obiecto, nẽpe in magnitudine excellentiæ, decoris & honoris. Hæc doctrina accommodanda est alijs virtutibus,quæ a maiore, vel minore difficultate sumunt suam distinctionem.

Sectio III.

Securitas, annexa est Magnanimitati.

16. ALterum dubiũ potest esse, quonam pacto S. Thomas 22. q. 129. a 7. securitatem referat ad magnanimitatem, tanquam integrantem quandam eius partem: securus enim, vt ipsum nomen indicat, est sine cura; magnanimus vero multa, excelsa animi magnitudine trutinat, & molitur. Ad hoc dubium respõdetur ex S. Thom: loco cit: in corp: etsi enim magnanimus alta præcogitet non sine cura, & timores tamen vbi decreuerit sectandum quid excelsa spe in viribus tum suis tũ alienis defixa, ita timorem, & quamuis mentis anxietatem moderatur, vt sit in magna tranquillitate, quæ reddit animum securum; hoc est talem, qui certò se sperat assecuturum id in quauis virtute, & eximio opere, quod apud se præconcepit, neque se patitur a proposito dimoueri. Vnde Cic: lib: 1. offic: cap: Magnanimitas: *Ad magnanimum*, inquit, *pertinet, neque perturbationi animi, neque homini, neque fortunæ succũbere.*

Sectio IV.

An solis fortunatis propria sit magnanimitas.

17. POstremò dubitari potest. cuinã potissimè proprium sit esse magnanimum; videtur enim hæc virtus eos tantùm decere, qui sunt opibus, spendore generis, & gloria clari, vt his excelso animo, vtantur, ad-

tur administrentque. Ad hoc primò dicendum, externa bona fortunæ conferre quidem ad ostendendā magnanimitatem, sed ita, vt docet Aristoteles 4. Eth: cap: 3. *In diuitijs,* inquit, & *Magistratibus, & in secundis rebus, & aduersis affectus erit quàm moderatissimè fieri possit: neque prosperis rebus lætabitur nimis, neque asperis aduersisque mærebit: Imperia enim & opes, gloriæ causā expetendæ sunt, itaque ea omnia sibi gloriæ ducunt, qui ijs prædıti sunt. Quid ergo videatur ei magnum in rebus humanis cui etiā contemptui est gloria? quo circa magno animo, excelsoque viri, ijsdem contemnentes rerum videntur esse.*

Non putandus est Aristot: sibi contrarius, cum dicat magnanimum gloriam contemnere; supra autem num: 8. asseruimus ex illo, magnanimum spectare magna, & honorifica, Nibil, inquam, hîc est contrarij. Nam honor, & gloria duo significare potest, primo applausum, æstimationemque hominum, siue his dignus quis sit, siue non: deinde excellētiam virtutis, cui semper debetur magna æstimatio, & si ea non semper a digno cum applausu externo habetur. Priori ergo modo sumptam gloriam contemnit magnanimus, scit enim talem vt plurimùm vanè vsurpari, & præsertim ab imperita multitudine per assentatione tribui, illam autem aliam, quæ magnam condecet virtutem, nequaquam contemnit, sed magnis factis dignū se ea exhibet. Censet igitur Aristoteles, non hoc ipso aliquem esse magnanimum, quod diues, nobilis, in imperio sit, secundisque rebus fruatur, neque illum pusillanimem, qui sit pauper, ignobilis abiectæ sortis, & aduersa prematur fortuna: sed is demū magnanimus erit, qui secundis moderatè vtitur, aduersis non deijcitur, fierique potest, vt florentissimus rebus prosperis, sit pusillo, sordidóque animo, excelso autem is, qui est infortunatus, & pauperrimus, nimirum si ille nihil magni agat, hic ad quam potest virtutis magnitudinem connitatur. 18.

Dat exemplum idem Aristoteles in dando, & accipiendo, *Magnanimus,* inquit, *is est, qui, & beneficia conferat, & accepto beneficio pudore afficiatur, quod illud eius sit, qui excellat, & præstat, hoc eius qui vincatur, idem maius beneficium reddit, quam accipit, sic enim debitor fit is, qui prior dederat, ac beneficij acceptor, ex datore redditur. De ijsque solent loqui magnanimi, de quibus bene meriti sunt, non autem de ijs, qui beneficia contulerunt. est enim inferior qui accipit, eo qui dedit beneficium:* aut vult *hic noster princeps esse.* Ex quibus verbis illud deduci debet, vt si diues, & clarus dignitate, aut genere, parcus sit in dando, largus in accipiendo, nō magni isti, sed abiecti & sordidi erit animi, è contra tenuioris copiæ, viliorisque conditionis homo, si quomodo potest, demereatur benefactis, magnanimus sit habendus. 19.

Hanc enim magnitudinem in Saluatore imitandam proponit S. Paulus Act: 20.

lus: Act 20. vbi testatur illum dicere solitum: *Beatius est dare, quàm accipere:* ipse etiam Dominus suis Apostolis eandem præcipit altitudinem
21. mentis Matt: 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Huic tamen magnitudini nihil contrarium agunt Apostolicæ vitæ sectatores, siue illi qui mittuntur ad prædicandum Christi Euangelium, & ad animarum auxilium, si oblatas a viris magnificis, acceptant possessiones, ad fundanda quædam pia, & Ecclesiæ Sanctæ vtilia loca: non enim tales fundationes sunt merces laborum, pro Deo susceptorum, sed sunt sustentatio decens laborantium. Quare Dominus non prohibuit eiusmodi admittere donationes, verùm pia, & saluti hominum conducentia opera gratis exhibere iussit, vt ne quidem in sustentationem vitæ aliquid sumeretur, tanquam merces laboris: sic enim Matt: illo 10. cap: loquitur: *Euntes prædicate dicētes, quia appropinquauit vobis Regnū cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate &c. gratis accepistis gratis date.* Vnde ipsi Apostoli dominici huius præcepti obseruantissimi, mercedem quidem operum piorum nō admittebant, eleemosynas tamen largas, in auxilium cultorum, & seruorum Christi, & accipiebant, & exigebant. Testis est nota illa pœna, a S. Petro Ananiæ, & Sapphyræ inflicta, descripta Act: 5. inflicta ob id, quod non totum dederint, quod spoponderāt se daturos.

22. Dum prædicamus sectatorum Christi in beneficijs magnanimitatem, minimè reprehendendos putamus eos, qui mercede viuunt laboribus debita, quasi aliquid faciant Diuinæ voluntati minus consonū. Nā Saluator noster quibusdam vnā, nonnullis aliam formā, & modū præscripsit viuendi in prædicatione sui Euangelij, pro cuiusque statu, & conditione. Quare Apostolus Paulus ita ordinatum esse a Domino scribit ad Corinth: 1. Epist: cap. 9. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant?* ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euāgelio viuere. Huic Sanctæ ordinationi cessit S. Paulus, vt ibidem testatur: *Ego,* inquit, *nullo horum vsus sum, non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me, bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Id verò fecit siue ideo, quia voluntas fuit Christi, vt Apostoli cæterique Pastores in primordio Ecclesiæ tanquam præceptum sibi dictum ab eo acciperent illud Matt: 10. *Gratis accepistis, gratis date,* siue tanquam consilium ipsi secuti sunt, quod deinde posterioribus sæculis arbitrio aliorum relinqueretur: neque enim omnia consilia a quouis & semper sunt acceptāda, cùm præsertim ob mutationē temporum, similiumque circumstantiarum aliqua sanctè non acceptentur,

Sectio.

Sectio V.

Magnanimitatis in vnoquoque crebra occasio.

SEd rem inchoatam prosequendo, ad dubium, in quo quærebatur, 23.
qui iam magnanimi esse possint, respondemus secundò, deducimusque ex probatis iam, dari posse, & quidem præstantissimã magnanimitatem in ijs, qui non sunt clari genere, aut id genus fortunæ bonis. Eiusmodi magnanimitatis adducit quædam documenta Aristoteles 4. Ethic: cap: 3. *Incessus*, inquit *ille, magni viri tardus sit necesse est, vox grauis, constans, & firma oratio, neque enim aut festinat is, qui paucis rebus studet, aut vehemens est, cui nihil magnum esse videtur, quibus de causis, & contentiones vocis suscipiuntur, & ingressus celeritates.* Magnanimum hîc laudat Philosophus a compositione externa, multò vero maiore laude dignus est ille, qui mentem ordinatissimam habet, non solum non lætando nimis in prosperis, aut mærendo in asperis, id quod facit magnanimus, vtendo prudenter fortunâ, de quo supra numero 17. dictum est, sed vltra hoc faciendo quædam, quæ magnam indicãt altitudinem animi: eiusmodi est in eo, inquit ibidem Aristoteles, *Qui nec vt laudetur ipse laborat, nec vt alij vituperetur, nec laudat alios libenter.* Talis est eodem docente, *Qui nec recordatur iniurias, nec de hominibus sermonem habet, nec conuitiator est, ne inimicorum quidem, talis est,* inquit idem, *Qui nec cum alijs, nisi cum amico vitã, victuque coniungitur, quod id seruile existimat.*

Omnia hæc etsi non a Christiano Christiana sunt, & ab ipso Christo 24.
dictis, factisque declarata. Fugiebat ille laudẽ Rex alioquin, & Dominus omnis gloriæ, 1. Corint: 2. dicebatque, *Ego gloriam meam non quæro,* Ioan. 8. & sanato a se miraculosè præcipiebat Matt: 8. *vide nemini dixeris:* non vituperabat alios, etiam traditorem suum, modestè errati reprehendebat. Matt: 26. *Amice, ad quid venisti?* Parcus erat in laudando, nisi necessitas aliqua vrgeret, qualis fuit illa Matt: 11. prædicandi Ioannem Baptistam, vt ei de ipso testanti fidem haberent homines. Non recordabatur iniuriarum, imò pro inimicis suis orabat, Lucæ 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt,* de nullo vnquam sermonem habuit, cuius læderet famam, ne quidem mortuum, & damnatum epulonem, nomine proprio vulgauit, Lucæ 16. neminẽ conuitiatus est vnquam, quin imò conuitiantibus, & blasphemantibus se benignè dixit: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matt: 9. Postremo eos omnes, quibus vtebatur, aut fecit dignos sua Diuina amicitiâ, quam & gratulatus est quibusdam

busdam Ioan: 15. *Vos dixi amicos*, aut vt quã plurimi fierent amici laborauit: ita omnibus suam beneuolentiam commendando, vt apud eundẽ Apostolum legimus: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis*. Alium finem consuetudinis suæ familiaritatisque humanæ nunquam habuit, seruile existimans, quoduis lucrum, vel commodum proprium, quod nõ vergeret in Patris gloriam, bonumque nostrum omnium, quorum se, & nominauit & effecit fratrem, vt fratrum seruiret commodis.

Sectio VI.

In quo Christi magnanimitas eluxit, & qua ratione in nobis eadem potest esse.

25. Hæc quidem de Christo dicta sunt, deducta, ex doctrina Aristotelis, cæterùm fide, plura de illo scimus, excelsi animi euidentia argumenta, quæ nobis tanquam Pater filijs, pignora, & decora reliquit, remansura apud illos, qui hæreditaria quadam Zelotypia non degeneres a tali parente esse volunt. Nulla ergo virtus, siue moralis, siue Theologica caruit in Christo suâ præclara, & ardua magnitudine. Tẽperantia castitatis, virginitate florebat, abstinentia eius communi quidem vtebatur victu, quem vel ipse suis, suorumque discipulorum laboribus, ac instituto congruum præscripsit, vel larga aliorum obtulit liberalitas, sed in hac viuendi ratione, duo erant magna, vnum quòd copiam epularum verbi Diuini suauitate, regnique cælestis promissione rependerit tractantibus, nunquam pastus corpore, quin pasceret animas: quo in labore sicuti ipse indefessus fuit, ita nullius siue importunitate, siue authoritate impediri se passus est. Alterum abstinentiæ præclarũ erat condimentũ, quod inopiam, incommoditatesque quasuis placatissimè sustinuerit, parui pendendo exquisitas cõmoditates, propterea malè Iacobum & Ioannem habuit, quod defectum earum ferre nõ possent. Quia enim in Ciuitate Samaritanorum, negata fuit Domino hospitalitas, vt scribit Lucas cap: 9. irati ob hoc, duo illi Apostoli dixerũt: *Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* increpauit eos dicens, *nescitis cuius spiritus estis*. Quod de temperantia, quæ moderatur corporis Voluptates, diximus, idem de illa temperantia asserendũ, quæ cohibet appetitum propriæ excellentiæ, qualis est humilitas, Hujus in Christo magnitudinem deprædicat S. Paulus ad Philipenses 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens*. Tantæ maiestatis deiectio, summa quædã

quædã animi magnitudo est. Iam fortitudo Christi, tolerantia, ac mansuetudo, quàm excellens fuerit, clarè demonstrant ea omnia, quæ tota sua vita pro nobis, & a nobis tulit, creator a creatura, infinita maiestas, a vilissimis mancipijs, a quibus fons, & origo vitæ Deus morti addictus est. Omnia hæc indicant excellã animi celsitudinẽ, quâ, se ad tanta obtulit, mortali enim acceptare mortẽ, graue, magnũque est. Sed immortali, & immortalitatis datori subijcere se legibus mortis, superat omnẽ, grauitatem, & magnitudinem. Non minor fuit eius iustitia, qui vt illud impleret, quod scribit Apostolus 2. ad Corinth: 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, atque vt Deo redderet gloriam tantam, ad quantam ille ius habet, & quam homo suis peccatis obscurare nitebatur, vt etiam eidem homini, ad amissam fælicitatem restitueret ius; ita se mediatorem, vindicemque interposuit, vt nec Deus offensus, habeat quod plus exigat a reo homine, neque is debitor remaneat, quin potiùs Deum teneat debitorem æternæ beatitudinis: itaque per iustitiam Christi illud effectum est, vt Deus sit deinceps debitor, homo creditor. Ad tam miram iurium commutationem impulit Christum præcellentissima eius Charitas, cuius magnitudinem extollit, conscius præcordiorum ipsius, discipulus Ioannes cap: 13. *Cum dilexisset*, inquit ille, *suos, qui in mundo erant, vsque in finem dilexit illos*: non habet iam, quò altiùs ascendat Charitas Christi, siquidem finem attigit. Hæc dicta de excellentia, & magnitudine Virtutum Christi, quæ voluntatem ornant, suadent, vt idem sentiamus de norma, & regula illarum, nempe de prudentia, ac sapientia ipsius, hoc omnia attestante Sancto Paulo ad Colossenses 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.*

Ita magnis decorus virtutibus, magnanimus Christus, se ipsum tanquã prototypon Christianis proponit, Ioan: 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quotquot ergo in ipso sapiunt (omnes autem sapiunt, qui verè Christi sunt) hisce verbis ad similia præstanda inuitati, nullum finem habent tolerandi, humiliandi se, sustinendi ardua, sectandi puritatem, mansuetudinem, beneficentiam, & quod caput est omnium, Diuinam Charitatem, vt ita sequantur eum, cui quantò viciniùs magnitudine virtutum accesserint, tantò maiora sibi audenda videbunt, tantóque viciniores, exaltato ad dexteram Patris, sunt futuri. 26

Sectio

Sectio VII.

Vitia magnanimitati opposita sunt præsumptio, ambitio, inanis gloria, & pusillanimitas.

27. POstrema dubitatio de magnitudine potest esse, quot & quæ sint vitia illi opposita. Duo extrema affert Aristoteles 4. Ethic: cap: 3. ex quibus pullulant, hæc vitia, vnum est, angusti, pusillique animi, alterum elati; prius defectu, posterius excessu a magnanimitate recedit. Excessus in tribus pugnat cum hac virtute, quæ recenset Aristoteles loco citato, asseritque esse præsumptionem, ambitionem & gloriam inanem, de primo sic loquitur: *Elato* inquit, *animo viri, & stulti sunt, & se ignorant: nam tanquam digni sint, ea aggrediuntur, quibus laus, & gloria proposita est; deinde culpantur, itemque vestitu, gestu, alijsque eiusdem generis se comunt, & ornant, suasque res secundas, notas volunt esse omnibus, ac de se ipsi prædicant.* Depingitur hic præsumptio ex stultitia, & ignorantia sui profecta, aggrediens ea, quæ superant facultatem, viresque proprias. Ignorantiam asserit Philosophus, radicem esse præsumptionis, non quamcunque, sed stultam: stulti enim habent quidem notitiam rerum, quam secuti aggrediuntur quædam, ita vt risum prudentibus moueant, vnde præsumptuosi ridendi sunt, quod ea tentent quæ nunquam propter inopiam virium assequentur, nec tantùm ridendi, sed & vituperandi sunt, tanquam delinquentes.

Sectio VIII.

Cur præsumptio sit peccatum.

28. VNde autem in præsumptione sit delictum, docet S. Thomas 2. 2. q. 130. art: 1. in corp: ita hoc declarans: *Cum ea, quæ sunt secundũ naturam, sint ordinata ratione diuina, quam humana ratio debet imitari, quidquid secundum humanam rationem fit, quod est contra ordinem communiter in naturalibus rebus inuentum, est vitiosum & peccatum. Hoc autẽ communiter in omnibus rebus naturalibus inuenitur, quod quælibet actio commensuratur virtuti agentis, & ideo peccatum est, quasi contra ordinem naturalem, quod aliquis assumat ad agendũ ea, quæ præferuntur suæ virtuti.* Hæc S. Thomas. Itaque qui aliquod opus aggreditur excedens propriam facultatem, sẽper peccat præsumptione, eo quod ordini a Deo in rebus constituto cõ-

traeat

traeat quod quidem peccatum in se, præcisis aggrauantibus circumstantijs, videtur veniale esse, nam ordinis naturalis eiusmodi immutatio, aliud non est, quàm leuitas quædam animi, & vanitas.

Quod si ex præsumptione sequatur graue damnum proprium, aut alienum, potest esse mortalis culpa, vt rectè cum alijs docet S. Thomas Quodlibeto 8. art: 13. Hoc modo peccat, qui fluuium audet tranare, carens viribus, & arte natandi: aut qui ignarus artis medicæ, ægrotantem periculosè suscipit curandum. Multò verò grauiùs peccat, qui suscipit animas curandas, carens sufficienti scientia, vt si idiota confessarium agat, aut doctus quidem, sed iurisdictione, vel approbatione destitutus, excipiat confessiones. Non disputo hîc de modo, quo quis possit scire, habeat necne vires, & facultatem ad præstandum aliquid, nam siue naturali quapiam scientia, & experientia constet de viribus habitis, siue supernaturali aliqua motione Deo nota, modò verè constet de præsentia, & possessione facultatis, vsu acquisitæ, aut a natura acceptæ, aut extraordinaria ratione a Deo communicatæ, nunquam erit præsumptio aggredi id, quod est conforme viribus. 29.

Sectio IX.

Cur ambitio sit mala.

ALterum in quo excessus magnanimitati aduersatur est, vt docet 4. Ethic: cap: 3. Aristoteles *Reputare se dignum seu honoratum, vltra, quàm in re sit*, & talis excessus est ambitio, quæ appetit honores, & dignitates supra merita: nam sicut præsumptio vitiosa est, quia tentat ea, quæ excedunt vires, ita ambitio erit pariter vitiosa, quia expetit honorem, qui excedit excellentiam, & præstantiam, cui soli, vt hac parte posteriore cap: 1. a num: 2. ostendimus, debetur honor, & quidē ita, vt quantò illa fuerit maior, tantò hic maior quoque sit, oportet. 30.

Porro in quo consistat excessus appetendi honorem, rectè explicat Caietanus in secundam 2. q. 131. art: 1. nam honor est de genere bonorum fortunæ, & externorum, sicut & opes, bona autē talia, non possunt esse finis, sed media duntaxat, vt ab omnibus docetur. Quemadmodum ergo opes, non ita debent appeti, vt in illis quiescatur, sed tanquam vtiles ad sibi, alijsque prouidendum, quærendæ sunt atque tunc honestè appetuntur, quam honestatem præscribit liberalitas, & si quis eas appetat, vt dissipet, excedit in prodigè appetendo: pari ratione honor recto modo appetitur (quem præscribit virtus dicta Philotimia, 31.

Google

seu modestia, quæ vel idem est, quod humilitas, vel ad eam vt pars integrans referenda, si tanquam vtilis ad quidpiam referatur. Ita Sanctus Paulus 1. ad Thimotheum 5. honestè putat honorem appeti a presbyteris : Qui bene, inquit, præsunt presbyteri duplici honore digni habentur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina, honor enim doctis exhibitus, trahit multos ad acceptandam bonam eorum doctrinam. Iam si quis appetat honorem, non referendo ad honestum finem) ita vt mereatur excellentia propria, excedit, vt dixi, in appetendo illum cùm ambitione, quæ perinde, ac præsumptio leuis in se est, ob similem supra numero 28. & 29. datam causam. Potest verò graue esse delictum si ambiatur honor, ob finem peruersum, vel cum circumstantia enormi, quo pacto Simon magus honorari voluit, Actorum 8. tanquam Diuinũ quid habens, hoc est, vt sibi tribuerẽt virtutem Dei, cupijt autem honorari, vt seduceret homines.

Sectio X.

In quo sita sit inhonestas inanis gloriæ.

32. VLtimũ in quo esse solet esse excessus contra magnanimitatẽ, est, inquit, Aristoteles loco proximè citato, *Laus, gloria, ostentatio vestium*, hoc est appetitus inanis gloriæ, quæ facile percipitur ex dictis. Nam gloria, vt rectè docet S. Thomas 2. 2. q. 132. art: 2. in corp. consequitur honorem, velut quidam effectus eius moralis, nihil enim est aliud, quam manifestatio, notitiaque, præsertim apud multos, boni cuiuspiã excellentis, & digni honore, vnde talis notitia, claritas nuncupatur, eò quòd per eam clarus quis efficiatur in æstimatione hominum: itaque ex excellentia honor, ex honore consequitur prædicta claritas: Hinc iam facilè agnoscitur vitium inanis gloriæ, nam sicut ambitio maiorem cupit honorem, quam meretur excellentia, ita inanis gloria, appetit maiorem gloriam, quàm meretur honor, quemadmodum autem diximus num: 31. posse honestè appeti honorem, si ad rectum finem referatur, ita nunc dicimus, posse honestè appeti gloriam similem ob finẽ. Quare Dominus præcipit Matt. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*

33. Cœterùm S. Thom: loco nunc citato, in tribus ponit vanæ gloriæ appetentiam, 1. cùm quis gloriam quærit ex eo, quod non est illa dignum, verbi causa, ex diuitijs, splendore vestium, corporis, & id genus alijs, hoc modo etiã vanus est, qui prædicat sua, quæ reuera non sunt, gloria enim

ria enim sequitur honorem, & excellentiam, qua qui caret, quantũuis habeat alia vanè, & prorsus falsò tribuit sibi gloriam, 2. vanè appetitur, & tribuitur gloria, ab eo qui benè iudicare de meritis non potest, vel quia adulatur, vel quia est exigui iudicij. Quapropter rectè docet Aristoteles 4. Ethic: cap: 3. A *magnanimo plurima contemni, & pauca ad agendum assumi*, Contemnit ideo multa, quia non sequitur iudicia multitudinis, quæ miratur, & magnificat ea, quæ reuera sunt leuia, & indigna æstimatione. Pauca quoque aggreditur, tum propterea, quod verè magna a paucis hominibus cognoscantur (*Stultorum enim*, vt docet Ecclesiastes cap: 1. *infinitus est numerus*, è contra sapientes pauci; illa ergo quæ a paucis magnifiunt, magnanimus operatur) tum etiam propterea ad pauca se applicat, quod ea, quæ sunt quidem digna laude, sed exigua alijs relinquit, quibus tractandis facilè reperiuntur plures apti, ipse illa aggreditur, quæ suis maioribus viribus sunt commensurata.

Hac magnanimitate ducti Apostoli statuerunt id, quod legimus Actor: 6. *Nõ est æquũ nos derelinquere verbũ Dei, & ministrare mensis considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos spiritu Sancto, & Sapientia, quos constituamus super hoc opus, nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus*. Videbant quippe Apostoli, se ad maiora a Deo ordinatos, viribusque ac facultate præditos ampliore, qua (nisi abuterentur) maiora præstare debebant.

Ex hoc Apostolico facto non incongruè dici potest, originem sumpsisse diuersitatem & multitudinem officiorum, statuum, dignitatum Ecclesiasticarum, ordinumque religiosorum, vt alij minora, maiora alij exequantur, hi externa vitæ, actiuæ munia tractent, illi contemplationi vacent, nonnulli vtrumque amplectantur. Quidam regant, & imperent, alij mandata perficiant, pro cuiusque modo & mensura, (vt inquit Sanctus Paulus ad Ephesios 4.) *donationis Christi*. Quemadmodum autem sapientis Christi donatio reprehendi non potest, ita minus prudenter illi faciunt, qui vanitati adscribunt, si illi qui maiora in Ecclesia versant, omittant minora, quando aliter, citra præiudiciũ status, & conditionis suæ facere non possunt: non enim id superbi agunt, sed donationẽ Christi magnanimi acceptant, & tuentur a quibus id velle, quod fit ab alijs, quibusque, est pulcherrimam ordinis, atque vtilitatis simmetriam confundere, magno Ecclesiæ dispendio. Itaque alij minora, cum animi modestia peragere debent. 34.

Tertiò, & vltimò vanè appetitur gloria, cum non refertur ad debitum finem, sicut supra diximus de honore, numero 31. Et hic quidem triplex est modus vanitatis. Cæterũ si propriè loqui velimus: inanis gloria 35.

quæ luctū continet cū carnis delectatione, parua illa, vel magna, in his, vel illis sit, ad castitatē spectat, quia ejus materiā, obiectūque concernit, nēpe moderationē delectationis. Si verò accidat, vt in tuenda eâdē castitate mens attendat ad præstātiā quandā, & excellentiā eximiam, arduâque (vltra eā difficultatē quæ est, non vinci a carnis cōcupiscentia) & eā sectandā voluntati proponat; ea præstantia erit propria magnanimitatis. Vtrumque hoc est videre in Susanna, quæ non tantū delectatione carnis superior fuit, sed famâ, & ipsâ vitâ, de qua periclitabatur tuendo pudicitiā; illud prius castitatis fuit, hoc posterius, magni, & excelsi animi, itaque diuersitas difficultatis secundum magis & minus. Priori ratione considerata, non variat speciē, quia est intra eandē materiam: diuersitas autē sumpta, posteriori ratione, variat, eò quòd sit in alia materia, & obiecto, nēpe in magnitudine excellentiæ, decoris & honoris. Hæc doctrina accommodanda est alijs virtutibus, quæ a maiore, vel minore difficultate sumunt suam distinctionem.

Sectio III.

Securitas, annexa est Magnanimitati.

16. ALterum dubiū potest esse, quonam pacto S. Thomas 22. q. 129. a 7. securitatem referat ad magnanimitatem, tanquam integrantem quandam eius partem: securus enim, vt ipsum nomen indicat, est sine cura; magnanimus vero multa, excelsa animi magnitudine trutinat, & molitur. Ad hoc dubium respōdetur ex S. Thom: loco cit: in corp: etsi enim magnanimus alta præcogitet non sine cura, & timores tamen vbi decreuerit sectandum quid excelsa spe in viribus tum suis tū alienis defixa, ita timorem, & quamuis mentis anxietatem moderatur, vt sit in magna tranquillitate, quæ reddit animum securum; hoc est talem, qui certò se sperat assecuturum id in quauis virtute, & eximio opere, quod apud se præconcepit, neque se patitur a proposito dimoueri. Vnde Cic: lib: 1. offic: cap: Magnanimitas: *Ad magnanimum*, inquit, *pertinet, neque perturbationi animi, neque homini, neque fortunæ succūbere.*

Sectio IV.

An solis fortunatis propria sit magnanimitas.

17. POstremò dubitari potest, cuinā potissimè proprium sit esse magnanimum; videtur enim hæc virtus eos tantùm decere, qui sunt opibus, spendore generis, & gloria clari, vt his excelso animo, vtantur, ad-

tur administrentque. Ad hoc primò dicendum, externa bona fortunæ conferre quidem ad ostendendã magnanimitatem, sed ita, vt docet Aristoteles 4. Eth: cap: 3. *In diuitijs*, inquit, & *Magistratibus, & in secundis rebus, & aduersis affectus erit quàm moderatissimè fieri possit: neque prosperis rebus lætabitur nimis, neque asperis aduersisque mærebit: Imperia enim & opes, gloriæ causâ expetendæ sunt, itaque ea omnia sibi gloriæ ducunt, qui ijs præditi sunt. Quid ergo videatur ei magnum in rebus humanis cui etiã contemptui est gloria? quo circa magno animo, excelsoque viri, ijsdem contemnentes rerum videntur esse.*

Non putandus est Aristot: sibi contrarius, cum dicat magnanimum gloriam contemnere; supra autem num: 8. asseruimus ex illo, magnanimum spectare magna, & honorifica, Nihil, inquam, hîc est contrarij, Nam honor, & gloria duo significare potest, primo applausum, æstimationemque hominum, siue his dignus quis sit, siue non: deinde excellẽtiam virtutis, cui semper debetur magna æstimatio, & si ea non semper a digno cum applausu externo habetur. Priori ergo modo sumptam gloriam contemnit magnanimus, scit enim talem vt plurimùm vanè vsurpari, & præsertim ab imperit a multitudine per assentationẽ tribui, illam autem aliam, quæ magnam condecet virtutem, nequaquam contemnit, sed magnis factis dignũ se ea exhibet. Censet igitur Aristoteles, non hoc ipso aliquem esse magnanimum, quod diues, nobilis, in imperio sit, secundisque rebus fruatur, neque illum pusillanimem, qui sit pauper, ignobilis abiectæ sortis, & aduersa prematur fortuna: sed is demũ magnanimus erit, qui secundis moderatè vtitur, aduersis non deijcitur, fierique potest, vt florentissimus rebus prosperis, sit pusillo, sordidóque animo, excelso autem is, qui est infortunatus, & pauperrimus, nimirum si ille nihil magni agat, hic ad quam potest virtutis magnitudinem connitatur. 18.

Dat exemplum idem Aristoteles in dando, & accipiendo, *Magnanimus*, inquit, *is est, qui, & beneficia conferat, & accepto beneficio pudore afficiatur, quod illud eius sit, qui excellat, & præstat, hoc eius qui vincatur, idem maius beneficium reddit, quam accipit, sic enim debitor fit is, qui prior dederat, ac beneficij acceptor, ex datore redditur. De ijsque solent loqui magnanimi, de quibus bene meriti sunt, non autem de ijs, qui beneficia contulerunt. est enim inferior qui accipit, eo qui dedit beneficium:* aut vult *hic noster princeps esse.* Ex quibus verbis illud deduci debet, vt si diues, & clarus dignitate, aut genere, parcus sit in dando, largus in accipiendo, nõ magni isti, sed abiecti & sordidi erit animi, è contra tenuioris copiæ, viliorisque conditionis homo, si quomodo potest, demereatur benefactis, magnanimus sit habendus. 19.

Hanc enim magnitudinem in Saluatore imitandam proponit S. Paulus Act: 20.

lus: Act 20. vbi testatur illum dicere solitum: *Beatius est dare, quàm accipere:* ipse etiam Dominus suis Apostolis eandem præcipit altitudinem
21. mentis Matt: 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Huic tamen magnitudini nihil contrarium agunt Apostolicæ vitæ sectatores, siue illi qui mittuntur ad prædicandum Christi Euangelium, & ad animarum auxilium, si oblatas a viris magnificis, acceptant possessiones, ad fundanda quædam pia, & Ecclesiæ Sanctæ vtilia loca: non enim tales fundationes sunt merces laborum, pro Deo susceptorum, sed sunt sustentatio decens laborantium. Quare Dominus non prohibuit eiusmodi admittere donationes, verùm pia, & saluti hominum conducentia opera gratis exhibere iussit, vt ne quidem in sustentationem vitæ aliquid sumeretur, tanquam merces laboris: sic enim Matt: illo 10. cap: loquitur: *Euntes prædicate dicētes, quia appropinquauit vobis Regnū cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate &c. gratis accepistis gratis date.* Vnde ipsi Apostoli dominici huius præcepti obseruantissimi, mercedem quidem operum piorum nō admittebant, eleemosynas tamen largas, in auxilium cultorum, & seruorum Christi, & accipiebant, & exigebant. Testis est nota illa pœna, a S. Petro Ananiæ, & Sapphyræ inflicta, descripta Act: 5. inflicta ob id, quod non totum dederint, quod spoponderāt se daturos.

22. Dum prædicamus sectatorum Christi in beneficijs magnanimitatem, minimè reprehendendos putamus eos, qui mercede viuunt laboribus debita, quasi aliquid faciant Diuinæ voluntati minus consonū. Nā Saluator noster quibusdam vnā, nonnullis aliam formā, & modū præscripsit viuendi in prædicatione sui Euangelij, pro cuiusque statu, & conditione. Quare Apostolus Paulus ita ordinatum esse a Domino scribit ad Corinth: 1. Epist: cap. 9. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant?* ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euāgelio viuere. Huic Sanctæ ordinationi cessit S. Paulus, vt ibidem testatur: *Ego,* inquit, *nullo horum vsus sum, non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me, bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Id verò fecit fuie ideo, quia voluntas fuit Christi, vt Apostoli cæterique Pastores in primordio Ecclesiæ tanquam præceptum sibi dictum ab eo acciperent illud Matt: 10. *Gratis accepistis, gratis date,* siue tanquam consilium ipsi secuti sunt, quod deinde posterioribus sæculis arbitrio aliorum relinqueretur: neque enim omnia consilia a quouis & semper sunt acceptāda, cùm præsertim ob mutationē temporum, similiumque circumstantiarum aliqua sanctè non acceptentur,

Sectio V.

Magnanimitatis in vnoquoque crebra occasio.

SEd rem inchoatam prosequendo, ad dubium, in quo quærebatur, qui iam magnanimi esse possint, respondemus secundò, deducimusque ex probatis iam, dari posse, & quidem præstantissimã magnanimitatem in ijs, qui non sunt clari genere, aut id genus fortunæ bonis. Eiusmodi magnanimitatis adducit quædam documenta Aristoteles 4. Ethic: cap: 3. *Incessus*, inquit *ille*, *magni viri tardus sit necesse est, vox grauis, constans, & firma oratio, neque enim aut festinat is, qui paucis rebus studet, aut vehemens est, cui nihil magnum esse videtur, quibus de causis, & contentiones vocis suscipiuntur, & ingressus celeritates.* Magnanimum hîc laudat Philosophus a compositione externa, multò vero maiore laude dignus est ille, qui mentem ordinatissimam habet, non solum non lætando nimis in prosperis, aut mærendo in asperis, id quod facit magnanimus, vtendo prudenter fortunâ, de quo supra numero 17. dictum est, sed vltra hoc faciendo quædam, quæ magnam indicãt altitudinem animi: eiusmodi est in eo, inquit ibidem Aristoteles, *Qui nec vt laudetur ipse laborat, nec vt alij vituperetur, nec laudat alios libenter.* Talis est eodem docente, Qui *nec recordatur iniurias, nec de hominibus sermonem habet, nec conuitiator est, ne inimicorum quidem, talis est,* inquit idem, *Qui nec cum alijs, nisi cum amico vitã, victuque coniungitur, quod id seruile existimat.* 23.

Omnia hæc etsi non a Christiano Christiana sunt, & ab ipso Christo dictis,factisque declarata. Fugiebat ille laudẽ Rex alioquin,& Dominus omnis gloriæ, 1. Corint: 2. dicebatque, *Ego gloriam meam non quæro,* Ioan. 8. & sanato a se miraculosè præcipiebat Matt:8. *vide nemini dixeris:* non vituperabat alios, etiam traditorem suum, modestè errati reprehendebat. Matt: 26. *Amice, ad quid venisti?* Parcus erat in laudando, nisi necessitas aliqua vrgeret, qualis fuit illa Matt: 11. prædicandi Ioannem Baptistam, vt ei de ipso testanti fidem haberent homines. Non recordabatur iniuriarum, imò pro inimicis suis orabat, Lucæ 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt,* de nullo vnquam sermonem habuit, cuius læderet famam, ne quidem mortuum,& damnatum epulonem,nomine proprio vulgauit, Lucæ 16. neminẽ conuitiatus est vnquam, quin imò conuitiantibus, & blasphemantibus se benignè dixit: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matt: 9. Postremo eos omnes, quibus vtebatur, aut fecit dignos sua Diuina amicitiâ, quam & gratulatus est quibusdam 24.

busdam Ioan: 15. *Vos dixi amicos*, aut vt quã plurimi fierent amici laborauit: ita omnibus suam beneuolentiam commendando, vt apud eundẽ Apostolum legimus: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Alium finem consuetudinis suæ familiaritatisque humanæ nunquam habuit, seruile existimans, quoduis lucrum, vel commodum proprium, quod nõ vergeret in Patris gloriam, bonumque nostrum omnium, quorum se, & nominauit & effecit fratrem, vt fratrum seruiret commodis.

Sectio VI.

In quo Christi magnanimitas eluxit, & qua ratione in nobis eadem potest esse.

25. Hæc quidem de Christo dicta sunt, deducta, ex doctrina Aristotelis, cæterùm fide, plura de illo scimus, excelsi animi euidentia argumenta, quæ nobis tanquam Pater filijs, pignora, & decora reliquit, remansura apud illos, qui hæreditaria quadam Zelotypia non degeneres a tali parente esse volunt. Nulla ergo virtus, siue moralis, siue Theologica caruit in Christo suâ præclara, & ardua magnitudine. Tẽperantia castitatis, virginitate florebat, abstinentia eius communi quidem vtebatur victu, quem vel ipse suis, suorumque discipulorum laboribus, ac instituto congruum præscripsit, vel larga aliorum obtulit liberalitas, sed in hac viuendi ratione, duo erânt magna, vnum quòd copiam epularum verbi Diuini suauitate, regnique cælestis promissione rependerit tractantibus, nunquam pastus corpore, quin pasceret animas: quo in labore sicuti ipse indefessus fuit, ita nullius siue importunitate, siue authoritate impediri se passus est. Alterum abstinentiæ præclarũ erat condimentũ, quod inopiam, incommoditatesque quasuis placatissimè sustinuerit, parui pendendo exquisitas cõmoditates, propterea malè Iacobum & Ioannem habuit, quod defectum earum ferre nõ possent. Quia enim in Ciuitate Samaritanorum, negata fuit Domino hospitalitas, vt scribit Lucas cap: 9. irati ob hoc, duo illi Apostoli dixerũt: *Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* increpauit eos dicens, *nescitis cuius spiritus estis.* Quod de temperantia, quæ moderatur corporis Voluptates, diximus, idem de illa temperantia afferendũ, quæ cohibet appetitum propriæ excellentiæ, qualis est humilitas, Huius in Christo magnitudinem deprædicat S. Paulus ad Philipenses 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Tantæ maiestatis deiectio, summa quædã

quædã animi magnitudo est. Iam fortitudo Christi, tolerantia, ac mansuetudo, quàm excellens fuerit, clarè demonstrant ea omnia, quæ tota sua vita pro nobis, & a nobis tulit, creator a creatura, infinita maiestas, a vilissimis mancipijs, a quibus fons, & origo vitæ Deus morti addictus est. Omnia hæc indicant excelsã animi celsitudinẽ, quâ, se ad tanta obtulit, mortali enim acceptare mortẽ, graue, magnũque est. Sed immortali, & immortalitatis datori subijcere se legibus mortis, superat omnẽ, grauitatem, & magnitudinem. Non minor fuit eius iustitia, qui vt illud impleret, quod scribit Apostolus 2. ad Corinth: 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, atque vt Deo redderet gloriam tantam, ad quantam ille ius habet, & quam homo suis peccatis obscurare nitebatur, vt etiam eidem homini, ad amissam fælicitatem restitueret ius; ita se mediatorem, vindicemque interposuit, vt nec Deus offensus, habeat quod plus exigat a reo homine, neque is debitor remaneat, quin potiùs Deum teneat debitorem æternæ beatitudinis: itaque per iustitiam Christi illud effectum est, vt Deus sit deinceps debitor, homo creditor. Ad tam miram iurium commutationem impulit Christum præcellentissima eius Charitas, cuius magnitudinem extollit, conscius præcordiorum ipsius, discipulus Ioannes cap: 13. *Cum dilexisset*, inquit ille, *suos, qui in mundo erant, vsque in finem dilexit illos:* non habet iam, quò altiùs ascendat Charitas Christi, siquidem finem attigit. Hæc dicta de excellentia, & magnitudine Virtutum Christi, quæ voluntatem ornant, suadent, vt idem sentiamus de norma, & regula illarum, nempe de prudentia, ac sapientia ipsius, hoc omnia attestante Sancto Paulo ad Colossenses 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.*

Ita magnis decorus virtutibus, magnanimus Christus, se ipsum tanquã prototypon Christianis proponit, Ioan: 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quotquot ergo in ipso sapiunt (omnes autem sapiunt, qui verè Christi sunt) hisce verbis ad similia præstanda inuitati, nullum finem habent tolerandi, humiliandi se, sustinendi ardua, sectandi puritatem, mansuetudinem, beneficentiam, & quod caput est omnium, Diuinam Charitatem, vt ita sequantur eum, cui quantò viciniùs magnitudine virtutum accesserint, tantò maiora sibi audenda videbunt, tantóque viciniores, exaltato ad dexteram Patris, sunt futuri. 26

Sectio

traeat quod quidem peccatum in se, præcisis aggrauantibus circumstantijs, videtur veniale esse, nam ordinis naturalis eiusmodi immutatio, aliud non est, quàm leuitas quædam animi, & vanitas.

Quod si ex præsumptione sequatur graue damnum proprium, aut alienum, potest esse mortalis culpa, vt rectè cum alijs docet S. Thomas Quodlibeto 8. art: 13. Hoc modo peccat, qui fluuium audet tranare, carens viribus, & arte natandi: aut qui ignarus artis medicæ, ægrotantem periculosè suscipit curandum. Multò verò grauiùs peccat, qui suscipit animas curandas, carens sufficienti scientia, vt si idiota confessarium agat, aut doctus quidem, sed iurisdictione, vel approbatione destitutus, excipiat confessiones. Non disputo hîc de modo, quo quis possit scire, habeat necne vires, & facultatem ad præstandum aliquid, nam siue naturali quapiam scientia, & experientia constet de viribus habitis, siue supernaturali aliqua motione Deo nota, modò verè constet de præsentia, & possessione facultatis, vsu acquisitæ, aut a natura acceptæ, aut extraordinaria ratione a Deo communicatæ, nunquam erit præsumptio aggredi id, quod est conforme viribus. 29.

Sectio IX.

Cur ambitio sit mala.

ALterum in quo excessus magnanimitati aduersatur est, vt docet 4. Ethic: cap: 3. Aristoteles *Reputare se dignum seu honoratum, vltra, quàm in re sit*, & talis excessus est ambitio, quæ appetit honores, & dignitates supra merita: nam sicut præsumptio vitiosa est, quia tentat ea, quæ excedunt vires, ita ambitio erit pariter vitiosa, quia expetit honorem, qui excedit excellentiam, & præstantiam, cui soli, vt hac parte posteriore cap: 1. a num: 2. ostendimus, debetur honor, & quidē ita, vt quantò illa fuerit maior, tantò hic maior quoque sit, oportet. 30.

Porro in quo consistat excessus appetendi honorem, rectè explicat Caietanus in secundam 2. q. 131. art: 1. nam honor est de genere bonorum fortunæ, & externorum, sicut & opes, bona autē talia, non possunt esse finis, sed media duntaxat, vt ab omnibus docetur. Quemadmodum ergo opes, non ita debent appeti, vt in illis quiescatur, sed tanquam vtiles ad sibi, alijsque prouidendum, quærendæ sunt: atque tunc honestè appetuntur, quam honestatem præscribit liberalitas, & si quis eas appetat, vt dissipet, excedit in prodigè appetendo: pari ratione honor recto modo appetitur (quem præscribit virtus dicta Philotimia, 31.

 seu mo-

seu modestia, quæ vel idem est, quod humilitas, vel ad eam vt pars integrans referenda, si tanquam vtilis ad quidpiam referatur. Ita Sanctus Paulus 1. ad Thimotheum 5. honestè putat honorem appeti a presbyteris : Qui bene, inquit, præsunt presbyteri duplici honore digni habentur, maximè qui laborantin verbo, & doctrina, honor enim doctis exhibitus, trahit multos ad acceptanda m bonam eorum doctrinam. Iam si quis appetat honorem, non referendo a d honestum finem) ita vt mereatur excellentia propria, excedit, vt dixi, in appetendo illum cùm ambitione, quæ perinde, ac præsumptio leuis in se est, ob similem supra numero 28. & 29. datam causam. Potest verò graue esse delictum si ambiatur honor, ob finem peruersum, vel cum circumstantia enormi, quo pacto Simon magus honorari voluit, Actorum 8. tanquam Diuinū quid habens, hoc est, vt sibi tribuerēt virtutem Dei, cupijt autem honorari, vt seduceret homines.

Sectio X.

In quo sita sit inhonestas inanis gloriæ.

32. VLtimū in quo esse solet esse excessus contra magnanimitatē, est, inquit, Aristoteles loco proximè citato, *Laus, gloria, ostentatio vestium,* hoc est appetitus inanis gloriæ, quæ facile percipitur ex dictis. Nam gloria, vt rectè docet S. Thomas 2. 2. q. 132. art. 2. in corp. consequitur honorem, velut quidam effectus eius moralis, nihil enim est aliud, quam manifestatio, notitiaque, præsertim apud multos, boni cuiuspiā excellentis, & digni honore, vnde talis notitia, claritas nuncupatur, eò quòd per eam clarus quis efficiatur in æstimatione hominum: itaque ex excellentia honor, ex honore consequitur prædicta claritas. Hinc iam facilè agnoscitur vitium inanis gloriæ, nam sicut ambitio maiorem cupit honorem, quam meretur excellentia, ita inanis gloria, appetit maiorem gloriam, quàm meretur honor, quemadmodum autem diximus num. 31. posse honestè appeti honorem, si ad rectum finem referatur, ita nunc dicimus, posse honestè appeti gloriam similem ob finē. Quare Dominus præcipit Matt. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*

33. Cæterùm S. Thom: loco nunc citato, in tribus ponit vanæ gloriæ appetentiam, 1. cùm quis gloriam quærit ex eo, quod non est illa dignum, verbi causa, ex diuitijs, splendore vestium, corporis, & id genus alijs, hoc modo etiā vanus est, qui prædicat sua, quæ reuera non sunt, gloria enim

ria enim sequitur honorem, & excellentiam, qua qui caret, quantũuis habeat alia vanè, & prorsus falsò tribuit sibi gloriam, 2. vanè appetitur, & tribuitur gloria, ab eo qui benè iudicare de meritis non potest, vel quia adulatur, vel quia est exigui iudicij. Quapropter rectè docet Aristoteles 4. Ethic: cap: 3. A *magnanimo plurima contemni, & pauca ad agendum assumi*, Contemnit ideo multa, quia non sequitur iudicia multitudinis, quæ miratur, & magnifacit ea, quæ reuera sunt leuia, & indigna æstimatione. Pauca quoque aggreditur, tum propterea, quod verè magna a paucis hominibus cognoscantur (*Stultorum enim*, vt docet Ecclesiastes cap: 1. *infinitus est numerus*, è contra sapientes pauci; illa ergo quæ a paucis magnifiunt, magnanimus operatur) tum etiam propterea ad pauca se applicat, quod ea, quæ sunt quidem digna laude, sed exigua alijs relinquit, quibus tractandis facilè reperiuntur plures apti, ipse illa aggreditur, quæ suis maioribus viribus sunt commensurata.

Hac magnanimitate ducti Apostoli statuerunt id, quod legimus Actor: 6. *Nõ est æquũ nos derelinquere verbũ Dei, & ministrare mensis considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos spiritu Sancto, & Sapientia, quos constituamus super hoc opus, nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Videbant quippe Apostoli, se ad maiora a Deo ordinatos, viribusque ac facultate præditos ampliore, qua (nisi abuterentur) maiora præstare debebant.

Ex hoc Apostolico facto non incongruè dici potest, originem sumpsisse diuersitatem & multitudinem officiorum, statuum, dignitatum Ecclesiasticarum, ordinumque religiosorum, vt alij minora, maiora alij exequantur, hi externa vitæ, actiuæ munia tractent, illi contemplationi vacent, nonnulli vtrumque amplectantur. Quidam regant, & imperent, alij mandata perficiant, pro cuiusque modo & mensura, (vt inquit Sanctus Paulus ad Epheseos 4.) *donationis Christi.* Quemadmodum autem sapientis Christi donatio reprehendi non potest, ita minus prudenter illi faciunt, qui vanitati adscribunt, si illi qui maiora in Ecclesia versant, omittant minora, quando aliter, citra præiudiciũ status, & conditionis suæ facere non possunt: non enim id superbi agunt, sed donationẽ Christi magnanimi acceptant, & tuentur a quibus id velle, quod fit ab alijs, quibusque, est pulcherrimam ordinis, atque vtilitatis simmetriam confundere, magno Ecclesiæ dispendio. Itaque alij minora, cum animi modestia peragere debent. 34.

Tertiò, & vltimò vanè appetitur gloria, cum non refertur ad debitum finem, sicut supra diximus de honore, numero 31. Et hic quidem triplex est modus vanitatis. Cæterum si propriè loqui velimus: inanis 35.

 gloria

gloria, vt opponitur magnanimitati per excessum, tunc solùm, & præcisè est, cùm appetitur plùs, quàm exigit honor, & excellentia: sicut ambitio, vt opponitur magnanimitati tum est, cum appetitur non quicunque, sed maior honor, quàm meretur excellentia: præsumptio etiam contra magnanimitatem est, cum maiora aggredimur, quàm possint vires. Quando ergo gloria quæritur, non maior, sed quæcunque etiam parua, deficiente honore, itidem paruo, tunc inanis gloria opponetur, non magnanimitati, sed Philotimiæ supra numero 4. explicatæ. Idemque dicendum de ambitione, qua quæritur honor modicus deficiente modica excellentia, & de præsumptione, qua parua tentantur, deficientibus paruis viribus. Ratio autem cur ita sentiam est, quia magnanimitas maiora sibi vendicat, & ardua, hoc est magnas vires, magnum honorem, & magnam gloriam, vitia ergo illi per excessum opposita, debent illi magnitudini contrariari, quod tũc, vt dixi, fit, cùm, & præsumptio, & ambitio, & vanitas, maiora sibi vendicãt, quam exigit magnanimitas. Atque hoc ipsũ tenet Caietanus in 2. 2. q. 132. art: 2.

Sectio XI.

Quale sit peccatum vana gloria.

36. DE inani gloria in se spectata, quale sit peccatũ, idem tenent Theologi, quod & de præsumptione supra dixi, numero 28. & 29. ac de ambitione numero 31. nempe in se esse venialem culpam, est enim leuis quædam vanitas, profecta ex inopia solidi Iudicij, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 132. art: 3. Potest tamen esse mortalis ex adiunctis quibusdam, quorum aliquot recenset S. Thomas nunc citatus. Nam grauiter peccat ex parte materiæ, qui gloriatur de eo, quod est cõtrarium diuinæ reuerentiæ, & maiestati, talẽ reprehendit ipsemet Deus Ezechielis 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum.* Ita quoque peccant, qui gloriantur de facinore quopiam admisso, cæde, verbi causa, fornicatione, complacent enim sibi in re grauiter mala. Peccatum etiam letale est ex parte gloriantis, si in gloria reponat vltimum finem, hoc est, pluris eam faciat, quàm Dei voluntatem, ita gloriantur hæretici in doctrina contraria diuinæ reuelationi. Similes illis reprehendit olim Pharisæos Dominus Ioannis 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Sunt & alij plures, modi pestiferæ mortaliter vanitatis, vnde quia multa, magnaque scelera annecti possunt vanæ gloriæ, quæ in illa, minus cautos inducit, non dubitat S. Thom: q. citata

tata articulo 4. computare illam cum ſeptem peccatis capitalibus, & ſuperbiæ tanquam filiam matri adiungere.

Sectio XII.

Quæ vitia pullulant ex inani gloria.

SEd & ipſa inanis gloria ferax eſt propriarum filiarum, quas ſeptem 37.
recenſet S. Thom: q. illa 132. art: 5. in 2. 2. cuius clara doctrina ex corpore articuli hic proponenda: *Finis,* inquit, *inanis gloriæ, eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ, ad quod poteſt homo tendere dupliciter, vno modo, directè, ſiue per verba, & ſic eſt iactantia, ſiue per facta, & ſic ſi ſint facta habẽtia aliquam admirationem, eſt præſumptio nouitatum, quas homines ſolent magis admirari, ſi autem per falſa ſint, ſic eſt hypocriſis. Si autem nititur aliquis manifeſtare ſuam excellentiam indirectè, oſtendendo ſe non eſſe alio minorem, & hoc quadrupliciter 1 quidem quantùm ad intellectum, & ſic eſt pertinacia, per quam homo nimis innititur ſuæ ſententiæ, nolens credere ſententiæ meliori 2. quantùm ad voluntatem, & ſic eſt diſcordia, dum non vult a propria voluntate diſcedere, vt alijs concordet: 3. quantùm ad locutionem, & ſic eſt contentio, cum aliquis verbis clamosè contra alium litigat: 4. Quantùm ad factum, & ſic eſt inobedientia, dum ſcilicet aliquis non vult exequi ſuperioris præceptum.*

Hæc vitia, aut peccata dicuntur filiæ inanis gloriæ, eo quod ex illa tanquam radice. ſuapte quadam vi, & propenſione pullulent, omniaque per exceſſum recedant, a magnanimitate, ab ea plus æquo exorbitando. Quanquam ſecundum alias conſiderationes poſſint ſub alijs cõprehendi vitijs, quæ non opponuntur magnanimitati, ita enim inobedientia, in quantum reſpicit auctoritatem ſuperioris, opponitur obedientiæ, quæ ad iuſtitiam, vt pars potentialis ſpectat, vt infra dicetur cap: 10. Neque mirum videri debet, vitium aliquod varijs opponi virtutibus, ſecundum diuerſas conſiderationes: cum enim illud ſit receſſus a præſcripto rationis & malũ in moralibus ex quolibet ſit defectu, quotuplex poteſt eſſe receſſus a ratione, tot erunt vitia: Inobedientia ergo, vt reſpicit gloriæ inanis appetentiam, tanquam formale, erit ſpecies vanæ gloriæ, vt repugnet auctoritati ſuperioris, ſpectabit ad vitium obedientiæ oppoſitum. Porro dicta vitia poſſunt eſſe nonnunquam grauia peccata, pro circumſtantiarum diuerſitate: certè iactare, & prædicare cædem a ſe commiſſam, aut quidpiam fædum, eſt letalis iactantia, propter complacentiam in malo verbis manifeſtatam, aut aliud quid conſequens. Pari de cauſa ſimulare ſe bonum, & velle re ipſa eſſe

nequam

nequam, est grauis hypocrisis, quam Dominus Matt: 25. & sæpius alibi seuerè in Phariseis reprehendit. Simili ratione inuentio nouæ cuiuspiam artis, aut doctrinæ, quæ magnum alijs potest afferre nocumentum; facinus est abominandum. Tales sunt hæretici, inuentores dogmatum pestilentium, tales qui choreas, cantus, comœdias, & similia fœda in lucem producunt. Pertinacia iudicij, & discordia voluntatis, non erunt quoque immunes a graui offensa, quando in re magni momenti excitantur; has culpas committunt illi, qui in communitatibus & rebus publicis suæ voluntati, ac iudicio, ita firmiter inhærent. (ostentantes se quòd cæteris resistere possint) vt nolint aliorum sano iudicio, voluntatique cædere, quantumuis magna sequantur damna, & inconuenientia. Simili de causa, & contentio est detestanda, si impugnet veritatē, cum graui Dei, aut hominum iniuria: quemadmodum faciunt hæretici concionibus, & libris, qui etiam famosa edunt scripta, non tantùm infamādo, sed falsa alijs imponendo, & veritatem obfuscando, ita faciunt, qui traducunt aliorum vitam, statum, mores, & cætera. Tandem quòd inobedientia committat interdū graue quid, tam est clarū, quàm clarum delinquere posse grauiter contra Dei mandata, aut eorum, qui vices Dei gerunt.

Sectio XIII.

In quo sita sit Pusillanimitas.

38. VItia quæ per excessum tollunt magnanimitatem hactenus explicata, notitiam parere possunt vitiorum, eidem virtuti oppositorum per defectum, & vno quidem nomine pusillanimitatis solent ab Autoribus exprimi, sed sicut elati animi exuberatio excedit magnitudinem, eiusdem præsumptione, ambitione, & inani gloria: ita & pusilli inopia, ab eadem potest deficere, magna opera, honorem, & gloriam, contrà quàm par est contemnendo: neque in singulis hisce pusillanimitatis modis, immorandum puto, cùm ex opposita elatione, noti esse possint: quare breuiter in quo sita sit pusillanimitas explicandum est. Porro sicut supra numero 35. diximus elationem animi esse duplicem: quædam opponitur Philotimiæ per excessum, nempe quæ non magnū, sed paruum (indebitè tamen) quærit honorem, alia, quæ quærit, pariter indebitè, magnum honorem, opponiturque magnanimitati, ita hic consequenter dicendum, pusillanimitatem esse duplicem, vnam, quæ deficit in paruis a Philotimia, aliam quæ in magnis repugnat magnanimitati. Hunc pusillanimem, magnanimo aduersantē ita describit Aristoteles

ſtoteles 4. Ethic cap: 3. *Qui abiecto*, inquit, *est animo, is, & quibus bonis dignus est, se ipse spoliat, & malo, quodam præditus est, quod se indignum bonis iudicat, idemque se ipse ignorat: aliter enim ea omnia expeteret, quibus dignus est, cum sint in bonis: nec stulti quidem videntur esse, sed pigri, quæ eos, deteriores facit opinio.* Ex qua deſcriptione puſillanimitatem in eo deprehendimus vitioſam, quòd ſe bonis, nempe egregijs factis, & conſequenti honore, ac gloria ſpoliet. Id autem malū, atque in honeſtum eſſe, ita oſtendit S, Thom: 2. 2. q. 133. art: 10. in Corp: *Omne*, inquit, *illud quod contrariatur naturali inclinationi, est peccatum, quia contrariatur legi naturæ, inest autem vnicuique rei, naturalis inclinatio ad exequendam actionem, commensuratam suæ potentiæ, vt patet in omnibus rebus naturalibus, tam animatis, quàm inanimatis. Sicut autem per præsumptionem aliquis excedit proportionem suæ potentiæ, cùm nititur ad maiora quam possit, ita pusillanimus etiam deficit a proportione suæ potentiæ, dum recusat in id tendere, quod est suæ potentiæ commensuratum, Et ideo sicut præsumptio est peccatum, ita & pusillanimitas. Et inde est quod seruus, qui acceptam pecuniam Domini sui fodit in terram, nec est operatus ex ea, propter quendam pusillanimitatis timorem, punitur a Domino, vt habetur* Matt: 25. & Luc: 19.

Quæ doctrina oſtēdit peccare eos, qui renuunt vti præclaris donis a Deo ſibi conceſſis, quando prudentia, & dictamen proprium, aut aliorum (quibus præſertim parendum eſt) cenſent vtendum. Poteſt quidē, & debet quiſque humilitatem ſuam præ ſe ferendo, nihil ſibi tribuere, & ex hoc velut fundamento fugere gloriam, tanquam propriam Deo, nimirum cui omnis excellentia propria eſt, & ſi quæ vſpiam reperitur, ab illo originem ſumit: tali tamen non obſtante animi modeſtia, atque humilitate, exercenda ſunt talenta, quæ ideo ſunt collata, vt non deliteſcant. Exemplum huius rei in ſe reliquit nobis Dominus, qui vt legimus Matt: 12. præcipiebat curatis a ſe miraculosè, ne eum manifeſtum facerent, quo declarabat animi demiſſionem, & tamen miracula patrabat. Ita ergo vnuſquiſque poſito quaſi fundamento humilitatis, dona, & talenta Dei in publicum, quando ita opus eſt, debet producere, ne ſi ſecus fecerit, dicatur ei id, quod vnus piger ſeruus audiuit Matt: 25. *Serue male, & piger oportuit te committere pecuniā meā nummulario. & veniens ego recepissem vtique, quod meum est, cum vsura, tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur & abundabit, ei autem qui non habet, & hoc, quod videtur habere, auferetur.* 39.

Hic tam ſeuerus cum ſeruo pigro proceſſus, ſuadet, vt aſſeramus grauem eſſe interdum culpam, omittere aliquid ex puſillanimitate, quam procul dubio incurriſſet Moyſes, ſi, quemadmodum propriam imbecillitatem 40.

cillitatem attendendo, excusabat se Deo a legatione ad Pharaonem, populumque Hebræum suscipienda, vt habetur Exodi 3 & 4. obstinatè eandem detrectasset.

Rectè de pusillanimis S. Gregor: in pastorali cap: 5. ita scribit: *Illi*, inquit, *qui prodesse vtilitati proximorum in prædicatione refugiunt, si districtè iudicentur, ex tantis rei sunt, ex quantis, venientes in publicum prodesse noluerunt, imò* idem S. Pater, & S. Thomas eum secutus, 2. 2. q. 133. art: 1. ad 3. asserit pusillanimem, interdum alio quoque vitio, nempe superbiæ recusare quæpiam magna, pertinaciter suo iudicio innitendo, neque alijs prudenter suadentibus, aut imponentibus maiora, dando locum: sic enim S. Gregorius in pastorali parte 1. de Moyse loquitur: *Superbus fortasse esset, si ducatum plebis suæ sine trepidatione susciperet, & rursus superbus existeret, si Auctoris imperio obedire recusaret.* Hæc de magnanimitate & vitijs eius.

Sectio XIV.

In quo sita sit Magnificentia, & quosnam decet.

41. SEquitur ordine proposito magnificentia, quam Aristoteles 4. Ethic: cap: 2. ita definit: *Est virtus in sumptuum magnitudine seruans decorum.* Vbi inprimis ostenditur differentia inter liberalitatē & magnificentiam: Nam illa attendit ad debitum vsum pecuniæ, & facultatum, hæc ad magnitudinem sumptuum: quia verò magna, sunt vt plurimùm ardua, ideo magnificentia fortitudini, vt pars eius annectitur, magna enim, atque ardua molitur. vnde etiam eas affectiones moderatur, quæ ad irascibilem appetitum pertinent, nempe timorem, audaciam, spem, cùm liberalitas concupiscentiam, & amorem opum tēperet, vt de ea infra cap: 24. Porro magnificentia duo habet pro materia, vt docet Aristoteles 4. Ethic: cap: 2. & S. Thom: 2. 2. q. 134. art: 3. in corp: sumptus videlicet, & operum aliquorum externorum, effectionem, pro obiecto autem formali habet vsum sumptuū, operumque executionem splendidorum, seu apparentium, quēadmodū enim magnanimitas magna, & ardua attendit in virtutū actionibus, vt ostēdimus supra a num: 10. in hoc cap: ita magnificentia, difficilia magnaque attendit in sumptuosis operibus. Magna autē hic vocantur, non quæ ab aliquo exilis iudicij talia habentur, (rectè enim dicit Aristoteles superiùs citatus exiguam pilam, aut vrceum a puero, vt grande quid laudari) sed quæ prudentum iudicio sint talia, in quæ sumptus expendendi sunt ma-

sunt maiores, pro conditione expendentium, vt quò quisque est potentior, ditior, & honoratior eò plura in ea effundat.

Sectio XV.

In quibus Magnificentia ostendenda.

TRia verò putat Aristoteles 4. Ethic: cap: 2. quæ magnificè possunt, & debent fieri, 1. ea, quæ ad cultum Dei offeruntur, vt sunt templa, apparatus, & supellex eorum, ministrorum quoque ad seruiendum Deo destinatorum copia, & vno verbo ea omnia, quæ ad colendam diuinam maiestatem, quàm splendidissimè, & magnificentissimè conducere possunt. In hoc genere illustris fuit Dauid Rex, & Salomon filius eius, propter sumptus tam copiosos ad extruendum opus illud stupendum Ierosolimitani templi, propter tot millium pecorum in dedicatione Templi, Deo in sacrificium oblatorũ, propter tantam musicorum varietatem, tot denique triumphos, qui tunc sunt exhibiti: quæ omnia diffusè recensentur 2. Reg: 7. & 3. Reg: cap: 6. alijsque locis. 42.

Quod si tunc adeo placuit Deo magnificentia hominũ, in promouendo cultu eius, cùm templum illud aliud non habuerit, præter Arcam a Moyse relictam, quantùm nunc placebit eadem magnificentia in templis, quæ ipsum Deum in propria eius persona præsentem continent? Ad eiusdem munificentiã in fidelibus excitandam S. Thomas Aquinas lætissima illa Prosa in solẽnitate corporis Christi cantari solita, rectè dicit. Quãtũ potes tantũ aude; quia maior omnĩ laude, nec laudare sufficis. Quæ prõptitudo debeat esse ad hãc magnificẽtiã opulẽtorũ hominũ, & maximè primorum in republica videri possunt ea, quæ in priore parte huius libri cap: 8. Sec: 6. & Sect: 9. scripta sunt

43. Alia, quæ magnificè fieri possunt, in bonum communitatis cædunt, qualia sunt, arces, propugnacula, vrbes, & similia: qui autem ad hæc sumptus dare debeat, enumerat Aristoteles 4. Ethic: cap: illo 2. *Huiusmodi*, inquit, *sumptus, potissimum decori sunt, quibus illos facere, vel ab ipsis est receptum, vel a maioribus suis, aut alio quodam propinquitatis iure, ipsos attingentibus institutum, tum verò nobilibus, & claris hominibus: inest enim in his omnibus splendor quidam, & dignitas.* Quibus verbis significat sumptus magnificos ad ornamentum reipublicæ (sicut, & ad Dei cultum) illos dare debere, qui ditiores, & honoratiores sunt in republica, talibus enim suppetit copia magnificentiam exercendi

Postremò fieri possunt magnificè ea, quæ priuatim aliquando vsurpantur,

Digitized by Google

pantur, vt sunt nuptiæ, exceptio legatorum, donatiua, & id genus alia-quæ pro cuiusque dignitate, & conditione, certis occasionibus demonstrantur inter hæc autem omnia opera, illa sunt teste, eodem loco, Aristele, magnificentissima, quæ præclarum habent finem, qualis est imprimis cultus Dei, deinde bonum reipublicæ, tum postremò priuatū quid, ad honestatē quāpiam ordinatum, cuiusmodi est Societatis humanæ cōseruatio, & similia. Et quoniam opera dicta, ad bonum finem referenda sunt, ita nimirum, & ab illis, & eo modo facienda vt prudentia præscribit, expensis omnibus personæ, temporis, loci, alijsque circumstantijs, quod dum fit, nulla in eis timenda vanitas, aut ostentatio.

Vltimò adnotandum est hic, non omnes opere externo, debere magnificos esse, quia enim opera magna exigunt copiosos sumptus, quibus nō omnes sufficiunt, hinc est, vt pauperes, in præparatione, & electione animi duntaxat magnifici esse possint, quod ad virtutem magnificentiæ satis est. Electio enim, in quauis virtute præcipuum obtinet locum, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 81. art: 6. ad 1. & ibidem Caiet: cùm opera externa, non ab omnibus patrari possunt, eò quòd talium non semper adsit copia & facultas, aut certè necessitas, & vtilitas; hoc modo, qui paratus est mortem fortiter obire, quantumuis opere externo illi non succumbat, fortis dicendus est, eadem ratione magnificus erit, qui ad magnifica promptum animum habet, etsi careat opibus, quas sumptuosè expendat.

Sectio XVI.

Quæ sunt vitia magnificentiæ contraria.

44. Magnificentia ita explicata habet sibi inimica, sicut & magnanimitas vitia, quorum vnum est in defectu, in excessu alterum. Prius ab Aristotele: 2. Ethic: cap: 7. microprepia dicitur, quasi parui decoris, & decentiæ, a S. Thoma 2. 2. q. 135. art: 1. in corpore *paruificentia nominatur*, ab alijs, *sordes*, duplicique modo hoc vitium deficit a medio magnificentiæ, vt idem Aristoteles 4 Ethic: cap: 2. explicat. Aut enim sordidus negat omninò magno operi accōmodatos sumptus & si *quid faciat*, inquit ille, *cunctando efficit, & qua ratione minimū sumptu præstare possit, atque id grauatè, idemque se splendidius omnia, quàm deceat facere arbitratur, aut ex eo deficit, quòd cùm magnos sumptus sustinuerit, in exiguo, decorum omne peruertit.* Defectus iste vitiosus est, eò quòd non pareat rationi, præscribenti magnos sumptus tum, cùm, & personæ & operis dignitas eos exigit, prohibentique ne quid ad perfectam operis ma-

ris magnitudinem desit, rectè enim monet Spiritus S. Psal: 74. *In fine, ne corrumpas.*

Quantùm aliquando nocere possint sordes, docuit suo periculo homo, 45.
vt illi dat ab opibus nomen scriptura 1. Reg: 25. magnus nimis, sed vt eadem testatur durus, sordidusque Nabal, qui rogatus a Dauide, nihil concedere voluit ad leuandam suam, militumque suorum indigentiam, imò submissos a se, qui benignè peterent, durè excepit. Hoc suo sordido facto meruit, vt Dauid tale fecerit iuramentum: *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque mane*, fecissetque id dubio procul, nisi prudens Abigail vxor Nabal, magnifico dono placasset iratum, & tanto obuiasset malo. Et hoc quidem priuatum fuisset vnius sordidi nocumentum, accidere verò potest vt publicis etiam rebus non leue afferant sordes detrimentum. Quis nō videt, quantùm illi noceant, qui opibus, & dignitate clari sunt in republica, & propter vtrumque magnifici appellantur, parcunt tamen sumptibus tum, cū patria, ciues, Ecclesia Dei periclitatur, ingentiaque subit damna? Arbitrātur isti se fore securos (quidquid sit de alijs) si priuata res in tuto sit, si arcæ plenæ in abditis recondātur locis, si vetustissima nummismata, si thesauri Auorū, & Proauorum delitescant, & obsolescant in terra defossi, si denique aliud in congerendis, & seruandis diuitijs non spectetur, quàm habere, & reliquisse tantum: sed quid tandem inde? quod nomen aut quæ memoria? *Qui abscondit*, inquit, Salomon Prouerbiorum 11. *frumenta, maledicetur in populis.*

Est & aliud vitium quod magnificentiæ medium excedit, vocaturque 46.
ab Aristotele 2. Ethic: cap: 7. iam *apirokalia*, quasi carens bono, & mediocri ad vtilitatē seruiente igne, iam *banausia*, quasi in furno ardor omnia consumens, latinè luxus, & profusa largitio dici potest, quam ita describit Aristoteles 4. Ethic: cap: 2. *In ijs, qui luxui sunt dediti, in rebus parui momenti magnos sumptus adhibēt, splendoremque ineptè ostentāt, non honestatis, sed ostendēdarū diuitiarum causa, & quòd se putet admirationem cæterorum excitaturos.*

Tales vt plurimùm solent esse iuuenes, quia enim carent iudicij maturitate, experientiaque, illius defectu quiduis tentant, huius inopia noua moliuntur, accedente verò sanguinis igneo quodam calore, qui alta petit, omne quod magnum apparet, decorum putatur, nisi ergo adsit sedati viri consilium, reuerentiaque, aut timor prohibentis, luxus in vnū effundet, quod in multa suffecturū erat. Sed tam de luxu, quam de sordibus, multa sunt dicta libri eius parte priore cap: 8. Sec: 2. per, aliquot, & hac parte cap: 24.

Sectio XVII.

In quo sita sit perseuerantia.

47. POstrema virtus, quæ fortitudini militat, est perseuerantia, quã ita Cicero, Rhet. lib. 2. de Inuentione definit: *Est in ratione bene considerata stabilis, & perpetua permansio.* Definitionem hanc explicat S. Thomas 2. 2. q. 137. art: 1. in corp: docens opus virtutis ex duplici capite posse habere suam bonitatem: & difficultatem, aut ex obiecto, & materia, ita fortitudo habet arduam difficultatem in sustinenda morte, aut ex temporis diuturnitate, quæ hic ad obiectum etiam spectat: præcisè enim honestas, & difficultas, a mora tẽporis desumitur, difficile quippe, & gloriosum est, ferre mala, & in bono immobilem esse longo tempore. Vnde Dominus laudat apud Matt: cap: 24. eum, qui perseuerauerit vsque in finem, promittitque illi gloriam sempiternam. Itaque perseuerantia, est virtus, quæ animum firmat vt in eo, quod ratio præscripsit agendum, seu in honesto, diuturno tempore sit stabilis, & si honesto annexum est arduum malum, quale sustinet fortitudo, erit perseuerantia pars eius integralis, si vero fuerit minus malum, erit potentialis eius pars iuxta dicta supra hoc cap: num: 2. tota vero perseuerantiæ ratio, & honestas est, persistere diu in bono, reprimendo timorem, qui fugit diuturnitatem tanquam quid malum, & difficile, id quod infra num: 49. dilucidabitur.

48. Duo verò adferri possunt, quæ videntur perseuerantiæ demere peculiaris virtutis honestatem, vnum est, quòd vnaquæque virtus vendicat sibi firmitatem in bono, reddit enim habentem illam, non solùm promptum ad rectè operandum, sed etiam firmum in resistendo passioni, vitioque, & fortem in superanda difficultate, quod si ita est, non erit perseuerantia peculiaris virtus ad solam fortitudinem spectans, sed ad omnes omninò virtutes, tanquam quædam pars integralis earum. Ad hoc respondendum est cum: S. Thom: 2. 2. q. 137. art: 1. ad 3. duplicẽ esse virtutis firmitatem, vna fundatur in habitu comparato ad subiectũ, in quo ille residet, nam omnis habitus suapte vi inclinat ad firmiter inhærendum subiecto, vt docetur in prædicamentis Aristotelis, in capite de Qualit: eò quòd natura sua maneat post actum, qui celeriter transit, tanquam dispositio quædam, multùm verò ad stabilem firmitatem confert intensio graduum, quantò enim intensior est habitus, tantò a contraria passione, aut vitio minùs mouetur. Quapropter Aristoteles 4. Ethic: cap: 9 continentiam non putat esse virtutẽ, sed mixtæ cuiusdam naturæ,

naturæ, eo quod sit in illo, qui adhuc habet potentissimos affectus; a quibus illa facilè debilitari, & infirmari potest. Hæc ergo firmitas virtutis, de sumpta ex habitu comparato ad subiectum; communis est omni virtuti; est alia, in diuturnitate temporis duntaxat posita, siue tẽpus cõtinuum sumamus, siue interrumpum, & repetitũ, & hæc firmitas propria est perseuerantiæ, tanquã peculiaris ipsius honestas, difficile enim est, & laudabile, siue diu persistere in cuiusque virtutis operatione, siue identidem pro necessitate, & exigentia eandem repetere.

Hanc laudem consecutus fuisset Dauid, si quemadmodum aliàs, nunquam alienam expetijt coniũgem, imò suam Michol sibi vi ablatam patienter tulit, quàm diu recuperare non potuit, ita neque Bersabee de solario semel conspectam concupijsset: 2. Reg. 11. & sicut ante nullum iniustè peremit vita, & post, Vriam eius maritũ a cæde seruasset immunem. Vtrumque commisit, non quòd non fuerit præditus castitate coniugali, iustitiáque firmiter animæ suæ inhærente (castè enim antea, & iustè semper vixit) sed quòd difficultatẽ illam peculiarẽ in repetendo castitatis, iustitiæque actu, vna vice sibi obiectã, non superarit.

Quòd si quis adhuc instet, difficultatem ex tempore prouenientẽ esse generalem conditionẽ, seu circũstantiam omniũ virtutum, vna quæque enim in aliqua duratione opera sua debet exercere, sicut etiam est gradualis perfectio, communis omni virtuti, nam quæuis remissè, aut intensè operatur: quemadmodum ergo ad intensam actionem, non assignatur peculiaris virtus, ita nec ad diuturnam videtur assignanda. Ad hoc dicendum est circumstantias generales, quæ ad omnem honestum actum sunt necessariæ, non constituere peculiarem virtutem, eo quod non habeant suam peculiarem difficultatem, atque honestatem, sed principali, tanquam quid annexum deseruiunt: (hoc modo se habet aliqua modica bonæ operationis duratio gradualis perfectio, & cætera similia:) diuturnitas autem durationis, quia habet peculiarem difficultatem, a peculiari superanda est virtute

Verum hinc aliud supra num: 47. promissũ emergit dubiũ, si enim 49.
diuturnitas temporis constituit distinctam ab alijs virtutem, quia continet peculiarem difficultatem, danda quoque erit distincta virtus, quæ spectat intensiorem gradualem perfectionem, siquidem maior est difficultas in intensè, quàm in remissè operando, quare constituenda erit vna virtus, quæ respicit intensionem, omnium virtutum, sicut perseuerantia respicit diuturnitatem omnium virtutum. Similiter loci peculiaris difficultas, egebit propria virtute, difficilius enim est in publico loco, & coram multis ferre patienter, fortiter, & magno animo iniurias,
quàm

quàm priuatim, & eorum vno, & idem asserendum erit de alijs virtutum circumstantijs, quæ maiores præse ferunt difficultates. Respondendum est ad hoc 2. dubium, aduertendo priùs difficultatem maiorē duplicem in virtutibus reperiri, vna est, quæ nouam continet honestatem, seu bonitatem moralem, non annexam alteri & quasi famulantem illi, talis vocatur difficultas obiecti: altera est, quæ indicat in ipso operante, conatus, & studij quandam perfectionem, quòd nimirum maiori feratur applicatione virium in aliquam honestatem: atque hæc appellatur difficultas subiecti. Prior difficultas, peculiarē exigit virtutem, ob peculiarem honestatem, non item posterior, hæc enim est modus quidam, & applicatio animi ad seriò operandum. Iam ergo difficultas maiori orta ex diuturnitate temporis, cum nouam contineat obiecti honestatē, eget noua perseuerantiæ virtute, difficultas autem profecta ex intensione maiori, quia exprimit applicationem animi, seu subiecti, nō requirit nouam virtutem, sed eandem maiore animi conatu operantem. Pari modo sustinere publicè iniurias, innuit difficultatem ortam ex intensione, ira, tristitia, & timore, quæ intensione, mansuetudine, patientia, & fortitudine comprimenda est, non autem noua aliqua virtute, & sic dicendum de similibus difficultatibus.

50. Sed si quis hac responsione non contentus, dicat ipsam difficultatem, ex subiecti conatu ortam, posse constituere obiecti nouam honestatem, cur enim non erit noua honestas, intensione Deum diligere, sicut est noua, diuturno tempore diligere? Neganda, est paritas, diuersa quippe ratione concurrit ad actum intensio, ab ea qua concurrit diuturnitas. Nam si absit intensio, adhuc actus virtutis manet in remisso aliquo gradu, & absentia intensionis, nullam constituit peculiarem honestatem, quis enim dicat diligentem Deum minùs intensè, comittere peccatum, & esse actum contrarium charitati? Est ergo absentia intensionis defectus quidam perfectionis modalis, & accidentalis, quæ potest abesse, & adesse, integro manente semper in sua specifica honestate actu virtutis. secus dicendum de longiore diuturnitate, si enim absit perseuerantia, iam erit defectus non modi cuiuspiam, & accidentalis perfectionis, sed ipsius actus honesti, non solum illius virtutis, quæ durare debuit, verbi causa, patientiæ, aut fortitudinis, aut alterius cuiuspiam, sed etiā actus, peculiari honestate honesti, idque præcisè ex eo, quòd præclarum ac difficile sit durare, in cuiusuis virtutis operatione, sicut in magnanimo excellens est, magna operari. Intensio ergo concurrit ad actum honestum, vt perfectio, ac modus, ipsum accidentaliter perficiens. Sicut autem modus rei non facit aliā ab ipsa rem, ita neque intensio virtutis, facit vir-

facit virtutem aliam: è contra diuturnitas concurrit, vt perfectio continens, aliam a quauis virtute honestatem, qua absente, modus aliquis accidentalis in virtutis actu deest, sed ipse actus, & virtutis operatio. Quapropter non dantur præcepta, quæ præcipiant intensionem virtutum (quicunque enim remisse Deum diligit, verè diligit, & saluabitur) dantur autem præcepta, quæ præcipiunt durationem diuturnam in bene operando, teste Domino, Matt: 24. *Qui perseuerauerit vsque in finē, hic saluus erit.* Atque hoc ipsum ostendit id quod probamus: nam duplicia dantur præcepta, quædam quæ operationes bonas præcipiunt, sed prohibent malas, in quibus præceptis, simul cum operationibus, subintelliguntur modi, & generales earum conditiones, tanquā illa quæ semper sunt annexa & famulantia ipsis, vt est aliqua gradualis perfectio, qua duratio, & similes, sine quibus nulla operatio dari potest. Alia sunt præcepta, quæ mandant ipsā diuturnam durationem in bonis operibus, aut prohibent ne in resistendo malis, deficiamus propter longam durationem: cùm ergo hæc posteriora præcepta, sint distincta a prioribus, sequitur diuturnitatis difficultatem peculiarem esse, nouamque constituere perseuerantiæ. Virtutem hactenus explicatam.

Sectio XVIII.

Quo pacto a perseuerantia differat longanimitas & constantia.

SAnctus Thom: 2. 2. q. 136. art: 5. in corpore, longanimitatem in hoc ponit, quod longè distans respiciat tempus, non quidem in se (expectare enim annum verbi causa sequentē, nullam continet honestatem, sed est quid indifferens) verum in boni cuiuspiam consecutione, spem excitando conceptā boni tandem adfuturi, simul etiam timorē reprimendo, ne longum temporis fastidium pariat. Ita qui sobriè iustè, & piè viuit in hoc seculo, expectat, inquit, S. Paulus ad Titum 2. *Beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei*, quo ad ipse veniat, & det illam. Quia verò longanimitas expectat erecto animo bonum futurum, sentit S. Thom: loco nunc citato, longanimitatem cum magnanimitate conuenire: esseque eius aliquam partem integralem, erectus enim ad ardua ob longum tempus animus habet aliquam conuenientiā cum animo magno, qui magna spectat. 51.

Pari modo refert idem Doctor longanimitatem ad patientiam, expectatio quippe futuri boni, ardua est, difficilis, soletque excitare in homine tristitiam, moderandam per virtutem patientiæ, iuuat ergo longanimitas

nimitas patientiam, tanquam pars eius integralis. Quapropter rectè S. Paulus iungit longanimitatem cum patientia ad Colos: 1. *Non cessamus pro vobis orantes, vt ambuletis dignè Deo in omni patientia, & longanimitate, gratias agentes Deo, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Cæterùm in se spectata longanimitas, continet expectationem boni post longum tempus consequendi, in quo est perinde peculiaris, & noua difficultas, ac honestas, atque est in perseuerantia peculiaris honestas, in eiusdem temporis diuturnitate, & multa quæ de honestate perseuerantiæ dicta sunt, longanimitati tanquam affini rectè accõmodantur.

Vnum Obijci posset de temporis hac longanimitate, Si enim distantia temporis constituit nouam virtutem, etiam distantia loci videtur idẽ facere debere, difficile enim est consequi bonum remoto distans loco. Respondet ad hoc S. Thomas q. illa 136. art: 5. ad 3. docendo, id quod loco est absens, ideo molestiam adferre, quia tempus logum intercedit, quo ad talem locum perueniendum est, quare tum etiam, tempus potiùs, quàm locus facit honestam, & difficilem boni expectationem.

52. Hinc verò nota potest esse differentia inter perseuerantiam, & longanimitatem, nam hæc longè distans in futuro attendit tempus, illa non futurum spectat, sed præsentis moræ diuturnitatem, & hac tali consideratione ab inuicem distinguuntur. Quanquam quia perseuerantia nõ indiuisibiliter aut in momento durat in operatione boni, sed successiuè, in qua successione est etiam aliquid futuri, cum longinquitate quapiam potest dici longanimitas, hoc quidem intuitu, esse pars quædam integralis perseuerantiæ: maximè cum hæc præcipuè quidem id agit, vt sit forma in præsenti bono, sed simul consequenti quadam ratione, expectat aliud bonum, priori tanquam merito debitum præmium. Vnde Christus Dominus Matt: 14. dicit *Qui perseuerauerit, saluus erit*, consequendo, videlicet, post perseuerantiam in bono virtutis, vltimatũ gloriæ bonum.

53. Quod ad Constantiam attinet, hæc vt decet S. Thom: 2. 2. q. 136. art: 5. in corpore & q. 137. art: 3. in corpore: duo habet, primum, vt, firmiter permaneat in bono, alterum vt difficultates, quæ dictam firmitatem impugnant, & aliunde quàm ex diuturnitate temporis veniunt, superet, moderando tristitias, ex difficultatibus ortas. Ratione prioris, conuenit constantia cum perseuerantia, estque pars huius integralis, firmitatem enim spectat, quam etiam attendit perseuerantia: ratione posterioris, pertinet ad patientiam, tanquam pars integrans, moderatur enim tristitias ex arduo obiecto cõsequentes quod est patientiæ proprium. Asserendum itaque perseuerantiam differre a Constantia, ea ratione

tione qua differt a patientia, si constantia ita sumatur, vt pertinet ad patientiam, constantia quippe dicit firmitatem in bono arduo, quæ firmitas; si sit diuturno tempore, ad perseuerantiam spectat, si occurrentibus alijs a diuturnitate difficultatibus, ad patientiam.

Sectio XIX.

Quæ sint perseuerantiæ contraria vitia.

DVo extrema ponit Aristoteles, primum 7. Ethic: cap: 7. in defectu, vocatque mollitiem, quam ita describit. *Qui a ratione defecit, ijs rebus, quibus plerique obsistere possunt, & obsistunt, is mollis, & delicatus habendus*. Ad quam descriptionē intelligendam, aduertendum est, tria posse esse, quæ ad deficiendū in operatione virtutis hominē inducūt, primò maximè ardua, & grauia mala, vt est verbi causa mors: secundò voluntas, & delectatio, exempli gratia carnis: tertio labor, qui (quia habet annexam delectationis absentiam, nam qui laborat fatigatur, fatigatio autem aufert a membris, & potentijs iucundam quandam dispositionem atque affectionem) propter fatigationem, & molestiam cui adiunctus est defectus delectationis, solet impedire constantiam in operando. Arduis malis qui vincitur, pusillanimis est propriè, non mollis, magnis enim, & difficilibus cedere, non tam est delicati animi (qui modicis frangitur) quam succumbentis, & oppressi a mole grauis mali. Pari de causa, qui vincitur a voluptate, non tam mollis, quam intemperans est & luxuriosus, voluptas enim naturâ suâ vehementer allicit, cui vehementiæ non ex mollitie, aut languore quodam animi, sed ex impetu naturæ succumbitur. Solus ergo ille mollis est propriè, qui laborem fugit propter defectum delectationis, labori annexum, reuera enim talis modica re, ad desistendum ab opere bono inducitur: atque hæc mollities est vitium oppositum perseuerantiæ, hæc enim sustinet diuturnitatem operis, quam mollis, detrectat propter laborem sustinere. Atque hoc est, quod ponit Aristoteles in descriptione propriè sumptæ mollitiei: *Qui a ratione*, inquit, *deficit, in ijs, quibus plerique obsistunt, mollis est*. 54.

Non diffiteor multis alijs significatis, solere applicari hoc idem nomen, sed id fit per mutuationē quandam vocabuli, & per translationem ab vno proprio significato, ad plura impropria: ita enim molles dicūtur, qui se ipsos prouocāt, ad impuram in se ipsis solis experiendā voluptatem, molles, inquam, hi vocantur, eo quod, minori cedant pugnæ, & 55.

difficultati, quam est illa, quando accedit cõplex, & externa inuitatio ad impuritatem. Similiter ij, qui minoribus tentationibus dant locum, siue a minoribus superantur difficultatibus, molles solent appellari, atque tunc mollities ad varia refenda erit vitia, de quibus rectè Aristoteles 7. Ethic: cap: 7. dicit *Neque mirum sit aliquem esse, qui a firmis, & immodicis voluptatibus doloribusque vincatur, sed si quis sucumbat, quibus plerique possunt obsistere id denique sit mirum.* Deinde explicat mentem suam ipsemet, asseritque eos semper posse vocari molles, (etsi in diuersis vitijs) qui a paruis superantur, secus eos, qui a magnis, licet tam hi, quàm illi peccent, illi præ debilitate, & languore delicati animi, hi propter grauitatem impugnantis. Idem eodē loco illis quoque tribuit nomen mollis, qui ex consuetudine firmata ad aliquid propendent, aut aliquid agunt. Potator verbi causa mollis est propter inclinationē vsu partam, quæ facilè cædit tentationi ebrietatis, pari modo fæminæ, aut etiam alij fæminei temperamēti, dicuntur a natura molles, eò quòd careant robore ad agendū, & patiendum grauia. Hæ & similes mollis vsurpationes translatæ sunt ab vna propria, quæ est pigritia, seu fuga quædam, & timor durandi in bono, eo quod in durando labor sit, habens annexam delectationis carentiam.

56. Quod si quis dicat, acediam quoque fugere opus bonum, propter laborem, atque idem esse, quod mollitiem propriè sumptam: respondendum est cum S. Thoma. 2. 2. q. 35. art: 2. in corpore, *Acediam esse tristitiam de bono spirituali, non quocunque, sed diuino, oppositam gaudio charitatis Dei,* sicut enim charitas gaudet de bono Dei, cui quiduis boni cupit, ita acedia tristatur de bono Dei, cui illud non optat. Potest quidem causa, & occasio acediæ esse laboris fuga, tamen id extrinsecum est illi, quæ præcisè, ideo tristatur, quia grauatè fert bonum Dei, *Mollities* verò *fugit laborem, & tristatur ob bonum non Dei, sed suum proprium, eò quod careat delectatione, in operando laboriosè.* Itaque acedia, & mollities sunt distincta vitia, propter distincta obiecta.

57. Hinc possumus deducere triplicem de bono, ac honesto tristitiam, vna est vitij acediæ de bono Dei, alia cuiusuis vitij cuiuis virtuti oppositi, virtutis sibi contrariæ: ita intemperans tristatur de bono castitatis, superbus de bono humilitatis, idemdicendum dealijs vitijs: postremò est tristitia ob diuturnitatem laborisin bene operando & hæc est propria vitij mollitiei.

58. Alterum vitium perseuerantiæ per excessum oppositum ponit Aristoteles 7. Ethic: cap: 9. & S. Thom: 2. 2. q. 138. art: 2. pertinaciam) quæ ægrè desistit a sententia, nec dissuaderi facilè potest. *Pertinacia ergo est affectio*

est affectio permanendi in suo sensu, seu durandi in aliquo opere, plus & longius, quam ratio durandum præscribit: Hac ratione Iudæi, pertinaciter retinent veteris legis obseruationē, quæ iam per Christū abrogata est.

Hoc vitium sicut & mollities duplex est, vnum pertinaciæ propriæ, quæ diuturnitatem operandi vltra quàm par est sustinet, opponiturque directè perseuerantiæ: alterū impropriæ, quæ tenaciter retinet aliquid virtuti cuipiam oppositum: ita auaritia seruat pecuniam tenaciter, secus quàm præscribit liberalitas, hoc modo etiam mania retinet diu iram, contra quàm suadet mansuetudo, & sic alia vitia firmè suum propositū solent tenere. Vitia longanimitati, & constantiæ opposita, sūt similia mollitiei & pertinaciæ, sicut & perseuerātia est similis dictis virtutibus.

Sectio XX.

Quantum Perseuerantia conducat ad salutem.

HActenus diximus de perseuerantia, vt est habitus virtutis, cui proprium est inclinare habentem illum ad durandum in omni operatione bona, ex quo capite plurimùm hæc virtus saluti prodest, siue sit acquisita viribus naturæ, siue a Deo animæ infusa. Cùm enim vtraque det facultatem, & vim operandi bene, constanterque, & solùm ille saluandus sit, qui vt inquit Christus Matt: 10. *Perseuerāt vsque in finem*, omnino beneficium magnum ad vitam æternam, ab hoc habitu conferri censendum est. 59.

Quod si sit sermo non de habitu, perseuerantiæ sed de illo bono actu, aut de actibus pijs, quorum duratio est omnino necessaria ad finē vsque vitæ, siue ad finalem mortem, vt quis saluus fiat: hæc perseuerantia solo habitu neutiquam haberi potest, sed aliunde est petenda, nen pe a singulari Dei auxilio, gratiaque, quam vocant Theologi actualem, vt est Theologorum sententia cōmunis cū S. Thoma 2. 2. q. 137. art: 4. Qui sententiæ communis tale dat fundamentum. *Cùm*, inquit, *liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrij, etiam per gratiam reparati, vt se immobiliter in bono statuat.* Quibus verbis ostēdit S. Thomas, habitus quoscunque, etiam illum omnium primum, & præstantissimum, gratiæ, videlicet, & Charitatis non determinare, neque efficere in libero nostro arbitrio, vt certò, & infallibiliter aliquid operetur, quando, & quomodo oportet; & meritò quidem hanc determinationem, non præbet habitus: aliàs enim, vt docetur a Theologis in materia de gratia, læderetur 60.

libertas voluntatis, quæ de se indifferens est ad operandum, & non operandum. Eget ergo voluntas (habitibus etiam bonis rectè ordinata) speciali Dei auxilio, actu, seu in ipsa operandi oportunitate, excitante, & suauiter inducente, ad operandum perseueranter.

61. Et hæc quidem est vna causa, quæ suadet necessariam esse peculiarem Dei ad perseuerandum gratiam, nimirum mutabilitas liberi arbitrij, ex quo capite Angeli in cœlo, & primi Parentes in Paradiso lapsi sunt, quanquam præstantissimis erant ornati habitibus. Habebant quidem illi auxilium Dei actuale, quod sufficiens erat ad perseuerandum, & cum quo poterant, si voluissent, perseuerare in bene operando, semper enim illud omnibus diuina bonitas concedit, aliâs non possent quidquam boni, si præsertim difficile sit, aut supernaturale operari, vt mox dicetur a num: 62. cæterùm, præter illud auxilium sufficiens solet diuina liberalitas concedere alterum, quod vocatur a Theologis, auxilium efficax, quo non tantùm possumus, sed re ipsa ad finem vsque vitæ rectè operamur. Atque hoc tale auxilium, necessariū est ad perseuerandum, vt docet S. Thomas, & loco proximè citato, & 1. 2. q. 109. art: 2. 3. & 4. Præter iam dictam causam, sunt aliæ plures, quæ ostendunt, necessariam esse ad perseuerandum gratiam actualem, nempe arduæ in operando, patiendoue difficultates, acris impugnatio Dæmonum, propria etiam infirmitas, & ignorantia, quæ infelicem Iudam ad lapsum, & interitum perduxerunt. Nam, & retractare factum, dignamque agere pœnitentiam, difficile illi erat, accessit, & impugnatio Satanæ qui grauiter vrsit, & tandem desperatio conscientiam vehementer mordebat, accedente præsertim temperamento corporis (quod fortè habuit melancholicum) ad desperandum magis disposito: his omnibus impulsus destitit a rectè cum perseuerantia operando, Itaque neglecta pœnitentia, & patientia, qua dolori interno mederi debuit, suspendio finiuit vitam.

Sectio XXI.

Perseuerantia peculiariter inter omnes virtutes, eget auxilio diuino.

62. OMnes itaque hæ causæ clarè demonstrant, necessarium esse ad perseuerandum peculiarem diuinæ gratiæ concursum, sed quò id meliùs intelligatur, expediēda est hic, quæ occurrit duplex difficultas Primam sibi obijcit S. Thomas in q. illa 136. art: 4. 2. 2. in argumento tertio, dari videlicet quædam peccata difficilia, quæ homo patrar

patrat ſuis viribus: verbi cauſa, inuadendo inimicum, cædendo, & ſimilia agendo, quare & bona opera, etſi difficilia, poterit homo exercere ſine peculiari Dei auxilio, ſi enim in malo difficultas non ſuperat vires hominis, cur in bono debeat ſuperare? Ad hoc reſpondet S. Thomas eodē loco, hominem faciendo malè, conſtituere ſe in eo ſtatu, è quo ſuis viribus reſurgere non potſt, ſed in eo perpetuo, quantùm de ſe, duraturus eſt, neque enim poterit ſine auxilio Dei pœnitentiam agere, ita vt oportet, ad obtinendam peccati remiſſionem: non poteſt autem benè agendo, cōſtituere ſe in eo ſtatu, vt perſeuerāter in bono permaneat. Ad illud vero, quod difficilia ſint quædā opera mala, ſicut & bona, nihil dicit, ſed tacitè id concedit, neque tamen ſequitur paritas, vt ſicut peccator non eget ad difficilia mala opera Dei peculiari auxilio, ita nec ad bona egebit, nam quod difficilia mala patret, ex duobus prouenit principijs, primo ex libero arbitrio de ſe labili & mutabili, deinde ex facultate naturali, cuius vim non excedunt opera illa mala, nam fortis, verbi cauſa robore, inuadit debiliorē, & interficit, quæ cædes opus eſt difficile, viribus tamen, ac principijs naturalibus proportionatum, opus verò bonum difficile, cū eget principijs ſupernaturalibus (vt mox explicabitur) non poteſt effici, ſine, peculiari Dei auxilio.

Secunda difficultas eſt, non videri rectè a Sancto Thoma de perſeuerantia poſita Quæſtio, loco illo citato 2. 2. q. 137. art: 4. eget nec ne illa peculiari Dei auxilio in ſua operatione? cùm de quauis in particulari virtute idem quærendum ſit: nam certum eſt egère hominē ad operandum benè Dei ope, vt ipſemet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. 3. & 4. cū cōmuni ſenſu Theologorū docet, nullum ſine peculiari Dei auxilio poſſe efficere inprimis opera bona ſupernaturalia, qualia ſunt credere, ſperare, amare Deum, & cætera, deinde etiā naturalia bona opera, qualia continentur lege naturali præſcribente prudentia, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam: duo verò ſunt, propter quæ ita tenendum eſſe cenſent Theologi. Primum quia homo in ſtatu naturæ corruptæ, propter peccatum primorū Parentum, valdè læſas habet operandi potentias, nam appetitus iugum excutit rationi, & voluntati, quo fit, vt creberrimè vacillet in imperando ratio, voluntaſque, egemus ergo auxilio Dei eiuſque gratia, quæ ſanet hanc potentiarum debilitatem. Qualis autem hæc ſit gratia, mox explicabitur. Secundum, cur ita de impotentia hominis aſſerant Theologi, eſt improportio inter facultates naturales, & operationes ſupernaturales: nam quemadmodum lapis, verbi cauſa, non poteſt videre, eo quod careat potentia viſiua, ita natura carens ſupernaturali principio, non poteſt ſupernaturalia operari. 63.

Superna-

64. Supernaturale autem principium, internum quidem, & quod præbet vim, facultatemque agendi, estgratia habitualis, cæterique habitus infusi fidei, spei, & similes, extrinsecum autemest, gratia actualis, siue auxilium Dei mouentis, & excitantis ad supernaturaliter operandum. Itaque ad opera supernaturalia, requiritur vtraque hæc gratia, & vtrumque tam internum, quàm externum principium. Internum, vt sit proportio, & conuenientia inter operantem,& operationem, sicut est inter facultatem videndi,& visionem: externam, vt operans a primo mouente Deo moueatur, a quo in operatione omnino pendere debet: sicut enim in ipso esse, ac principio interno supernaturali dependet, eò quòd accipiat illud a Deo, ità & in operatione pendere debet, quia mouetur ad opus superans naturæ vires· Dependentia in hoc est,vt nequeat operari, nisi excitetur, adiuueturque per gratias (vt loquuntur Theologi) præuenientes, concomitantes, & sequentes, tam intellectus, quàm voluntas ad agendum, ille per illuminationes conuenientes; hæc per pias affectiones.

Præter hæc duo principia agendi supernaturalia, confert etiam Deus operanti tertium, nempe concursum suum generalem, sed hic (vt rectè docent Philosophi in materia de Causis, & S.Thom: 1. 2. q. illa 109.) non appellatur peculiaris gratia (nisi fortè in eo sensu, quo omne Dei beneficiũ vocatur, gratia, & donum) est enim communis, & a Deo vt debitus omni creaturæ, quæ aliquam vim operandi habet, siue naturalē siue supernaturalem sibi ab ipso inditam, nulla enim potest operari, nisi simul cooperetur illi creatrix potentia,testante id ipsũ S.Paulo: Actorum, 15. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Vbi igitur fuerit excitata facultas supernaturalis, ad promptè operandum, eadem eget concursu Dei confortante, & roborante, vt id, ad quod agendum est idonea, efficiat cum Deo simul concurrente. Hoc ergo triplici Dei auxilio egemus, ad supernaturaliter operandum.

65. Iam verò ad opera bona naturalia, eget homo præter concursum generalem confortantem potentias naturales, gratia quoque & auxilio Dei, non quidem interno, aut externo, quoad substantiam, vt dicunt Theologi, supernaturali, (si quidem opera hæc naturalia sunt, ac proinde quoad naturam, seu substantiam suam proportionata facultati naturali) sed externo, quoad modum supernaturali, siue tali, quod congruè, ac suauiter moueat, & alliciat, ad iustè, & temperatè operandum. Potest quidē homo, facultate, & principijs naturalibus duntaxat, aliquod bonum opus, & aliquando efficere, sed semper, & omnia; vel aliqua, sed difficilia, nequaquam censēt Theologi, cum S. Thom: q. illa 109. art: 2.

art: 2. posse, sine gratia illa actuali supernaturali quo ad modum, quæ est omnino, vltra naturæ debitum,(neque enim tenetur Deus, vt auctor naturæ,quasi fungens munere intimi amici, congruè, & suauiter allicere ad bene agendum) ac propterea rectè appellatur peculiaris gratia, quæ, facultates naturales, præsertim in natura corrupta, mirè iuuat, & expeditas facit ad rectè operandum.

Ex his omnibus augetur difficultas, supra, numero 63. posita. Cum enim omnes aliæ virtutes, egeant auxilio Dei hactenus explicato ad suas operationes, non erat opus de sola perseuerantia id peculiariter quærere, sed eam in aliarum omnium virtutum natura, & conditione sufficiebat includere. Ad hoc respondendum est, meritò id fecisse S. Thomam, duo enim in virtutibus considerari possunt 1. impotentia, & difficultas operandi, ex quo capite diximus iam, in quauis virtute, ac proinde, & in perseuerantia communem esse operandi impotentiam, si Deus non præbeat concursum generalem, & concursum peculiarem auxilij sui, quoties illo eget. Addo quoties eget, nam supra num: 65. ostendi posse ab homine fieri per naturalia principia, aliqua bona opera naturalia faciliora, sine auxilio diuino supernaturali. Principia autem naturalia virtutum sunt, intellectus, voluntas,appetitus, habitus acquisitus, potentia motiua, & concursus generalis Dei. Quia verò homo debet excitari ab aliquo ad agendum, ideo ad hæc principia, annumerandus est sensuum vsus: visa enim, & audita, aut alio sensu percepta excitant, mouentque ad operandum, Deus etiam tamquam primum mouens, a quo omnia in operatione dependent, excitat ad eiusmodi opera faciliora, non quidem extraordinario modo, quem supra, numero 65. diximus esse in suaui, & congrua motione, sed ordinario, & naturæ debito, nempe proponendo intellectui intelligenda, voluntati appetenda vel reijcienda & sic de alijs potentijs, ac principijs naturalibus. Aliud est dicendum de actionibus supernaturalibus, quæ si quidē sunt supernaturalia quoad modum, præter principia naturalia egebunt diuino auxilio peculiari, supernaturali quo ad modum,quod si fuerint supernaturales quoad substantiam, principia naturalia, scilicet intellectum, & voluntatem, debent habere corroborata qualitatibus supernaturalibus, aut singulari Dei eleuatione, vices earum supplentes ad hæc accedere debet motio,& excitatio Dei supernaturalis quo ad substantiam: neque sufficit sensuum præuia aliqua præmouens operatio, siquidem a sensu percepta, non nisi ad naturales operationes excitant, sicut & ipse sensus naturalis est facultas. Quare, cum a fide sumit omnis operatio supernaturalis suum initium, etiam ipsa fides, (licet sit ex auditu Rom: 10.) est supernaturale donum 66.

donum gratiæ diuinæ: ita ad Ephesios 2. & 1. ad Corinth: 12. testatur Apostolus: *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto*: atque hoc dogma est in Ecclesia Catholica certissimum, vt docent omnes orthodoxi cum S. Thoma 1. 2. q. 109. art: 2.

Ex his notum est quamuis virtutem impotentem esse ad operandum sine auxilio Dei, ratione iam explicata, & hoc est primum quod omnibus virtutibus commune est, nempe impotentia,& difficultas operandi.

Alterum est conseruatio quarumcunque virtutum ad salutem necessariarum, conseruatio, inquam, talis, vt opera earum durent, ad finem vsque vitæ, quantùm & quomodo fuerit opus, hoc in nulla alia, præter solam virtutem perseuerantiæ reperitur, tanquam proprium illi, quæuis enim alia virtus, suæ peculiari attendit materiæ: Temperantia, verbi causa, moderationi delectationum, fortitudo, sustinendis arduis, & sic de alijs: sola perseuerantia eò suas vires refert, vt temperantia, & fortitudo, & prorsus reliquæ omnes, ad salutem necessariæ, durent & conseruentur in sua operatione ad finem vsque vitæ.

67. Merito ergo S. Thomas peculiariter quærit, num ad perseuerantiã requiratur auxilium Dei, siquidem illi omniũ aliarum virtutum incumbit conseruatio, vnde quærendo id de hac sola virtute, quærit implicita quadam ratione de omnibus, cui omnium aliarum constans duratio tribuenda est, tanquam ei, quæ custodit, & tuetur omnes,

68. Hæc porro talis de perseuerantia quæstio, & resolutio eius affirmatiua, quòd, videlicet, perseuerare ad finem vsque vitæ, nullus potest sine singulari, & supernaturali auxilio Dei, quale tum ad quoduis opus difficile, tum ad omnem legem Dei naturalem, tum ad opera quæcunque supernaturalia, omnino necessarium est, (vt a num: 63. per aliquot declaraui) omnia autem eiusmodi opera in adulto debent reperiri, vt saluetur, talis,inquam, resolutio ostendit magnitudinem beneficij, quod perseuerantibus ad finem vsque vitæ, Deus, maxima sua misericordia, & singulari erga electos propensione largiri solet.

Sectio XXII.

Perseuerantiam nullus potest consequi, merendo de condigno.

69. QVapropter censent Theologi cũ S. Thoma 1. 2. q. 114. art: 9. illũ posse mereri finalem perseuerantiam merito de condigno, seu tali, cui tanquam labori merces æqualis debeatur, sicut debetur,& datur operibus pijs, augmentum gratiæ, & vitæ æternæ, causam eius

rei affert

rei affert S. Thomas recepto illo apud omnes Theologos dicto: *Principium meriti, non cadit sub meritum,* Quod verissimum est, sicut enim is, qui accipit donum a quopiam, non potest illud tanquam mercedem, tribuere suo labori debitam, ita omne principium merendi, est Dei gratuitum donum, superans naturam, neque enim homo habet aliquid in se, aut in sua natura, quæ supernaturalia mereatur, clarè id Dominus testatur Ioan: 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Fructus iste, est vita æterna, quam nemo meretur vt mercedem, nisi ex prima gratia eligente, & conferente vt eamus & laboremus, & mereamur vitam æternā. Cùm ergo principium, & radix merendi vitam æternam, sit donum Dei eligentis, seu donum electionis, sequi necesse est, vt omne principium meriti, non cadat sub meritum, hoc est, non sit tanquam merces labori debita. Iam verò perseuerantia illa vltima, & finalis, ad mortem vsque singulare est donum Dei, a solo Deo expectandum teste Dauid Psal: 136. *Salus iustorum a Domino*: Quod ipsemet Deus per Oseam promulgat cap: 13. *Perditio tua Israel, tantùmodo in me auxilium tuum.* Quare perseuerantia, est singulare, & super naturam Dei donum, quod flexibilitatem, mutabilitatēque liberi arbitrij format, & stabilit in cōstanti pia operatione, hoc verò donum Dei gratuitum consequitur vita æterna, tanquam merces labori debita, atque hinc manifesta sunt duo. Primum, perseuerantiam finalem, principium esse meriti, nimirum, quæ meretur de condigno vitam æternam, & eius sempiternam durationem: alterum, perseuerantiam non cadere sub meritum, si quidem ipsa est donum gratuitum, ad hoc diuinitus collatum, vt sit principium merendi vitam æternam.

Neque verò potest dici finalem perseuerantiam, siue durantem ad finem vsque vitæ bonam operationem, cadere sub meritum præcedentium bonarum operationum, esseque mercedem de condigno ijs debitam, id inquam, dici non potest. Cùm enim hæc finalis perseuerantia, sit principium meriti, nullo modo alteri, tanquam priori principio, debetur veluti merces, sicut nec quæuis alia antecedens bona operatio, potest esse merces, propter illam vniuersalem causam, Quod nunquam principium meriti cadat sub meritum. An verò illa perseuerantia finalis, qua impius primò conuertitur ad Deum, & qua vltimo perseuerat, statimque moritur, an inquam, talis perseuerantia, mereatur de condigno gratiam, & augmentum eius, vitamque æternam, aut certè gratiam solum de congruo, vitam autem æternam de condigno, augmentum verò gratiæ, nec de condigno, nec de congruo, hæc subtiliora, quia parum ad praxim faciunt relinquo Theologis. Solùm dico diuinam liberalitatem

esse tantam, vt in illo momento, id quod optimum & vtilissimum e
recens conuerso, largiri velit, & quidquid sit illud quod tunc pœniten
ti confertur, certum est perseuerantiam illam vltimam, maximum es
Dei donum, quod nemo possit mereri de condigno.

Sectio XXIII.

Quomodo perseuerantia finalis a Deo obtinenda.

70. ET licet perseuerantia non cadat sub meritum de condigno, pote
tamen cadere sub meritum de congruo, poteſtque a Deo precib
impetrari, vt idem S. Thomas loco proximè citato, 1. 2. q. 11
art: 9. cum Thelogis sentit. Nam, qui motus, & excitatus a Deo, as
duè, strenuè, & solicitè laborat, vt semper viuat piè, iustè, & sobri
meretur congrua quadam exigentia apud Deum, vt ob bonam præter
tam vitam, non deseratur in fine illius ab ipso, manúmque eius senti
benignam in conseruandis iam partis bonis, & in consequendo omn
maximo, & vltimo, nempe vita æterna. Pari ratione, qui motus etian
Deo certus promissi a Christo, Lucæ 11. oblati: *Pater vester de cælo d
bit spiritum bonum petentibus se:* qui, inquam, huius promissi certus, pe
spiritum, & donum perseuerandi, poterit illud impetrare.

71. Vtrumque hoc medium obtinendæ perseuerantiæ, præcipit nob
vsurpandum Christus Matt: 26. *Vigilate*, inquit, *& orate, ne intretis in te
tationem.* Moriturus, & passurus pro nobis imposuit hoc mandatum,
sciamus necessariū esse, maximè vicina morte vigilantiam & orationem
& oratione quidem impetramus, vigilantia autem, seu labore, piisq
operibus, deuincimus nobis diuinam misericordiam, meremurque
congruo, vt perseueremus.

Verùm in re summi momenti, illud vnicuique salutem suam aman
maximo solatio debet esse, quod tenent communi consensu Theolog
cum S. Thoma 2. 2. q. 83. art: 15. ad 2. & articulo 16. in corpor
de efficacitate, & infallibilitate impetrationis. Oratio enim certò, & i
fallibiliter impetrat id, quod petit a Deo, si quatuor habeat conditi
nes, prima est, vt sit pro eo, qui orat, secunda vt sit pia, nimirum ex fi
& charitate profecta, tertia, vt petat necessaria ad salutem, quarta vt
perseuerans. Quod debeat oratio efficax pro ipso orante haberi,
rei ad salutem necessariæ, patet ex Lucæ 11. citato nunc loco, vbi Chr
stus promittit bonum salutis spiritum petentibus ipsis, non aliis p
quibus petitur. Quod item debeat esse oratio pia fide, inprimis pat

ex Marci 11. vbi ad efficaciter orandum præscribit Dominus fidem, sic enim ibi. *Habete fidē Dei,* & mox subdit: *Propterea, dico vobis, omnia quæcunque petitis, credite, quia accipietis.* Charitas etiam requiritur, dicit enim Dominus Lucæ 11. *Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.* Quare qui petit aliquid, debet esse iustus dignus que regno Dei, tanquam filius, & amicus, vt gratæ Deo personæ concedatur id quod petit. Propterea etiam Deus remisit amicos Iob ad ipsum, vt oraret pro illis, tanquam persona accepta *Faciem eius suscipiam,* inquit, Deus, Iob 41. & si pro alijs intercedens, eo quod fuerit Deo gratus, impetrauit, multò certiùs & efficaciùs potuit pro se impetrare.

Quod postremò, requiritur in orando perseuerantia, docet Christus Lucæ 11. appositis similitudinibus, continuationem orationis ex primentibus, quibus illud subdit: *Et ego dico vobis, petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Huic ergo tali orationi, infallibilitas impetrandi a Christo promissa est Marci 11. *Dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis credite, quia accipietis, & euenient vobis.*

Et quoniam illud dictum Philosophorum: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis,* semper est verum, quoties duo ad se comparantur, ita vt vnum referatur ad alterum, tanquam effectus ad causam cùm impetratio sit effectus orationis, quantò conditiones illæ quatuor erunt perfectiores, tantò certior & infallibilior erit impetratio. 72.

Et oratio quidē non potest crescere duabus illis conditionibus, quod, scilicet, fiat pro ipso orante, non enim potest quis magis petere pro se quàm si petat pro se, non pro alio, sicut etiam si petat necessaria ad salutem, etsi enim hæc varia sint, tamen si in communi & omnia petantur, sine quibus orans non potest saluari, non possunt, magis & meliùs peti: omnia enim, & optima petuntur. Nisi fortè quis in specie semper perfectiora, & perfectiora petat, tum potest augeri perfectio orationis: gratiùs enim Deo orat, qui petit, vt non tantùm mandata impleat, sed etiam consilia sequatur, multò verò gratiùs orat, qui ardenter expetit, vt semper crescat in maiore amore Dei. Cæterùm pietas, & perseuerantia orationis potest admittere augmentum, nam quò orans sanctior est, magis humilis, pius & alijs virtutibus præditus, eò magis piè orat: quò etiam idem adhibet pro se sanctiores intercessores, præsertim ex beatis, & imprimis merita Saluatoris, Beatissimæ virginis, infinitæ demū diuinæ bonitatis, ac misericordiæ attestationem, magis piè orat. Qui etiam pridem, crebrò, diu, longanimiter, & patienter petit perseuerantiam, magis perseueranter orat. diutiùs enim, & constantiùs durat in orando.

73. Itaque vt iam dictum illud sicut se habet simpliciter ad simplicite
ita magis ad magis, proposito nostro accõmodemus, infallibilis impetra
tio perseuerãtiæ, illi orationi videtur simpliciter deberi, quæ petit pr
orante, necessaria ad salutem, & ex pietate Charitatis. Perseuerant
quanta requiratur, nihil occurrit certũ, *Quis enim* (vt cum S. Paulo Ron
11. loquamur) *cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* solus e
go Deus nouit, quanta duratio orationis est secreto Dei consilio dete
minata, tanquam necessaria ad certò, & infallibiliter impetrandum fin
lem in bono perseuerantiam.

74. Vnum, tamen probabiliter dicendum puto requiri notabilem in or
tione durationem, vt tantum diurnum bonum impetretur: quod vid
tur significare S. Paulus 1. ad Thessalonicenses 5. vbi præcipit *ne spiritu
extinguamus*, defficiendo in bono, ad quod consequendum offert mediu
orationis talis: *sine intermissione orate.* Durandum ergo diutiùs in orati
ne ei, qui conatur impetrare, ne spiritus extinguatur, antequã extingu
tur ipsa vita. Vnde, & Dominus, vt legimus Matt: 26. ægre tuli
quòd Apostoli non vigilauerint, & non orauerint diutiùs simul cũ ips
petentes perseuerantem negotij salutis humanæ consummationẽ. It
que illi orationi, quæ pro orante petit necessaria ad salutem, piè, & i
perseueranter, vt nouit, & determinauit diuina secreta voluntas, infa
libiliter debetur impetratio perseuerãtiæ finalis, ex promisso Saluator
Quòd si pietas fuerit amplior, perseuerantia etiam maior, quàm
Deo determinata est ad impetrã dũ, certior, infallibiliorque erit imp
tratio: quam certitudinem, & infallibilitatẽ maiorem in hoc sitam pu
to, vt difficiliùs donum perseuerantiæ amittatur, nimirum quod to
& tantis laboribus comparatum sit.

75. Illud hic addo, quod alicui fortè occurret, non posse impetrari pers
uerantiam finalem, eò quòd ipsa etiã orationis perseuerantia debeat in
petrari, nam cùm perseuerantia orationis sit necessaria ad impetranda
perseuerantiam in bona vita, sicut hæc debet a Deo peti, vt impetret
ita & illa, cùm vtraque sit donum Dei, & vtraque non cadat sub mer
tum de condigno, sed de congruo. Ad hoc dicendum, nihil esse inconu
niens, concedere impetrari petendo, vtramque perseuerantiam, d
orationis, & bonæ vitæ, in actibus enim voluntatis solenne est, quen
admodum docent Philosophi, vt vnus supra alium possit reflecti. It
que qui petit perseuerantiam orationis, reflectit se vno actu orationi
supra alios secuturos deinceps, & diu duraturos vsque ad finem vita
petit enim, ita orans, vt possit perseueranter orare vsque ad morter
petereque constantẽ, in bene operando vitam. Verum tamen est, quò
sic

ſicut principium meriti, non cadit ſub meritum, ita hoc principium impetrandi perſeuerantem orationem, non cadit ſub meritum de condigno, ſed a Dei gratuita motione conceditur, quâ excitatus quis, petit, perſeuerantiam in orando, & hanc impetrando, petit impetrátque perſeuerantiam in bona vita.

Sed vt caput præſens, & totam de fortitudine materiā concludamus, hac perſeuerantiæ virtute, adeo ad conſequendum ſummum, & omnibus deſiderjis expetendū bonum, neceſſaria, afferam id quod mihi conſultiſſimū in re tāta videtur. Nā cū ignoremus, quāta duratio orationis ſit, ex præſcripto Dei ſufficiens, ad efficaciter impetrandam perſeuerantiam finalem, optimum, & ſecuriſſimum eſt, petere hoc tantum donum tota vita, & tota animi contentione, minimum bis in die, manè, vt perſeueretur in bono ad veſperam, (ſi vſque ad eam, Dei voluntate viuendum ſit, & in ea moriendum) veſperi, vt perſeueretur in bono ad lucē, ſi in ea decedēdū erit, vel certè aliquo tēpore veſpere & luci vicino. 76.

Atque vt id feliciùs & tutiùs fiat, adhibendi ſunt potiſſimè ſaluator, & Mater eius, aduocati, nimirum, & ſummi auctoritate apud Deum & illi, quibus ſalus noſtra cordi eſt, iuxta dicta capite 2. a num: 33. hac parte poſteriore.

Hanc tam vtilem, & neceſſariam orandi deuotionem, confeſſarij ſuis pœnitentibus, prædicatores auditoribus inſinuare, ſuadere, præcipere deberent, omnes verò, & ſinguli, ab ipſa prima, (vbi acceſſerit vſus rationis) tenella ætate, amplecti, & ad mortem vſque ſectari.

CAPVT IV.

Quid & quam multiplex ſit Iuſtitia.

QVarta inter virtutes morales, & Cardinales eſt iuſtitia, cuius naturam, & perfectionem ex duobus colligunt Philoſophi cum Ariſtotele 5. Ethic: Et Theologi cum S. Thom: 2. 2. q. 57. & 58.

Primum eſt, diſtinctio eius, in quem eſt exercenda iuſtitia, ab illo, qui eam exercet, & in hoc differt a temperantia, ac fortitudine, hæ enim duæ virtutes, perficiunt ipſum operantem, moderando concupiſcibiles, & Iraſcibiles paſſiones, ad quam moderationem non requitur omnino alter diſtinctus a forti, & temperato, poteſt enim eſſe quis caſtus, exempli cauſa ſolus viuendo, ſi debitè compeſcat in ſe delectationes: ſimiliter poteſt eſſe abſtinens temperatè corpus reficiendo, etſi ſit ſolus. Idem de fortitudine dicendum, ad quam licet interdum requira- 1.

tur alter

tur alter distinctus, a quo fortis sustineat aduersa, id tamen non ex eo est, quod fortitudo nequeat sine altero exerceri, sed quia suffert malum, verbi causa mortem, quæ non a se, sed ab alio infligitur. Quod si detur aliquod arduum malum, non ab alio inflictū, sed in ipso forti quodammodo immanens, quale dari diximus hac parte 2. cap. 1. a num: 25. fortitudo tunc non requiret alterum a quo sustineat mala. Cæterùm iustitia, est talis virtus, quæ non potest cogitari etiam, nedum exerceri, nisi adsit alter distinctus ab eo, qui præditus est iustitia, id quod meliùs intelligetur ex secundo ad ipsam requisito.

2. Hoc autem est Ius, seu habitudo quædã proprietatis ad aliquid suum, quam habitudinem consequitur debitum, vt id reddatur alteri, quod illi iure proprio debetur, reddatur, inquã, non quomodocunque, sed ad æquitatẽ, seu æqualitatẽ hoc est, tãtũomnino, quãtũ debetur, & ad quãtum alter ius habet. Et quoniam id quod tanquam debitũ redditur, non sibi, sed alteri redditur, hinc est, vt iustitia requirat distinctum alterum, in quẽ est exercenda, conseruando vnũquẽque in suo iure & æquitate.

Sectio I.

Quotuplex sit Ius.

3. PORRO ius triplex solet assignari, videlicet, naturale, gentium, & positiuum. Ius naturale est, quod vnicuique natura concessit, & eius fundamentum, ac principium non est aliquod hominum placitum, sed necessitas naturæ: tale ius habet quiuis hominum ad tuendam propriam vitam, & qui vitam alteri iniustè aufert, ius naturæ violat. Ius gentium est, quod consequitur ex iure naturali, veluti proprietas quædam eius, propterea etiam ab omnibus cuiusque regionis gentibus seruatur, neque requirat vllas leges vel statuta, ex placito hominum condẽda, sed solo communi gentium approbatur consensu. Hoc iure inducta est diuisio possessionum, & agrorum, vt quisque diligentiùs sua tueatur, conseruet & augeat. Et licet de agrorum diuisione extent alicubi leges, eæ tamen confirmant ius gentium, non statuunt, sicut etiam dantur quædam leges confirmantes, & declarantes ius naturæ, qualis est lex Decalogi. Tertium ius est positiuum, quod lege aliqua publica vel priuato sancitur condictamine, tale ius vnaquaque Respublica statuit: nã sancit quædam, quæ pacem ciuium, immunitates, bonum regimen, & ordinem faciunt: eodem iure multa fiunt inter priuatas personas, quæ ad Emptionem, Venditionem, & similes referuntur contractus, seruandaque sunt, vt quisque suo gaudeat proprio. Ad id-

Ad idem Ius positiuum pertinent etiam leges quædam diuinæ, statuentes aliquid ex placito Dei, vt sunt leges Euangelicæ de Sacramentis & similibus: tales leges vocantur ius positiuum diuinum, vt distinguantur ab humano positiuo. Quod si Deus aliquid præcipiat, spectās ad ipsam naturam, præceptum illud, dicetur ius diuinum naturale,

Porro de iure positiuo humano, illud tenendum, quod & de iure gentium: sicut enim hoc, vt sit verum, & iustum, non debet iuri naturæ, auctorique eius Deo aduersari, alioquin iniquum, & iniustum esset, ita, & illa, quæ iure positiuo ab hominibus decernuntur, conformia esse debent, tam naturali, quàm gentium iuri: non quidem ita, vt sicut ius naturale, & gentium idem est vbique, & semper, sic & ius positiuum sit idem (id enim fieri non potest, cum leges, & consuetudines positiuæ, pro temporum, hominum, regionum, & similium circumstantiarum varietate, variari soleant, vt cernere est in emptionibus, & venditionibus rerum quæ, iam viliùs, iam cariùs acquiruntur) verum ita, vt non aduersetur iuri naturali, & iuri gentium, sed ex vtroque prudenti iudicio deducātur, illique innitantur. Itaque emptio, verbi causa, iniqua esset, si fieret vi, & fraude, quia, & iuri naturali, & iuri gentium, vis, & fraus aduersatur. Plura de legibus dicentur lib. 2. 4

Sectio II.

Non omne ius spectat ad virtutem Iustitiæ.

Explicatum iam triplex ius, non ita intelligi debet, quasi omne requirat perfectam, & absolutam distinctionem inter eum, cui debetur, & eum a quo debetur, potest enim fieri, vt is, cui quidpiam redditur aliquo ex his tribus iure, faciat certo modo vnum quid, cum eo qui reddit. Hoc modo filius iure naturali reddere debet Parentibus honorem, & tamen Parentes vnum quid sunt cum filio, nempe qui ab illis carnem, & sanguinem ipsorum proprium sumpsit. 5

Quapropter ius hoc triplex, duplicem admittit differentiam, aut enim inter illos exercetur, qui omnino sunt inter se distincti, & qui perfectam æqualitatem debiti sibi reddunt, atque hoc duntaxat ius ad iustitiam pertinet, vt illa, est vna ex quatuor virtutibus Cardinalibus: aut idem triplex ius ab illis seruatur, qui non sunt omnino distincti, vel licet sint distincti, non possunt sibi ad æqualitatem debita reddere, sed iuxta quandam congruentiam, & hoc pertinet ad alias virtutes, quæ sunt potentiales iustitiæ partes, de quibus infra hoc capite dicetur. Hinc est, vt

in hac secunda iuris naturalis, gentium, & positiui differentia, mult assignantur iura, quæ non ex iustitia reddi debent, sed vel ex pietat vel ex religione, vel ex alijs virtutibus, tale est ius, progenitores inter,& prolem, dictum paternum, tale etiam ius dominatiuum, inter dominū & seruum, ius diuinum, inter Deum, & hominem, ius legale inter ci uem, & Rempublicam, & si quæ sunt alia.

Sectio III.

Quo pacto ius cuiq; proprium reddatur alteri.

6. ADuertendum tamen est ius Iustitiæ, (& idem dicendum de alij virtutibus, ad eam quomodolibet relatis) reddi debere per ope rationes, ac res externas, per quas fit cōmensuratio, & adæqua tio inter reddentē, & recipientem: res autem hæ, sunt bona, possessio nes, honor, sanitas, vitaque corporis & similia, quæ omnia externis o perationibus vsurpantur: vita enim, verbi causa, aufertur externa cæde honor exhibetur, externo cultu, & ita de alijs.

Quia verò ad debitorum iustitiæ per actiones externas commensura tionem, requiritur reflexio quædam, comparatioque eorundem debito rum, & iurium, quod propriè ratio facit, voluntas autem, tanquam ra tionalis appetitus, proximè in hac reflectendi perfectione ad illam acce dit, hinc est, vt in voluntate, tanquam in subiecto, sit iustitia, (in vo luntate, inquam, directa a ratione, quemadmodum diriguntur omne aliæ virtutes,quæ nō resident in ipso intellectu) in appetitu autē sit tem perantia, & fortitudo,quæ moderantur passiones, simplici quodam mo do, sine illa comparatione, & reflexione. An vero, in solo appetitu tē perantia (idem de fortitudine) resideat, neque se extendat ad volunta tem, dictum est hoc libro parte priore cap: 11. a num: 12. ad 14. ne que inquirendum puto subtiliùs, vtrum etiam iustitia sit aliquomod in appetitu, qui vnà cum imaginatiua intellectui, ac voluntati coopera tur, non inquiro, inquam, de hoc, id enim ad praxim, & declaranda iustitiæ actiones facit parùm, ad quas cognoscendas, satis est nosse, a iu stitia perfici voluntatem, tanquam proprium subiectum, sicut a tem pe rantia, & fortitudine perficitur appetitus, sed & hoc cap: illo parti prioris declaratum est.

7. Atque ex hac subiectorum diuersitate, solet a Theologis dari diue sitas operandi iustitiæ,& virtutum, quæ reprimunt passiones. Nam cù virtus moralis in medio consistat, cauendo ab extremis, quæ vitio sun

sunt, iustitia habet duplex medium, primum est rationis præscribentis, & ostendentis, quid iustus agere debeat, id quod est commune omni virtuti morali, & cuius ex honestate operanti, ratio enim quæuis dirigere debet, & ostendere recta atque honesta. Alterum medium est rei, in qua debet exerceri commensuratio, pro cuiusque iure debito, atque hoc medium rei, soli iustitiæ est proprium. Etenim fortitudo, ac temperantia contentæ sunt ratione definiente modum, quem quisque in passionibus suis rectè moderandis tenere debeat, si vult temperans & fortis esse: cæterum iustitia consulit adhibetque rationem, non solum ideo, vt rectus teneatur in agendo modus, sed vt insuper opere externo, & re externa reddatur vnicuique, quod suum est.

Sectio IV.

Definitio Iustitiæ, & Iniustitiæ.

EX omnibus iam dictis talis notio, ac definitio iustitiæ dari potest: 8.
Iustitia est virtus, quæ alteri id integrè, seu ad æqualitatem reddit, quod illi iure proprio debetur: & materia quidem eius remota, sunt res, suprà num: 6. enumeratæ, propinqua, actiones externæ, quibus res dictæ redduntur alteri: Forma, seu formale obiectum, ius cuique debitum. Ex eadem definitione, oppositum iniustitiæ vitium deducendum, quoties enim non reddit alteri, quod illius est, vel redditur, sed non integrè, injustitia dicenda. Rectè tamen monet Sanctus Thom: 2. 2. q. 60. art: 3. in corpore, posse interdum fieri, vt nulla cõmittatur iniustitia, licet nõ reddatur alteri integrè, id quod est eius. Cùm enim quisque possit cedere suo iure, & velle vt id, quod illius est, auferatur, neque ablatum reddatur, asserendum est, non semper cõmitti iniustitiam, quoties non redditur alteri, quod ipsius est, sed tunc tantùm, cùm alicui inuito, & nolenti aufertur, aut non redditur: inde ortum est tritum illud in hac materia prouerbium: *volenti non fit iniuria*.

Datæ definitionis singula verba declarata sunt in præcedentibus. Ex- 9.
plicandum esset, rectè nec ne iustitia, virtus apelletur, sed nulli dubium esse debet, iustitiam inter virtutes, & quidem Cardinales numerari, si enim temperantia, & fortitudo virtutes sunt, eò quòd hominem ad se ordinent, vt suis passionibus assuescat bene vti, & nisi asuescat, nequit bene vti, propter difficultatem, quæ ex vehementia passionum oriri solet. Si etiam temperantia, & fortitudo sunt virtutes Cardinales, propterea quòd moderentur appetitiones, quarum in communi vita creber est

vsus, & necessitas, quemadmodum vtraque parte libri eius agendo de hisce duabus virtutibus ostendimus: pari certè de causa iustitia, & virtus,& Cardinalis est. Virtus est imprimis quia ordinat hominē ad aliū,in quo nō modica sētitur difficultas, non quidē ex appetitu & passionibus sed ex ipsa volūtate. Nā cū omnibus creata voluntas, vt docent Theologi cum S. Thom: 2. 2. q. 137. art: 4. in corpore sit de se mutabilis adeo, vt quod semel placet, displiceat deinde, vel quod iucundū est,honesto præponatur,eget profectò illa, inter alia adminicula, virtute vincente difficultatem, quam mutabilitas obiicit. Talis difficultas est in reddendo alteri iure proprio, quam quia, & Angelorum quidam in cœlo & primi Parentes in Paradiso, non superarunt reddendo Deo obedientiam debitam, vtrique lapsi sunt. Itaque iustitia meritò dici, & habe debet virtus,quæ ad hoc est, vt hominē rectè ordinet ad alterum, promptúmque faciat, ad reddendum ius cuique proprium. Cum vero plurimæ, graues, & crebræ sint, in communi vita eiusmodi operationes, quibus homo ad alterum ordinetur, nempe ad Deum,ad Parentes,ad patriam, ad cōmunitatem, & ad priuatas personas, rectè eadem virtus cardinalis vocatur, nimirum ad tot opera, & negotia, vitæ humanæ bene expedienda, apprimè necessariò: quem verò locum inter virtutes Cardinales habeat, dictum est hoc lib: parte priore, cap. 11. num. 1.

Sectio V.

Quæ sint partes integrantes, & subiectiuæ virtutis Iustitiæ.

10. EXplicata ipsa in se Iustitia, ad partes eius, seu ad omnes virtute quæ ad illā reuocantur, veniendū, quot autē partes in vnaquaque esse possint, dictum est, huius libri parte priore, cap 6. num: Et primò quidem partes integrantes assignat S. Thom: 2. 2. q. 79. a 1. duas, *facere nimirum bene, & declinare a malo*. vtrumque hoc si latè matur, & idem sit quod amare bonum, atque honestum, odisséque honestum, erit pars integrans omnis virtutis, quæuis enim honestate bonúmque rationis proprium appetit, & oppositū fugit malum. Quia si facere bene, & declinare a malo, idem sit quod optare alteri bonū proprium, & nullum nocumentum ei velle, sic erit vtrumque pars integrans iustitiæ, omnis enim actio eius duo hæc spectat, vt & reddat alteri bonum illius proprium, & nihil mali eidem inferatur.

11. Partes subiectiuæ iustitiæ, siue veræ eius species, passim ab omnibus assigna

assignantur duæ, vt docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 61. iustitia videlicet cõmutatiua, & distributiua: illa inter priuatas personas cõstituit æqualitatem, in rebus & operationibus externis, quas supra num: 6. enumerauimus, hæc inter communitatem, & ciues, vtraque tamen diuersa id perficit ratione. Nam inter priuatas personas æqualitas fundatur in quantitate, (vt docet Aristoteles 6. Eihic: cap: 3.) Arithmetica, æqualitas autẽ inter communitatem, & ciues innititur proportioni geometricæ. Arithmetica quantitas, est simplex commensuratio vnius rei cum vna, vel plurium, cum pluribus, vt si quis, abstulit alteri vnum equum, reddat illi vnum, si duos, duos. Geometrica proportio facit cõparationem dignitatis, siue personarum dignarũ, cum rebus cõmunitatis, vt quò quisque est magis v. g. de republica meritus, eò plus de bonis eius adipiscatur.

Et quia non tantùm bona distribuũtur communia inter ciues, sed etiam onera, verbi causa, vectigalia, laboresque, idcirco non solùm merita, præmijs afficienda, sed alia etiã attendi debẽt in ciuibus, vires v. g. ad ferenda onera, & similia, in quibus semper proportio seruanda. Ad quam intelligendam rectè monet Aristoteles, loco proximè citato, comparationem nimirum inter quatuor debere esse, nempe inter duas personas, & res communitatis duplices: exempli causa, quantùm superat vnus ciuis meritis aliũ, præmiũ illius, debet superare præmiũ alterius, itaque & persona, cum persona & præmium, cum præmio conferendum.

Et quanquam tam in Iustitia distributiua, quàm commutatiua attendi debeat ad medium rei, supra numero 7. explicatum, in commutatiua tamen fit comparatio rei, ad rem, in distributiua verò rerum communitatis ad dignitatem, vel aliquam conditionem personæ, non enim respublica dat merito, verbi causa, & digno tantùm, quantùm accipit ab illo, sed quantùm ille dignus, & meritus est.

Ex his vtraque iustitia ita describi cõmodè potest: Commutatiua iustitia, est virtus, quæ priuatas personas in iure proprio cuique, integrè, & ad æqualitatem debitam conseruat: Distributiua est itidẽ virtus, quæ tantùm de cõmunibus rebus cuique in cõmunitate degenti tribuit, quãtum illi pro ipsius conditione debetur.

Et res quidem communitatis diximus num: præcedenti esse iam bona, iam onera, bona sunt, opes, possessiones, tituli, dignitatesque, quæ 12.
pro merito cuiusque distribuuntur: onera, labores, contributiones & similia, quæ iniunguntur pro conditione, & statu ciuium. Iam verò meritum hoc est conditio (vt bene docet 2. 2. q. 61. art: 2. in corp. S. Thom:) multiplex est, & varia, prout in vnaquaque communitate, &

 republica

republica iam hoc, iam illud pluris æstimatur, habeturque tanquam id quod confert ad bonum, & emolumentum eius. Itaque in aristocratia in quâ regũt optimi, id est prudentia, & virtute præditi, quantò quisque est præclarior virtute, præsertim illa, quæ se in ipsam exerit rẽpublicã cuiusmodi est, fortis in bello defensio illius, recta, & iusta eiusdem administratio, & id genus opera, atque officia, quibus ciues bene merentur de communitate, quantò igitur quis præstantior est virtute, tantò inter alios dignior maioribus præmijs, pluraque illi imponi debent gubernandi, & regendi rempublicam onera. In oligarchia, in qua (vt docet Aristoteles 8. Ethic: cap: 10.) pauci, ijque opulenti præsunt, diuitiæ magni fiunt, tanquam instrumenta, & adminicula regiminis, quare ditior quisque, est dignior omnibus bonis, & oneribus ferendis aptior. Quemadmodum in democratia, in qua pares gubernant, fit magni libertas, tanquam multùm conducens ad regimen parium, ideo, qui magis promouent libertatem, hi censentur plus meriti, de sua republica, & digniores in illa.

Sectio VI.

Quo pacto vitiatur Iustitia distributiua.

13. His de Iustitia distributiua præmissis, facilè erit intelligere, quodnam sit munus eius, & quid ciuibus, seu membris, in quauis republica contentis debeat is, qui illam gubernat. Debet enim primò partiri inter membra bona eius, quæcunque sint illa ad distributionẽ designata, (& idem sit dictum, de oneribus) causa verò huius debiti est, vt ii inter quos fit dicta partitio, tantò se alacriùs impendant in promouendum bonum cõmunitatis, quantò merita, laboresque pro ea assumpti, & cuiusque dignitas, ac industria, maioribus afficiuntur præmijs, tantò etiam meliùs administretur Respublica, quantò aptiores sunt ij, qui onera sustinent. Non rectè proinde faciunt rectores communitatum, qui huiusmodi bona non distribuunt, sed quasi abdita detinent tum, cum necessitas, vtilitas, & opportunitas ad bonum commune exigere videtur, vt distributio fiat, nec desunt digni qui accipiant. Bene Rex Dauid decessurus è viuis, monuit filium Salomonem post se futurum Regẽ, vt quosdam optimè de se, ac regno meritos, non sinat indotatos delitescere: Filijs, inquit, 3. Reg. cap: 2. *Berzelai Galaaditis, reddes gratiã, eruntque comedentes in mensa tua, occurrerunt enim mihi, quando fugiebam a facie Absalon fratris tui.* Fides, & studium in Regem, illo præsertim periculi tempore, declaratum, merebatur gratiam, & præmiũ insigne.

Deb

Debiti iam dicti neglectum, non dubito esse graue peccatum, maximè tunc, cum ex omissa distributione, sequuntur non leuia in communitate incommoda, vt si v. c. vacet diu Episcopalis, vel minoris pastoris dignitas, & ob id negligantur animæ, cultus Dei flaccescat, multáque alia fiant, quæ non fierent si pastor adesset. Id ipsum in ciuili republica ex eadem omissione consequi solet: si enim illi, qui eam tueri, aut conseruare possunt, neglectui habeantur, non erunt qui strenuè defendant ab hoste Patriam, legum contemptus inualescet, priuata curabuntur, prætermissis communibus, quæ, & similia plurimùm nocent. Primùm itaque iustitiæ distributiuæ munus & debitum, est partiri communia bona, & onera, alterùm, vt non detur quidquam nisi digno, & apto, atque inter ipsos dignos, aptoi͏ue, digniori, & aptiori, id quod est certū apud omnes Theologos cum S. Thoma 2. 2. q. 63. art: 1. & 2. Causa alterius huius debiti, ex dictis de hac virtute clara est: iustitia enim distributiua, non reddit id, quod alicui ablatum sit, (id enim facit iustitia cōmutatiua) sed id, quod communitas propter bonum suum designauit dandum ijs, qui ipsi vtiles censentur, tales autem non sunt nisi digni, & apti. Quapropter quicunque dignus est, habet a republica sibi datum quoddam ius tale, vt bona communia transeant ad se, & fiant priuata euadantque propria. Hinc docet S. Thomas locis citatis, non leuiter præsidentes communitatū peccare, qui omissis dignis, aut dignioribus, indignis, aut minùs dignis distribūnt, peccatùmque hoc, est acceptio personarum, quæ tunc fit, cùm non attenditur dignitas talis, qualis in quauis communitate pretio habetur, sed aliquid aliud impertinens, verbi causa, si conferatur munus quodpiam ei, qui non est aptus ad regimē, eò quòd careat, prudentia, industria & similibus, detur autem illi ideo, quòd sit vel sanguinè iunctus conferenti, vel gratus, & bene de illo meritus. Acceptio ista personarum, semper est peccatum, & quidem graue, si illa quæ distribūntur fuerint magna, tantòque grauius erit, quantò in maioribus bonis distribuens delinquat, vt expressè docet S. Thom: 2. 2. q. 63. art: 2. in corp: vbi asserit grauiorem esse iniustitiam, quæ committitur in distributione bonorum Ecclesiæ, quàm bonorum reipublicæ ciuilis, eò quòd bona Ecclesiastica, sint spiritualia, & ordinata ad altiorem, nimirum, diuinum finem, qualis est cultus Dei, salusque hominum, cum finis ciuilis reipublicæ, sit pax & conseruatio eiusdem. Itaque dignis semper conferenda sunt bona communia, cum vero accidat interdum, vt plures sint digni, & vel pares dignitate, vel vnus alio melior, si omnino pares, licitum erit, cuicunque dare, quod si in vno priuatæ quædam interuenerunt causæ, qualis est coniunctio sanguinis, amicitia,

amicitia, obsequia, non erit dissonum iustitiæ, huic potiùs, priuatas habēti causas conferre,quā alteri æquè digno. Id quod docet S. Thom: 2. 2. q. 63. art: 2. ad primum, nam priuatæ illæ rationes, augent non nihil dignitatem, eò quòd coniūctio, verbi causa, amicitiæ reddat beneficio affectum, gratiorem conferenti, efficiatque vt eum propensiùs iuuet, in promouendo bono cōmunitatis. Monet tamen S.Thomas cauendum esse in hac re scādalum: nam si æqualis dignitas propinqui ignota sit, tali conferre beneficium, verbi causa, Ecclesiasticum videbitur esse acceptio personarum. quòd si inter plures digniores, vnus altero sit dignior, ita faciendum censet S. Thomas (vt docet eodē loco ad 3.) *Dicendum*, inquit, *quòd quantùm ad hoc, quòd electio impugnari non possit in foro iudiciali sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam, sed quantum ad conscientiā eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune. Quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc sit, propter aliquam causam, quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur magis idoneus, si vero non pertineat ad negotium, id, quod consideratur, vt causa, erit manifestè acceptio personæ.* Quibus verbis docet S. Thomas semper meliori, & digniori distributionem esse faciendam.

Sectio VII.

An teneatur male distribuens, aut impediens bonam distributionem ad restitutionem.

15. AD complementū doctrinæ, moralis de iustitia hac distributiua, ostendendum quoque est, an si is, qui ex munere suo ad iustè distribuendum obligatus, (quales sunt Gubernatores communitatū siue Ecclesiasticarum, siue ciuilium) iniustè distribuat, debeat iniustitiam restitutione compensare: & si priuatus quispiam, iniquè (siue in suā siue aliorū gratiam) impediat iustā distributionē,an teneatur quoque restituere. In qua re certum est, debere illud restitui, siue a distributore, siue ab impediente, quod iam post distributionem factum est proprium illius, cui cessit partitione, si hoc proprium auferatur, restitutio enim, vt sequenti cap: a num: 1. dicemus,aliud non est, quàm redditio rei iniquè ablatæ. Et siquidem integrè id, quod distributum est cessit in possessionem accipientis, integrè quoque, & ad æqualitatem reddendum erit: sin verò nondum est possessum, sed iam scripto, aut aliter decretum fuerit, vt tradatur possidendum, tantùm debet restitui, quantùm pro arbitric

bitrio prudentis viri censebitur fuisse, vel inchoatè saltem, & in proxima spe proprium. Id quod clarè docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 62. art: 2. ad 4. sicut enim is, qui alienas segetes, adhuc in herba virentes, corrumpit, debet tantum compensare, quanta fuit spes fructus, ex corruptis segetibus futura, ita is, qui aufert iniquè rem in proxima possessionis spe distribuendam, debet tantum reddere quanta fuit spes futuræ proprietatis. Requiritur autem, vt iniquè auferatur id, quod iam cæptum est distribui, nam si iustè id fiat, eò quòd digniori detur, omisso digno, vel si detur digno, omisso indigno, nulla hinc oritur necessitas restitutionis, cum iustè sit correctum, quod iniustè inchoatū erat. Itaque in euentu, iam explicato, tā distributor, quàm impediens obligantur ad restituendum, & quidē illi ipsi, cui aliquid ablatum est. Quod si simul, noceat is, qui aufert, etiam communitati, vt si, verbi causa, detur officium quodpiam indigno, ablatum a digno, & male illud, ac cum damno reipublicæ administretur, restitutio debet esse etiam ipsi cōmunitati, cui damnum est illatum: quēadmodum bene docent Theologi: quos sequitur Lessius de Iustitia lib. 2. cap: 32. dubitatione 3. Damnum verò hoc tam reipublicæ, quàm priuatis, debet compensari ex proprijs bonis, siquidem ex communibus fieri nequit, nisi forte tum, cùm malè inchoata distributio, mox corrigitur: an verò & quo modo Ecclesiæ cōpēsanda est, noxia distributio, sequēti pūcto dicetur. Postremò, & 16.
illud tenent Theologi, vt docet idē Lessius lib. 2. de iustitia cap: 32. dub. 3. & cap. 34. dub. 12. 13. 14. & 15. obligari ad restitutionem eos, qui indigno conferunt aliquid, omisso digno, si per talem collationem detrimentū communitas patiatur, quod si omissis dignioribus, minùs dignis aliquid detur, peccant quidem distributores, non tamen obligantur ad restituendum, cum cōmunitati modicum per hoc afferant nocumentum, & alias sufficienter, & si non optimè, per dignum prouideatur. Porro restitutio ista communitati fieri debet, non digno, qui omittitur, siquidem hic, nihil proprium amisit, cum nihil illi adhuc fuerit datum: & quidem compensandum est communitati ex proprijs damnum, si quod secutum est, ex communibus enim, vt paulò superiùs dixi compensatio dicta fieri non potest: quandoquidem id quod semel collatum est indigno, nequit auferri propter multa incōuenientia, quæ sequerentur. Nisi fortè in aliqua communitate, id lege statutum fuerit, vt auferatur quod iniquè datum est, in quo consulenda est cuiusque reipublicæ consuetudo. Nam quod ad Ecclesiæ leges, & vsum attinet, si aliquid confertur indigno, potest interdum auferri tanquam irritè collatū, sic inualidè accipit, verbi causa, beneficium, qui non est clericus, vt communiter

muniter tenent auctores, apud Lessium lib: 2. de Iustitia cap: 34. dub
tatione 13. atque ita tali receptione beneficij ab indigno, cōpensat
iniqua partitio, si illud detur digno.

Aliquando autem non est irrita, etsi indigno facta collatio, & tu
non recipitur, nec fit Ecclesiæ compensatio, sunt tamen pænæ Eccles
sticæ latæ in malè conferentes, per quas, fit quodammodo compensat
iniustæ distributionis: quanquam rectè docet Lessius lib: 2. de iustit
cap: 34. dubitatione 12. omnem collationem, quæ fit homini indign
beneficio, posse per iudicem irritari, & tunc post decretum, benefic
recipitur, potestque fieri compensatio Ecclesiæ, si receptum benefic
ab indigno detur digno. Duplex itaque est modus, quo Ecclesiæ com
pensatur noxia distributio, præter pænas, quas subeunt malè confere
tes, primò auferendo beneficium ab indigno, tanquam irritè collatu
& dando digno, secundò procurando, vt auferatur per iudicem, & d
tur digno. Merito autem hic duplex modus est in vsu, nam damna E
clesiæ, ex mala distributione secuta, vt plurimùm sunt spiritu
lia, cuiusmodi est neglectus animarum, cultûs diuini, & similia, quæ
liter, quam duplici hoc modo compensari commodè non possunt, ali
est, si Ecclesia temporale damnum patiatur, tum enim temporalis qu
que compensatio facienda est, vt præcedenti puncto dictum est.

Quanquam quod attinet ad ipsum dignum, vel digniorem, qui om
titur, in quorumuis bonorum distributione strictiùs videtur senti
S. Thom: 2. 2. q. 62. art: 1. ad 3. tenet enim obligari eum, cui ex of
cio incumbit iusta distributio, ad restituendam ipsi digno, vel dignio
si illum omisit, & indigno, vel minùs digno aliquid contulit. Sequit
diuum Thomam Caietanus in eodem loco, itaque eum explicat: Cu
inquit, *Distributor statuto tempore, & alijs concurrentibus circumstantijs, debe
facere ex communibus bonis proprium eius, qui meretur, vt accipiat, si non dat f
cit illi iniuriam.* debet ergo restituere id, quod futurum erat ipsius. Ha
quidem sententiam alij Theologi non sequuntur, aliterque explicant
Thomam hinc tamen argumentum sumi potest magnæ obligation
in hac iustitiæ distributiuæ virtute, de qua tā multa, & tam strictè tr
dunt auctores Quare, omnibus expensis videant, communium bon
rum gubernatores, quàm iustè illa distribuere debeant, quantúmq
cauere, ne vel priuato affectu, amicitiaue, vel consilijs malè suadentiu
vel muneribus, aut alijs ducti commodis, contrahant, æquitati distrib
tiuæ, cùm tanta suarum conscientiarum offensa, & tot damnorum in
publica atque Ecclesia sint causa, interquæ præcipuū est illud, quod
iniqua distributione sequi, vt plurimùm soleat, mutatio morum, & l

ni sta

ni status in malum, vitiosamque gubernandi formam. Id quod prudenter aduertit Aristoteles 8. Ethic: cap: 10. vbi docet, fieri interdum, vt ad paucorum regimen, & potestatē omnia deuoluantur, cū magno Reipublicæ grauamine. *Id vero,* inquit ille, *fit culpa & vitio principum, qui res communitatis, non diuidun pro dignitate: sibique vel omnia, vel maxima commoda relinquunt, & magistratus semper ad eosdem deferunt, ita pro optimis, pauci, ijque vitiosi imperant.* Hæc Aristoteles, quæ si applicentur Ecclesiasticæ communitati, fatendum est, multò maiora, & grauiora damna consequi iniquam distributionē, quando dignis aut dignioribus omissis, inter indignos, & minus dignos fit partitio munerum Ecclesiasticorum, inde enim sequitur: peruersitas morum, licentia viuendi in ijs, qui a bonis pastoribus corrigendi essent, hæreses, & similia, quorum tandem omnium finis est, damnatio æterna multorum. Neque plura de iustitia distributiua: de commutatiua agetur infra.

Sectio VIII.

Quæ sint partes potentiales iustitiæ.

Post integrantes & subiectiuas de quibus hactenus, vltimò afferendæ sunt potentiales iustitiæ partes, siue illæ, quæ cum ea, aliquam habent similitudinem, in tribus quæ sunt iustitiæ propria, nempe in eo quòd ad alterum referatur, & quod ius illi, debitumque reddat, postremò quòd debiti solutio fiat ad æqualitatem. Quæcunque ergo virtus siue in vno horum siue in omnibus deficit, habet tamen non nihil de his, pars iustitiæ potentialis dicenda. Talis est inprimis iustitia legalis, quæ cùm sit inter ciuem, & cōmunitatem, & ille pars, hæc totum dicatur, inter partem autem, & totum non sit perfecta duorum distinctio (in toto enim includitur pars, sine qua totum nequit esse, aut concipi) sequi necesse est, vt iustitia legalis, sit quædam pars potentialis, iustitiæ propriæ sumptæ. 17.

Sectio IX.

Quid significetur nomine iustitiæ legalis.

Explicandum verò est, quidnam significet nomen Iustitiæ legalis, vt est pars iustitiæ huc spectans. Duo enim illi a Doctoribus tribuuntur, primò quòd ordinet hominem priuatum ad cōmunitatem, vt bonum, & honestum priuatum, cedat in bonum, & honestum cōmu- 18.

 nitatis

nitatis (ex particularibus siquidem bonis singularũ partium, conflatur vniuersale bonũ totius) atque ita considerata Iustitia legalis, non est vna aliqua moralis virtus, sed complectitur omnes. Quæcunque enim illa sit, siue quæ hominem in se perficit, vt temperantia, & fortitudo, siue ad alterum, vt iustitia, siue quæ ad has omnes confert, vt prudẽtia, quia perficit partem, conducit ad perfectionem totius. In hac significatione sumit Iustitiam legalem Aristoteles 5. Ethic: cap: 1. de qua sic scribit: *Iustitia, in se virtutes continet omnes, eademque virtus perfecta est, ob id maximè, quòd inest in ea vsus virtutis, vndique perfecta: perfecta est autem propterea, quod, qui ea præditus est, is etiam erga alios, non in se modo, virtutem exercere, ac excolere potest. Itaque hæc ipsa iustitia, non pars virtutis, sed virtus vniuersa & iniustitia ei opposita, non pars vitij, sed vniuersum vitium.* Hæc Aristoteles, qui clarè demonstrat iustitiam legalem sic acceptam, esse proprias singulorum hominum, in quauis communitate virtutes, quæ in vnum congregatæ faciunt earum cumulũ, seu vniuersitatẽ quandam. Sic porro accepta iustitia, a legibus, legalis nominatur, leges enim in vnaquaque communitate aliud non spectant, quàm vt singuli virtute sint præditi, ex qua bonum & pulchritudo totius c onsurgat.

Altero modo accipitur iustitia legalis pro ea virtute, quæ priuatum vnũquemque, sic in suam Rẽpublicam refert, ac ordinat, vt illi reddat, quod debet, obedientiam nimirum, defensionem, tributa, & similia: & quia leges præscribunt id, quod ciues debent suæ Reipublicæ, hinc iustitia ista legalis nominatur. Quanquam non solis legibus præcipitur iustitia legalis, cùm multa hac virtute fiant, quæ non cauentur legibus, satis est, quòd possint caueri, & vt plurimùm soleant.

Sic descripta iustitia legalis, non est generalis virtus, sed particularis, & pars potentialis iustitiæ potest tamen dici generalis, vt bene docet S. Thomas 2 2 q. 58. art. 6. in corp: causalitate quadam, propterea quòd omnibus alijs virtutibus imperet, quoties earum est necessarius vsus, ad bonum communitatis. Non nulli hanc iustitiam appellant pietatem in Rempublicam, alij aliter, sed siue nomine pietatis, siue quopiam alio vocetur, vnum, & idem significabit, nempe habitum virtutis, quæ bene disponit, & ordinat ciuem in suam Rempublicam, seu partem in totum, in ijs quæ ipsi debet.

19. Ne verò quis putet iustitiam hanc legalem, coincidere cum iustitia distributiua, eò quòd hæc etiam inter communitatem, & priuatas personas constituat rectum ordinem: aduertendum est, diuersa ratione cõmunitatem, & partes eius ad se referri per iustitiam distributiuam, di-

uersa

uersa, per iustitiam legalem. Hæc primò diuersitas non in eo est, quod distributiua ordinet communitatem ad ciues, vt cuique debitum ius pro meritis reddatur, Legalis autem è contra, ciues ad communitatem referat, vt illi dent id quòd debent, non in hoc, inquam, ponenda est diuersitas. Quomodocunque enim totum, & pars secum conferantur, siue a toto, ad partem fiat processus, siue è contrà, semper erit collatio eiusdem ad se, nimirum totius includentis partem ad ipsam partem, & partis inclusæ in toto, ad ipsum totum, & sic nunquam erit perfecta distinctio, proinde iustitia distributiua, non esset perfecta, & subiectiua pars iustitiæ, in alio ergo breuiter ostendenda est diuersitas. Distributiua enim perfectam habet alterius distinctionem, non in relatione partis & totius, vt iam dixi, sed in ratione priuatæ personæ, cui id quod de communibus datur, in ius cedit proprium, & dominium, transferturque a iure communitatis ad ius particulare, quod persona priuata perinde possidet, atque si non esset pars Reipublicæ, potestque disponere de bonis acceptis, prout vult, sine vlla dependentia a Republica. Et quòd dico de bonis, idem de alijs, quæ a communitate in priuatas personas confertur, proportionali congruentia dicendum est, verbi gratia de dignitatibus & honoribus, quin & de oneribus, hæc enim fiunt a priuatis tanquam a conductis pretio. Cæterùm iustitia legalis, semper partem, & totum spectat, & vtrumque ad se ordinat, ad constituendum vnum quid & ad promouendum bonum totius, in quo includitur bonum partis: propterea in principe, & rectore cõmunitatis dicitur esse architectonicè, siue primario, eò quod principis munus sit, attẽdere bono cõmuni, ordinando ad illud particularia, in singulis autem ciuibus est executiuè, qui id, quod a principe ad bonũ totius præcipitur, opere impleant. Itaque iustitia legalis nõ coincidit cum distributiua, propterea quòd illa careat perfecta duorum distinctione, qualis cernitur in distributiua.

Sectio X.

Præstantia Iustitiæ Legalis.

CVm iam constet iustitiam legalem, vt est pars potentialis iustitiæ 20.
vnius è quatuor virtutibus Cardinalibus, esse habitum, qui reddit communitati id, quod illi debet, tantò hæc virtus præstantior erit, quantò communitas est præclarior. Atque vt alias Respublicas siue ciuitatum, siue regnorum, formasque regiminis earum, missas faciamus, de vna nobis debet esse sermo, omnium, quæ vnquam erant, aut esse

 possunt

possūt præstantissima, in qua quiuis fideliū pars est, cuius caput, est Christus Deus, teste S. Paulo ad Ephes: 1. vbi sic describit hanc excellentissimam Rempublicam. *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus, & plenitudo eius, qui omnia, in omnibus adimpletur.*

21. Quatuor hic exprimuntur, quæ ad constituendū Rempublicā Christianā (recepto nomine appellatam, Christi Ecclesiam) concurrunt. Imprimis Princeps, & caput eius, est Deus homo: deinde membra, præcipui hominum, nimirum fideles, qui ad æternam fælicitatem sunt ordinati: siue eam certò, ex Dei electione consecuturi, siue suo vitio amissuri, interim tamen dum viuunt, fide & baptismo Ecclesiæ fideliū sunt aggregati. Tertiò, exprimitur forma regimenque monarchicū, sub vno supremo capite, postremò finis eorum, qui in tali Republica comprehenduntur, plena, omni ex parte, beata felicitas, gloriaque Christi, Dei, Regis, & Principis supremi, in quo vltimo, tandem omnia finiri, & adimpleri debent. Angeli, & omnis reliqua mundi fabrica, pertinet etiam ad hanc Rempublicam: Angeli quidem, etsi, non vt natiua mēbra Ecclesiæ præsertim militantis, certè vt ministri Regis Christi, & mēbrorū eius, administratorij Spiritus: queādmodū legimus ad Hæbreos primo, socijsque felicitatis eorum : *Gaudium enim est* (inquit, Christus Lucæ 15.) *coram Angelis Dei, super peccatore pœnitentiam agente.* Alia autem vniuersa creatura, seruit quà capiti, quà mēbris eius, tanquā domus & aula regia, omnino *Omnia subiecit sub pedibus eius*, teste Dauid Psal: 8. vnde, & Angeli sunt Chisti, beati quidē tanquam mēbra in regnum eius per coloniam recepta, damnati, qui ab illo iudice puniantur.

Hæc quatuor, qui expēderit in cōmunitate Christiana, Caput nimirū, mēbra, regimen, & finem, fateri inprimis debebit præstantissimam illam esse, nempe in qua omnia, quæ illam constituunt, summa sunt. Agnoscet deinde excellentiam iustitiæ legalis, quæ ordinat hominem ad tam præstantis Reipublicæ bonum: videbit postremò ingens momentū onusque debiti, quod ab vnoquoque eidem cōmunitati reddendū sit.

Sectio XI.

Quid quisque debeat Reipublicæ Christianæ.

22. VErum quid quisque huic Reipublicæ Christianæ debeat, & quantùm illi sit obligatus, non melius intelligemus, quàm si perspexerimus in ipso eius capite & Authore Christo, studiū tuendæ Ec-

clesiæ

clesiæ suæ, singulorumque in eo contentorum. Hoc studium proponit omnium trutinæ, primus ab illo in eadem Republica princeps S. Petus 1. Petri 1. his verbis: *Non corruptibilibus auro, & argento redempti estis, sed pretioso sanguine Christi.* Quid verò impulerit Christum, vt immẽsum hoc effuderit pretium, nec tantæ pepercerit rei, quanta, est sanguis ipsius, declarat S. Paulus, princeps & ipse Rectorque & doctor gentiũ in Ecclesia congregatarum, sic scribẽs ad Ephæseos 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, & exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi:* Itaque bonum Reipublicæ Fidelium, diuinaque gloria, fuit Saluatori causa omnium, quæ pro illa fecit, tulitque. Et cæterorum quidem hominum, nullus ei par studio, & labore potest esse, vnus ipse sicut authoritate & maiestate omnes alios in hac Republica præcedit, ita & benefactis in eam, cæteris meritò præit. Illud tamen apud fideles certum, indubitatũque esse debet, quod sibi, aliĳsque, exemplo Capitis faciendũ censet Ioannes Euangelista, ita monens omnes Epla: 1. c. 3. *In hoc cognouimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quod si bono communi fratrum, & pro bono Primogeniti inter fratres, (Rom: 8.) mors ferenda est, cui tandem labori, & curæ parcendum erit?

Debitum ingens quidem iustitiæ legalis contrahit, quicunque eradit membrum huius tam præclaræ communitatis, non tamen par, & æquale est hoc in singulis membris; rectè enim docet S. Paulus scribens ad Ephes: cap: 4. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnẽ iuncturam subministrationis secundum operationem, in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in Charitate* In quibus verbis duo noto, primũ est id, quo continetur corpus Christianæ Reipublicæ, hoc autem est Charitas, quasi anima, & vita, qua corpus hoc viuere, crescere, augeri, & operari debet. alterum est mensura operationis, singulorum membrorum, sicut enim ipsa inter se diuersa sunt, & vnum alio præstantius, pro conditione iuncturæ, & vicinitatis ad caput, Ita, & subministratione operationis, diuersa esse debet. 23.

Sectio XII.

Quantò quis est in Ecclesia dignior, tantò pro illa plura facere debet.

HAnc operandi pro bono communi diuersitatem, & maiorem debiti obligationem in ĳs, qui sunt in Ecclesia digniores videtur Dominus 24.

minus voluisse declarare in Sancto Petro vicario suo, sibi in regimine proximo, interrogato enim se aliquoties de sui dilectione, sic vltimò dixit, Ioannis 21. *Amen Amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis: hoc autem dixit, significans qua morte esset clarificaturus Deum,* et cùm hoc dixisset, dicit ei sequere me. Omnes certè Apostoli, Ioanne excepto, secuti sunt Dominum ad mortem, vni tamen Petro, id prædixit futurum, præcepitque faciendum, hac opinor de causa, vt ille sciret, sibi id iure præcipuo incumbere, qui præcipuus inter reliquos, & primus post Christum futurus erat. Quare operum, laborum & ipsius mortis, pro Ecclesia Christi ferendæ, mensura est dignitas Ecclesiastica, quantò hæc maior fuerit, tantò maius debitum.

25. Quod vel hac vna ratione clarè demonstratur: vt enim in corpore humano, plura ab illis membris præstantur, quæ digniora sunt, dignitate physicæ perfectionis, cuiusmodi est caput, cor hæpar & similia, quæ, quia plus perfectionis ad suam integritatem nacta sunt in corpore, iure quodam gratitudinis, plus eidem rependere debent. Hinc est, vt sine influxu, & operatione viliorum membrorum, v. c. digiti, manus, aut pedis homo viuere possit: cæterùm vbi influxu, & operatione capitis, aut cordis destitutus fuerit nequaquam vita consistit.

Quemadmodum ergo id, in corpore humano verum est, ita & in corpore mystico Reipublicæ Christianæ idem putandum, plus videlicet, debere ei præstantiora membra, eò quòd digniora sint, non perfectione physica, & naturali, sed vt sic dicam, metaphysica, & supra omnem naturam, quam perfectionem in pastoribus & membris, Ecclesiæ declarauimus libri huius, parte priore, cap. de prudentia prælatorum, vbi etiam & debitum illorum, obligatioque explicata sunt, magna ex parte, & infra hic dicetur c. 18. de perfectione vitæ, potissimè nunc ostenditur radix, & fundamentum debiti singulorum, iurisque quod Ecclesia, Christi corpus, in sua membra habet.

Sectio XIII.

Quid Pastores Ecclesiastici teneantur, ex iustitia legali præstare Reipublicæ Christianæ.

26. ATque vt clarum sit, quodnam Ius Iustitiæ legalis, Ecclesia in pastores Fidelium, & quasuis Ecclesiasticas personas, & deinde in quosuis Fideles habeat duo paucis hic affectenda, priùs recensendus est ordo gradusque omnium Fidelium, deinde ostendendū cuique gra-

que gradui annexum proprium & speciale debitum. Ordo graduum notus est, primi enim in Ecclesia sunt supremi eius rectores, & pastores, summi Pontifices, tum alij inferiores Episcopi, deinde minores, & minimi quique curam animarum habentes, sequuntur Clerici, liberi ab hac animarum cura, tandem religiosi, postremò reliqui omnes, in quouis statu fideles, & fidelium quidem nonnulli, regimen ciuile exercent, alij sunt, qui reguntur. Quod ergo ad pastores attinet, illud debent pro Republica Christiana, siue vniuersa, vt summi Pontifices, siue particulari, & suo regimini commissa, vt reliqui minores, id inquam, debent curæ & laborum suscipere, quod requirit necessitas conseruandæ in bono salutis (hanc enim promouent pastores) Reipublicæ: quod si non præstant peccant grauiter contra Iustitiam legalē, grauem supremo Capiti Christo, delicti sui reddituri rationem.

Possunt quidem huic delicto adiungi etiam alia, contra alias virtutes peccata, nimirum contra charitatem proximi, hæc enim præcipit, vt salu. proximi positi in necessitate, sit cordi; contra Iustitiam commutatiuam, nam ideo pastores, a suis subditis sustentantur, vt illos nō deserant, in periculis salutis, aut contra alias virtutes: verùm hic sermo tantùm est, de iustitia legali, & eius obligatione, si enim hæc iustitia virtus est, ab alijs distincta, vt reuera est, & eius obligatio spectat communitatem; profectò quoties obligatio illa violatur, toties peccatum peculiare committi necesse est, & quidem graue, vt dixi, si graue communitas patitur detrimentum.

Iidem Pastores non modo laborem impendere, sed vitam etiam pro 27.
bono Reipublicæ Christianæ exponere debēt quando (nisi ita faciant) periclitatur illa de sua incolumitate, id quod expressè docet S. Thom: 2. 2. q. 185. art: 5. de Episcopis, cuius hæc sunt verba: *In qualibet obligatione, præcipuè attendi debet obligationis finis, obligant autem se Episcopi ad exequendum pastorale officium, propter subditorum salutem: & ideo vbi subditorum salus exigit, personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter suũ gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cùm bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium prouideri, tunc licet pastori, vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel personæ periculum, corporaliter gregem deserere, Vnde Augustinus dicit in Epistola ad Honoratum: Fugiant de ciuitate in ciuitatem serui Christi, quando eorum quisque specialiter a persecutoribus quæritur, vt ab alijs qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia. Cùm autem omnium commune*

est peri-

est periculum, ij, qui alijs indigent, non deserantur ab ijs, quibus indigent, si etia periculosū est nau. ā, in tranquillitate nauem deserere, quanto magis in fluctibu
Hæc S. Thomas etiam ex August: de Episcopis, quos sententia Theo logorum censet, siue in bello, siue in peste, siue in alijs periculis debe re exponere vitam, pro communitate sibi commissa. Eadem doctrin de maioribus pastoribus, applicanda est minoribus: etsi enim maior in Episcopis obligatio, sicut & dignitas eorum muneris maior est, i tuitu cuius obligant se illi ad perennem curam animarum (quam des rere sine Pontificis obedientia non possunt, ne quidem prætextu in gressu in religiosum ordinem, vt idem S. Thom: eadem quæstion art: 4. docet, alij verò pastores, citra summi Pontificis consensum, i facere possunt) cum tamen hi verè sint etiam pastores, curamque habe ant communitatis sibi commissæ, obligantur non solùm ad laborand sed ad ponendam quoque vitam, si id salus eius exigat. Obligatio aut hæc in ijs, tam diu durat, quàm diu gerunt curam communitatis, ne eam licitè, & per leges Ecclesiasticas abrenunciarunt, ita Parochus, d non valedicit, recepto, & vsitato modo Parochiæ, debet prodesse su ouibus, etiam cum periculo vitæ, si id per alios non suppleat, maxin cum perinde atque Episcopi, ideo sustententur a suis subditis, vt insta te graui necessitate, ac periculo salutis adsint ijsdem. Sicut enim duc & milites, eò quòd accipiant stipendia, defendunt Rempublicam a hostibus, etiam cum periculo suæ vitæ: ita pastores animarum, cù accipiant a fidelibus stipendia, vt eos contra hostes salutis tueantur, t nentur id præstare, etiam cum periculo vitæ, præsertim cum maius malum animæ, quàm pacis communis in politica republica.

Sectio IV.

Quid debeant Reipublicæ Christianæ Domini Politici ex Iustitia legali.

28. EX dictis deducendum quoque est quid Reipublicæ Christianæ d beant illi, qui eam ciuiliter regunt, qui quoniam habent etia peculiarem obligationem, tuendi bonum commune, etsi non ta tam, & talem, quantam & qualem pastores Ecclesiastici, his enim i cumbit cura salutis eorum, quibus præsunt; illi ciuilem pacem, & tra quilitatem tueri debent, ad salutem autem animarum, non nisi tunc c currere, cum pastores Ecclesiastici requirunt auxilium, & brachiu sæculare. Quoniam ergo sæculares Principes dicto modo obligātu

promou

promouere bonum Reipublicæ Christianæ quam quisque gubernat, nemini dubium esse potest, debere eos curam, studium laboremque adhibere tantum, quantus est necessarius ad conseruationem cõmunitatis Quod si periclitatur Respublica de suobono neque illud aliter tueri posset nisi vita & morte Principis, tenetur hic illam exponere, id quod inprimis certum est, in periculo salutis hominum, quando ageretur de fide, & Iustitia Christiana: vt si immineat hæresis, paganismus, & immania facinora, quæ permissa, aut inducta nũquã, vel difficillimè extirpentur. In eo casu, si aliter commodè non potest, vita sua debet tantis obuiare malis Princeps: nam cùm bonum communitatis Spirituale & diuinum maius sit, quàm vita corporis, & quæuis humana, ac temporanea bona, vt docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 26. art: 3. & 5. sequitur, vt teneatur vitæ corporalis, aut quorumuis bonorum temporalium damna subire pro vitando tanto malo communitatis. Semper recta ratio docet, maiora præponenda minoribus, maius autem est bonum diuinum, & spirituale, quàm corporis, & caducum, maximè cum bonum hoc spirituale sit communitatis, & totius: vita autem Principis, sit partis, etsi præcipuæ, totum autem maius est sua parte, vt eodẽ art: 3. docet S. Thom: quare Princeps, vt pars, debet pluris facere bonum totius communitatis, quàm suam vitam.

Non disputo hîc de casu aliquo extraordinario, in quo posset permitti aliquod malum in Republica, eò quòd nisi permissum fuerit, maius inconueniens timeatur. vt docent Theologi cum S. Thoma 1 2. q. 93. art: 3. ad 3. Tali casu dato, non teneretur Princeps obuiare malo, cum periculo suæ vitæ, sed eam posset tueri, expensis diligentissimè omnibus circumstantijs, quæ illum ad permissionem mali, potiùs mouere deberent, quàm ad obuiandum ei. De hoc casu hic non ago, verùm id dico quod ordinariè, & vt plurimùm, in quauis Republica boni Principes agere debent, maximè cùm eiusmodi euentus, rarissimus sit. 29.

Secundò tenetur Princeps, etiam tum exponere vitam, pro sua Republica, cum agitur de bono pacis politico. Id etiam tenet S. Thom: 2. 2. q. 26. art: 3. in corpore & 1. parte q. 60. art: 5. in corpore, vt illum explicat & sequitur Caietanus, in expositione art: 3. Ratio autẽ S Thomæ est, quòd sicut in naturalibus, pars exponit se periculo, quoties interitus imminet toti, hac enim ratione manus, defendit totum corpus, in subitaneis quibusdam casibus, in quibus non tam ratio ex electione, quàm natura ex instinctu operatur: sicut ergo natura exponit partẽ, vt conseruetur totum, ita in politicis, idem ratio prudens facere debet, siquidem ars semper imitatur naturam. Quare cùm communitas sit 30.

 tas sit

tas sit totum Princeps autem pars, prudentia exigit, vt pars succumbat, ne totum pereat. Accedit huc, & illud quod supra num: 27. de Ecclesiasticis pastoribus diximus, ideo nimirum dari stipendia Principibus & Rectoribus politicis, vt ab ijs in necessitate protegantur subditi, etiã cum periculo vitæ.

Quod de summis Reipublicæ Principibus diximus, idẽ tenendum de alijs minoribus eiusdem rectoribus, qui pro munere suo, etsi inferiori gradu regunt: nam etiam hi, neque labori, neque vitæ, quando id bonũ commune exigit parcere debent, tũ quòd verè rectores sint, tum quod ad hoc stipendia accipiant, vt in periculis, Rempublicam protegant, in qua re, omnia paria de illis currunt, quæ supra numero 27. de minoribus Ecclesiæ pastoribus dicta sunt.

31. Verũ obijcere hic aliquis potest, receptã Theologorũ doctrinã adductã parte huius libri priore, cap. 16. sect: 13. licere citra præiudiciũ cõscientiæ, exponere morti vitam corporis potiùs, quàm perdere partem, seu membrum quodpiam, vt si quis nolit secari sibi manum, sacro igne affectam, malitque mori, quàm ferre dolorem sectionis. Pari ergo ratione putabit quis nõn teneri Rectorẽ Reipublicæ, verbi causa, Principem, mori pro incolumitate illius, præsertim cum agitur de pace politica. Nam vtrobique hîc totius bonum est maius, quàm partis, deinde vtrobique est comparatio in bono eiusdem ordinis, temporaneo, videlicet, & caduco: in corpore quidem, & membro, agitur de vita mortali, & incolumitate: in Principe autem & Republica, de vita illius & huius pace, quod vtrumque caducum est, & temporaneum.

Ad hanc obiectionem, dicendum, magnã esse disparitatem inter hæc duo tota, bonaque illorũ, nimirum inter totum naturale corporis humani, & politicum totius communitatis, rursus inter bonum vitæ corporeæ, & inter bonum pacis, & tranquillitatis Reipublicæ cuius diuersitatis ratio sumi debet ex primo, & vniuersali, vt sic dicam, toto (quod est summum, & vniuersale bonum) Deo. Quia enim Deus est totum, & vniuersale bonum, ex quo vt è fonte omnia alia particularia emanant, hinc est vt secundum communem Theologorum doctrinam, sequentium S. Thomam 2. 2. q. 26. art: 3. in corpore, quæuis res intelligens magis debet diligere Deum, quàm se, & pro illo, eiusque diuino bono, se suaque, quando ita est opus, exponere periculo: affero verba Sancti Doctoris, quo id magis confirmetur. *Dicendum* (inquit ille) *quod a Deo duplex bonum accipere possumus, scilicet bonum naturæ, & bonum gratiæ: super communicatione autem bonorum naturalium, nobis a Deo facta, fundatur amor naturalis, quo non solum homo in sua integritate naturæ*

super

super omnia diligit Deum, & plus quam se ipsum, sed etiam qualibet creatura suo modo, id est, vel intellectuali, vel rationali, vel animali, vel saltem naturali amore, sicut lapides, & alia quæ cognitione carent, quia vnaquæque pars, naturaliter plus amat commune bonum totius, quam particulare bonū proprium. Quod manifestatur ex opere, quælibet enim pars, habet inclinationem principalem ad actionem communē vtilitatis totius. apparet etiam hoc in politicis virtutibus secundum quas ciues pro bono communi, & dispendia propriarum rerum, & personarum interdum sustinent. Hæc S. Thomas, ex quibus deduco, quæuis creata bona, tantò magis diligenda esse, plurisque æstimanda, quantò magis accedunt ad vniuersalissimū bonū, Deū, & plus de illo participāt.

Et quia Respublica, in qua sunt tot homines, & tot eorum bona fortunæ, naturæ, artis, & similia, plus participant de Deo, quā vnius hominis vita corporalis, ideo, licet quis possit membrum potiùs tueri a sectióne, quàm eligere mortem, non potest Princeps, qui est pars Reipublicæ suam vitam tueri, eligendo interim interitum ipsius.

Hæc ratio fortiùs intentum suadet, si sermo sit de Republica Chri- 32.
stiana de qua hucusque egimus & in qua vnusquisque fidelis, est membrum sui capitis Christi, beneficio cuius, Respublica, infinities plùs participat de Deo, quam vnius hominis vita corporea, eo quod in tali Republica includatur tanquam caput Christus Filius Dei, qui totum habet bonum, quod in Deo continetur; in eadem quoque Republica includuntur dona gratiæ supra naturam. Cùm autem Principis vita se tantùm, & bonum suum creatum contineat, sequi necesse est, vt pro Republica Christiana, quæ est tam præstans, & tam vicinum Deo bonum, multò plùs agere debeat, quàm vnus homo, pro tuenda sua vita corporali: & sicut teneretur Princeps pro Deo mori, si ita necesse esset, ita & pro Republica Christiana, cuius Caput est Deus, vt ostendi supra num: 20. & 21. pari obligatione mori debet.

Confirmari id totum potest pluribus, & grauioribus damnis, quæ 33.
sequuntur ex perturbata pace Reipublicæ Christianæ, quàm sunt illa quæ sequuntur ex morte vnius hominis, deficiente enim pace & bono ordine, plurimi grauissimè affliguntur, in bonis fortunæ, corporis, vitæ, etiam in bonis animæ & salutis.

Nulla siquidem tunc est Iustitia, innocentes patiuntur, imparati ad mortem decedunt multi, cultus, & Religio diuina pessundatur, omnia per fas, & nefas geruntur, quæ & similia Christus, Caput Fidelium ægerrimè fert in mēbris suis, vt clarè fassus est persecutori tunc Saulo Actorum 9. *Saule quid me persequeris?* Cùm ergo tot, & tanta mala sequuntur ex perturbata Republica Christiana, nihil autem horum, sequi

mortem vnius hominis, euidens est, asserere debemus, teneri Principem pro Reipublicæ incolumitate, vitã suam exponere, quidquid sit, quòd homo non teneatur membrum secare, pro vita corporis.

Sectio XV.

Quid quisq; priuatus debeat Reipublicæ Christianæ ex iustitia legali.

34. HActenus diximus de debito, quod reddendum est communitati Christianæ a rectoribus & gubernatoribus eius, tam Ecclesiastícis quàm sæcularibus; videndum iam, quid quisque priuatus debeat eidem. In qua re certum inprimis est, debere vnumquemque priuatum, illud omne adhibere studij & laboris, quod exigit bonum communitatis eius, in qua degit, quodque ipse præstare possit. Exempli causa, si bonum communitatis exigit defensionem ab hostibus, quales sunt gentiles, aut hæretici, debet eam præstare, non parcendo sumptui, aut labori. Idem intelligendum de similibus occasionibus, & necessitatibus bene merendi de Republica Christiana, ex virtute Iustitiæ legalis: tantóque vnusquisque magis obligatur, & maiora offerre debet, quantò est nobilior pars, & membrum Reipublicæ iuxta dicta supra a n. 22. cuiusmodi sunt inter Ecclesiasticos Sacerdotes, & religiosi, inter sæculares, ij, qui maioribus sunt a Republicâ ornati insignibus, opum, honorum, & cæteris.

35. S. Paulus reprehendit Corinthios, 1. ad Cor: 6. *Audet*, inquit, *aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos.* causam reprehensionis continent illa verba: *Apud iniquos*. Et clarius infra eandem exprimit. *Frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud gentiles:* nimirum, præuidebat ex litibus futurum, vt Christiana tunc recens inchoata apud Corinthios Respublica non modicam inter infideles pateretur boni nominis notam, quasi Christiani pacis, & mutuæ amicitiæ hostes essent, vel saltem non magis obseruantes, quàm ipsi gentiles. Hoc scandalum vt prohiberet S. Paulus in primordio Ecclesiæ, dicebat reprehendendo: *Ad verecundiam vestram dico, sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum. Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Accipere iniuriam, & fraudem pati est damnum subire vltro, non ex obligatione, sed ob bonum Ecclesiæ tunc inchoatæ ferendum censuit Apostolus, præsertim

acceden-

accedente scandalo, quod ex obligatione etiam vitare iussit, simul & docuit, omnia in quauis particulari communitate, priuatorum publicè commissa enormia peccata, graue illi præiudicium adferre ob scandala ex talibus delictis consequi solita, quæ scandala sicut in singulis priuatis charitas proximi euitare debet, ita in communitate Iustitia legalis.

Secundò certum mibi videtur, dari posse necessitatem, & casum, in 36.
quo priuatus teneatur etiam mortē subire pro bono Reipublicæ Christianæ, non solùm cùm agitur de bono salutis, sed etiam cùm res est de bono pacis politicæ. Casus autē hic tum esset, cùm nisi priuatus occumberet, tota communitas graue pateretur damnum. Doctrina hæc est S. Thomæ 2. 2. q. 26. art: 3. & aliorum Theologorum, ijsdemque rationibus probanda, quibus supra a num: 26. per aliquot probauimus pastores, & Principes ad idem obligari, etsi enim hi maiore ad id obligētur debito, eò quòd in illis sit Iustitia legalis architectonicè, (ex quo capite non tantùm vt pars, sed vt caput, & principale membrum debent præcauere mala communitatis) cùm tamen in priuatis quoque sit eadem Iustitia, vt in schola dici solet, executiuè, bonumque totius respectu quorumcunque, siue pastorum, siue Principum, siue priuatorum semper sit maius vita corporali vnius: sequitur, vt priuatus debeat in vrgenti casu, & necessitate paratus esse pro Republica mori.

Præclarum huiusmodi debiti habemus relictum documentum a 37.
venerando illo sene Eleazaro Machabæorum 2. cap: 6. qui ne genti, tū Iudæorum fideli, præberet scandalum, simulato carnium porcinarum esu, quod deinde factum, alij secuti, legem diuinam, id prohibentem, præuaricarentur, atque ita graue damnum, Respublica Iudæorum subiret, potiùs moriendum sibi putauit, itaque persuadentibus simulationē respondit: *Non est ætati nostræ dignum fingere, vt multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum, transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur.*

Factum hoc beati senis, qui non fungebatur officio sacerdotis, sed 38.
fuit vnus de primoribus scribis, (hi autem, sicut & Pharisæi teste S. Ambrosio in Genesim cap. 39. & alijs, oriundi erant a Simeone, non a Leui, qui fuit Patriarcha sacerdotum) neque legitur fuisse aliquis ex Ducibus, & rectoribus sed priuatus: huius, inquam, viri factum proponere sibi debet quiuis priuatus, vt potiùs malit mori, quàm præbere occasionem damni alicuius, præsertim spiritualis, ei cōmunitati, in qua degit. Et Eleazarus quidem, mortuus est pro tuenda lege Dei ac bono salutis, cæterum Matathias cum 5. Filijs suis, non pro legibus tantùm

diuinis,

diuinis, sed & pro bono pacis se, filiosque suos morti obtulit, sua etia[m] omnia direptioni, vt narrat tota Machabæorum hystoria, Ita vero fili[is] alijsque priuatis, magna pro Republica subeunda suasit, 1. Machabæ[o]rum cap. 2. *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & co[n]tritionem ciuitatis Sanctæ, & sedere illic, cum datur in manibus inimicorum ecce Sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & co[n]quinauerunt ea gentes, quo ergo nobis adhuc viuere?* Hi ab omnibus imita[n]di priuatis, in Republica, quicunque in eam Iustitiæ legalis partes, d[e]bitè volunt exercere: & quod diximus de Republica fidelium: iden[m] etsi a minori, tenendum de quauis alia politica communitate.

Sectio XVI.

Iustitiæ legalis crebra exercendi necessitas.

39. Postquam ostendimus, quid quisque siue vt publica persona, siue priuata debeat Reipublicæ Christianæ, occurrendum est tacitè [su]spicioni, quæ alicui suboriri potest. Dicta enim hactenus cap: h[oc] a num: 22. demonstrant, & magnam, & crebram & vniuersalem h[ic] est, in omnibus Reipublicæ membris Iustitiæ legalis obligationẽ Co[n]trariũ tamen videtur esse, nam plurimi illâ se possunt eximere, eò quò[d] eam non norint, nisi valde pauci; vnde, & rarò fatentur culpam ob[li]gationis illius omissæ, frustra ergo illa, ita accuratè est explicata, & [ad] scrupulos potiùs non necessarios ingerendos, quàm ad aliquam hon[e]statis vtilitatem.

Suspicio huiusmodi non in hac solùm, qua de agimus iustitia, locu[m] habet, sed in multis alijs virtutibus: plurimæ enim vel ignorantur pr[o]sus, vel non bene percipiuntur a rudibus, rarissimèque ad praxim ded[u]cuntur, hoc tamen nõ obstantè, ij, quibus id incũbit debent conari, & [si] possunt efficere, vt & intelligantur probè, & verè, ac integrè exerc[e]antur. Neque tunc ingeruntur scrupuli, sed conscientia in tuto ponitu[r] vt quisque gnarus debiti, muneris sui, illud exequatur, si velit honef[stè] viuere. Itaque quod ad præsens spectat, si iustitia legalis ob inuincib[i]lem, vt aiunt Theologi, ignorantiam prætermittatur, hoc est ita, [vt] nunquam de illa vllo modo intellectum, auditum, aut lectum fuerit n[ul]la erit culpa: quoties autem, siue priuato, siue pastori. siue Princ[ipi] subeat mentem, vel obscura quæpiam obligationis dictæ notitia, [sem]per ea exequenda, quod si non fiat, committitur iustitia legalis.

40. Illud certè hîc prope mirandum, quod saltem cultoribus Christian[is]

igno

ignota sit in Rempublicam suam debita pietas, & obseruantia, cùm apud ethnicos solerter curatū sit, vt ea omnibus, vel quàm plurimis nota esset. Quare Aristoteles 5. Ethic: cap. 8. & 9. inter alia, ad conseruandam rempublicam, tria ponit necessaria, *primò*, vt leges vigeant, illarum enim transgressio, est ruina communitatis, *secundò* vt ametur Reipublicæ status, (ab eo maximè qui regit) timeaturque, ne labascat, *tertiò* vt virtus floreat, puniantur que illi qui licētiosè viuendo, alijs præbent exēpla similis vitæ. Hæc tum a Principe, tum a subditis exigebantur, ad bonum Reipublicæ, vt quisque sciret, quid deberet communitati. Et sanè non tantùm bona externa exempla, sed etiam internam virtutem exigendā esse, propter bonum communitatis videtur insinuare Aristoteles, illas enim Respublicas asserit mereri sui conseruationem a supremi gubernatoris Dei prouidentia, in quibus honestas viget, sicut è contra, in pœnam vitiorum, permittit ruinam.

Et quidquid sit de Aristotele, clarè id testatur Spiritus Sanctus Ecclesiastici 10. *Regnum a gente, in gentem transfertur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos:* vbi per iniustitias non solùm intelligūtur peccata manifesta contra proximum, quæ per iniurias clariùs exprimūtur, sed etiā quæuis inhonestas, & vitium iustitiæ vniuersali, seu omni virtuti contrarium. Ex quo tanquam certum deducendum est, in quauis communitate (parua illa, siue magna sit, & cuiuscunque Ecclesiastici, aschetici, aut sæcularis ordinis) singulorum peccata obesse cōmunitati in hoc, quòd diuinam in illam prouocent vindictam. Rectè Sanctus Augustinus, vt ostenderet quæ Regna, & Respublicæ habent in se suosque rectores diuinæ prouidentiæ oculos benignè conuersos: regibus, (per quos, cuiusque communitatis præses intelligi potest) commendat aliquot virtutes, ad quas pleræque omnes reducūtur, vt ostendimus priore parte libri huius capitibus de prudentia Ecclestiastici, & politici rectoris. Sic ergo loquitur explicans Tomo 8. Psalmi 137. illa verba. *Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, & cantent in vijs Domini: In quibus, inquit, vijs? in misericordia, & veritate; quoniam vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas, quid cantent? quoniam magna est gloria Domini, non regum: vide, quomodo Reges nolunt cantare in vijs, humiliter portantes Dominum, non se extollentes aduersus Dominum, nam si se extulerint, quid sequitur? quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, volunt reges respicj; humiles sint.* 41.

Virtutes, rectèque facta, eorum qui in communitatibus degunt, prodesse ad eius bonum, obesse verò vitia, & peccata, facilè concedemus si in vnoquoque eorum, ad duo attenderimus, & quod homo sit, & quòd 42.

membrum

membrum parsque Reipublicæ. Homo in se spectatus sibi, aut prodest. aut nocet. Nam si fuerit bonus, recipiet bonam a Iudice Deo mercedē si malus, malam. Membri, & partis, siue virtus, siue vitium redundat in communitatem, & duplici quidē ratione: sicut enim totum ex partibus conflatur, nihilque est aliud, quàm omnes partes, vnione quadam cohærentes sibi, ita & ea, quæ partibus insunt, siue bona, siue mala, totius sunt, cui partes se, suaque in commune conferunt: Et hac quidem ratione. Pars vna neque sua virtute, facit totam communitatem bonā, neque vitia malam, cùm ad bonum, vel malum totale, & integrum, requiratur aliarum quoque accessio partium. Nisi fortè quis per logicas quasdā sublimiores considerationes, a parte totum denominet, appelletque bonam, & rectam communitatem si caput eius, nimirum Princeps fuerit bonus, iuxta illud. A principali fit denominatio, vel si Princeps aut alius priuatus fuerit iniquus, totam Rempublicam vocet inordinatam, Malum enim ex quolibet defectu. Ceterùm hæc consideratio, partium in toto, speculatiua potiùs est, & propterea minùs facit ad nostrū intentum.

Est ergo alia ratio, qua vna pars toti prodesse, vel obesse possit, per operationem quandam moralem meriti, siue demeriti, quemadmodum enim in toto physico, verbi causa, corpore humano, vnaquæque pars, concurrit sua operatione ad bonum, & constitutionem illius, pes portando corpus ne labatur, oculus illuminando, vt deferatur tutò, quò necesse est, & sic de alijs membris, ita in toto politico, vnaquæque pars morali illa operatione, in illud influit, vt si est bona, mereatur a supremo Rectore Deo, præmium bonæ constitutionis, & conseruationis communitatis, si fuerit mala, mereatur pœnam, & virdictam.

43. Quapropter merita, vel demerita, persimilia mihi videntur, communi & publico ærario, nam sicut hoc a singulis confertur, & cumulus collectus expenditur ad Reipublicæ bonum, ab eo, qui præest thesauris, ita bona vel mala merita sigillatim sumpta singulorū sunt. Cæterùm cumulus eorum, a Deo, qui humana moderatur, iam acceptatur ad præmium, iam ad vindictam. Huius rei clarum legimus documentum, 2. Reg. 24. in Dauide, quem sic Deus per Gad Prophetam, castigans quandam vanitatem in recensendo vniuerso Israel, allocutus est: *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi, aut septem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios, & illi te persequentur, aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Hic manifestè videmus, delictum Regis ita nocuisse toti Reipublicæ, vt sicut ex opulento ærario, plurimis subuenitur: ita ex demeritorum cumulo

cumulo (quem vanitas illa Dauidis compleuit) plurimorum secutū est detrimentum. Et quod singuli in Republicâ addant ad cumulū demeritorū, quæ tandē consequitur vindicta, clarè testatur Dominus Matt: 23. vbi prædicens Scribis & Pharisæis graue iudiciū, pœnasque illas: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, addit has pænas non secuturas, nisi postquam impletus fuisset demeritorum cumulus. Implete, inquiens, mensuram Patrum vestrorum, illorum scilicet, qui occidebant Prophetas, vt ibidem testatur Dominus. Prudenter ad hoc propositū scribens, non contemnenda putat Aristoteles 5. Ethic: cap. 8. singulorum in Republicâ errata, sed vel præcauenda, vel quæ patrantur, tollendā è medio quantocius, ne in cumulum excrescant. *Maximè*, inquit, *omnium, quod exiguum est, caueri debet, detrimentum enim latenter obrepit, quia non totum simul contrahitur, ab ijs enim rebus decipitur intelligentia, vt ratio illa captiosa est: Si vnumquodque paruum est, erunt, & omnia parua, quod est quodāmodò verum, quodammodo secus. Nam totum, & omnia non sunt res parua, sed ex paruis constituuntur*. Ita Aristoteles. Vnde concluditur, singulorū facta nocere aut prodesse Reipublicæ, quod quidem, ita esse ostendimus non puto tamen ex iustitia legali obligari ciues, seu membra communitatis ad virtutem consequendam, præsertim internam: etsi enim Deus mouetur factis singulorum, ad prosperum, vel aduersum dandum Reipublicæ successum, id quod facit, vt promoueat in bonis, honestè viuendi voluntatem, malos autem vt corrigat (nam prospera totius communitatis fortuna, in gratiam bonorum concessa excitat eosdem ad rectè facta, aduersa terret, & corrigit malos, in quorum pænam permittitur) tamen hinc non debemus inferre, teneri vnumquemque esse probum ex Iustitiâ legali, alioquin singula peccata ciuium, haberent duplicem malitiam, vnam propriam, verbi causa, ebrietatis, furti, & similē; aliam contra iustitiam legalem, quod nemo asseret. Illa ergo iustitia legalis ab vnoquoque exigit, quæ legibus, vel præcipiuntur, vel possunt præcipi, etsi non exprimuntur, sed quasi præcepta intelliguntur, talia sunt externa quædam opera, & actiones, vt est defensio Reipublicæ, tributa, administratio bona communitatis, fuga scandali publici, & similia, quæ bonum, vel malum immediatè concernunt communitatis: cæterum virtutes reliquæ, sunt, vt dixi rationes, quæ Deum mouent, ad prosperam vel aduersam Reipublicæ concedendam fortunam.

Sectio XVII.

Qualis sit virtus Epiikia, & Quæ ad illam necessaria?

44. QVod autem dixi Iustitiam legalem, non solùm illa seruare debere, quæ legibus cauentur, sed etiam ea, quæ possunt caueri, etsi nulla sit de illis lex, explicari id debet, & vt clariùs constet adducẽda est communis doctrina Theologorum cum S. Thom: 2. 2. q. 20. Dari quandam virtutem dictam epiikiam, seu æquitatem, & quasi Iustitiam legis, aut intentionis interpretatiuam, quæ potest dici species condistincta, iustitiæ legalis literam legis attendentis duntaxat. Etenim iustitia legalis in suâ Vniuersalitate sumpta, est virtus bonũ partium, ad communitatem ordinans, iuxta præscriptum rationis; huius vniuersalis iustitiæ sunt species duæ, vna quæ attendit literam, tantùm, neque ab illâ recedit, potestque dici iustitia legalis, stricta, & seuera cortici legis alligata. Altera est iustitia, benigna, & laxior, quæ interpretatur mentem & intentionem legis, & legislatoris, præsertim supremi Dei, quid ille in vnaquâque actione fieri vellet, quidue lege sanciret, si illam ferret. Atque hæc dicitur Epiikia, virtus ad plurima negotia, operationesuẽ rectè obeundas, de quibus nihil constat ex legibus (neque enim omnia, & minuta præsertim, præceptis circumscribi possunt) apprimè necessaria. Quod ergo supra dixi ad iustitiam legalem spectare, non solùm seruare leges, sed illa quoque, quæ non sunt præscripta legibus, intelligendum est vtramque hanc iustitiam legalem, & strictam, & benignam debere adesse ei, qui integrè velit reddere, quod debet communitati, eiusque supremo Rectori, præsertim Deo.

45. Sed illud diligentissimè adhibendum est, vt is qui interpretatur legẽ, siue mentẽ, aut habeat datũ, aut petat dari sibi a spiritu Sancto donum; quod S. Paulus 1. ad Corinth: 12. appellat *donum discretionis*, quodque perfectis in virtute Christianâ putat communicari ad Hæbreos 5. *Perfectorum*, inquit, *est solidus cibus, eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni, & mali.* Hoc destitutus dono Saul 1. Reg: 13 Munus offerendi Deo holocaustum, in absentiâ sacerdotis, instante hostium formidine, sibi tribuit, sed malam fuisse diuinæ legis interpretationem testatus est illa seuera correptione Samuel: *Stultè egisti nec custodisti mandata Domini Dei tui, quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus Regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam Regnum tuum vltra resurget.* Quod in Saule fecit formido, alios alij affectus ad peruersam inducunt legis interpretationem, vt quisque ita de factis suis iudicet,

indicet, prout affectus est, id ne fiat, donum discretionis a Deo petendum, cuius, siue præsentis, indicia, siue adminicula adfuturi, dat tria Societatis fundator S. Ignatius in libello illo suo præstanti exercitiorum Spiritualium in fine hebdomadæ 2. vbi inter modos alios, sanæ, & ad Dei mentem, siue status viuendi, siue cuiuscunque negotij, electionis, dat hos tres, sunt verba eius, *Secunda Regula est considerare, si quis mihi vir amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse cupiā, occurreret dubius super electione huiusmodi, quidnam ego illi decernendum maximè essem consulturus, quo animaduerso, agendum & mihi ducam, vt suaderem alteri.* Tertia, *mecum insuper reputare si mors ingrueret, quem me mallem obseruasse modum, in præsenti deliberatione, iuxta hunc igitur, eligendum esse nunc facilè intelligam.*

Quarta, *prospicere, quando pro tribunali sistar iudicandus, quo me consilio hac in re vsum esse vellem, quo agnito nunc vtar, vt eo tēpore magis sim securus.* Tria ista quilque in se experiatur ex mente huius Sancti viri, hisque dirigatur, oportet, quoties vult legem aut mentem Dei, sana epijkia, interpretari: de quâ & de totâ iustitiâ legali, iam dicta sufficiant: progrediendum ad alias potentiales iustitiæ partes.

Harum altera est Religio. quæ ideo dicitur pars potentialis, quia nec perfectam habet distinctionem a Deo, ad quem illa refert hominē, nec illi potest reddere æquale. Non habet inprimis distinctionem homo a Deo perfectam, vt ad illum per hanc virtutem ordinatur, est enim conditione creaturæ opus ipsius, & quasi quid eius, non in eâdem substantiâ, sed virtute, & in effectu, qui a Deo procedit, multò magis, & strictiore dependentiâ, quā filius a patre, si ergo in filio, & patre est quædam vnitas in substantiâ materiali acceptâ a Parente, pari ratione erit in homine, & Deo vnitas in eo quod homo a creatore accipit, nempe in corpore, & animâ, & quidquid tandem habet, a Deo accipit, in quo virtute quâdam eminenti (vt aiunt Theologi) continentur illa omnia: sicut substantia corporea filij, in parentibus continetur vt sic dicatur identitate formali, ex quo capite Religio caret perfectâ duorum distinctione. Non potest etiam reddere æquale Deo, cùm enim sit homo (eâdem conditione creaturæ) seruus, & mancipium ipsius; seruus autem quidquid est, & habet, Domini habet, nec vt talis, vllâ re propriâ gaudet, sequitur, vt homo nequeat reddere Deo debitum ad æqualitatem, siue rem propriam, quæ æqualis sit benefactis diuinis, quemadmodum testatur David Psalm: 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* 46.

Tertia est virtus pietatis in parentes, hæc etiam iuxta dicta de religi- 47.

one, in vtroque deficit a perfectâ Iustitiâ, cùm nec distinctionem habeat, nec Æquale reddat parentibus pro vitâ, pro vitâ inquam, non tantùm pro corpore. Etsi enim proles, corpus duntaxat sortitur a parentibus, animã autem viuificantem creat Deus, cùm tamen hoc corpus disponatur per corporeas qualitates, a parentibus impressas, quæ disponendo exigunt animã tanquam formam, idcirco vita etiam ipsa confertur aliquâ ratione à parentibus: pro vitâ autem, nihil æquale potest reddi, cùm illa sit fundamentum cæterorum bonorum.

48. Quarta virtus est obseruantia quæ debetur dignitati, & excellentiæ honestatis, & hîc quidem potest esse distinctio duorum integra, sed & in æqualitate est defectus, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 80. art: vnico: virtuti enim non potest par præmium refundi, cùm virtus, & honestas supremum sit bonum, quæ in creatis reperiuntur. Est etiam defectus in debito, neque enim virtute præditus, habet ius proprietatis, ad debitam sibi obseruantiam, tanquam ad rem, & possessionem quandam, sed habet ius cuiusdam cõgruentiæ moralis: congruũ enim est vt virtus sit in honore. Porro non est hîc sermo de illo honore, qui deferendus est Dominis, ac Præsidibus, hic enim potest deberi a subditis, ex iustitiâ commutatiuâ, pro labore, & curâ a superioribus impensâ, aut pro mercede, quam dant Domini famulis, aut ex aliâ causâ, qualis est debitum obedientiæ; est ergo hîc sermo de illo honore, qui præcisè excellentiæ, virtutique debetur in quocunqúe illa sit.

49. Quinta est veritas vbi potest quoque esse distinctio, inter veracem, & eum qui veritatem excipit, potest item esse æqualitas, vt tanta sit in veraci fides, & sinceritas, quanta proximo est necessaria: verùm in iure, & debito, interuenit defectus, neque enim is, qui veritatem audit, habet, ius, tanquam ad propriam suam rem, ad dicentis veracitatem, sed hoc ius, & debitum est cuiusdam honestatis, & decoris, decet enim vt homines inter se sint veraces, & sinceri.

50. Sexta est gratia, seu gratitudo pro benefactis, hic etiam similis veritati iam dictæ, est defectus iuris proprij: sola enim congruentia exigit iure quodam, vt benefacienti vicissim fiat benè, ab eo, qui accipit beneficium.

Septima est amicitia, seu affabilitas, in qua simili modo debitum est congruentiæ cuiusdam, vt vnus iucundè alteri conuiuat.

Octaua est liberalitas, in hac par ratio congruit debiti, vt quis non parcat sumptui in gratiam alterius, cui velit benefacere.

Tandem est virtus vindicatiua, quæ duplicem habet cõsiderationem; aut enim sumitur pro compensatione æquali malefactis, vt nimirum tantùm

tantùm quis luat,quantũ alteri nocuit, atque ita est actus iustitiæ cõmutatiuæ a iudice debitæ: qui ex officio suo debet iustè punire: aut accipitur pro eâ animi qualitate,quâ quis honestè exigit vt infligatur peccanti pœna, & sic est virtus iustitiæ potentialis, habens quidem distinctionẽ, & æqualitatẽ, sed deficiens in debito iuris: solâ enim congruentiâ quadam honestatis, non ex aliquo iure ad rem propriam possum optare, & petere peccantibus vindictam, siue vt fiat Sancta a Iudice Iustitia.

Plures virtutes Iustitiæ, non assignantur ab autoribus vt docet S. Thomas 2. 2. q. 80. art. vnico, sed si quæ dantur, ad has facile reduci possunt, de quibus iam a commutatiuâ iustitiâ inchoando sigillatim agendum: exceptâ iustitiâ legali de qua hoc capite satis dictum est. & exceptâ iustitiâ distributiuâ, de qua etiam hoc eodem capite tractatum.

CAPVT V.

De duplici operatione Iustitiæ commutatiuæ.

DVæ sunt species, & subiectiuæ partes iustitiæ, distributiua, & commutatiua, de priore iam dictum est præcedenti capite a num: 10. de posteriore agendum: & cùm quid sit in se cõmutatiua explicauerimus eodẽ capite ac numero afferẽda hîc sunt ea,quibus illa ita læditur, vt in iniustitiam & iniuriam commutetur. Quod vt ordine fiat, enumeranda sunt obiter bona, in quibus proximo iniuria, damnumq; inferri solet, hæc autem sunt quadruplicia, bona videlicet facultatum, famæ, honoris, corporis, postremò animæ, de quibus singulis agendum, ostendendique modi, quibus in his bonis violetur iustitia commutatiua. 1.

Et primò quidem iniustitia generaliter sumpta vnâ actione committitur, scilicet, ablatione dictorum bonorum iniuriosâ, quæ aduersatur iustitiæ duplici operationi, quarum prior est, vt proximus in suo iure conseruetur, retineatque semper id, quod habet proprium, altera est, restitutio eius quod iniquè ablatum est, siue idem prorsus, vt si equus fuerit ablatus, reddatur equus, siue æquiualens, vt pecunia pro equo, & pro contemptu, honor, & sic in alijs. 2.

Sectio I.

Quisnam debeat restitutionem facere?

DE iniustitiâ, quæ priori, ex enumeratis duabus iustitiæ operationibus contraria est nihil occurrit difficultatis peculiariter exponendæ, vt verò iniustitia innuit retentionem bonorum ablatorũ, 3.

compen-

compensandáque est restitutione; nonnulla hic explicanda sunt, quò constet modus, & ratio corrigendæ iniustitiæ.

In restitutione ergo quatuor diligenter expendenda, hæc autem sunt, quisnam debeat restituere, cui, quantum, & quando? Ac quod ad primum attinet, certum est debere eum restituere, qui aliquid re ipsâ accepit, dico re ipsâ, nam qui tantùm voluit mente accipere, etsi peccauit si iniustè alienum concupiuit, tamen cùm non habeat quidquam alieni, nihil est quod restituat: is ergo, qui re ipsâ aliquid accepit, debet reddere, siue vnus ille sit, siue plures. Et si plures fuerint, duplici ij ratione iniustitiam committere possunt, siue accipiendo, & retinendo alienum, siue damnum duntaxat inferendo, & corrumpendo rem alterius. Autenim (vt in hac materiâ dicunt Doctores) partialiter ex parte effectus concurrunt, hoc est vnusquisque partem accipit, vel partem damni infert, verbi causâ, vnus accipit centum aureos, alter totidem, aut certè partialiter ex parte causæ, hoc est, plures vnam totalem causam iniusti operis constituunt, vel quia vnus solus non potuit tantùm nocere, vel quia, licet potuit, placuit tamen socium habere æquè principaliter ad nocendum concurrentem. Si primo modo iniustitia commissa est, partemque damni vnusquisque intulit, accepitúe partem alieni, partem quoque refundere debet: tanta enim debet esse restitutio, quantùm est damnum, aut res aliena detenta. Quod si plures vnam totalem damni causam constituerunt, & æquè principaliter ad illud concurrerunt; damnum quisque debet refundere in solidum, hoc est, totum vnusquique tenetur reddere. Ne tamen iniuria alicui eorum in restitutione fiat, & vnus duntaxat det totum, alter nihil, æquali portione restitutionem inter se partiri debent, vt tandem totum ab omnibus restituatur: verbi causâ, si 4. Socij domum combusserunt, valentem 400. aureis vnusquique ex parte sua debet dare centum: & si aliquis ex ijs nolit, alij defectum supplebunt, ab illo tamen, qui noluit, compensationem licet exigere. Quia verò inter ipsos, qui vnam totalem damni constituunt causam, non æqualis est concurrendi ratio, ideo adferenda est doctrina, vt vitetur in restituendo error,

Sectio II.

Quæ causa restitutionis, & quot modis infertur alteri damnum, vel iniuria?

4. ID totum meliùs intelligetur si duo aduertantur, causa videlicet restitutionis, & modi aliquot, quibus fit alteri damnum. Causam explicat S. Thom: 2. 2. q. 62. art: 6. in corp: vbi sic ait. *Dicendum quod circa illum*

ca illum, qui rem alienam accipit, duo sunt consideranda scilicet, ipsa res accepta, & ipsa acceptio, ratione rei, tenetur eam restituere, quamdiu eam apud se habet; quia quod habet vltra id: quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei, cui deest, secundum formam commutatiuæ iustitiæ. Sed ipsa acceptio rei alienæ potest tripliciter se habere, quandoque enim est iniuriosa, scilicet contra voluntatem eius, qui est rei dominus vt patet in furto, & rapinâ, & tunc tenetur ad restitutionem, non solum ratione rei, sed etiam ratione iniuriosæ actionis, etiamsi res apud ipsum non remaneat, sicut enim qui percutit aliquem, tenetur compensare iniuriam passo, quamuis apud ipsum nihil maneat, ita etiam qui furatur, vel rapit tenetur ad recompensationem damni illati, etiamsi nihil inde habeat & vlterius pro iniuria illata debet puniri. Censent autem nonnulli Theologi citati a Lessio lib: 2. de iustitia cap: 7. dub. 6. etiam teneri ex iniuriâ veniali ad restituendum, siue magnum, siue paruum illud sit. Si enim contractus voluntarius obligat ad dandum quidpiam alteri, cur non culpa voluntaria, etsi leuis? Itaque qui veniali iniuria fecit alicui damnum magnum, sub eâdem veniali culpâ obligatur ad compensandũ illud, neque potest dimitti culpa nisi fiat cõpensatio magni dãni, sicut nõ dimittitur, si paruum damnum veniali culpâ comissum non compensatur, siquidem in vtroque casu non est verum pœnitentiæ, & emendationis propositum. *Alio modo aliquis accipit rem alterius in vtilitatem suam absque iniuriâ, cùm voluntate, scilicet, eius cuius est res, sicut patet in mutuis, & tunc ille, qui accipit tenetur ad restitutionem eius, quod accipit, non solùm ratione rei, sed etiam ratione acceptionis, etiam si rem amiserit: tenetur enim recompensare ei qui gratiam fecit, quod non fieret si per hæc damnum incurrat. Tertio modo aliquis accipit rem alterius absque iniuriâ, non pro suâ vtilitate, sicut patet in depositis, & ideò, ille, qui sic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis, quin imò accipiendo impendit obsequium, tenetur autem ratione rei & propter hoc, si subtrahatur ei res absque suâ culpâ, non tenetur ad restitutionẽ. Hæc S. Thom:* ex quibus inferendum est illum debere restituere, qui retinet alienum, siue iniuriosè ablatum siue sinè iniuria.

Quod verò spectat ad modos, quibus infertur alteri damnum (quidquid sit quod res aliena interdum non detineatur) eos censet idem S. Thom: eâdem q. art: 7. in corp: duos esse, vnus est, cùm fit iniuria â quopiam solo, non vtente vllo alio, tanquam socio damni illati, alter est, cùm adsunt socij, qui quot modis, & vijs possunt suam operam alteri locare in inferendo damno, versiculus ille continet. 5.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ex his concurrendi ad alienum damnum rationibus, quicunque aliquâ vsus

quâ vsus est re ipsa causa illati damni, tenetur ad restituendum tantùm, quantùm nocuit: si totius damni est causa, totum debet restituere, si in parte nocuit, partem reddet, sicut numero tertio diximus. Requiritur autem, vt re ipsa sequatur damnum, nam si consilium datum verbi causâ, non induxit alterum ad inferendum re ipsâ damnum, non est quod resarciatur, vt dictum est supra num: tertio. Est etiam necessarius ordo, in restitutione seruandus inter eos, qui sunt totalis causa damni cuiuspiam: communiter autem is ab authoribus assignatur, vt primò teneatur reddere, qui aliquid retinet, tum is, qui re ipsâ executus est iniustitiam, aut mandauit executionem, post hos alij consulentes, consentientes, & cæteri. Itaque vbi primus restituerit, secundus ad nihil tenetur, & multò minus alij sequentes, quòd si primus nolit, secundus debebit, quod si secundus etiam nolit, reliqui tenebuntur supplere defectũ, & compensationem ab illis possunt exigere, qui primò debebant restituere.

6. Ex hac duplici S. Thom: doctrinâ num: 4. & 5. allatâ non difficulter, colligi potest obligatio, qualis sit in eo, qui debet restituere. Primò enim is tenetur restituere, qui habet rem alienam, sine iniuria acceptam, quo pacto debet reddi, accomodatum, depositum, aut inuentum aliquid is verò qui concurrit aliqua ratione ad accipiendum rem huiusmodi, nullam habet restituendi obligationem, cùm nihil possideat. Quod si quis accipit alienum sine iniuriâ, eò quòd bona fide putauerit esse suum, vbi didicerit alienum esse, reddere illud debet, & si antequam didicisset, consumpsit, restituere tenebitur id, in quo est factus ditior, seu id quòd cõseruauit integrum, alieno interim viuendo. Secundò is, qui accipit aliquid proximo, cùm iniuriâ, siue illud retineat adhuc, siue iam consumpsit, siue nihil habeat, acceperitue, sed tantùm damnum intulit, debet non tantùm rem alienam restituere, sed etiam iniuriosam compensare inuasionem, & quicunque ad talem iniuriam concurrit, eidem subest restitutionis obligationi, in eâ proportione, in quâ fuit causa damni, & iniuriosæ actionis, iuxta superiùs dicta num: 3. 4. & 5. Plura de restitutione minutiora, a Theologis & Casistis petenda, quæ legi possũt in Caietano 2. 2. c. 7. 8. 9. q. 62. art: 4. 5. 6. & 7. & Lessio de Iustitiâ & iure libr: 2. 13. & sequentibus aliquot.

Sectio III.

Quàm stricta sit obligatio restitutionis?

7. A nobis afferenda sunt hîc illa, quæ cõducunt ad formandos mores, honestatemque iustitiæ commutatiuæ declarandam. Certum itaque indubitatumque apud omnes esse debet, obligari ad restitutionem

tionem sub amissione vitæ æternæ, siue sub graui peccato primò eos, qui soli aliena possident, aut soli alijs damna, iniuriasque intulerunt, si hæc aliena & hæc damna, atque iniuriæ notabilia sunt non exigua; exigua enim sub veniali culpà obligant ad restituendum. Id manifestũ est, vel ex ipso decalogo, in quo sunt aliquot præcepta prohibentia aliorum damna,& iniurias,quale,est quintũ, Nõ occides, septimũ, Nõ furtũ facies, & cætera, quæ Dominus Math: 5. explicat, asseritque non tantùm vitanda esse damna & iniurias proximi in ipsâ primâ iniustitiæ operatione, sed etiam in omissione compensationis damnorum, atque iniuriarum. Ita enim ibi loquitur: *Si offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo.* Ne verò quis putet hanc reconciliationem leue quid esse, neque tanti faciendam, vt existimetur graui Christi mandato iniuncta esse; addit sequentia, quæ ostendunt, magnam esse culpam, omissionem restitutionis eorum, quibus frater læditur: *Esto*, inquit *Christus*, *consentiens aduersario tuò, citò dum es in uiâ cùm eo, ne forte te tradat aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*, hoc est, nunquam in inferno si peccato mortali obnoxius decedes, vt explicat hunc locũ Maldonatus cùm Augustino quãquam si venialis solùm culpæ quis sit reus, exibit, vbi ad minimum quadrantem soluerit, vt interpretatur Cornelius cùm alijs eundem locum. Eâdem obligatione tenentur ij, qui iuxta illum versiculum supra num 4. positum concurrunt ad iniustitiam. Secundò ergo debent restituere, qui iubent auferre detinereuè iniustè aliena, quales sunt domini, & qui authoritate pollent, apud eos, quibus imperant. Tertiò qui ad idem præbent consilium, siue illi pares sint, vt amici, siue impares, vt famuli. Quartò qui consentiunt iniustè operantibus, eiusmodi sunt amici, famuli, socij, cõsensus tamen hic externis signis prodi debet, alioqui, si intus latet, non inducit alios ad iniustitiam. Quintò Adulatores, qui applaudunt iniustè agentibus. Sextò qui recipiunt, fouent, iuuant damna inferentes; tales sunt domini, & ij, qui custodiunt malè parta. Septimò, qui iniustè acceptis vtuntur, vt sunt conuiuæ, & qui furtorum, aut rapinarum partem sortiuntur. Octauò qui cùm possint & debeant, non impediunt iniusta agentes, debet autem, vt rectè docet S. Thom: 2. 2 q. 62. art: 7. in corpore, vnusquisque in officio constitutus, pro quo accipit stipendium. Nam talis tenetur ex iustitiâ commutatiuâ impedire aliorum damna. Ita obligantur Custodes ciuitatum, thesauri, & bonorum, deferre iniusta patrantes, ad illos, a quibus conducuntur: Hoc modo etiam obligantur

V Principes

Principes iniurias a suis subditis propellere, ideo enim ab illis benè, & honoratè tractantur, pensionesque percipiunt, vt quisque in suo iure, ac possessione conseruetur.

8. Quod si quis non accipit, nec conducitur stipendio ad arcenda aliorũ mala, potest tamen sine suo in commodo illis obuiare, debet id facere non quidem ex iustitiâ (vnde si id omittit, non tenetur ad restituendũ) sed ex Charitate contra quam peccat, eò quòd non præstet, id quod sibi in simili causa præstari vellet. Cæterum si cui immineat aliquod periculũ, siue sui, siue bonorum suorum, non tenetur ex charitate, aliena tueri, cũ tanto suo incommodo: charitas enim ordinata a se ipso incipit, vt dicemus agendo de charitate. Id ipsum asserendum est de ijs quoque, qui ex Iustitiâ tenentur impedire aliena mala, neque enim hi, propter stipendium acceptum debent maioribus, aut æqualibus bonis se priuare (cùm nullus prudens ad hoc se propter stipendium obliget) sed minoribus duntaxat, quapropter Principes, debent mala communitatis, quæ vergunt in ruinam aut magnam perniciem eius, præsertim æternæ salutis multorum, aut omnium etiam, cùm periculo vitæ impedire, talia quippe mala sunt, maiora priuatis incommodis, eodem modo milites, mortem oppetere parati esse debent, si aliter Rẽpublicam tueri non possũt.

Hæc certa sunt apud Doctores, qui legi possunt in Lessio de Iustitiâ lib. 2. cap. 13. dubit: 9. 10. & 11.

Sectio IV.

Cuinam debeat fieri restitutio?

9. HOc est secundum ex propositis suprà num: 3. quod in restitutione expendi debet, vt illa recte fiat. Certum ergo est, illi esse restituendum, cui aliquid ablatum est, quòd si vel moriatur, vel nesciatur, vel procul sit, ita putat S. Thom: 2. 2. q. 62. art: 5. ad 3. faciendũ, si mortuus fuerit, hæredibus eius restituendum, nisi fortè nulli hæredes supersint, tum enim pauperibus vel in pias causas dandum: si ignoretur, pari modo, vel in pauperes, vel in pias causas partiendum: si procul distet, quærenda cõmoda opportunitas transmittendi, & reddendi. Quãquam quod attinet ad ea, quorũ Dominus non superest, vel certè ignoratur, rectè censent Doctores, apud Lessiũ de iustitia lib: 2. c. 14. dub: 6. & 7. (qui quidem potissimè agunt de ijs, quorum ignoratur Dominus, sed etiam videtur ratio aliorum, quorum non superest vllus Dominus) rectè inquam censent, solùm lege positiuâ in pauperes esse di-

stribuenda,

Digitized by Google

stribuenda, si per delictum sint occupata. Illa autem, quæ sine delicto occupantur, ex consuetudine duntaxat piâ, piè distribuenda esse, & si is, qui aliquid alienum tenet, pauper sit, æquè sibi, atque alijs potest eadem applicare. Ratio autē cur ita, & benè sentiunt prædicti Auctores, est, quia bona temporalia sunt multò inferioris ordinis, bonis Spiritualibus, quales sunt eleemosinæ, vel ad Dei cultum promouendū expensæ fieri solitæ: non ergo facienda est compensatio, per hæc superiora bona, bonorū inferiorum, sicut nec bonorum etiam temporaliū minorū, fieri debet compensatio per bona temporalia maiora: nullus enim tenetur vitam dare, pro debito, verbi causa, pecuniæ. Itaque ex sola piâ consuetudine per eiusmodi eleemosinas fieri compensationem, vt cui temporaliter non possit esse restitutio, eius animæ prosit, si tamen est in eo statu, vt prosit; si enim iam mortuus fuerit, & dānatus, nihil proderit.

Sectio V.

An ea, quæ pro malo opere data sunt, debeant restitui danti?

DVbitationis istius ratio potest esse hæc; cùm enim malum opus nullius sit momenti, aut pretij (nam peccatum, vt docent Theologi cum S. Thom: 1. 2. q. 109. art: 2. & alibi, est nihil, seu inopia boni honesti) sequitur, vt quidquid pro illo accipitur, perinde sit ac si pro nullà re acciperetur, nihil autem & nulla res, vendi, aut æstimari non debet: is ergo, qui pro tali nihilo pretium accipit, videtur debere illud restituere danti, tanquam decepto. Huic dubio fiet satis, si in malo opere duo distinxerimus, malitiam videlicet, & ipsum operis laborem, in eoque contentum commodum aliquod temporale, quod in vitâ hac mortali pretio æstimatur. Pro malitiâ, nihil potest accipi: nullius enim illa æstimationis est, vt iam diximus: pro opere tamen potest accipi tantùm, quantùm illud prudenti æstimatione valet. Quapropter meretrices non tenentur reddere pretium corporis ad vsum concessi, qui malus quidem est; sed tamen pretio æstimabilis propter commodū turpis voluptatis: & idem Iudicium ferendum de alijs quibuscunque, etiam contra iustitiam, operibus malis; qualia sunt cædes, rapinæ & similia; vt tenet S. Thom: 2. 2. q. 32. art: 7. in corp: & q. 62. art: 5. ad 2. vbi tamen addit, restituendum esse illud, quod lege aliqua prohibitum est dari, ita quidem vt non tantùm non detur licitè, sed etiam validè. 10.

Vnde pretium pro beneficio Ecclesiastico per simoniam collato, re- 11.

 stituen-

stituendum censet ibidem S. Thom: & cùm illo Caietanus in articulũ illum 5. alijque, non quidem conferenti, sed pauperibus, etiam ante sententiam iudicis. Ipsum beneficium Ecclesiasticum simoniacè acceptum debet reddi Ecclesiæ quoque: Sic enim ius statuit in Extrauagante, Cùm detestabile, de simonia & alijs locis, quæ citat,& in particulari expendit Lessius de iustitiâ lib. 2. cap. 35. a dub. 28. ad 31. Quòd si hoc nō statuissent iura de Ecclesiastico benèficio,& pretio; nec pretiũ nec ipsum beneficiũ restituendũ esset; quamobrem aliæ res spirituales, quas iura non prohibent pretio vendi, possunt validè (etsi illicitè, & & simoniacè id fiat) pro pretio acquiri, quales sunt reliquiæ, & similia.

12. Ex hac communi doctrinâ deducendum est non minùs certum, & ad mores spectans dogma duplex; primum de promissione pretij dandi pro opere malo. Nam antequam opus re ipsa fiat, is qui promisit non tenetur anticipatè soluere; cùm nihil sit factum pretio æstimabile, promissio etiam mala (qualis est pro opere futuro malo) non tenet, neque obligat, cùm sit contra conscientiam, ad hoc autem quod est contra Deum, & conscientiam nemo obligatur, vbi verò opus malum adimpletũ fuerit, promissio in conscientiâ soluenda, & labor, aut cōmodum tēporale compensandum.

13. Alterum dogma est: illa opera non sunt pretio soluenda, quæ iam sufficienti stipendio soluta, & compensata sunt, ratio huius ex dictis clara est: si enim opera alioquin mala, eò quod sint pretio æstimabilia, debent iustè compensari; profectò omne opus siue malum, siue bonum, si non est pretio æstimabile, non debet compensari: non est autem pretio æstimabile illud opus quod iam sufficienter solutum est; in eo enim nihil iam restat, quod ampliùs æstimetur, aut soluatur. Quapropter ij, qui debent aliquid præstare ex officio, quod habet sufficiens stipendium, aut annuos reditus annexos, vt sunt iudices, thesauri dispensatores, & id genus alij: inter ecclesiasticos etiam curam animarum habentes, hi inquam si *aliquid* pro labore, & curâ ex officio debitâ, accipiant, debent illud danti restituere: accipiunt enim pro eo, quod iam est sufficienter solutum. Nisi fortè in opere aliquo, ex officio præstito, tantus adhibeatur labor, & industria in gratia m alterius, ad quantam in munere constitutus, non obligetur pro merito stipendij: in hoc enim euentu potest exigere, & accipere tantùm quantùm valet, id quod vltra debitum facit. Potest etiam aliquid accipi, pro opere ex officio debito, si gratìs, & vt donum liberale, non autem vt stipendium offeratur, is tamen qui accipit, cauere debet, ne videatur exigere datum, tanquam debitam mercedem; alioquin occulta erit solutio, etsi doni speciem colorem-

coloremque præseferat. Id quod multò magis ibi cauendum est vbi legibus est præscriptum, vt nihil pro opere eiusmodi, etiam tanquam donum accipiatur, & si quid acceptũ est restituatur. Quæ leges iustè, vtiliterque ferũtur, propter corruptiones & multa incõueniẽtia vitanda.

Sectio VI.

Quantum, & quando restituendum?

HÆc duo restant de restitutione explicanda; & quod ad primum attinet, clarum est ex dictis, tantùm debere reddi, quantùm est ablatũ, vt æqualitas & ius cuiusque in rẽ suã integrè conseruetur. 14
Verũ rei ablatæ tria possunt annecti, vel saltẽ aliquod ex tribus; & quicquid illud fuerit cõpensari debet iustâ restitutione; vt docet S. Thom: 2. 2. q. 62. art: 3. & 4. Solet quidẽ disputari subtiliùs in Scholis; an bonis, quæ sũt ordinis superioris debeat fieri cõpensatio perbona inferiora vel è cõtra verbi causâ; an fama cõpẽsãda sit pecũia, vel è contra. Sed hac disputatione omissâ, id solũ dico, quod ad mores deseruiat, vt quacunque ratione, adhibito prudenti iudicio fiat restitutio, modo læsus sit cõtentus; omnis illa sufficiens sit habenda. Inprimis euenit sæpenumero, vt auferatur res alteri cũ iniuriâ; ita auferunt qui palam rapiunt, inuadunt, & his similia patrant: Quod dũ fit, non solùm res ablata reddẽnda est integrè; sed etiã iniuria cõpensanda, siue per debitã pœnã a iudice impositã, siue aliquâ aliâ ratione, ad arbitriũ viri prudentis. Ita ipsemet Deus Exodi 22. statuit; *Si læserit, inquit quispiã agrũ, vel vineã, & dimiserit iumentũ suũ, vt depascatur aliena, quidquid optimũ habuerit in agro suo, vel in vineã pro dãni æstimatione restituet.* Non erat cõtentus Deus, vt tantũ redderet, similibus, & æqualibus, quãtũ intulisset dãni, sed vt ex melioribus, imò ex optimis suis, tantũ daret, quantũ prudenti iudicio æstimaretur læsio & iniuria annexa dãno. Ex quo diuino mandato, lato olim in Iudæos, rectè illi facere cẽsendi sũt, qui nõ tãtũ dãnũ, sed iniurias etiã æstimãt, imò si sint homines magnæ authoritatis, pluris faciunt iniuriã sibi illatã, quã ipsũ dãnũ; eò quòd tales maius nocumẽtũ in famâ, vel honore perferant, quã in possessione, aut pecuniâ.

Hinc etiam clarè deducitur, iustissimam Deum habere causam, cur tantũ zelet pro suis dilectis; vt Zachariæ 2. dicat: Qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei; huiusmodi enim homines magnæ sunt in oculis Dei authoritatis, ingentisque æstimationis, propter dona, supra omnem naturam ab illo, sibi tanquam amicis suis collata; quo fit, vt iniuriam ipsorum suam reputet, & velut suam vindicet; parumque est illi id facere, quod de se scriptum reliquit per Psaltem, Psal: 33. *Custodit Do-* 15.

stodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur, vt etiam ipse de se testatus sit Matt: 10. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt:* Et Luc: 21. *Eritis odio omnibus propter nomen meum, & capillus de capite vestro non peribit.* Tanti amicos Dei ab ipso fieri benè ille nouit, qui (nimirū vnus ex ipsis) fidenter dicebat Psal: 16. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me vt pupillam oculi, sub vmbrâ alarum tuarum protege me.* Magna hæc est in Deum fiducia, arbitrari æquè illi se gratum, ac est grata pupilla propria Deo, & eum se putare apud illum esse, quem ipse protegat alis suis sub quibus non solùm tutus sit; sed & commodè, nimirum, in vmbrâ earum requiescat.

16. Hoc est primum quod iniustæ rei alienæ detentioni, solet adiungi, nempe iniuria. Alterum est damnum, ex alieni acceptione (siue ea iniuriosa fuerit, siue non) consequens; quod etiam, aut sententia iudicis, aut arbitrio prudenti compensandum est. Simile est tertium, quod solet annecti acceptæ rei alienæ lucrum videlicet cessans: nam qui caret re propriâ, verbi causa, pecuniâ, non potest eâ vti, ad comparandum sibi commodum, & lucrum; hoc igitur compensari debet. Ex quo fit, vt interdum is, qui mutuam accepit pecuniam, teneatur vltra summam capitalem, soluere aliquid amplius, si, qui mutuum dedit, defectu illius, aut damnum fuerit passus (eò quòd ipsemet mutuum accipere sit coactus soluendo interesse) aut lucrum omisit; non vtendo pecuniâ mutuò datâ ad suum commodum, id est, ad augenda bona. Hæc a bono magistro edoctus Zachæus Lucæ 19. ipse sibi imposuit plus restituendum, quàm ab aliquo accepisset; ita enim testatus est Domino apud se prandenti: *Si quem defraudaui, reddo quadruplum:* sciebat, nimirum defraudatos a se, & lucra intermisisse, & damna passos, quæ tam copiosa restitutione volebat integrè resarcire.

17. Expendāt illi tantam iustitiæ obligationē, qui alios ad grauem, aut extremam redigunt miseriam, auferendo aliquid, quòd interdum leue in se videtur, sed grauissimè nocet, quando illud leue, victum, amictū, vitam denique ipsam tollit, vel certè viuendi rationem, morte efficit acerbiorem. Leue videbatur tanto Monarchæ, quantus fuit Rex Dauid 2. Reg: 10. & 12. subdito suo, homini priuato, coniugē, vitāque auferre; cæterum apud Deum, tanti duplex hæc iniustitia æstimata est, vt audierit: *Non recedet gladius de Domo tua vsque in sempiternum; Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis, in oculis solis huius; tu enim fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud, in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Qui rectè contulerit compensationem, quam diuina Iusti-

uina Iustitia exigebat a Dauide, cum duplici illa homicidij, & adulterij iniustitia, reperiet illam, multo maiorem esse hâc: pro vnius enim priuati vita gladius in Regis familia, plures absumpturus erat; pro vna subditi vxore, multæ Reginæ erant fædandæ; postremò clandestinum factum, communi totius Regni notitia, puniendum fuit.

Et omnia quidem hæc, ita vt prædictum est completa legimus, cùm 18.
Absolon fratrem suum ob vitiatam sororem Thamar gladio sustulerit, 2. Reg. 13. cùm idē Absolon pulso Dauide Patre suo è Regno, ingressus fuerit ad concubinas ipsius, corā vniuerso Israel, 2. Reg: 16. & cùm tot, cum ipso Absolone cæsi sint, 2. Reg: 18. Vnum duntaxat, in præfata pœna donatum vtcunque videtur pœnitenti Dauidi; quod gladius, qui in sempiternum in domum eius sæuire debuit, cessauerit tandem: videtur, inquam, hæc pœna donata, cùm tamen, reuera, & hæc permanserit. Nam, & ipse Salomon, alias pacificus fratri Adoniæ cædem intulit, 3. Reg: 2. & sequentibus deinde temporibus, non pauci è posteris Dauid, gladio sublati sunt.

Quod verò reliqua omnia prædicta, effectū suum sortita sint, æquis- 19.
sima id Dei iustitia factum est, quæ non solùm Vriæ necem & coniugis eius labem attendit, sed consequentia etiam damna pudoris, videlicet honestatisque consorti ablatæ, cui conuiuere (si superstes fuisset maritus) acerbum, & ignominiosum futurum erat. Omitto scandala, ex hoc abusu Dauidis consecuta: Idem enim alij subditi eius, non leui coniectura timebant sibi, quod in Vria optimè de Rege, & Republica merito, videbant factum. Scandala eiusmodi crebra esse in mundo necesse est, quemadmodū testatur Saluator Matt: 18. Potentiores enim opprimunt debiliores, vt suæ seruiant, siue dominandi, siue alteri libidini; & qui nulli noceat, ac innocens sit, talis esse debet, qualem S. Aug: Thom: 8. in Psal: centesimum, depingit, scribens in illa verba: *Perambulabam in innocentia cordis mei. Duobus*, inquit ille, *modis nocet homo, aut faciendo miserum, aut deserendo miserum, qui infert violentias, insidias, rapit res alienas, coniugia aliena solicitat, calumniosus est, vult inferre hominibus, vnde doleant?* Et paulò inferiùs subdit; *Sed quis est innocens, qui nec sibi nocet? ait aliquis, Quis me questus est? cui aliquid tuli? de labore meo bene mihi faciam, conuiuium habere volo: bibere cum quibus volo, innocens videtur. Sed si seipsum corrumpit, si templum Dei in se euertit, quid expectas, vt in alio faciat misericordiam? qui in se crudelis, esse in alium misericors potest? tota Iustitia, ad vnum verbum innocentiæ redigitur.* Hæc Augustinus. Cuius sententia, ille duntaxat se iustum putet, qui dicit iura sua, sine cuiusquam iniuria tueri, nullumque animæ suæ inferre damnū; nam qui in se crudelis est.

delis est, crudelis erit in alios, aut deserendo miseros, contra proximi charitatem, aut faciendo miseros, contra iustitiam.

20. Huc vsque dictum est, quantùm sit restituendum; de tempore, quo restitutio fieri debeat, clara est, & omnibus recepta doctrina, quam affert S. Thom: 2. 2. q. 62. art: 8. sentitque statim esse restituendum: Cùm enim nunquam liceat alienum detinere inuito domino, sequitur, vt quouis tempore, reddendum sit ei, cui debetur, quòd si non fiat, perinde erit iniustitia, in non restituendo alieno, atque est, in accipiendo alieno. Potest tamen euenire, vt restitutio sine culpâ differatur, vel omittatur prorsus, si vel is, cui facienda est, differre permittat, vel is, qui restituere debet, sit eò redactus, vt nequeat statim, aut etiam nunquam reddere; quemadmodũ docent Theologi Caietanus in S. Thom: proximè citatum, & alij. Nobis sufficiant hæc de restitutione allata.

CAPVT VI.

Quo Pacto lædatur iustitia commutatiua in bonis facultatum?

QVatuor genera bonorum enumerauimus præcedenti capite numero 1. in quibus versatur omnis operatio Iustitiæ commutatiuæ: nempe bona æterna, corporis, famæ, honorisque, & animæ: percurrendum nunc solitâ, & intento nostro congruâ breuitate, quonã pacto lædatur iustitia commutatiua, in omnibus hisce bonis, initium sumendo a bonis facultatum, & possessionum.

Sectio I.

Qualis iniustitia sit in furto, & rapinâ?

1. PRimò itaque potest fieri præiudicium iustitiæ, acceptione rei alienæ occulta, aut manifesta, contra voluntatem Domini, seu eius, cuius est res; occulta acceptio vocatur, furtum; manifesta, dicitur rapina; suntque hæc distincta specie peccata. Nam raptor propter violentam coactionem, quâ eripit eliena, grauem, & notabilem ignominiam, iniuriamque infert domino; secus agit fur, qui timore, & veluti quadã reuerentiâ eius, cui furatur, clam, & dolo res surripit. Quaproter licet vtrumque, tam furtum quàm rapina, graue sit peccatum, si res maioris momenti auferantur; cæteris tamen paribus, grauius est

peccatum

peccatum rapina furto, propter illam violentiam,& maiorem iniuriam libertati domini illatam. Addo, cæteris paribus; nam si furtum sit magnũ,magnæ, verbi causa, pecuniæ,rapinæ autem exiguæ, & cũ leui violentia; grauius tum erit furtum, quàm rapina.

Solent quidem nonnulli hominum furta erubescere, qui ijdem rapinas palàm exercendo, factis, quasi quid honorificum probant; verùm praua hæc existimatio, ac consuetudo, non tollit maiorem rapinæ deformitatẽ; sed solùm ostendit errorem malè de rebus iudicantium, qui audaciam, & temeritatẽ, quæ aliquam præsefert magnanimitatis speciem, laudant tanquam virtutem. de quibus bene Salomon Prouerb: 2. *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas, qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis, quorum viæ peruersæ, & infames gressus eorum.* 2.

Rectè tales, & similes malorum patratores, asserit Spiritus S. ambulare per vias tenebrosas; nam vias suas peruersas, gressusque infames, hoc est, enormia vitia occultant quadam apparenti honestate, id quod ex aliquot subiectis exemplis facilè manifestum esse potest. Pudet nonnullos clàm surripere ouem, aut hædum,quòd id ignominiosum videatur; nullus verò pudor, imò lepidus iocus habetur, clàm itidem abducere Domino inuito, & vehementer stomachanti, aut certè violenter eripere, non valenti resistere violentiæ, exempli causa, canem venaticum, aut aliquid aliud, multis ouibus hædisuè pluris æstimatum, & tamen, qui prohibuit vltimo decalogi præcepto Exodi 20. vt non *concupiscamus bouem, ouem, asinum, proximi*: idem ibidem vniuersim dixit: *Neque concupisces omnia, quæ illius sunt*: vbi quiduis, quod proximi est, clausum continetur, intactumque iubetur esse. Adfero, & aliud simile; si enim is, qui ab obsequijs est, fugiat, quæritur, tanquam qui se furtim subtraxit, inuentusque dat pœnas: non turpe putant plurimi, imò dexteritati sibi ducunt, alienis deditos obsequijs, promissis allicere ad se,clàm subducere,aut insuper rapere vi,coactos. Quod si aliquam mulctam legis vereantur, casu, quo deprehensi fuerint; nullum certè timent crimen plagiatus; aut raptûs. 3.

Puniuntur quidem hæc, & similia tanquam delicta in minoribus, potẽtioribus cõdonantur: cuius inæqualitatis, & diuersitatis habemus reuelatam causam, vel potiùs mysterium per Ioannem Apocalipsis 6. Vbi notantur duo genera hominum; quidam enim sunt, qui plectuntur hic ab hominibus, non plectendi deinceps a Deo; alij reseruantur soli Deo, qui vt *longanimis & multùm misericors* Psal. 102. diutiùs expe- 4.

ctat. Animae, scribit Ioan: interfectorum clamabant voce magna dicētes, *vsquequò Domine* (Sanctus, & verus) *non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra?* & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec complerentur conserui, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi. Ex quo diuino responso, intellexerunt animae illae Sanctae, hanc esse diuinae prouidentiae normam, hocque decretum, vt quidam sint puniendi a solo Deo, etsi tardiùs, alij ab hominibus cruciandi. Clarè id testatur S. Augustinus Thom: 8. in Psal: 148. inducens eum, qui ab hominibus punitur quaerentem: *Sed dicis mihi, ecce cadit innocentiorem, & dimittit sceleratiorem; noli mirari, vndecunque mors pio bona est. Vnde autem scis illi sceleratiori, si se mutare noluerit, quid pœnarum in occulto seruetur?* Quid verò sit illud quod seruatur, & a quo Idē August: Thom: 4. lib. vnico 80. Quaest: q. 65. explicat, asseritque eos, qui hîc non puniuntur, etsi digni sint, quasi, abscondi, & ignorari a Deo, perinde atque ab sconditur ab oculis hominū mortuus, quando sepelitur. *Peccantis*, inquit, *habet similitudinem moriens sepultus, absconditi a facię Dei. Et quid tandem sic absconditis, & ignotis Deo, expectandum est a Deo?* terribile illud Matt: 7. *Nunquam noui vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem.*

5. Hoc quidem omnibus dicturus est Iudex, a se solo in vltimo die puniendis; fit verò interdum, vt ante illum diem non taceat quibusdam. Scribit Petrus Damiani, in vita Sancti Romualdi de milite, qui rapuerat vaccam rustico, pro quo S. Romualdus, memor operarum eius, preces interposuerat; reiecit illas miles, addens se velle probare, quàm esset pinguis vacca. Vt ventum est ad probationem, primo bolo suffocatur miser, & nisi (quod difficilè est creditu) luctando cum morte, doluit factum, dictum sibi audiuit: Nescio vos; abijtque in illum locū, de quo Apocalipsis vltimo Foris canes: Nimirum, qui more immanium belluarum, aliena rapiunt, praesertim egenis, quibus vna vacca, ouis, gallus, cento aut simile quid, est vitae sustentandae tota ratio. Quòd si miser ille, vna vacca tantùm sibi obfuit apud iustum iudicem; quantùm oberunt illi, qui vel iniusta excitant bella, vel iniustis innumeras, grauesque committunt iniustitias, & iniurias? quibus iustitia commutatiua pessum abit, nec redit ad suam integritatem, nisi restituantur integrè furto, & rapinâ ablata.

Sectio

Sectio II.

In emendo, & vendendo committitur iniustitia.

INter alia quibus iustitia commutatiua exercetur, est contractus seu conuentio, quae inducit, vel mutuam duorum ad inuicem obligationem, vel saltem vnius ex illis, cum acceptatione alterius, vt fit in pactis, vt notat Lessi: de iustitia & iure lib 2. c. 17. dub: 1. peragiturque signis externis; qualia sunt verba; scripta, vel quid simile. Porrò inter omnes contractus celeberrimus est, & vsitatissimus contractus vēditionis, atque emptionis, & duplici de causa inter homines vsurpatur: Prima est necessitas, siue rerum, siue pecuniarum, ad vsum humanum conducentiū; nam qui vendit res pecuniâ, eget illâ; qui verò emit res, itidem pecuniâ, eget illis. Pari de causa res rebus commutantur, aut pecunia pecunijs pro varia hominum necessitate: & licet quando commutantur inuicem res, aut pecuniae, non vocetur communiter emptio, & venditio; tamen ad eam reducenda est illa cōmutatio; perinde enim est rem vnam aliâ comparare, atque vēdere vnam, pro alia, idem de pecuniæ commutatione dicendum, de qua tamen infra num: 45. separatim agetur. Altera venditionis, & emptionis causa est, lucrum, quod quaerunt negotiatores; harum causarum, vtraque potest efficere honestam emptionem & venditionem: prior ideò, quòd ad sustentandam debitè vitam ordinetur; posterior, si referatur ad obuiandum necessitati eorum, qui in communitatibus degunt; neque enim essent merces, nisi a negotiatoribus afferrentur. Potest etiam lucrum quaeri ex negotiatione, tanquam instrumentum sustentandi suos, suorumque, sicut, & ideo, vt iuuentur pauperes, aedes necessariae extruantur, templa ornentur, & similia fiant. Quod si in negotiatione lucrū, duntaxat, spectetur, & maiorum opum possessio de ea id dicendum, quod, & de quauis alia indifferenti actione, nisi ad aliquem bonum referatur finē. Negotiatio ergo si in sua indifferentia persistat, otiosus erit in praxi actus; si habuerit honestum finem, erit bona & honesta; si ad auaritiam, vel ad aliud quid inordinatū referatur, mala, & sordida; vt docet S. Thom: 2. 2. q. 77. art: 4. vbi explicat in responsione ad 1. & 2. *Negotiationē propriè esse tū, cùm res immutata in se venditur, cariùs quàm sit empta, & ad hoc est empta, vt cum lucro vendatur.* Quod si quis, non hoc fine emptā rem vendat cariùs; sed vel ideò, quia iam eam meliorem effecit, vel quia ob aliquas ex dicendis mox num: 8. causis, pluris illa constat; 6.

non dicetur mercari, sed vendere tantùm, seu vti venditione, ob aliquā propriam honestam necessitatem.

7. Ex quacunque causa, fiat emptio, & venditio, vt sit, iusta aequalitate, siue rei ad rem, siue rei, ad pecuniam metienda est; atque vt aequalitas dicta seruetur, pretia rerum attendenda, quae iam a magistratu determinantur, vocanturque legitima; iam a communi, & prudenti hominum aestimatione, & dicuntur vulgaria.

Et a magistratu quidem definita, variari non possunt, vt vel maiora, vel minora liceat dare accipereuè; propterea enim certa designātur, vt omnes ea, tam diu seruent, quam diu, aut lege contraria, aut legis cessatione non tollantur; nisi forte res non sint tales, qualibus pretium est impositū. Nam si, verbi causa, vinū cuiuspiā regionis ordinariū, cōmune & certò taxetur pretio, & œnopola multò deteriùs a se factū, pretio taxato vendere velit; non tenebitur emptor dare pretium lege statutum; siquidem lex pro ordinariè bono, non pro deteriore vino lata est. Iā vulgare pretiū tripliciter variatur; quoddā enim est summū, aliud mediū, tertiū infimū, quocunque ex his licet vti, pro placito conuenientium, & temporū, locorum, aliarúmque circumstantiarum exigentia.

8. Itaque illi, qui emunt, aut vendunt ex necessitate, neque vendere possunt cariùs, quàm valeat, aut emerint ipsi, neque emere viliùs quàm alteri constat; sed aequiualenti iam explicato pretio, alias iustitia commutatiua præiudicium pateretur, propter inaequalitatem inter datum, & acceptum. Fieri tamen potest, vt sine vlla iniustitia, cariùs aliquid vendatur, quàm sit emptum, aut quàm antea valebat, propter accessum circumstantiae cuiuspiam mutantis pretium; Si enim res empta euadat melior accedente aliqua mutatione, potest cariùs vendī. Pari de causa, eadem res in se immutata, potest vno tempore, quo, verbi gratia, pauci sunt, qui ea egent, aut adsit copia similium rerum, vilior esse, aliâs erit carior, si plures ea eguerint, aut sit similium rerum inopia; ita etiam ab eo, qui non eget re propria libenterque eam venderet, potest emi viliùs quàm empta sit priùs. Simili de causa, si emptor re quapiam egeat, qua venditor non potest absque detrimento suo priuari, potest compensando suum damnum, cariùs eam vendere, quàm emit.

9. Haec & id genus alia sunt certa, vt Theologi docent cum S. Thom: 2. 2. q. 77. quae eadem doctrina applicanda est, negotiationi: hæc enim intuitu honestarū causarū supra, num: 6. allatarū, concedit mercatoribus cariùs vendere, quàm ipsi emerint, maximè cū illi multos subeant labores, periculisque se exponant, deuehendo, & conquirendo merces.

Sectio

Sectio III.

Fraude, & vi, tam emptio, quàm venditio iniqua redditur?

DVo verò, sunt quae praeter iam dicta, iniustam faciunt emptio- 10.
nem, vel venditionem, primum est fraus, & vis, quarũ vtraque
inducit nolentem ad vendendum, vel emendum, sed fraus astutè
& clàm; vis, metu incusso, & apertè. Et metus quidem, quando ma-
gna minatur detrimenta; qualia sunt, iactura vitae, valetudinis, famae
bonae & similium, grauis dicitur, & cadens in constantem virum; qui
non facit quidem, ipso facto irritam, inualidamque venditionem, aut
emptionem (quidquid sit, quòd talis coactio non sit sine peccato) vt
communiter tenent authores apud Lessium lib. 2. de iustitia, cap: 17.
dub: 6. nibilominùs in eo ponit statu, vt ea pro voluntate coacti, re-
scindi possit; & is, qui per talem venditionem, aut emptionem adeptus
est quidpiam, tenetur ad restituendum. Hoc ipsum putant tenendum
plurimi authores de leui etiam metu; omnis enim vis per metũ incussa,
facit iniuriam libertati (etsi haec non censenda sit mortalis) vt illa nõ
sponte consentiat. Quod ad fraudem attinet, de hac communis est au-
thorum, quos eodem loco Lessius dub: 5. citat, doctrina, vt si fiat in
substantia rei emendae vel vendendae, irritam reddat venditionem &
emptionem; si autem in alijs substantiae accessorijs, venditio & em-
ptio erit quidem valida, potest tamen contractus venditionis, aut em-
ptionis pro voluntate decepti rescindi. Et fraudem quidem S. Thom:
2. 2. q. 77. art: 2. & 3. in tribus rebus ponit. *Primo*; vt iam dixi in re
ipsa, si vna pro alia substituatur; ita decipit, qui vendit telam ex lana,
pro tela ex serico, pretio, quo vendit sericum; aut qui emit telam seri-
cam pro panno, è lana, viliore pretio. *Secundo*; fraus interuenit in men-
sura, si is, qui vendit, minorem adhibeat, loco maioris; vel qui emit,
vtatur maiore, loco minoris: vt tam ille maius accipiat pretium, quã
hic minùs soluat. *Tertio* fit deceptio in qualitate rei, quando venditor
malam rem pro bona vendit, eo pretio, quo constaret, si esset bona; vel
emptor bonam pro mala emit, eo pretio, quo mala esset emenda. Re-
ctè verò monet S. Thom: art: illo tertio, non semper esse fraudẽ, quo-
ties venditur res mala, pro bona: sed tum tantùm, cùm vitium, & defe-
ctus rei est occultus, neque agnosci potest ab emptore, nisi ei manife-
stetur; & tamen ita venditur, atque si careret omni vitio. Quod si vi-
tium fu-

tium fuerit patens, propter quod minoris res venditur, non erit deceptio, subticere vitium; modò tamen pretio iusto res illa vendatur, cùm in re manifesta, quando, verbi causa, equus est monoculus, nullus censetur decipi, si non omnia videat: adde quòd si venditor vitium manifestum suggerat, dabit ansam emptori ad licitandum multò viliùs quàm res valeat, qui enim sua vituperat, vilia reddit.

Sectio IV.

Fraus & vis exosa Deo.

11. QVantùm fraudem, & vim in venditionibus, ac emptionibus oderit iustus Deus, ipse de se testatur Psalm: 49 Sic defraudatores alloquens: *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meumper os tuum, tu verò proiecisti sermones meos retrorsum: os tuum abūdauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos: sedens aduersus fratrem tuū loquebaris, & aduersus filiū matris tuæ ponebas scādalū.*

Peccatorem appellat eum omnem, qui dolos machinatur & vim, quasi ille, non in certa aliquā mali delinquat specie, sed per multa vagetur peccata; eiusmodi enim homines, violentiae fraudibus dediti, auari & insatiabiles sunt, qui nunquam finem habent augendi opes. Sunt & sordidi, tenaces, egestatisque miserorum prorsus immemores; quippe qui cruciantur animo, si de collectis minimum detrahant: sunt periuri mendacesque; nam verum falso, diuinū numen sacrilegio, contaminant, modo congruè agant cumulandis lucris. Sunt cupidi alienorum, raptores, & inuasores, postremò ita sunt die, noctéque immersi congregandis nummis; vt non aliud sit ipsis viuere, quàm ditari, & alieno pasci. Meritò itaque quemuis horum, appellat Deus peccatorē, qui enarrat iustitias eius, iustè enim se agere obtendit, assumitque testamentum ipsius per os suum, non humana tantùm, sed & diuina iura adhibenda ad testandum. Caeterum os, plenum est malitia, & lingua concinnat dolos.

12. Et os quidem illud est plenum malitia, quod manifesto metu cogit, ad agendum quidpiam nolentem; ratio autem concinnandi dolos illis exprimitur verbis: *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersum filium matris tuæ ponebas scandalum*: vbi duplex tangitur hominum genus, qui venditione aut emptione decipiunt. Quidam sunt, qui habentur tanquam inimici, alij vt amici; contra priores concinnantur doli, si eò referatur omnis labor, persuasio, consilium, & quaeuis tecta agendi

ars, vt

ars, vt vendens, aut emens deceptus patiatur; hi aduersus fratrem loquuntur; nocere enim, & aduersarij omnino cupiunt, idque in cordibus suis, & lingua, cum suis similibus loquuntur, etsi id non praeseferant. Atque vt dolus se ipsum superet, & quemadmodū scribit S. Paulus ad Rom: 7. *Vt peccatum fiat supra modum peccans, per bonum operatur:* fit enim non rarò, vt illi ipsi, qui deceperunt, bonas ad speciem texant querimonias de deceptis, quasi ab illis damnū passi; ergo queruntur de his, maledicunt, spondent, iurantque nunquam se cum illis negotium habituros. Eiusmodi hominibus rectè illud congruit, quod aliquando Diogenes fertur dixisse cuidam, qui postquam eum trabe percussit, monuit. Caue: cui Diogenes: Num iterum me ferire vis? Hac de causa certè, qui decepto a se dicunt: Caue mecum rem habeas; merentur audire, num iterum me decipere vis. Itaque sunt nonnulli, qui sedentes in insidijs fraudum, aduersus fratres loquuntur, quos pro inimicis habent. Defraudantur etiam, & amici, quibuscum, non eo quidē directo agitur proposito, vt vim doli experiantur; mens tamen fraudibus assueta, semper sibi fauet, & quasi aliud agendo decipi sinit etiam amicos, scandalumque, & offensam filijs matris, vt ait Psalmista, clàm ponit. Filij matris vocantur, amici defraudati; vt enim filij vnius matris familiariter secum versantur, suaque sibi amanter concedunt, ita qui ab amicis, in errorem damnúmque inducuntur, multa quidem amoris candorisque referunt signa, ac promissa; sub quibus tamen tectus latet dolus, tanquam anguis sub herba. Hac duplici ratione cōcinnantur doli, & ita aptè concinnantur, vt eos siue amici, siue inimici sincerum putent candorem.

Sed non is putat, qui scrutatur corda, & renes Deus Psalm: 7. Audiant defraudatores, quid sibi ab illo dicatur, quidue timendum immineat. Hæc, *inquit*, ipse, eodem illo Psalm: 49. *fecisti, & tacui, existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam.* Tacet sæpe Deus, cùm interim doli perstrepunt in compitis, tabernis, officinis, oppidis, vrbibus; quò non permeant tandem? etiam eò, vbi vel tantisper conticescere deberent, ad templa & subsellia: fortè idcircò Christus flagellauit vendentes, & ementes in templo, indignè ferens eiusmodi fraudum clamores. Itaque nunc tacet Deus, dum doli clamāt; sed non tacebit semper, neque erit similis fraudanti, qui vellet nunquā suas patere technas: quo fit, vt nonnulli quærant varias, easque subtilissimas vias, quibus, in conscientia dolos tegant, alij etiam de hac vita cedant tegendo. Veniet tandem tempus, (& vtinam non illud sine remedio futuri mali) quo secretissima, & vaferrima facta) ante faciem cuiusque 13.

Digitized by Google

iusque ita statuentur, itaque statuta cognoscentur, vt in speculo ex aduerso posito, cernitur videntis vultus: *arguam*, inquit Deus te, *& statuã contra faciẽ tuã.* Specula quidẽ vitrea crebrò decipiunt, aliter atque aliter repræsẽtãdo, pro discrimine artificij; verũ de illo diuinae iustitiæ speculo, id omnino credendum, quod scribit Paulus 1.ad Corinth: 4. *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiũ:* haec illuminatio manifestabit verè, quid quisque, & qua ratione vendebat, aut emebat. Alexander seuerus Imperator, vt scribit. Ælius Lampridius de gestis eius, suum familiarem Veronium Turrinum, eò quòd petentibus patrocinia, pro pretio offerret, & multa patrocinando mẽtiretur, ita puniuit: ad stipidem miser alligatus, igne in humidiore materia excitato, torrebatur, precone interim clamante: Fumo punitur, qui fumos vẽdidit. Simile quid, sed certè grauiùs & longiùs manet eos, qui fraudibus agũt; nã, vt fumus perstringit sanos etiã oculos, ne videãt rectè, ita fraudes prudentissimum quemque dementant, vt nequeat sanè iudicare; ergo fumi deceptionum, fumos generabunt, tenebrasque exteriores Matt: 22. aeternorum ignium, vt verum sit Dei ipsius dictum, Sapient: 11. *Per quæ quis peccat, per hæc, & torquetur, ita statuet hos, ante faciem ipsorum, & arguet.* Neque hos tantũ, qui suos dolos occultos esse volebant; sed & illos, qui debilioribus palàm formidolosi erant, vt fuit iniquus Rex Achab, & multò magis impia vxor eius Iesabel, quae, vt legimus 3. Reg: 20. vt eriperet vineam subdito suo Naboth, eripuit illi vitam. Innumeros tales alit orbis, qui nimirum potentiores, cogunt vicinos, ad diuendenda sua patrimonia, aut alios ad ineundum varios contractus, quos nisi coacti, nequaquam subirent; hos ergo talem vim inferentes statuet testis, & vindex conscientiae Deus, contra faciem eorum; statuet (quemadmodum pollicetur Sap: 5. aduersus eosdem) & coactos ab ipsis atque angustiatos; quorum illi abstulerunt laborem; insuper & vniuersum orbem statuet, hic pugnabit contrainsensatos, qui olim impiè in miseros dominati sunt.

Sectio V.

Ob interdictum, emptio, & venditio, efficitur mala.

14. ALterum quod efficit malam venditionem, aut emptionem, est interdictum eius, qui habet authoritatem prohibendi, nè quid vendatur aut ematur. Hac ratione impositũ est iure Ecclesiastico graue praeceptum clericis cuiuscunque conditionis, ac religiosis, ne

vtantur

vtantur negotiatione, & mercatura, supra num: 6. explicata: id quod certum est apud omnes, vt docet S. Thom: 2. 2. q. 77. art: 4. ad 3. Ita enim Gelasius Papa cap. consequens: dist: 88. Clericis ab indignis quaestibus abstinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio cessandum; aut in quocunque gradu sint positi, mox a Clericalibus officijs cogantur abstinere. Affert causas aliquot S. Thom: loco citato, huius prohibitionis: *Clerici*, inquit, *non solùm debent abstinere ab ijs, quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab ijs, quæ habent speciem mali: quod quidem in negotiatione contingit, tum propter hoc, quòd est ordinata ad lucrũ terrenum, cuius Clerici debent esse contemptores, tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia, quia difficulter exuitur negotiator, a peccatis labiorum,* vt dicitur Ecclé: 16. *Est & alia causa, quia negotiatio nimis implicat animum sæcularibus curis, & per consequens a spiritualibus retrahit, vnde Apostolus dicit* 2. ad Thom: 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* Haec S. Thomas.

Sectio VI.

An, & quomodo Monopolia excusari possint?

HVic Ecclesiastico interdicto, similia solent ferri, a sæcularibus Principibus, ne vel liceat vendere extra regna, aut certa loca, merces quaspiam, vel praesumant certi generis habere merces, alij ab ijs, quibus id concessum est. Et prius quidem rectè fit, si fiat ob vtilitatem commodúmque Reipublicæ, quale est ne rebus necessarijs destituantur indigenae, quemadmodũ destituerentur, si aliò eueheretur verbi causa, frumentum, aut quid simile. Talis etiam est vtilitas certi loci ad mercandum designati, ad quem possint plures vndique confluere negotiatores, pluresque afferre merces. In secundo, quando nimirum vni, vel paucis conceditur priuilegium vendendi aliquas merces, procliue est committere monopoliũ; nam si Princeps ob emolumentum Reipubl: tale det vni vel paucis Priuilegium, eò quod plures, non tantùm conferunt ad commune aerarium, quantùm vnus, aut pauci; vel quod vnus sit peritus conficiendarum, certi generis bonarum mercium, alij non item; aut ob aliud quid, prudenti æstimatione, conferens ad bonum commune, detur eiusmodi exemptio; non erit monopolium, sed iusta mercandi consuetudo, cui cæteri non possint contraire. Quòd si ob priuatas rationes, commodáque concedatur dictũ Priuilegiũ, vt quod ij, quibus conceditur sint amici, vel quod offerant liberalia munera, aut ob aliud simile; monopolium erit, cum iniuria alio- 15.

rum, qui talia vendere possent, suamque exercere industriam, & artem. Hinc est, vt ista mercandi ratio obliget ad restituendum alijs, qui prohibentur mercari, tum damnum, quod patiuntur non mercando, tum lucrum, quod hac ratione amittunt: debent autem restituere praecipuè illi, qui sunt causa huiusmodi monopolij; tū deinde, qui cōcurrunt secundario ad idemmet, iuxta dicta supra capite, 5. de Restitutione.

16. Atque ex his constare potest, quonam pacto excusandi sint domini, & nobiles priuati, qui passim in Regno Poloniae imponunt suis subditis, vt quaedam ab illis coemant, exempli causa cereuisias, vinum, crematum, & id genus alia, aut certè haec in villis, oppidisque ipsorum diuendant, quò non licet aliunde similia aduehere, in tabernisque distrahere, quàm a dominis proprijs. Haec vendendi ratio manifestum sapit monopolium, eò quòd ab vno tantum, nempè a domino, & quidem priuato, in cuiusque ditione res dictae vendantur.

Excusari tamen potest consuetudine etiam a pijs, & prudentibus recepta, atque a Republica tolerata, quae fortè initium sumpsit, partim a paucitate locorum, in quibus res vitae necessariæ coemendæ essent, partim ab inopia earundem rerum: quisque ergo dominus suis imprimis subditis, deinde peregrinis hac ratione prouidebat; id quod etiam num: cùm & copia rerum sit maior, & loca frequentiora, durat adhuc.

17. Atque, vt id sine culpa fiat, pretio inprimis iusto, & in quauis regione currenti, vendi illa debent: Quod si iustum pretiū excedatur, tenentur domini suis subditis compensare illud: neque enim subditi, vt constat ex libri huius parte priore, cap: 8. num: 11. & 12. sunt mera mancipia, quae nihil possideant proprij, & si ab alijs quoque, qui non sint subiecti, iniustum pretium exigatur, eisdem restitui debet, nam hi necessitate coacti, emunt pluris, quàm res valeat. Quo nomine potest grauiter delinqui, si domini cogant subditos res eiuscemodi, verbi causa, cereuisias nullius saporis, & valoris, tum alijs, vendere, tum consumere eo pretio, quod illi statuunt iniquum.

Alterum adhibendū est ad vitandam iniustitiam, vt domini suis cauponibus, & tabernarijs, quibus tradunt res diuendendas taxas designent, mensurasque & pondera aequa; ne vltra dominorum commoda iusta, sua etiam illi iniqua quaerant lucra. Quod si id domini negligant tenentur restituere illud omne, quod supra valorem emungitur; per illos enim stat quò minùs iniustitiae, a tabernarijs fieri solitæ corrigantur; quae sæpe inde fiunt, quòd praedicti caupones, tum labores, vltra debitum susceptos, tum etiam sumptus, in vendendis rebus, a se factos

hac ra-

hac ratione sibi compensent, quando domini negligunt id facere.

Sectio VII.

Quo pacto per mutuum læditur iustitia commutatiua?

NOn tantùm vendendo, & emendo prouident suis mortales neces- 18.
sitatibus, sed etiam mutuas res dando, & reddendo similes, mutuas acceptis, siue res illæ sint pecunia, siue aliud quid modo ipso vsu sint consumptibiles, vt triticum, vinum & similia; aut certè alienentur, & in vsus expendantur, vt pecunia, quae ipsa alienatione quodāmodo consumitur, eò quòd pereat, alienanti illam. Itaque mutui contractus in hoc est, vt res mutuo data, transeat in dominium accipientis, & deinde similis reddatur, eo tempore de quo conuentum fuerit.

Haec ratio mutui solet infici vsura, quando is, qui dat mutuum quid, 19.
verbi causa, pecuniae certam summam, vltra illam exigit tale quidpiam, quod sit pretio aestimabile, exigit, inquā non intuitu damni, quod ob concessum mutuum passus sit, aut lucri, quod interim omisit, vt dicetur infra num: 23. sed intuitu praecisè mutui dati. Tum verò propriè cōmittitur hæc vsura, cùm id quod superat mutuū, exigitur tanquam ex iustitia commutatiua debitum; si enim alio titulo exigatur v. g. gratitudinis aut liberalis promissionis; exactio talis non est cēsenda vsura, sed prouocatio quaedam ad exercendam virtutem gratitudinis, vel fidelitatis; gratitudo autem, aut fidelitas, non est pretio aestimabilis, neque enim virtus venditur, aut emitur.

Iam obligatio, seu contractus ex mutuo consequens, cuius intuitu
accipitur aliquid vltra sortem, semper est peccatum vsurae, non iuribus 20.
tantùm positiuis, tam Ecclesiasticis, quàm ciuilibus prohibitum, sed ipso etiam naturae iure, vt bene ostendit S. Thom: 2. 2. q. 78. art: 1. in corp: res enim ad vitam humanam opportunae, quaedam sunt vsu consumptibiles, vt supra num: 18. notaui, aliae quae non consumuntur, qualia sunt prædia, domus, agri, & id genus alia. In prioribus non separatur vsus ab ipsa re, neque pluris constat vsus, quàm res; & qui est dominus rei, seu dominus directus, est etiam dominus vsus, siue dominus vtilis, in posterioribus distinctus est vsus ab ipsa re, distinctáque sunt dominia, vnde fit crebrò, vt alter sit dominus rei directus, alter vtilis; qui enim, verbi causa, locat domum, relinquit sibi dominium directum, vsum verò & dominium vtile dat conductori.

Haec doctrina explicat, quonam ex capite vsura sit iniqua; cùm enim

per mutuum detur res vsu consumptibilis, is qui illam accipit, est totalis dominus eius, hoc est, & directus & vtilis, ille autem, qui mutuum dat, nullum rei datae dominiũ sibi retinet, sed solum ius, vt simile quid rei a se datae recipiat suo tempore.

Quapropter, si vltra id simile, quod redditur exigatur amplius quid, iniquè exigitur, & perinde atque si vsus & res ipsa in mutuo essent distincta, ita, vt is, qui accipit mutuum, reddendo ipsam sortem acceptam, teneatur insuper separata solutione vsum compensare; quod iniustum est, eò quod in mutuo, res & ipse vsus, sint vnum & idem, neque debent, nisi semel, & vna solutione compensari.

21. Fatendum quidem est, pecuniae mutuae datæ (& idem dicendum de alijs rebus, quae solent mutuari) posse esse vsum, cum fructo maiore, quàm sit pecunia accepta; vt si is, qui mutuam accepit vtatur ea ad mercãdũm; hic tamen talis fructus, non profertur ab ipsa pecunia, nisi sit coniuncta cum labore, & industria accipientis, qua absente nihil prorsus ferret pecunia: cùm autẽ ad hunc laborẽ, atque industriam, is qui mutuũ dat, minimè concurrat, nihil pro tali fructu potest accipere.

Secus est dicendum de alijs rebus, in quibus vsus & res distinguuntur: nam ager verbi causa est talis, qui suapte naturà gignit fructum, pro quo potest separata exigi solutio, distincta ab ea, quæ datur pro ipsa re: vnde semper pluris venit fundus, si cum dominio directo, & vtili vendatur, quàm si solum cum vtili.

Ex his manifestè ostenditur iniustitia vsurae, in qua & redditur æquale rei mutuae datae, & vltra hoc, exigitur quid amplius.

Sectio VIII.

Duplex ratio vsurarij contractus.

22. Eclarata iam vsura duplici modo iniri solet, prior est manifestus, cùm is, qui mutuum dat, obligat accipientem ad soluendum aliquid vltra sortem; posterior est tacitus, cùm non obligat quidẽ caeterùm eò dat fine, vt accipiat aliquid vltra sortem, tanquam pretium rei mutuae datae. Ad tacitam, & astutam potest reduci palliata, & tecta specie iusti contractus; talis est illa, quae in nonnullis locis vsurpatur passim, quando pecunia datur ad annum, vel plures, ante cuius solutionem, is qui eam dat, accipit ab eo cui mutuũ dedit bona immobilia, percipitque ex his fructus tam diu, quoad pecuniã non recipiat integrã.

Hic contractus vsura est palliata; neque enim eo emuntur bona in

pe. petu-

perpetuũ,ſiquidẽ is, qui accipit pecuniã, eſt dñus bonorũ a ſe datorum ſolúmque priuat ſe vſu eorũ,quoad reddat pecuniã debitã; Illeergo,qui interim tenet bona, accipit ex ijs fructus,t anquã ex alienis,cõmittitque in iuſtitiã,eò quòd,& ſuã recepturus eſt pecuniã,& alienis vtitur bonis. Rurſus idẽ contractus non poteſt dici emptio,cũ pacto retrouendendi, ob eandẽ iã dictã dominij cauſã; qui enim cũ tali pacto emit,eſt dñus, & directus,& vtilis emptorũ bonorũ, ſolũque onus ſibi imponit retrouendendi quoties fuerit a venditore requiſitus. Neque poſtremò idem contractus, eſt emptio fructuũ in bonis acceptis,qualis emptio ſolet eſſe in cenſu, vel conductione, aut in ſimili; nã pecunia, quae datur non cõparatur ad fructũ bonorũ, vt quantò hic eſt maior, tanto pecunia detur etiã maior;ſed ſolũ illa offertur,vt ſit in dominio vſúque accipientis, & poſtea ſimilisvalore refundatur; interim autẽ fructus capiuntur ex bonis, vltra integrã ſortẽ pecuniae mutuò datae: ſuppono autem talia bona, non accipi intuitu damni alicuius, aut lucri ceſſantis.

Si enim is qui dat mutuum, priuando ſe pecuniã, ſolueret hac de causa alteri vſuras, vel non ſoluendo creditori ſuo, ſubiret pœnam aliquam pecuniae aut carceris; pari modo, ſi idem carens pecunia, negotiationem, lucrandique occaſionem perderet; poſſet tam damni, quàm lucri exigere, (deductis tamen expenſis) debitam compenſationem, idque abſque iniuſtitia; nemo enim faciendo bene alteri tenetur pati detrimentum. Neque verò propter damnũ tantùm & lucrum, licet amplius aliquid exigere vltra capitalem ſummam; ſed etiam propter quodcunque aliud incommodum, ex mutuo conſequens, vt paſſim docent Theologi cum S. Thom: 2. 2 q. 88. art: 2. ad 1. Tale eſt periculum ſortis amittendae, ratione cuius poteſt aliquid prudenti iudicio determinatũ,vltra ſortem accipi; periculum enim hoc eſt pretio aeſtimabile, & crebro fit, vt ſors magnis expenſis ægrè repetatur. 23.

Tale quoque incommodum eſt, non recipere ſuo tempore mutuum, ratione cuius poteſt accipi quidpiam, per modum pœnae conuentionalis, quam ille ſubire debet, qui ſua culpa non ſoluit tẽpore cõſtituto.

Sectio IX.

An & qualis ſit obligatio in dante, & accipiente vſuram?

Quod ad obligationem in vtrouis attinet,is,qui vſurae ſe ſubmittit non tenetur in conſcientia illam ſoluere, eò quòd ab altero iniquè exigitur,neque peccat dicta ſubmiſſione quia coactꝰ neceſſitate propria, ſoluendi obligationem acceptat, quae ex parte illius eſt bona, ni- 24.

bona, nimirum habens bonum finē prouidendi fibi; quidquid fit, quòd ex parte vfurarij fit iniufta. Eft porrò licitum vnicuique quaerere fuum commodum, cum alterius etiam mala cooperatione, quando haec cooperatio non ex fe,& natura fua, fed ex malitia cooperantis euadit mala: talis eft in noftro propofito concefsio mutui cum vfuris; poffet enim is, qui dat mutuum, non exigere illas, quemadmodum faciunt alij iufti, & boni viri. Aliud effet, fi cooperatio naturâ fua turpitudinem aliquam contineret, talem enim nunquam licet acceptare, aut ad eam inducere; quo pacto ad cædem, ad fornicandum, ad furandum nefas eft exigere cooperationem. Hac etiam ex caufa, ad vfurarium contractum non licet quenquam inducere, quia fuadere vfuram, eft fuadere rem omnino de fe iniquam: folùm ergo is, qui eget pecunia, debet illā petere a dante; qui fi nolit nifi cum vfura eam concedere, acceptare eam poteft, cùm aliter fieri nequeat.

25. Quapropter peccant vfurarij, qui imponunt obligationē foluendi vfuras, & grauiter quidē peccant, fi vfura fuerit in maiori quantitate: quae quidem obligatio nulla eft in confcientia, vt iam puncto praecedenti dixi. Neque etiam tenet in foro iudiciali: nam licet, princeps, aut refpublica poffit permittere vfuras, neque illas punire, confulendo egentium neceffitati, & maioribus occurendo malis, (quo pacto Deus Deutoronom: 23. permifit Iudæis, ab alienis non a fratribus vfuras accipere) non tamen poteft cogere, mutuum accipientes ad foluendū illas, fic enim cooperaretur iniquis vfurarijs ad malum, vt docent Theologi cum S. Thom: 2 2. q. 88. art: 1. ad 3. Quare fi is, qui dedit vfuram, velit eam per Iudices repetere, debet talis repetitio ab ipfis admitti; vt rectè oftendit, cum alijs Leffius de iuftitia, & iure lib: 2. cap: 12. dub: prima, nifi fortè (id quod idem etiam aduertit) ex tali repetitione maiora fequerentur incōmoda; quale effet fi vfurarij nollent ampliùs mutuum dare: eò quod repetantur vfuræ. Tunc enim iudices poffunt decreto adigere ad foluendum vfuras, feu ad faciendum id, quod qui foluunt coacti neceffitate propria rectè ex parte fua faciunt; id ergo quod rectè ab illis fit, a iudicibus poteft decerni.

Et quanquam repetitio datarum vfurarum negetur in foro externo, vfurarij tamen obligati funt in confcientia vfuras acceptas reftituere, aut fi illae non extant, alia aequiualente ratione compenfare: fiquidem omne illud, quod vltra fortem vfurpatur, alienum eft, reddi ergo debet; & fi non redditur ab ipfis vfurarijs, ab haeredibus eorum pari obligatione erit reftituendum, qui cum hoc onere fuccedunt in bona vfurariorum. Poftremò illi quoque tenentur ad reftitutiones vfurarum, qui ad

qui ad eas cooperati sunt, vt iudices, qui decernūt soluendas esse, extra casum numero præcedenti positum, procuratores item, notarij & similes; qui quoquo modo promouent vsurariorū negotium. Rectè autem monet Sanctus Thomas 2. 2. q. 78. ar: 3. in corp: non solùm ipsam vsuram reddendam esse, sed & damna compensanda, quae passus est is, qui illas soluit; imo & lucra refundenda, tum ex bonis ipso vsu consumptibilibus per vsuram acceptis (deductis tamen expensis, in lucrandi negotio) tum ex bonis, quae non consumuntur vsu, & de se fructum ferunt, vt sunt prædium, ager, & id genus alia.

Sectio X.

Quam iniqua sit vsura

Iniquitas vsurae tanquam valde noxia, & acerba communi hominum 26.
societati inde primò constat, quòd omni iure sit prohibita, nempe de quo iam dictum est supra num: 20. Ecclesiastico, ciuili, & diuino. Ecclesia quidem decreuit, multis pœnis afficiendos esse vsurarios, de quibus Syluester verbo vsurarij & alij; qui non leues a iure etiā ciuili in tales latas recensent paenas. Itaque vsurarij a Sacramento Confessionis & Eucharistiae arcendi; infames habendi; cum quibus tanquā cum infamibus iure agi possit; testamenta eorum sunt irrita, denique priuantur Ecclesiastica sepultura: quibus, & similibus (quam diu quidem viuunt) eo vsque subiacent, quoad vsuris non valedicunt, neque plenam faciunt ijs satisfactionem, quos iniqua laeserunt exactione.

Neque verò ipsi duntaxat vsurarij, ita mulctantur; sed Ecclesiasticæ etiam personæ, quae exteris vsurarijs locant domos, neque pellunt eos intra tres menses ex suis terris; in Episcopos quidem lata est ipso facto suspensio, in alios Episcopis minores, excōmunicatio, interdicctum in collegia, & vniuersitates Ecclesiasticas.

Quod ad ius diuinum spectat, vnum ex multis sacræ scripturæ locū 27.
afferam, quo clarum erit, quanto sit odio vsura Deo. Igitur Psalm: 54. inducit S. Propheta Christum coram Patre suo querentem de Iudæorum, ad quos missus erat, peccatis in præcipuis eorum ciuitatibus latè grassantibus, vbi simul vindictam exposcit de ijsdem; sic vero loquitur Christus. *Præcipita Domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate. die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor, in medio eius, & iniustitia.* Quæ porro ista fuerit iniquitas, quaeue iniustitia, & cuius peccati peruersus labor, subiungit: *Et non defecit de plateis eius vsura,* & dolus.

Nen de-

28. Non defuerunt in ciuitatibus Iudaicis plurima alia, præsertim cõtra Iustitiam peccata, solam attulit, vsuram, & dolos eius, vt ostenderet se illam maximè auersari, causasque tantæ auersionis, dat duas: Prima, quòd vsurarum studium, sit labor in medio eorum. Labor, & fatigatio manuum, capitis, aut pedum, accipit a corde leuamen, quod honesta fruitur iucunditate; vt de Eutrapelia parte priore libri huius cap: 12. a num: 11. diximus, ex corde enim ceu è fonte, in totum hominem manat refrigerium. Quod si ipsum cor laboret, & defatigetur, non restat amplius, quod subleuet, aut mitiget laborantẽ, neque aliud expectandum est, quàm quod dicit Salomon Prouerbiorum 35. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi; tinea vestem, demolitur, vermis subuertit lignũ, sic tristitia teste Salomone, cor, viuẽtemque illo extinguit hominem. Hac tristitia cor vsurarij laborat; non admittit ille iucũda; non erigitur ad magna; non gaudet amicis; quiduis aliud fastidit, vno excepto pecuniæ labore, quo consumitur, & vt est apud Lucam cap. 8. suffocatur.

Meritò talem laborem odit Christus, totum enim occupatum cor claudit ille Deo, pecuniam, loco eius quasi adorandam, proponens, vt scribit S. Paulus ad Colossenses 30. asserens *Auaritiam esse simulacrorum seruitutẽ*. Minimè ergo mirandũ odibiles esse vsurarios Deo, vel hac ipsa de causa quòd in medio eorũ, id est. in corde (hoc enim in medio hominis sitũ est) labor versetur, qui ipsos consumat, & pro Deo, vile metallum in sinu terrae abditum proponendo, viliores, & abiectiores efficit cæteris peccatoribus; quin & ipsis belluis. Quicunque enim alij, qui delinquunt, ijs ducuntur, quae terrae supereminent, vt carnales, & superbi; soli auari, in profundum terrae abiectissima quadam demissione mentis descendunt, vbi infra bestias se locant: nam hae ijs contentae, quae producit superficies terræ, ima non penetrant; isti in infimis cor habent, vbi, & quaerunt, & vt plurimũ recondunt thesauros, de quo plura legi possunt hac parte cap: num: 44. & 45.

29. Multos Saluator, adhuc nobiscum mortalis, ad rectam viam reduxit peccatores, in quo eius diuino opere illud expendo, quòd apud nullum eorum peragendo quidem ipsam cõuersionem, legatur ita iucundè versatus beneque tractatus, atque apud Matthæum Leui, Lucae: 15. & apud Zachaeum Luc: 19. hac forte inter alias de causa, quia auaritia, & vsuris praeoccupatum cor habentes, magna potentis, praesentisque Dei operâ ad frugem redeunt, & dum redeunt, ipsi quidem nimiùm, nimiúmque secum luctantur; non solùm valedicendo praeteritis factis (quòd in plerisque alijs peccatis satis est) sed etiam deserendo nummos malè

malè partos, & tanquam proximi damnum, & tanquam iniuriam Dei, cuius loco, opes simulacrum erat.

Caeterum Christus luctā hanc sua iucunda lenit praesentia, facitque quasi obliuisci doloris, dulciter cum talibus conuiuando; postremò gratulatur sibi, quod ex imis ad altiora, a simulachro auaritiae, ad se Deum, reuocet miseros homines. Quod quia in infelici Iuda, vitio eius non est assecutus, quem familiari vsu, & iucunda epulatione ab amore nummorum conabatur reducere, (& propterea fortè pecuniam, illius custodiæ tradidit, vt pro suo gustu, quæ oportuna essent, ad suauiter epulandum emeret) quia, inquam, tanta Dominus solicitudine, nihil effecit in obstinato auaritiae mancipio, idcirco queritur corā Patre eodem illo Psal 54. *Si, inquit, is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecū dulces capiebas cibos, in domo Dei, ambulauimus cū cōsensu.*

Atque haec est prima causa ob quam Christus odit vsuram, labor, nimirum, in medio cordis; alteram illis explicat citati Psalmi verbis: *Die, an nocte circumdabit eam,* hoc est ciuitatem, super muros eius, iniquitas. 30

Magnum vt iam vidimus malum, torqueri desiderijs lucrandi vsuras; sed hic labor, & hoc studium, in corde est, soli Deo, notū; fit verò persæpe, vt quod in corde latet foris perinde visatur, atque visuntur muri, & maenia, quæ cingunt ciuitatem. Itaque hominū pudore, Deique timore contempto, palàm mutuum dare ad vsuras, & crebrò magnas, nulla egestatis petentium mutuum, habita ratione, nolle ea quae iniquè parta sunt restituere; sacramenta confessionis, & Eucharistiae (quae vsurarijs solent negari) negligere; postremò, quod miserrimum, & insaniae proximùm est ne quidem in fine vitae resipiscere: haec facere, est, inquit, Christus perinde vsurarum cingi iniquitate, & vinciri, ac cingitur muro ciuitas. Patent omnium oculis mænia, & eos, quos circumdant, arctè tenent: talium quoque vsuræ manifestæ sunt, non eas occultant, non erubescunt, etsi furtis, & rapinis (quae, vt plurimū solent homines pudore ducti occultare,) quam simillimas. Quod vero ijdem, aegerrimè ad honestatis libertatem redeant, est, quia iniquitate auaritiae fortissimè cingantur, arctaque, (nimirum serui, & mancipia eius) teneantur, vt nec interdiu, nec nocte egredi resipiscendo queant, aut eū ad se aduocare, qui illorū salutis bono consulere possit. Rectè igitur Dominus, istorum se apertam iniquitatem odisse testatur, quæ suæ misericordiæ prohibet ad miseros aditum: Die, queritur ille, ac nocte circumdabit, super muros eius iniquitas,

Digitized by Google

31. Non tacentur ibidem, & pœnae eorumdem, quarū vna est breuitas vitæ mortalis; siue ideo, quòd assidua lucrandi solicitudine marcescant *Spiritus enim tristis*, inquit Salomon Prouerb: 17. *exsiccat ossa*; siue quòd talibus iusto Dei iudicio, minùs ad viuendum definiatur spacij, vt qui non ad eum finem, ad quem sunt condita, vtuntur caducis bonis, cedant alijs meliùs vsuris; quemadmodū testatur Spiritus Sāctus Prouerb. 28. *Qui coaceruat diuitias vsuris, & fœnore liberali, in pauperes congregat eas.* His & alijs Deo notis, de causis breuiorem, quàm sit media, prædicit vsurarijs Christus vitam Psal: illo 54. *Viri*, inquit, *dolosi, non dimidiabūt dies suos.* Quanquam Sanctus Augustinus, non hoc tantùm a Deo permitti putat in eos, qui sic opes congregant; sed & illud, vt vel adhuc viuis pereant, vel post mortem, haeredibus eorum, fiatque non rarò quod Prouerb: 10. fertur; *Malè parta, malè dilabuntur.* Sic enim scribit in Psalm: 123 *Eunt homines, verbum Dei audiunt, & prouerbia Dei, & dormitant in eis, audiunt Prouerbium illud vulgare, & vigilant: Hoc malo, quod teneo, quàm quod spero, quid tenes? aurum; tene ergo, si tenes, non tibi auferatur inuito, si autem per aurum traheris, quo non vis, & ideo te quærit maior raptor, quia inuenit minorem raptorem, præda tibi fuit minor, præda eris maiori, & omnia inaniter fiunt.* Hæc Augustinus.

Prædicit Dominus eodē Psalmo aliam quoque longè hac grauiorem pænam: *Veniat*, inquit, *mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Infernus non sumitur hoc loco pro sepulchro, vt interdum solet accipi: nam in sepulchrum, non descendunt viuentes sed mortui, est ergo infernus hic ille gehennae æternus ignis, idcirco vsurarijs præparatus; *Quoniā nequitia in habitaculis eorum in medio eorū*, inquit Christus. nam & cor situm in medio eorum, plenum est nequitia dolosa, & domus refertæ ære pignoribus, & id genus rebus, velut obsidibus, fœnoris res quippe oppignorantur, vt vsurarij sint certi fœnoris. Vtinam tantum vsuræ odium, & tantas paenas Iudicis sui Christi, expendant corde omnes qui illâ tenentur, & conscij eorum, quæ praedicuntur ab illo omnino futura, resipiscant, ne timeant; timeant nisi resipiscant.

Sectio II.

Quo pacto alijs contractibus læditur Iustitia commutatiua & primo censu.

32 VEnditione, emptione, & mutuo, intellectis simul & ijs, quibus vitiari solent, vt est dolus, & vis facile erit assequi, quanam ratione, alij quoque deficiant contractus, in quibus simile quid fit venditi-

Digitized by Google

venditioni, emptioni & mutuo; rebus enim, & pecunia in his quoque sicut & in illis agitur; cùm vel res datur, pro re, vel pecunia pro re, vel pecunia pro pecunia; id quod etiam in explicatis iam seruatur contractibus. Talis est imprimis census, quo acquiritur ius ad fructus ex bonis fructiferis alienis, ita vt alius habeat ius directum in ea; ille verò, qui emit censum solùm ius vtile ad fructus, atque hic talis contractus est propriè census.

Quod si simul obligetur persona ad soluendum fructus ex bonis quae subiacent obligationi, vocatur tum census personalis, si verò solùm bona obligantur, dicitur census realis, & vel redimibilis est certo aut incerto tēpore; vel nunquā redimibilis; eritque iustus, si fructus correspondeat pretio, quod pro illo datur. Vt verò sic respondeat, spectādae sunt circūstantiae, cuiusmodi est, regionū inprimis consuetudo; tum breuitas, vel longitudo temporis, quo contractus duraturus sit; certitudo item vel ambiguitas pensionis censualis, bonorumque, in quibus illa fundatur; praeterea iura, siue pontificia, siue politica, quae de censu lata sunt, ac recepta; & similia, quibus prudenter consideratis, iam maior, iam minor fructus pretiumque debet esse. 33.

Quapropter si is, qui vendit censum, nimis oneretur ideo, vt quotannis securus sit fructus; minor debet esse pensio compensans illa onera: verbi causa 5. aut 6. a centum; quod si venditoris assecuratio dubia sit, & incerta; potest emptor exigere maiorem fructum, exempli causa, decem, vel 11. a centum.

Sunt quidem non nulli, qui contractum hunc putant esse palliatam vsuram, eò quod ex pecunia data percipiatur fructus; verùm hi non aduertunt pecuniam dupliciter posse ad fructum dari; primò mutuatione, atque haec ratio fructificandi, est vsuraria datur enim pecunia ex se, vt supra dixi num: 20. non fructifera; quæ tamē cum fœnore redit: secundò, emptione iuris vtilis, quod acquiritur ad fructus, in bonis alienis fructiferis; & talis modus percipiendi fructum ex pecunia, est iustus, & vbique terrarum approbatus. Etenim si iustum est emere bona fructifera, cum iure directo, & simul vtili; cur non iustum erit emere, solū ius vtile? minimè ergo ambigendū est de iustitia censualis cōtractus. 34.

Digitized by Google

rum, qui talia vendere possent, suamque exercere industriam, & artem. Hinc est, vt ista mercandi ratio obliget ad restituendum alijs, qui prohibentur mercari, tum damnum, quod patiuntur non mercando, tum lucrum, quod hac ratione amittunt: debent autem restituere praecipuè illi, qui sunt causa huiusmodi monopolij; tū deinde, qui cōcurrunt secundario ad idemmet, iuxta dicta supra capite, 5. de Restitutione.

16. Atque ex his constare potest, quonam pacto excusandi sint domini, & nobiles priuati, qui passim in Regno Poloniae imponunt suis subditis, vt quaedam ab illis coemant, exempli causa cereuisias, vinum, crematum, & id genus alia, aut certè haec in villis, oppidisque ipsorum diuendant, quò non licet aliunde similia aduehere, in tabernisque distrahere, quàm a dominis proprijs. Haec vendendi ratio manifestum sapit monopolium, eò quòd ab vno tantum, nempe a domino, & quidem priuato, in cuiusque ditione res dictae vendantur.

Excusari tamen potest consuetudine etiam a pijs, & prudentibus recepta, atque a Republica tolerata, quae fortè initium sumpsit, partim a paucitate locorum, in quibus res vitae necessariæ coemendæ essent, partim ab inopia earundem rerum: quisque ergo dominus suis imprimis subditis, deinde peregrinis hac ratione prouidebat; id quod etiam num: cùm & copia rerum sit maior, & loca frequentiora, durat adhuc.

17. Atque, vt id sine culpa fiat, pretio inprimis iusto, & in quauis regione currenti, vendi illa debent: Quod si iustum pretiū excedatur, tenentur domini suis subditis compensare illud: neque enim subditi, vt constat ex libri huius parte priore, cap: 8. num: 11. & 12. sunt mera mancipia, quae nihil possideant proprij, & si ab alijs quoque, qui non sint subiecti, iniustum pretium exigatur, eisdem restitui debet, nam hi necessitate coacti, emunt pluris, quàm res valeat. Quo nomine potest grauiter delinqui, si domini cogant subditos res eiuscemodi, verbi causa, cereuisias nullius saporis, & valoris, tum alijs, vendere, tum consumere eo pretio, quod illi statuunt iniquum.

Alterum adhibendū est ad vitandam iniustitiam, vt domini suis cauponibus, & tabernarijs, quibus tradunt res diuendendas taxas designent, mensurasque & pondera aequa; ne vltra dominorum commoda iusta, sua etiam illi iniqua quaerant lucra. Quod si id domini negligant tenentur restituere illud omne, quod supra valorem emungitur; per illos enim stat quò minùs iniustitiae, a tabernarijs fieri solitæ corrigantur; quae sæpe inde fiunt, quòd praedicti caupones, tum labores, vltra debitum susceptos, tum etiam sumptus, in vendendis rebus, a se factos

hac ra-

hac ratione sibi compensent, quando domini negligunt id facere.

Sectio VII.

Quo pacto per mutuum læditur iustitia commutatiua?

NOn tantùm vendendo, & emendo prouident suis mortales necessitatibus, sed etiam mutuas res dando, & reddendo similes, mutuas acceptis, siue res illæ sint pecunia, siue aliud quid modo ipso vsu sint consumptibiles, vt triticum, vinum & similia; aut certè alienentur, & in vsus expendantur, vt pecunia, quae ipsa alienatione quodāmodo consumitur, eò quòd pereat, alienanti illam. Itaque mutui contractus in hoc est, vt res mutuo data, transeat in dominium accipientis, & deinde similis reddatur, eo tempore de quo conuentum fuerit. 18.

Haec ratio mutui solet infici vsura, quando is, qui dat mutuum quid, verbi causa, pecuniae certam summam, vltra illam exigit tale quidpiam, quod sit pretio aestimabile, exigit, inquā non intuitu damni, quod ob concessum mutuum passus sit, aut lucri, quod interim omisit, vt dicetur infra num: 23. sed intuitu praecisè mutui dati. Tum verò propriè cōmittitur hæc vsura, cùm id quod superat mutuū, exigitur tanquam ex iustitia commutatiua debitum; si enim alio titulo exigatur v. g. gratitudinis aut liberalis promissionis; exactio talis non est cēnsenda vsura, sed prouocatio quaedam ad exercendam virtutem gratitudinis, vel fidelitatis; gratitudo autem, aut fidelitas, non est pretio aestimabilis, neque enim virtus venditur, aut emitur. 19.

Iam obligatio, seu contractus ex mutuo consequens, cuius intuitu accipitur aliquid vltra sortem, semper est peccatum vsurae, non iuribus tantùm positiuis, tam Ecclesiasticis, quàm ciuilibus prohibitum, sed ipso etiam naturae iure, vt bene ostendit S. Thom: 2. 2. q. 78. art: 1. in corp: res enim ad vitam humanam opportunae, quaedam sunt vsu consumptibiles, vt supra num: 18. notaui, aliae quae non consumuntur, qualia sunt prædia, domus, agri, & id genus alia. In prioribus non separatur vsus ab ipsa re, neque pluris constat vsus, quàm res; & qui est dominus rei, seu dominus directus, est etiam dominus vsus, siue dominus vtilis, in posterioribus distinctus est vsus ab ipsa re, distinctáque sunt dominia, vnde fit crebrò, vt alter sit dominus rei directus, alter vtilis; qui enim, verbi causa, locat domum, relinquit sibi dominium directum, vsum verò & dominium vtile dat conductori. 20.

Haec doctrina explicat, quonam ex capite vsura sit iniqua; cùm enim

 per mu-

per mutuum detur res vsu consumptibilis, is qui illam accipit, est totalis dominus eius, hoc est, & directus & vtilis, ille autem, qui mutuum dat, nullum rei datae dominiũ sibi retinet, sed solum ius, vt simile quid rei a se datae recipiat suo tempore.

Quapropter, si vltra id simile, quod redditur exigatur amplius quid, iniquè exigitur, & perinde atque si vsus & res ipsa in mutuo essent distincta, ita, vt is, qui accipit mutuum, reddendo ipsam sortem acceptam, teneatur insuper separata solutione vsum compensare; quod iniustum est, eò quod in mutuo, res & ipse vsus, sint vnum & idem, neque debent, nisi semel, & vna solutione compensari.

21. Fatendum quidem est, pecuniae mutuae datæ (& idem dicendum de alijs rebus, quae solent mutuari) posse esse vsum, cum fructo maiore, quàm sit pecunia accepta; vt si is, qui mutuam accepit vtatur ea ad mercãdũm; hic tamen talis fructus, non profertur ab ipsa pecunia, nisi sit coniuncta cum labore, & industria accipientis, qua absente nihil prorsus ferret pecunia: cùm autẽ ad hunc laborẽ, atque industriam, is qui mutuũ dat, minimè concurrat, nihil pro tali fructu potest accipere.

Secus est dicendum de alijs rebus, in quibus vsus & res distinguuntur: nam ager verbi causa est talis, qui suapte naturâ gignit fructum, pro quo potest separata exigi solutio, distincta ab ea, quæ datur pro ipsa re: vnde semper pluris venit fundus, si cum dominio directo, & vtili vendatur, quàm si solum cum vtili.

Ex his manifestè ostenditur iniustitia vsurae, in qua & redditur æquale rei mutuae datae, & vltra hoc, exigitur quid amplius.

Sectio VIII.

Duplex ratio vsurarij contractus.

22. Eclarata iam vsura duplici modo iniri solet, prior est manifestus, cùm is, qui mutuum dat, obligat accipientem ad soluendum aliquid vltra sortem; posterior est tacitus, cùm non obligat quidẽ caeterùm eò dat fine, vt accipiat aliquid vltra sortem, tanquam pretium rei mutuae datae. Ad tacitam, & astutam potest reduci palliata, & tecta specie iusti contractûs; talis est illa, quae in nonnullis locis vsurpatur passim, quando pecunia datur ad annum, vel plures, ante cuius solutionem, is qui eam dat, accipit ab eo cui mutuũ dedit bona immobilia, percipitque ex his fructus tam diu, quoad pecuniã non recipiat integrã.

Hic contractus vsura est palliata; neque enim eo emuntur bona in pe. petu-

perpetuũ,ſiquidẽ is, qui accipit pecuniã, eſt dñus bonorũ a ſe datorum ſolúmque priuat ſe vſu eorũ,quoad reddat pecuniã debitã; Illeergo,qui interim tenet bona, accipit ex ijs fructus,t anquã ex alienis,cõmittitque in iuſtitiã,eò quòd,& ſuã recepturus eſt pecuniã,& alienis vtitur bonis. Rurſus idẽ contractus non poteſt dici emptio,cũ pacto retrouendendi, ob eandẽ iã dictã dominij cauſã; qui enim cũ tali pacto emit,eſt dñus, & directus,& vtilis emptorũ bonorũ, ſolũque onus ſibi imponit retrouendendi quoties fuerit a venditore requiſitus. Neque poſtremò idem contractus, eſt emptio fructuũ in bonis acceptis,qualis emptio ſolet eſſe in cenſu, vel conductione, aut in ſimili; nã pecunia, quae datur non cõparatur ad fructũ bonorũ, vt quantò hic eſt maior, tanto pecunia detur etiã maior;ſed ſolũ illa offertur,vt ſit in dominio vſúque accipientis, & poſtea ſimilisvalore refundatur; interim autẽ fructus capiuntur ex bonis, vltra integrã ſortẽ pecuniae mutuò datae: ſuppono autem talia bona, non accipi intuitu damni alicuius, aut lucri ceſſantis.

Si enim is qui dat mutuum, priuando ſe pecuniã, ſolueret hac de 23. cauſa alteri vſuras, vel non ſoluendo creditori ſuo, ſubiret pœnam aliquam pecuniae aut carceris; pari modo, ſi idem carens pecunia, negotiationem, lucrandique occaſionem perderet; poſſet tam damni, quàm lucri exigere, (deductis tamen expenſis) debitam compenſationem, idque abſque iniuſtitia; nemo enim faciendo bene alteri tenetur pati detrimentum. Neque verò propter damnũ tantùm & lucrum, licet amplius aliquid exigere vltra capitalem ſummam;ſed etiam propter quodcunque aliud incommodum, ex mutuo conſequens, vt paſſim docent Theologi cum S. Thom. 2. 2 q. 88. art. 2. ad 1. Tale eſt periculum ſortis amittendae, ratione cuius poteſt aliquid prudenti iudicio determinatũ,vltra ſortem accipi;periculum enim hoc eſt pretio aeſtimabile, & crebro fit, vt ſors magnis expenſis ægrè repetatur.

Tale quoque incommodum eſt, non recipere ſuo tempore mutuum, ratione cuius poteſt accipi quidpiam, per modum pœnae conuentionalis, quam ille ſubire debet, qui ſua culpa non ſoluit tẽpore cõſtituto.

Sectio IX.

An & qualis ſit obligatio in dante, & accipiente vſuram?

Quod ad obligationem in vtrouis attinet,is,qui vſurae ſe ſubmittit 24. non tenetur in conſcientia illam ſoluere, eò quòd ab altero iniquè exigitur,neque peccat dicta ſubmiſſione quia coactꝰ neceſſitate propria, ſoluendi obligationem acceptat, quae ex parte illius eſt bona, ni-

bona, nimirum habens bonum finē prouidendi sibi; quidquid sit, quòd ex parte vsurarij sit iniusta. Est porrò licitum vnicuique quaerere suum commodum, cum alterius etiam mala cooperatione, quando haec cooperatio non ex se, & natura sua, sed ex malitia cooperantis euadit mala: talis est in nostro proposito concesio mutui cum vsuris; posset enim is, qui dat mutuum, non exigere illas, quemadmodum faciunt alij iusti, & boni viri. Aliud esset, si cooperatio naturâ sua turpitudinem aliquam contineret, talem enim nunquam licet acceptare, aut ad eam inducere; quo pacto ad cædem, ad fornicandum, ad furandum nefas est exigere cooperationem. Hac etiam ex causa, ad vsurarium contractum non licet quenquam inducere, quia suadere vsuram, est suadere rem omnino de se iniquam: solùm ergo is, qui eget pecunia, debet illā petere a dante; qui si nolit nisi cum vsura eam concedere, acceptare eam potest, cùm aliter fieri nequeat.

25. Quapropter peccant vsurarij, qui imponunt obligationē soluendi vsuras, & grauiter quidē peccant, si vsura fuerit in maiori quantitate: quae quidem obligatio nulla est in conscientia, vt iam puncto praecedenti dixi. Neque etiam tenet in foro iudiciali: nam licet, princeps, aut respublica possit permittere vsuras, neque illas punire, consulendo egentium necessitati, & maioribus occurendo malis, (quo pacto Deus Deutoronom: 23. permisit Iudæis, ab alienis non a fratribus vsuras accipere) non tamen potest cogere, mutuum accipientes ad soluendū illas, sic enim cooperaretur iniquis vsurarijs ad malum, vt docent Theologi cum S. Thom: 2 2. q. 88. art: 1. ad 3. Quare si is, qui dedit vsuram, velit eam per Iudices repetere, debet talis repetitio ab ipsis admitti; vt rectè ostendit, cum alijs Lessius de iustitia, & iure lib: 2. cap: 12. dub: prima, nisi fortè (id quod idem etiam aduertit) ex tali repetitione maiora sequerentur incōmoda; quale esset si vsurarij nollent ampliùs mutuum dare: eò quod repetantur vsuræ. Tunc enim iudices possunt decreto adigere ad soluendum vsuras, seu ad faciendum id, quod qui soluunt coacti necessitate propria rectè ex parte sua faciunt; id ergo quod rectè ab illis fit, a iudicibus potest decerni.

Et quanquam repetitio datarum vsurarum negetur in foro externo, vsurarij tamen obligati sunt in conscientia vsuras acceptas restituere, aut si illae non extant, alia aequiualente ratione compensare: siquidem omne illud, quod vltra sortem vsurpatur, alienum est, reddi ergo debet; & si non redditur ab ipsis vsurarijs, ab haeredibus eorum pari obligatione erit restituendum, qui cum hoc onere succedunt in bona vsurariorum. Postremò illi quoque tenentur ad restitutiones vsurarum, qui ad

qui ad eas cooperati sunt, vt iudices, qui decernũt soluendas esse, extra casum numero præcedenti positum, procuratores item, notarij & similes; qui quoquo modo promouent vsurariorũ negotium. Rectè autem monet Sanctus Thomas 2. 2. q. 78. ar: 3. in corp: non solùm ipsam vsuram reddendam esse, sed & damna compensanda, quae passus est is, qui illas soluit; imo & lucra refundenda, tum ex bonis ipso vsu consumptibilibus per vsuram acceptis (deductis tamen expensis, in lucrandi negotio) tum ex bonis, quae non consumuntur vsu, & de se fructum ferunt, vt sunt prædium, ager, & id genus alia.

Sectio X.

Quam iniqua sit vsura

INiquitas vsurae tanquam valde noxia, & acerba communi hominum societati inde primò constat, quòd omni iure sit prohibita, nempe de quo iam dictum est supra num: 20. Ecclesiastico, ciuili, & diuino. Ecclesia quidem decreuit, multis pænis afficiendos esse vsurarios, de quibus Syluester verbo vsurarij & alij; qui non leues a iure etiã ciuili in tales latas recensent paenas. Itaque vsurarij a Sacramento Confessionis & Eucharistiae arcendi; infames habendi; cum quibus tanquã cum infamibus iure agi possit; testamenta eorum sunt irrita, denique priuantur Ecclesiastica sepultura: quibus, & similibus (quam diu quidem viuunt) eo vsque subiacent, quoad vsuris non valedicunt, neque plenam faciunt ijs satisfactionem, quos iniqua laeserunt exactione. 26.

Neque verò ipsi duntaxat vsurarij, ita mulctantur; sed Ecclesiasticæ etiam personæ, quae exteris vsurarijs locant domos, neque pellunt eos intra tres menses ex suis terris; in Episcopos quidem lata est ipso facto suspensio, in alios Episcopis minores, excõmunicatio, interdicctum in collegia, & vniuersitates Ecclesiasticas.

Quod ad ius diuinum spectat, vnum ex multis sacræ scripturæ locũ afferam, quo clarum erit, quanto sit odio vsura Deo. Igitur Psalm: 54. inducit S. Propheta Christum coram Patre suo querentem de Iudæorum, ad quos missus erat, peccatis in præcipuis eorum ciuitatibus latè grassantibus, vbi simul vindictam exposcit de ijsdem; sic vero loquitur Christus. *Præcipita Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor, in medio eius, & iniustitia.* Quæ porro ista fuerit iniquitas, quaeue iniustitia, & cuius peccati peruersus labor, subiungit: *Et non defecit de plateis eius vsura,* & dolus. 27.

Nen de-

28. Non defuerunt in ciuitatibus Iudaicis plurima alia, præsertim cõtra Iustitiam peccata, solam attulit, vsuram, & dolos eius, vt ostenderet se illam maximè auersari, causasque tantæ auersionis, dat duas: Prima, quòd vsurarum studium, sit labor in medio eorum. Labor, & fatigatio manuum, capitis, aut pedum, accipit a corde leuamen, quod honesta fruitur iucunditate; vt de Eutrapelia parte priore libri huius cap: 12. a num: 11. diximus, ex corde enim ceu è fonte, in totum hominem manat refrigerium. Quod si ipsum cor laboret, & defatigetur, non restat amplius, quod subleuet, aut mitiget laborantē, neque aliud expectandum est, quàm quod dicit Salomon Prouerbiorum 35. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi; tinea vestem, demolitur, vermis subuertit lignū, sic tristitia teste Salomone, cor, viuētemque illo extinguit hominem. Hac tristitia cor vsurarij laborat; non admittit ille iucūda; non erigitur ad magna; non gaudet amicis; quiduis aliud fastidit, vno excepto pecuniæ labore, quo consumitur, & vt est apud Lucam cap. 8. suffocatur.

Meritò talem laborem odit Christus, totum enim occupatum cor claudit ille Deo, pecuniam, loco eius quasi adorandam, proponens, vt scribit S. Paulus ad Colossenses 30. asserens *Auaritiam esse simulacrorum seruitutē.* Minimè ergo mirandū odibiles esse vsurarios Deo, vel hac ipsa de causa quòd in medio eorū, id est. in corde (hoc enim in medio hominis sitū est) labor versetur, qui ipsos consumat, & pro Deo, vile metallum in sinu terrae abditum proponendo, viliores, & abiectiores efficit cæteris peccatoribus; quin & ipsis belluis. Quicunque enim alij, qui delinquunt, ijs ducuntur, quae terrae supereminent, vt carnales, & superbi; soli auari, in profundum terrae abiectissima quadam demissione mentis descendunt, vbi infra bestias se locant: nam hae ijs contentae, quae producit superficies terræ, ima non penetrant; isti in infimis cor habent, vbi, & quaerunt, & vt plurimū recondunt thesauros, de quo plura legi possunt hac parte cap: num: 44. & 45.

29. Multos Saluator, adhuc nobiscum mortalis, ad rectam viam reduxit peccatores, in quo eius diuino opere illud expendo, quòd apud nullum eorum peragendo quidem ipsam cōuersionem, legatur ita iucundè versatus beneque tractatus, atque apud Matthæum Leui, Lucae: 15. & apud Zachaeum Luc: 19. hac forte inter alias de causa, quia auaritia, & vsuris praeoccupatum cor habentes, magna potentis, praesentisque Dei operâ ad frugem redeunt, & dum redeunt, ipsi quidem nimiùm, nimiúmque secum luctantur; non solùm valedicendo praeteritis factis (quòd in plerisque alijs peccatis satis est) sed etiam deserendo nummos malè

malè partos, & tanquam proximi damnum, & tanquam iniuriam Dei, cuius loco, opes ſimulacrum erat.

Caeterum Chriſtus luctā hanc ſua iucunda lenit praeſentia, facitque quaſi obliuiſci doloris, dulciter cum talibus conuiuando; poſtremò gratulatur ſibi, quod ex imis ad altiora, a ſimulachro auaritiae, ad ſe Deum, reuocet miſeros homines. Quod quia in infelici Iuda, vitio eius non eſt aſſecutus, quem familiari vſu, & iucunda epulatione ab amore nummorum conabatur reducere, (& propterea fortè pecuniam, illius cuſtodiæ tradidit, vt pro ſuo guſtu, quæ oportuna eſſent, ad ſuauiter epulandum emeret) quia, inquam, tanta Dominus ſolicitudine, nihil effecit in obſtinato auaritiae mancipio, idcirco queritur corā Patre eodem illo Pſal 54. *Si*, inquit, *is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo: tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui ſimul mecū dulces capiebas cibos, in domo Dei, ambulauimus cū cōſenſu.*

Atque haec eſt prima cauſa ob quam Chriſtus odit vſuram, labor, nimirum, in medio cordis; alteram illis explicat citati Pſalmi verbis: *Die, ac nocte circumdabit eam*, hoc eſt ciuitatem, ſuper muros eius, iniquitas. 30.

Magnum vt iam vidimus malum, torqueri deſiderijs lucrandi vſuras; ſed hic labor, & hoc ſtudium, in corde eſt, ſoli Deo, notū; fit verò perſæpe, vt quod in corde latet foris perinde viſatur, atque viſuntur muri, & maenia, quæ cingunt ciuitatem. Itaque hominū pudore, Deique timore contempto, palàm mutuum dare ad vſuras, & crebrò magnas, nulla egeſtatis petentium mutuum, habita ratione, nolle ea quae iniquè parta ſunt reſtituere; ſacramenta confeſſionis, & Euchariſtiae (quae vſurarij, ſolent negari) negligere; poſtremò, quod miſerrimum, & inſaniae proximùm eſt ne quidem in fine vitae reſipiſcere: haec facere, eſt, inquit, Chriſtus perinde vſurarum cingi iniquitate, & vinciri, ac cingitur muro ciuitas. Patent omnium oculis mænia, & eos, quos circumdant, arctè tenent: talium quoque vſuræ manifeſtæ ſunt, non eas occultant, non erubeſcunt, etſi furtis, & rapinis (quae, vt plurimū ſolent homines pudore ducti occultare ,) quam ſimillimas. Quod vero ijdem, aegerrimè ad honeſtatis libertatem redeant, eſt, quia iniquitate auaritiae fortiſſimè cingantur, arctaque, (nimirum ſerui, & mancipia eius) teneantur, vt nec interdiu, nec nocte egredi reſipiſcendo queant, aut eū ad ſe aduocare, qui illorū ſalutis bono conſulere poſſit. Rectè igitur Dominus, iſtorum ſe apertam iniquitatem odiſſe teſtatur, quæ ſuæ miſericordiæ prohibet ad miſeros aditum: Die, queritur ille, ac nocte circumdabit, ſuper muros eius iniquitas,

31. Non tacentur ibidem, & pænæ eorumdem, quarũ vna est breuitas vitæ mortalis; siue ideo, quòd assidua lucrandi solicitudine marcescant. *Spiritus enim tristis*, inquit Salomon Prouerb: 17. *exsiccat ossa*; siue quòd talibus iusto Dei iudicio, minùs ad viuendum definiatur spacij, vt qui non ad eum finem, ad quem sunt condita, vtuntur caducis bonis, cedant alijs meliùs vsuris; quemadmodũ testatur Spiritus Sanctus Prouerb. 28. *Qui coacervat diuitias vsuris, & fænore liberali, in pauperes congregat eas.* His & alijs Deo notis, de caussis breuiorem, quàm sit media, prædicit vsurarijs Christus vitam Psal: illo 54. *Viri*, inquit, *dolosi, non dimidiabũt dies suos.* Quanquam Sanctus Augustinus, non hoc tantùm a Deo permitti putat in eos, qui sic opes congregant; sed & illud, vt vel adhuc viuis pereant, vel post mortem, haeredibus eorum, fiatque non rarò quod Prouerb: 10. fertur; *Male parta, male dilabuntur.* Sic enim scribit in Psalm: 123 *Eunt homines, verbum Dei audiunt, & prouerbia Dei, & dormitant in eis, audiunt Prouerbium illud vulgare, & vigilant: Hoc malo, quod teneo, quàm quod spero, quid tenes? aurum; tene ergo, si tenes, non tibi auferatur inuito, si autem per aurum traheris, quo non vis, & ideo te quærit maior raptor, quia inuenit minorem raptorem, præda tibi fuit minor, præda eris maiori, & omnia inaniter fiunt.* Hæc Augustinus.

Prædicit Dominus eodẽ Psalmo aliam quoque longè hac grauiorem pænam: *Veniat*, inquit, *mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Infernus non sumitur hoc loco pro sepulchro, vt interdum solet accipi: nam in sepulchrum, non descendunt viuentes sed mortui, est ergo infernus hic ille gehennae æternus ignis, idcirco vsurarijs præparatus; *Quoniã nequitia in habitaculis eorum in medio eorũ*, inquit Christus. nam & cor situm in medio eorum, plenum est nequitia dolosa, & domus refertæ ære pignoribus, & id genus rebus, velut obsidibus, fœnoris res quippe oppignorantur, vt vsurarij sint certi fœnoris. Vtinam tantum vsuræ odium, & tantas paenas Iudicis sui Christi, expendant corde omnes qui illâ tenentur, & conscij eorum, quæ praedicuntur ab illo omnino futura, resipiscant, ne timeant; timeant nisi resipiscant.

Sectio II.

Quo pacto alijs contractibus læditur Iustitia commutatiua & primo censu.

32 VEnditione, emptione, & mutuo, intellectis simul & ijs, quibus vitiari solent, vt est dolus, & vis facile erit assequi, quanam ratione, alij quoque deficiant contractus, in quibus simile quid fit venditi-

Digitized by Google

venditioni, emptioni & mutuo: rebus enim, & pecunia in his quoque ſicut & in illis agitur; cùm vel res datur, pro re, vel pecunia pro re, vel pecunia pro pecunia; id quod etiam in explicatis iam ſeruatur contractibus. Talis eſt imprimis cenſus, quo acquiritur ius ad fructus ex bonis fructiferis alienis, ita vt alius habeat ius directum in ea; ille verò, qui emit cenſum ſolùm ius vtile ad fructus, atque hic talis contractus eſt propriè cenſus.

Quod ſi ſimul obligetur perſona ad ſoluendum fructus ex bonis quae ſubiacent obligationi, vocatur tum cenſus perſonalis, ſi verò ſolùm bona obligantur, dicitur cenſus realis, & vel redimibilis eſt certo aut incerto tẽpore; vel nunquã redimibilis; eritque iuſtus, ſi fructus correſpondeat pretio, quod pro illo datur. Vt verò ſic reſpondeat, ſpectãdae ſunt circũſtantiae, cuiuſmodi eſt, regionũ inprimis cõnſuetudo; tum breuitas, vel longitudo temporis, quo contractus duraturus ſit, certitudo item vel ambiguitas penſionis cenſualis, bonorumque, in quibus illa fundatur; præterea iura, ſiue pontificia, ſiue politica, quae de cenſu lata ſunt, ac recepta; & ſimilia, quibus prudenter conſideratis, iam maior, iam minor fructus pretiumque debet eſſe. 33.

Quapropter ſi is, qui vendit cenſum, nimis oneretur ideo, vt quotannis ſecurus ſit fructus; minor debet eſſe penſio compenſans illa onera: verbi cauſa 5. aut 6. a centum; quod ſi venditoris aſſecuratio dubia ſit, & incerta; poteſt emptor exigere maiorem fructum, exempli cauſa, decem, vel 11. a centum.

Sunt quidem non nulli, qui contractum hunc putant eſſe palliatam vſuram, eò quod ex pecunia data percipiatur fructus; verùm hi non aduertunt pecuniam dupliciter poſſe ad fructum dari; primò mutuatione, atque haec ratio fructificandi, eſt vſuraria datur enim pecunia ex ſe, vt ſupra dixi num: 20. non fructifera; quæ tamẽ cum fœnore redit: ſecundò, emptione iuris vtilis, quod acquiritur ad fructus, in bonis alienis fructiferis; & talis modus percipiendi fructum ex pecunia, eſt iuſtus, & vbique terrarum approbatus. Etenim ſi iuſtum eſt emere bona fructifera, cum iure directo, & ſimul vtili; cur non iuſtum erit emere, ſolũ ius vtile? minimè ergo ambigendũ eſt de iuſtitia cenſualis cõtractus. 34.

Digitized by Google

Sectio XII.

De emphyteusi, feudo, locatione, conductione, pignore, & hypotheca.

35. CEnsui persimilis videtur Emphyteusis & Feudum; emphyteusis est, cessio iuris vtilis ad fructus, cum retentione dominij directi bonorum immobilium, ex quibus debet is, qui habet ius vtile, soluere certã pensionem domino directo, siue quotannis perrenem, siue ad certum tempus. Feudum perinde, vt & in emphyteusi, est concessio iuris vtilis, retento directo, & adiuncta obligatione obsequij personalis, ab illo exhibendi, qui accipit bona cum vtili iure. In vtroque hoc contractu iustitia erit, si tam pensio debita de qua fuerit conuentum, quàm obsequium integrè reddatur.

36. Persimilis quoque est censui locatio, ac conductio; per quam vtramque res, vel persona certo pretio traditur, & sumitur ad quampiam vtilitatem, vt domus ad habitandum, famulus ad obsequendum & cætera, vbi nulla erit iniustitia, si pretium correspondeat vtilitati.

37. Proximè dictis accedit, pignus, & hypotheca, tam hæc, quam illud potest esse res mobilis, aut immobilis, & vtrumque conceditur, vt creditor sit certus de debitore, & vt possit sibi pignore, vel hypotheca soluere, casu, quod a debitore fuerit deceptus. Et pignus quidem re ipsa traditur creditori, hypotheca verò sola cautione, scripto, & promissione; in quibus iustitia erit si nec creditor vtatur ad commodum suum pignore, aut hypotheca; & debitor reddat id, quod debet.

Sectio XIII.

De Fideiussione, assecuratione, & sponsione.

38. INterdum non pignore, vel hypotheca certitudo inter contrahentes firmatur, sed fideiussione, assecuratione: per illam fideiubens alienam obligationem in se suscipit, tenebiturque eam implere, dato quòd principaliter se obligans, deficiat; per hanc pariter obligationem suscipitur ab assecurante, ad soluendum rem assecuratam, supposito, quòd pereat. Vtrumque fieri potest, vel gratis, & ex amicitia in illum, pro quo fides aut assecuratio datur vel pretio iusto, & ex iustitia.

Cæterùm vbi fides data fuerit, assecuratione oblata; quacunque id

factum

Digitized by Google

factum fuerit ex causa & motiuo, ex iustitia est tenenda; nisi is, qui fide iubet, vel affecurat, exprimat nolle se ex iustitia obligare.

Non longè ab his distat contractus sponsionis, per quam duo, vel de euentu futuro, vel de veritate facti certando fidem suam, & quidpiam aliud deponunt, ab illo accipiendum, qui vicerit. Adhibetur hæc spondendi ratio, interdum animi causa, & quasi ludendi; interdum seriò, cum praesertim agitur de veritate rei; estque iusta, si absit fraus & collusio verborum, qualis est; dum aliter spondentes dicunt, altiter intelligunt; fit enim, vt vbi vnus fuerit victus, dicat se aliter intellexisse id, de quo fuit initum sponsionis pactum, inquo est iniustitia. 39.

Sectio XIV.

De Lusu.

Sponsioni valde similis est lusus, quo duo, vel plures in Societate certant non iam de veritate, aut euentu futuro; sed de re, quam deponunt, vt ei cedat qui arte, ingenio, & industria aliquid praestiterit, quod communi ludentium consensu præstandum est. Porro id quod ex communi consensu, & placito est exhibendum varium, & multiplex esse potest; pro vt est, varia & multiplex hominum propensio, ad hanc, vel illam recreandi animi causa oblectationem, de qua diximus agentes de eutrapelia libri huius parte priore, cap. 17. a num: 11. ad 16. Ne tamen, vt procliue est, ei qui laxat frœna oblectationi, fiat aliquid eutrapelia indignum, tam ciuilibus, quam Canonicis iuribus descripta est ratio, & species ludorum. 40.

Et quod ad ius Canonicum attinet, Concilium Tridentinũ Sessione 22. Cap: 10. de reformatione ita habet: *Statuit Sancta synodus, vt quæ aliàs a summis Pontificibus, & a Sanctis Concilijs de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus choreis, aleis, lusibus, nec non sacularibus negotijs fugiendis sancita fuerunt, eadem inposterùm ijsdem pœnis, vel maioribus arbitrio ordinarij imponendis obseruentur.* 41.

Hoc decreto alearum vsus clericis interdicitur, & cum adeo sit seuerum etiam adhibitis grauioribus pœnis, quam erant antiquitùs latæ, (satis autem erant illæ graues nempe separatio ab officio, depositio, & similes) clarum est violationem eius, non esse leuem culpam; non solùm ob scandalum, si magnum fuerit datum, sed etiam ob ipsam magnitudinem præcepti, tam sonantibus verbis lati.

Nisi fortè illud decretum aut non sit alicubi receptum, aut consue-

tudine

tudine contraria sublatum; quemadmodum & ciuiles Imperatorum leges haec ipsa aliàs prohibentes, iam sunt penè vbique abolitae.

42. Itaque in hoc ludorũ contractu, vt iustus, & licitus sit, seruanda sunt tria: primò consulenda cuiusque regionis lex, aut consuetudo, qui ludi concessi, qui vero prohibiti, aduertendumque num ille qui prohibetur, ita sit, illicitus, vt qui eo vtuntur nihil lucrari possint, sed teneantur reddere tanquam malè acquisitũ. Secundo, in licitis & honestis ludis, mensura, moderatioque adhibenda, mensura in eo, quod deponitur perdendũ; nam ditior, & maioris conditionis persona, plura potest deponere, eò quòd licet amittat, habeat vnde se suosque alere decenter possit. Mẽsura dicta nisi adhibeatur, erit prodigalitas, interdũ etiã iniustitia; si is qui multa ludendo perdit, non sit soluendo aliena, aut nequeat alere eos, quos debet ex iustitia sustentare: possunt, & alia, contra alias virtutes consequi peccata, vt contra charitatem: si non habeat vnde proximo benefaciat, det elemosynam, & cætera non præstet. Iam moderatio adhibenda est in modo ludendi, nam qui adeo, vel delectationi suæ deditus, vel lucri cupidus fuerit vt aliquid contra Dei legẽ sit paratus cõmittere, hic grauibus exponit se periculis, & peccatis.

Tales sunt, qui dies, noctesque in ludo insumunt, nec discernunt inter festum, & profanum tẽpus, omittuntque cultum Dei praeceptũ. Eiusmodi etiam sunt, qui molestè ferendo iacturam in ludo, impotes sui efficiuntur, blasphemant, pererant, maledicunt, iurgantur in cædes & vulnera ruunt; his adhibenda moderatio, vt vel abstineant à lusu, qui est illis proxima occasio tantae diuinae offensae: aut si abstinere nolint, temperent sibi a dictis culpis. Plutarchus in Apophtegmatis Regũ scribit de Alexandro magno, qui, quosdam de amicis mulctauit, quòd in ludo aleae aduerteret eos non ludere, sed velut in re maximè seria versari, fortunas suas omnes, aleae permittentes arbitrio: si hic Rex reprehẽdẽdos putauit amicos ob duo, primò quod alea luserint, in qua modicum est ingenij, artis, vel industriae, sed fortuna duntaxat omnia aguntur, propter quam causam olim aleae, & similes lusus prohibebantur. Secundo, quòd seriò ludis applicarent animum; quid faceret idem, etsi Dei ignarus Rex, si tot peccata superiùs enumerata, lusui admisceri videret? Tertium quod in ludo seruari debet, est, ne fraus, aut vis adiungatur, cum enim ludus sit contractus mutuus, in quo arte, & industria ex pacto agendum, spontaneus non coactus esse debet; sicut & alij contractus; arte etiam, ingenioque certandum, non fraude & dolo; qui nõ est ars, vel ingeniũ, sed corruptio vtriusque. Quidquid ergo vi, aut dolo in ludo acquiritur restituendũ est, tanquã malè & iniquè partum.

Solent

Solent quidem a nonnullis lusoriæ fraudes lucraque illis acquisita eludi, & iocis a restitutione vindicari; sed hi sciant non ludere Deum, qui de quouis, in quolibet negotio fraudibus agente, ita Ecclesiastici 27. loquitur. *Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abijciet, in conspectu oculorum tuorum; condulcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur, nouissimè autem peruertet os tuum, & in verbis tuis dabit scandalum.* Describitur hic fraudulentus, qui laudat inprimis socium ludi; admiratur ingenium; condulcat os, vt in cautum decipiat dolis; propter quos a nemine decipitur, id est, vincitur, propter suas artes, & dolos. Sed quā sit odibilis is Deo scriptum est ibidem. *Multa*, inquit, Ecclesiasticus, *odiui, & non coæquaui ei, & Dominus odiet illum:* Haec legant qui fraudibus ludere consueuerunt, nouerintque multa peccata non esse paria suis dolis, sed his minora. 43.

Sectio XV.

De Societate.

EST inter alios, Societatis contractus, ad lucrum, aut aliquem alium vsum, iniri solitus; fit autem dupliciter, primo, cùm duo vel plures, aliquid conferunt in commune, vestes, supellectilem domesticam, & cætera eiusmodi, quibus vnusquisque eorum vti possit, perinde, ac si vnius illa essent, secundò cùm conferunt ea quæ vel ex se, vt pecora, vel adhibita industria, vt pecuniæ faciunt fructum, quo casu omnes, qui conferunt participes erunt fructus pro rata tamen, & proportione sortis in commune datae. 44.

Merito haec proportio attenditur; nā quātò quis plus de suo contulerit, tantò plus de fructu percipere debet: Fit autem interdum, vt aliquis è socijs non rem, sed laborem det, & operam, cui certo, & iusto pretio taxatae, fructus correspondere debet. Hac ratione ineunt societatem mercatores, vt vnus det pecuniam, alter laborem, & industriam, qui tandem fructum inter se diuidunt proportionatum tum pecuniæ, tum labori. In priore societate, in qua vsus duntaxat est communis, iustitia in hoc est, vt siue vnus plus conferat, quàm alter, siue minus, pro vt inter socios conuentum fuerit; neuter alterum in libero vsu, per fraudem aut vim impediat. In secundo, in quo agitur de lucro, iustitia est si nec in eo quod quisque confert, & cuius est verè dominus, quidquam damni patiatur (nisi fortè aliquid casu pereat) nec lucrum sorti cuiusque æquale, denegetur.

Digitized by Google

Sectio XVI.

De Commodato, Depositio, & Cambio.

45. SEquitur commodatum, & depositum, quod aliquam habet similidinem cum societate; eadem enim res duorum quodammodo est. commodatum propriè dicitur, res aliqua vsu non consumptibilis, daturque ad cõmodum alteri, vt eadem prorsus restituatur; quo differt a mutuo; nam in hoc datur alteri pecunia vsu consumptibilis, transferturque in dominium accipientis. vt cap: hoc diximus supra num: 20. cui totum contrarium est in cõmodato; in quo iustitia erit, si vsus non amplior, aut longior vsurpetur commodatae rei, quàm fuerit concessus.

Iam depositum, est res ad seruandum concessa, suo tempore deponenti restituenda, tanquam proprio domino; quod si non fiat, iniustitia committitur: nisi aliquid eum, apud quem relinquitur depositum, excuset a non reddendo: vt si, verbi causa, is, qui deposuit, repetat arma ad perpetrandam illicitam caedem; tum enim licebit negare depositum tantisper, dum est periculum caedis. Tam commodatum quàm depositum si culpa eius qui accipit pereat, soluendum erit ab illo, & culpa haec tantò minor, erit sufficiens causa solutionis, quantò maiore vtilitate, ex commodato, vel deposito gaudet accipiens; nam vtilitas ista calcar illi, vel obligationem potiùs maiorem addere debuit ad exactiorem custodiae diligentiam.

46. Cambium, vsurpata vocabuli huius significatione, est mutatio pecuniae pro pecunia, fitque duplici ratione, aut enim diuersa pecuniarum numismata commutantur, verbi causa, datur minuta, & argentea, accepitur maior & aurea; aut datur in vno loco certa summa, vt eadem in alio recipiatur, siue detur campsori vt is alibi eam reddat, siue ipse campsor det alicui, vt ab illo alibi recipiat. Vtraque ratio cambij potest aliquid lucri ferre ei, qui cambio praeest: prior quidem ideo, quòd is, qui se priuat certa pecuniae moneta, in gratiam alterius, possit damno se exponere, aut lucrandi omittere occasionẽ: id quod vtrumque æquũ est, vt compensetur; præterquam quòd ipse numerandi promptus & paratus labor, dignus est aliqua solutione; quae erit iusta, si spectatis omnibus circumstantijs, proportionata fuerit commutationis valori; & nulla vtrinque fraus, aut vis in commutando interueniat. Illud quoque alterum cambium est etiã pretio æstimabile; si enim is, qui de loco, ad locum defert alienam pecuniã, meretur pro labore solutionem; pari de causa

de causa, & campsori soluenda est, tum obligatio sistendi alibi pecuniam, tum labor curandi, vt illa certo sistatur; est enim hic virtualis quædam trāslatio pecuniae. Sicut etiam si campsor det illam anticipatè, vt alibi aequiualentem recipiat, est quoque quaedam trāslatio virtualis: qui enim in certo aliquo loco dat pecuniam, vt hic dat campsor censetur ad eundem illā deferre: Accedit huc, quòd talis concessio nummorum, possit habere damna emergentia annexa, & cessantia lucra, quae iustè compensanda sunt. Iustitia commutationis huius secundae in hoc erit; vt & campsor debitam, ac proportionatam suo operi habeat solutionem; & ipse pecuniam certo, & citra omnem det fraudem, aut vim, in loco & tempore definito.

Sectio XVII.

De donatione, testamento codicillo, legato.

Restant duo non quidem propriè contractuum genera, talium tamen dispositionum, per quae transferuntur dominia rerum; primum vsurpatur inter viuentes, estque donatio rei propriæ; quæ licet gratis, & ex liberalitate fiat; tamen vbi acceptata & tradita fuerit, transit in accipientis dominium; quòd si non acceptetur, donatio erit merum propositum, reuocabile pro arbitrio donantis citra praeiudiciū tertij. Iam si acceptetur donatio, sed non tradatur res donata: non habet is, cui donatio facta est, dominium in domum sed solùm ius, vt dicunt Theologi ad rem; poteſtque iure agere cum donatore, eo quod nolit oblatum & acceptum tradere donum. Iustitia, quae in donatione attendenda est, in duobus erit sita, vt neque qui donat reuocet datum absque legitima causa, neque qui accipit, ingratum se modo mox explicando exhibeat. Legitimas reuocandi causas ponunt communiter auctores in vna, quam refert S. Thom: 2. 2. q. 110. art: 3. ad 5. nempe immutatione circumstantiarum; sicut enim qui promittit aliquid, potest mutare promissionem, si conditio absit requisita; ita potest mutare, & is qui donat, siquidem tam promissio, quàm donatio supponitur esse sponte, & ex liberalitate facta, non ex aliquo iustitiae debito. Porro conditio mutans donationem, alia potest esse expressè adhibita, vt si quis donet amico equum, si venerit, & petierit; alia quae intelligitur tacitè. Atque inter has tacitas duae potissimae ab autoribus assignantur; prima concernit donantem, qui si donatione nocuit proli, non relinquendo illi legitimam pro vita sustentanda partem, potest retractare, aut non dando si nondum tradidit, quod donauerat, aut iure agē- 47.

do vt recipiat id, quod tradidit. Quod dicitur de prole, idem puto asserendum de parentibus, aut alio quopiam ex graui aliqua obligatione sustẽtando. Sicut enim reuocanda est donatio, casu quod proles patiatur ita reuocanda erit, si parentes; verbi causa, ob donationem careant debita a filio sustentatione. Altera causa; quae similem meretur donationis retractationẽ spectat eum, cui aliquid donatum est: si enim is ingratum se & quidem noxiè famae, aut bonis, aut vitae exhibeat suo benefactori, meritò priuandus est dono; ab ingrato enim, vt communiter dicitur, tollitur beneficium. Quòd si quis dicat rem traditam iam transisse in dominium accipientis, neque illo inuito posse fieri alienationẽ, citra praeiudicium iuris eius: respondendum est, id quidem ex natura rei ita esse: caeterùm iura positiua (quae in vnaquaque Republica consulenda sunt) in pœnam ingrati animi, ita in multis locis statuerunt, vt iure repetatur id, quod ingratus accipit: atque id valde fauet incautis parentibus, qui in vita omnia tradunt filijs, a quibus deseruntur.

48. Iam alterum genus dispositionum per quod transfertur rerum dominium a mortuis in viuentes, est testamentum, codicillus & legatum (parum autem ad mores refert, an & quomodò haec distinguantur, nã testamentũ instituit haeredem, codicillus apponit aliquid testamento, legatum disponit quidpiam relinquẽdũ post mortem) quo declaratur voluntas post mortem exequenda: & quidem eorum, qui habentes propriam siue mobilem, siue immobilem substantiam, nulli aliquo iure debitam, neque erant impediti a dispositione instituunt haeredem, aut legant siue in pias causas, siue quibuscunque alijs, qui capaces sũt dominij. Ita communiter tenent de hac ratione transferendi dominij Doctores; vt videri potest in Syluestro, verbo Testamentũ, 5. & alijs. Porro inprimis eos qui testantur debere esse dominos; nemo enim dat, quod iure, & dominio non habet; quare is, qui aliena possidet, non potest ea legare testamento, ne quidem in pias causas, sed restituere debet ei, cuius sunt. Rursus id quod testamento relinquitur, non debet iure quopiam ad alterum spectare; vnde qui ex iustitia debet cuipiam, vt creditori, vel ex pietate, vt parentibus; legare non poterit, nisi prius iustitiae, & pietati satisfecerit. Ad haec impedimentum disponendi de re propria abesse oportet, alioquin irrita, aut illicita erit dispositio: ita Clerici, qui alias capaces sunt dominij, non omnia testamento alijs tradere possunt. Porro hi Clerici triplicia possunt habere bona; primo Ecclesiastica; secundò bona patrimonialia, aut propria industria collecta siue acquisita; tertiò prouentus ex bonis Ecclesiasticis. Quod ad prima attinet, certùm est de ijs non posse testamento disponi; siquidẽ

eorum

eorum tantum vsum habent, non absolutum dominium, vt omnes affirmant. Bona secundi generis licitè, & validè possunt legari, etiam in causas profanas, vt amicis, & consanguineis; in quos si præpostero affectu legantes ferantur obliti pauperum Christi, & animae suae, peccabunt quidem, validè tamen donabunt: Cùm enim ista bona sint eorum propria, & profana, arbitrio illorum rilinquitur, modus, & qualitas de ijs disponendi. Quod spectat ad reditus beneficiorum, horum etsi Clerici vt communior est sententia cum Sancto Thom: 2. 2. q. 185. art: 7. in corp: sint domini tamen legare ex ijs non possunt etiam in pias causas, iuribus id prohibentibus ab Ecclesia latis cap: cum in officijs de testamentis, & alibi. Fatentur nihilominus Doctores, ex cōsuetudine passim iam, & fere vbique recepta, licere in pias causas legare collecta ex huiusmodi prouentibus. Idē vero auctores cum S. Thom: loco citato tenent peccare grauiter quoscunque beneficiarios, si praedictos prouentus legent in vsus profanos (quidquid sit, quod fortè validè id faciant) sicut etiam peccant, si viuis ad eiusmodi vsus largiantur: verbi causa amicis, & consanguineis diuitibus, mundanae ostentationis, aut vani cuiusdam cōmodi gratiâ.

Haec omnia circa Clericos sanctè sunt instituta, & primò quidem quod iuxta vetera iura, non licuerit illis legare ex dictis prouentibus, etiam in vsus pios: cupiebat enim Ecclesia longissimè illos abesse ab omni etiam specie auaritiae; atque ita in viuis adhuc largè, & piè, distribuere debebant, quiquid eorum decenti superesset necessitati, & nō seruare vsque ad mortem; id enim vt plurimùm solet fieri a tenacibus, & auaris. Quod verò iam permiserit, & dissimulet consuetudinem legandi ad pios vsus, etiam sanctè facit; optat enim Ecclesia, vt vel moriendo corrigatur, quod in viuis neglectum est. Quod denique in profanos vsus, nequeant Clerici prouentus hosce distribuere, siue dum viuunt, siue dum moriuntur, optimè, & id quidem: nam ad mentem Christi illis vti debent, cui bona Ecclesiastica in patrimonium a fidelibus offeruntur, ad templorum, pauperum, ministrorūque Ecclesiae commodū. Itaque in alia, quam in hæc tria prouentus Ecclesiastici non possunt expendi, citra præiudiciū Christi Domini, & hæredis tum beneficiorū, tum prouentuum; quos concedit quidē beneficiarijs cum iure dominij, tamen cum certa, & definitâ disponendi piè ratione, vt hactenus semper sancta Ecclesia, optima mentis Christi interpres intellexit, & faciendum praescripsit. Id quod ostendit S. Thomas 2. 2. q. illa 185. art: 7. in corp: citans ad idem propositum S. Augustinum in Epla 50. ad Bonifacium sic scribentem. Si priuatum possidemus, quod nobis suffi- 49.

ciat, non illa bona nostra sunt, sed illorum, quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicemus. Ex quo dicto S. Augustini, & ex communi Ecclesiae consuetudine, Doctorum recepta iam passim sententia, liquet prouentus dictos debere primo vsibus, quantùm decenti sustentationi sufficiat cuiusque beneficiarij applicari, tum in ea reliquam expendi, quorum procuratio eidem est commissa; nempe in sarta tecta templorum, & in auxilium pauperum: & eius quidem partis, quæ propriae sustentationi tribuitur esse beneficiarium dominũ; reliquarum duarum non dominum, sed dispensatorẽ, pro voluntate veri domini, & haeredis dictorũ bonorũ Christi.

Postremò in descriptione testamenti, posui eos, quibus aliquid legatur, debere esse capaces dominij; si enim incapaces sint, non potest in illos dominium transire; quo in casu res testamento relicta (ne sit nullius) redit ad hæredes ab intestato. Quare si Clerici ex prouentibus Ecclesiæ, relinquant aliquid incapacibus dominij; relictum Ecclesia recipit, vt vel in pauperes, vel in sarta tecta templorũ expendat, vel in vsus necessarios eius, qui legauit.

50. Quod ad conditiones, & solennitates attinet, quae ad valorem testamentorum sunt necessariae, consulenda sunt in hoc iura cuiusque communitatis, vel Regni. Illud est certum apud Theologos, & Canonistas, quos citat Lessius de iustitia, & iure lib: 2. cap. 19. dub: 2. & 3. vt testamentum quo relinquitur aliquid in pias causas, sit in foro cõscientiae validum, non requiri vllã solennitatem; modò certò (vt potest morali, & humana via sciri) constet de voluntate testatoris. Huius ratio est manifesta ex ipsa testandi intentione: nam testamentũ est signum voluntatis mortui, si ergò constet de voluntate; mos illi gerendus, presertim in re & causa salutis, qualis est quoties, offertur aliquid in pia opera. Est quidẽ ius Ecclesiasticũ; cap: relatum 2. de testamẽtis vbi requiruntur duo, vel ad summum tres testes, qui suppleant solemnitates testamenti; sed hoc tantùm imponitur iudicibus, vt si ad illos lis deuenerit, habeant pro sufficientibus solennitatibus duos, vel tres testes, ferantque pro pia causa in foro externo. Quod si testes dicti defuerint, etsi in foro externo non feratur sententia; tamen re ipsa, & in foro conscientiae testamentum valet; & quod illo relictum est, cedere in pias causas debet, neque aliud bona conscientia fieri potest.

51. Quod adeo verum est, secundum eosdem Doctores, vt etiam illa testamenta, quibus relinquitur aliquid in causas profanas, valida sint in foro interno, licet careant ciuilibus solennitatibus: eadem quippe ratio praecedenti puncto allata, militat etiam pro quibusuis testamentis: si enim

si enim constet de voluntate testatoris nihil restat aliud, quàm vt illi fiat satis. Quanquam sunt nonnulli iuristae, qui censent ob vitandas multas lites, & occasiones fraudum, probabile esse non valere talia testamenta, nisi habeant requisitas solemnitates; quam sententiam nonnulli Theologi ita modificant, vt dicant valere quidem haec testamenta; nisi tamen per sententiam iudicis tanquam inualida declarentur, & tam diu, relictis ex testamento licebit vti, vt proprijs, quàm diu per sententiam Iudicis, non auferuntur.

Omnes hæ tres sententiae, cùm sint probabiles licitum sui praebent pro arbitrio cuiusque vsum, vt vel dicamus talia testamenta profana valere in conscientia, sine solennitatibus: vel valere si non irritentur per decretũ iudicis; quarum omnium tertia videtur esse praxi maximè congrua.

Sectio XVIII.

Qui sint testamentorum defectus.

NOn omittendos hîc puto aliquot defectus, etiã Deo ingrata reddentes testamenta, quorum defectuum persaepe in causa est ipse testator; vel quòd minùs, sincerè exprimat volũtatem suam; vel quòd differat declarationem eius, vsque ad tempus mortis, quo, & memoria fallit, & timor amittendae vitae, iudicijque diuini distrahit, dolor quoque tum ex amicorum tristium praesentia, aufert attentionem ab eo, quod instante iam animae a corpore saeperatione, semel tantùm sine spe, & facultate correctionis, faciendum est. Ex quo fit, vt perturbata tot de causis mens, crebrò salutis sit immemor; in pia pro anima opera, aut nihil, aut modicum quid legatur; tota successoribus commẽdatur futurorum cura; inter ipsos succedentes plus accipit, qui meretur minùs; fit denique non rarò, vt vi & molestia morbi æger praeditus, & subsequens tempus (quod sperat adfuturum putatque fore cõmodius) differendo nihil agat, sed omnia dubijs, perplexitatibus, tricis, iurgijs, litibus, & interdum caedibus hæredum relinquat. Quorum omniũ causa est ipsa testatoris incuria; & si præuideat ista futura, neque tamen obuiam eat, claris, & candidis vtendo verbis, constet quid cuique debeatur; maturè item, & prudenter condẽdo testamentum, adhibendoque solitas solemnitates; immunis a peccato esse non potest: siue quia facit contra Charitatem proximi, non obuiando malis, cùm possit & debeat, & simul etiam contra Charitatem suae animæ, minùs ei prouidendo in vltimo momento, quo elapso nulla vnquã facti datur reuocatio: siue 52.

tio: siue quia iustitiae quoque, pietatique deroget, non relinquendo creditoribus, mercenarijs famulis, parentibus, iniuria, & damno a se affectis, id, quod cuique relinqui debet.

53. His, & similibus malis remedium offert Spiritus sanctus Ecclesiast: 14. verbis a se conceptis, quae quisque & memoria tenere, & perspecta habere debet, si probè velit de se suisque disponere ante mortem: *Memor*, inquit, *esto, quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum, quia demonstratū est tibi: testamentū enim huius mundi, morte morietur.* Principiò monet Spiritus sanctus non differendum testamentum, sed dum viuitur citò condendum; siquidem mors non tardat; & non illa solùm altis passibus graditur ad nos, sed & nos illi velociter occurrimus, vt bene alicubi sanctus Augustinus tempus vitae tale esse affirmat, in quo nemo, vel paululùm stare, vel paulo tardiùs ire permittitur. Vt igitur intentum suum persuadeat, consiliorum bonorum Sator Deus, duo deinde affert testamentorū genera, vnum inferorū, alterū mundi. Prius, (omissis varijs scriptorum interpretationibus) potest commodè intelligi illud, de quo scribit S. Paulus ad Hebræos 9. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Hoc testamentum (in quod primus omnium parens consensum praebuit in paradiso) post eius mortē certò, & sine vlla controuersia, mandatur in posteris executioni; quæ cùm sit infallibilis, neque remota (mors enim non tardat) citò consilio Spiritûs sancti ea præmittenda; quae mortem, & iudicium Dei præcedere debent. Alterum testamentum mundi, quod homines decessuri ex hac vita passim vsurpant, asserit Ecclesiasticus *morte mori*, idque vel ex eo, quòd qui illud ante mortem non conficit, post obitum facultatem eius repetendi, ita perdit, vt perdit, vitam: mors enim vtrumque, tam vitam, quàm vires rectè hîc agendi adimit: vel certè ex eo, quòd testamenta mundana plerùmque mori dicuntur; siue quia perperā facta (de quibus numero praecedenti dixi) siue quia iniquos habendo executores (de quibus infra num: 56.) nullius sunt roboris, & quasi cum morte testatoris mortua. Propterea primum Spiritus Sancti consilium est, vt mortales, & ad testamentum inferorum, hoc est mortis, citò, certòque in se exequendum, sint citò parati; & ad testamentum mundanum prudenter, pièque condendum maturè se accingant.

Sectio

Sectio XIX.

Rationes propter quas vt plurimùm differuntur testamenta nullius sunt momenti.

NOn parent consilio Dei primò illi, qui differunt de anno in annum testamenta, nixi duabus dilationis rationibus; quarum altera est, quòd habeant difficultates, litium, aut rei familiaris domesticas tricas, quae minùs idoneos reddunt ad testandum: altera quòd vereantur, ne mors tum planè, & ob id, sine mora tollat è viuis, cùm iam ad moriendum fuerint debitè cōparati, quod adeo nonnullos mouet; vt ne sacramentis quidem muniri velint, nisi iam iam instante morte. quapropter ad ipsum vltimum vitae tempus, & testandi laborem, & pietatis negotium remittunt. Sed si verè & sincerè expendere, faterique velimus, rationum harum prior, non ideo ad differendū testamentū mouet, quia expetitur opportunius tēpus; verū quia amatur ista vita vt, benè scribit S. August: Tō: 1. Epla 120 *Mortis*, inquit, *ille, diem omnes quidem affuturum sciunt, eum tamen omnes, aut pene omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatiùs credunt esse victuros: tantam habet vim, carnis, & animæ dulce consortium?* Fatendum quidem est commodius esse tempus condendi testamenti, tranquillum, & liberum a curis mundanis; sed quod tandem erit illud tempus, aut quis vnquam ita fœlix (ex his dico, qui habent multa de quibus disponant) vt nihil molestiarum habeant? quarum si finis, & summa tranquillitas, expectetur, nunquam testandi, & parandi se ad bene obeundum, dabitur cōmoditas. Nam si, vt bene Solon teste Beroaldo libro de terræ motu olim dicere solebat; *Ciuitates*, (& idē de quibusuis alijs locis dici debet) *sunt habitacula miserorum, imò miseriarum, & infortuniorum, quæ tandē quies speranda miseris in perennibus miserijs, vt tranquilli mortē operiantur?* Aptè in tales dilationum amatores lusit Angelus; vt refert ex Diuo Cypriano Baronius Tom: 3. ad annum Dñi, 256. dum enim sacerdos quidam peste infectus, certiorque mortis, quam vitæ, victui necessaria studiosè conquireret, Angelus qui apparuit, sic eum allocutus est: *Pati timetis, & tamen exire non vultis, quid vobis faciam?* *Illos* inquit, S. Cyprianus, *tangit qui nolunt pati, siue martyrium, siue aliud quid in hac vita, & tamen mortem finem malorum* [illegible]. Tales videntur esse ij, qui de molestijs mundi queruntur, nihilominus non se parant ad mortem, quo ostendant se cupere, malorum terminum. Optimè ij faciunt, qui illud ordinandi

54.

nandi suas res acceptant tempus, non quod expetere, sed quod habere possunt, & quo si minùs quieti non peragunt, quod vellent; id si superuiuant, deinde, vt possunt corrigunt, mutantque testamenta pro vicissitudine temporum, & negotiorum.

55. Neque illa alia ratio momentum habet, qua non pauci existimant nō esse praemittendam ad mortem præparationem, ne videlicet citiùs illa occurrat; vbi enim vel lectum, vel visum non mori, nisi solos ad moriendum paratos? quod si esset, haberent tales, facti sui patrocinium. Cæterùm hoc, fide dignus, magnæque autoritatis vir, negat, & quidem diuino arbitrio concedendum Iob Sanctus, asserens cap: 21 hos qui impietatis damnabuntur, ideo damnandos; quòd imparati ex hac vita abeant, qui si se pararent, fortè non tam citò, nec non tam malè, decederent. Sic igitur Iob: *Quare impij viuunt? subleuati sunt, confortatique diuitijs; semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum, domus eorum secura sunt, & pacata; & non est virga Dei super illos, bos eorum concepit, & non abortiuit, vacca peperit, & non est priuata fœtu suo, egrediuntur, quasi greges paruuli eorum, & infantes eorū exultant lusibus, tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad sonitum organi.* Et hæc quidem sine cogitatione mortis in vita, sed quàm longa? *Ducunt*, inquit Iob *in bonis dies suos, & in puncto ad infera descendunt.* ecce quàm citò finis eorum; qui ducunt in bonis dies, neque cogitant noctem, quæ corpori vitam, oculis solem, diemque aufert. Fridericus 2. Imperator circa annū Dñi 1240. capitalis Ecclesiæ hostis,(vt scribit Bozius signo 19.) Quanta sibi ante mortem agenda, contra fideles polliceretur, expressit disticho illo, in publicum vulgato:

Fata volunt, Stellæque docent, auiumque volatus
Quòd Fridericus ego, malleus orbis erò.

Vanam spem hanc elusit Pontifex Gregorius IX. totidem versibus, & vix non verbis:

Fata volunt, scriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Breuem fuisse vitam euentus ostendit: nam Fridericus post decenium a filio Mansfredo strangulatus est; citò perijt, qui se ad malè agendum non ad bene moriendum accingebat, suoque malo, alijs documentū reliquit, non illam persuasionem esse veram, qua quis putat citò mortem paratis obuenturam, sed Christi iudicis contrariam sententiam, a Sancto Luca cap: 5. promulgatam; quæ sic habet: *Estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.* imparatis ergo & timenda, & vicina est mors.

Sed ad

Sed ad Dei illud Consilium supra num. 53. allatũ redeamus, cui nõ 56.
parent etiam, qui tempestiuè quidem confecerunt testamenta, sed eos illis assignãt executores, per quos aut differtur, aut impeditur executio; scilicet homines sua quaerentes; conscientiæ parum, doli, & technarum multùm studiosos; laboris impatientes; denique tales, qui grauatè vel saluti mortui, vel bono nomini, velint consultum esse. Apud hosce deposita testamenta silent; credita, & debita lites generant; legata pia difficultatibus inuoluntur; quibus omnibus efficitur, vt testamento firmata voluntas, intestata censeatur, aut controuersiarum nunquam finiendarum copiosa materies. Rectè proinde monet Spiritus Sanctus *memor esto, quoniam testamentũ huius mundi morte morietur*, mortuus enim non iam viuet, vt illud instauret, & melioribus committat exequendũ.

Sectio XX.

Quæ ratio disponendi de bonis potior ipso testamento.

VErùm hoc priore suo salubri consilio, dat alterum Deus multò salubrius eodem illo capite 14. apud Ecclesiasticum verbis subsequentibus; *Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas, exporrigens da pauperi, non defraudes in die bono, & particula boni doni non te prætereat: nonne alijs relinques dolores, & labores, in diuisione sortis? da, & accipe, & iustifica animam tuam, ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Ante mortem suadet Deus siue amico, siue pauperi benefaciendum, ne si ad testamentum tota res deferatur, labor, & dolor succedentium, turbet diuisionem relictæ sortis. Hoc consilium de bene in viuis faciendo, non ita intelligendum, vt benefactor priuet se tota substantia; hoc enim eorum est duntaxat, qui relictis omnibus, sequuntur Christum, pauperes pauperem; alij qui & se, & suos alere debent, id præstare non possunt; nisi forte illis sua tradant a quibus certò, & commodè dum viuunt tractandi sint: quod perquã rarum est, & vix aliquis repertus, qui hanc secutus benefaciendi alijs viam, non aliquando iure questus fuerit. Quod igitur suadet Deus est, vt ij, qui viuendo possunt de alijs bene mereri absque suo graui damno, aut periculo, id non negligant facturi hoc ipsum plenius, vltima ante mortem voluntate, eamque talibus exequendam relicturi, a quibus certò quasi accipiant, vt concessa a se distribuantur alijs. Id enim videtur insinuari illis verbis: Da, & accipe, & iustifica animã tuam: qui iustitiam non differt, quâ dando, quod statim potest dari, quâ talibus 57.

 post mor-

post mortem relinquendo, a quibus quasi a mortuis rediuiuus, recipiat co[illegible]ssa,& det, quibus testamento inscripsit; hic paret Spiritus Sancti salutari consilio.

58. Hoc vt cælestis orator persuadeat, multas adhibet vias, & velut figuras rhetoricas, quarum prior est: non defraudes a die bono; talem quippe quemlibet diem optat Deus omnibus, qui verè sunt filij eius; vt sicut *ille solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos*. Matt. 5. ita ij qui sunt huius Patris filij,nullum solis ortũ omittant, quin benefaciant; aliâs defraudarent se magno fructu, in die ad bonum concesso. Quemadmodũ ingentia damna paterentur interea homines, si vel vno die sol non oriretur; ita multò maiora patitur quisque si omittat aliquem diem, quo non faciat bene, inter quæ summum est damnum, non esse filium tanti Patris.

Ne vero quis sit solicitus, & tardior ad benefaciendum, eò quòd pauca possit dare, non esse id, curandum, monet idem, qui & suadet. Particula, inquit, boni doni, non te prætereat; quo affecurat magni a se quæuis, etiam minima benefacta æstimanda, & ingentibus afficienda præmijs; modo illa sint bonum, honesto, videlicet, fine, praesertim Dei gloriæ amorisque oblatum. Bonitatẽ doni exigebat Sanctus Paulus 2. Corinth. 9. quando dicebat: *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet*: in quo verò hæc liberalis seminatio consistat subiungit: *Vnusquisque prout destinauit in corde, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim, datorem diligit Deus*. Ex necessitate dat, qui ea dat, quibus non potest vti; aut morte iam instante, quæ omnem aufert vsum; aut ægritudine impediente, vel alia causa: ex tristitia dat, qui aliò ad dandũ mouetur intẽto, quàm honestatis cuiuspiam, in qua primas tenet Charitas, eius verò vna ex operationibus est gaudium & hilaritas, vt docet S. Thom: 2. 2. q. 28. art: 4. in corpore. Rectè igitur concludit Apostolus: *Hilarẽ datorẽ diligit Deus*: quasi diceret a Deo, non qui multùm dat, multùm recipit: sed qui dat ex hilaritate Charitatis. Hoc est,quod a Christo Domino legimus commendatum, Lucæ 6. *Date & dabitur vobis mensuram bonam & confertam & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinũ vestrum* vbi non dicit Saluator: Date mensurã bonam, & dabitur vobis æqualis: sed date duntaxat; quo intelligi voluit, a nobis solum requiri datum prompti, & hilaris animi, licet id, quod datur sit exigua particula, a Deo autem rependendũ mensuram illam, tot epithetis exaggeratam. Itaque nostra particula,ingẽti coæquatur dãdæ a Deo mẽsuræ: id quod ibidẽ exprimit Christus Eadem, inquit, mensura, qua mensi fueritis,remetietur vobis; mi-

bis; minimè ergo curandum est, si modicum detur ab eo, qui daturus esset multum, & hilaris daturus, si multùm haberet.

Adhibet & hoc ad persuadendũ orator ille argumentum. *Nonne alijs relinques dolores & labores in diuisione sortis?* Quàm multi sunt, qui ob laborem, & dolorem assequendi id quod testamento debetur, queruntur de ipsis benefactoribus? alij reijciunt benefacta, iurique quod habent valedicunt: sunt qui malè imprecentur mortuis. Quæ & plura alia ne eueniant, bene admonet bonus Dei Spiritus: *Ante mortem benefac:* quid ita? quia relinquitur *dolor & labor, in diuisione sortis* 59.

Illud quoque non minus efficaciter idipsum suadet: *Da & accipe & iustifica animã tuã.* Persuasionis vt intelligatur vis ac pondus, animaduertendũ voluntatis nostrae inter alia duplex esse discrimen; vna enim est complacentia quædam rectè facti, ex qua præter ipsum placitum, nihil consequitur; alia voluntas est ita strenua, itaque efficax, vt facto se prodat. Prior etsi bona sit, (sicut enim complacere in malo, malum est, vt dixi parte priore cap: 15. a num: 4. ita in bono bonum) non tamen sortitur a Deo præmium iustitiae, quod facientibus duntaxat promittitur, non autem ijs, quibus placet factum, laudantque illud, sed non faciunt. Itaque cum dicitur; *Da & accipe & iustifica animam tuam,* idem est, ac si diceretur: fac re ipsa, si vis accipere coronam iustitiæ, facientibus promissã; hoc nẽpe legimus Ioan: 5. Procedẽt *qui bona fecerũt, in resurrectionem vitæ.* Singuli propè dies, testes sunt & nuncij plurimorũ fidelium, cum sola complacentia boni è viuis decedentium: quot vsurarijs placet, dum adhuc viuunt, restitutio male parti? concubinarijs vita honesta? misericordia auaris? liberalitas opulentis? desidibus labor? mollibus constantia? qui tamen, & horum similes laudando, & complacendo in bono, nihil boni agunt, & ita moriuntur? Non hanc complacentiæ, sed illam aliam efficacitatis voluntatem commendat diuinus spiritus; Da, & accipe, & iustifica animam tuam; Da quod potes, & accipe certã spẽ præmij æterni, quod iustificando animam tuam mereris. 60.

Postrema suasionis diuinæ figura est: *Ante obitum tuũ operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Saturandos Dominus Matt: 5. prædicit *esurientes & sitientes iustitiam: Beati,* inquit, *qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quis vero ita vecors est, vt esuriendo, sitiendo, non sumat cibum, aut potum, sed differat de die in diem? quòd si nemo est ita iniustus in suum corpus, vt negare ei velit id quod caducam reficiat vitam: ne iniustior sit in animam, differendo iustitiam, (quæ teste Christo Ioan: 6. operatur cibum in vitam æternã) monet Dei spiritus vt *ante obitum operemur iustitiam; quia non est apud in-* 61.

feros inuenire cibum. Omnes apud inferos siue damnati, siue pœnis finiendis addicti, *esuriunt & sitiunt* hoc est, dolent se non obsecutos sanctæ Dei sui persuasioni illi: Ante obitum operare iustitiã; sed inanis is dolor; nam apud inferos non est inuenire cibum, siue meritum iustitiæ. Itaque,& mors, & inferi præueniendi solerter; ac ne inanis, irritusque sit post obitũ dolor; ita ante eum esuriatur, ita sitiatur iustitia, vt dum instanter facit, quodcunque interim potest manus vestra, Ecclesiastici 9. reperiat cibum,quem nunquam fatiganda inferat ori. Sufficiant dicta de iniustitia, quæ committitur in bonis facultatum.

CAPVT VII.

Quonam modo lædatur Iustitia commutatiua in bonis famæ, & honoris.

1. DIctum est cap. 5. num: 1. In quadruplicibus bonis versari iustitiam commutatiuam, nempe in opibus, & facultatibus, de quibus actum est cap: præcedenti; sequuntur iam tria reliqua,& primò honor,& fama: quæ qualia sint bona,& quorũ propria,explicatũ est hac parte posteriore cap. 1. a num 2. Honor enim est opinio, & iudicium de excellentia proximi, fama est multorum notitia eiusdem excellentiæ, ad eandem refertur & gloria,quæ est præclara multorum notitia.

Et quod ad honorem attinet circa eum committitur iustitia commutatiua per contumeliam, quæ vt docet S. Thom: 2. 2. q. 72. art: 1. fit per verba,& alia signa,deducẽtia in notitiã eius præsentis,qui cõtumeliã afficitur,ea quæ sũt cõtraria honori:quòd si alij quoq; adsint,qui audiũt eiusmodi verba;grauior est contumelia. Porro ea,quæ aduersantur honori,tria ponit Sanctus Thom: ibidẽ art: 1. ad 3.culpam,pœnam, seu aliquid affligens, & indigentiam quampiam. Vnde, si vitium culpaue alicui objiciatur, verbi causa, furtum, aut adulterium; vocatur contumelia; si pœnale quid, vt ignobilitas natalium,ignominia, stultitia, dicitur conuitium; si indigentia, vt quòd quis adiutus sit aliquando in egestate, aut fuga ab hoste, dicitur improperiũ vel exprobratio. Hæc tamen omnia tria vnam habent formam, & speciem peccati, eò quòd singula lædant honorem praesentis proximi, solumque distent a se per materias illas tres, nempe, culpae, penae, & indigentiae; vt bene docet Caietanus in articulum S. Thomæ primum, nunc citatum. Omnes ergo isti tres lædendi honorem modi, vno contumeliae nomine sunt claudendi, & siue ita sit,vt objiciatur aliqua trium dictarũ materiarum,

verumque

verumque dicatur; siue aliter, & dicatur falsum; siue sit occultũ quod manifestatur, & cũ nocumento famae, siue publicũ: semper tamẽ contumelia infertur, quoties eo dicitur proposito, vt alter laedatur in honore.

Atque, si laedatur leuiter, vel propter subitaneam dicentis cõmotionem, quae vix aduertitur, vel propter exiguam honoris iacturam; iniuriamque excellentiae, leuis erit culpa; grauis semper & letifera, si iniuria fuerit magna, consequens in debitã agendi cũ proximo rationẽ. 2.

Quapropter rectè docet S. Thomas: 2. 2. q. 72. art: 2. in corpore, fieri posse, vt dicatur quidpiam animo corrigendi alium, absitque intentio laedendi honorem; si tamen id quod dicitur, noceat multũ honori propter incautam, & liberiorẽ exprobrandi audaciam, grauis possit esse contumelia; *Sicut*, inquit S. Thomas, *si aliquis incautè alium ex ludo percutiens grauiter lædat, non caret magna culpa.*

Sectio I.

Qui obiurgant ex officio quidem sed omissis debitis circũstantijs possunt lædere alterius honorem.

HOc aduertere debent domini, & quicunque potestatem in alios exercent, ne longiùs progrediantur, quàm par est, in corrigendis sibi subiectis; exprobrare enim vitia, animo retrahendi ab illis, caritatis est, & potestatis; sed si vitium occultum, fiat manifestum multis præsentibus, quorum non interest illud nosse, laeditur fama; vt dicemus infra num: 5. & simul diminuitur honor: infames enim non censentur illo digni. Si etiam ita exaggeretur vitium, etsi sine infamia, vt notabiliter carpatur proximus, in quo, vel nihil relinquitur honore prosequendum, vel modicum quid; tantum honoris detrimentum, erit non leuis contumelia, etsi non intenta, idemque intelligendum de pœnæ aut egestatis nimia exaggeratione. In quo, vt nõ erretur, consultum est reprehendenti, & culpas, similiaque exprobranti imitari chirurgos, qui satis molesti sunt, ipsa vulnerum tractatione, aut carnis scissione; quod si id agant ira commoti, non sanant, sed exacerbant, & laedunt. Ad eum modum ei, qui alterum corrigit, licebit quidem aliquid quod confundat obijcere; sed id ita faciendum, vt ira freno mansuetudinis teneatur, ne vulneri addatur dolor, aut quod peius est, dum sanatur aeger, se medicus sauciet. 3.

Hoc cauendũ censet Apostolus ad Galatas scribens cap: 6. *Si* inquit *praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite.*

instruite, in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.

4. Atque hoc quidem est seruandum illis, qui siue ex Charitate, siue ex debito potestatis, obijciunt quædam ad correctionem; caeterùm illis, qui sustinent contumelias, docet seruanda esse duo, S. Thom: 2. 2. q. 72. art: 3. in corp: vt nimirum *sint parato animo ad ferendas eas; re autem ipsa, tum perferant, cùm id, & ad eorum exercendam patientiam, ac modestiam, & ad proximorum exemplum, postremò ad Dei honorem conferre videtur. Hæc si absint, licebit, quin & oportebit interdum repellere contumeliam, primo, inquit S.* Thomas, *propter bonum eius qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundùm illud Prouerbiorum 26. Responde stulto, iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Deinde, propter bonum multorum, quorum profectus impeditur per contumelias nobis illatas: vnde Gregorius dicit, super Ezechielē Homila 9. Ij, *quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt compescere detrahentium sibi verba, ne eorū prædicatiǫnē non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.* Hæc S. Thom: de illis qui patiuntur contumeliam. Quòd verò ad eos attinet, qui audiunt inferentes alijs illam, certum est tales debere, impedire contumelias, tum quidem, cùm id sine suo detrimento facere possunt: Charitas enim in proximos, mouere debet ad prohibenda eorum quaeuis etiam honoris mala: præter Charitatem accedit interdum iustitiae quoque obligatio; nam famuli, exempli causa, debent ex iustitia defendere honorem suorum dominorum, sicut & ij, qui præsunt, accepto stipendio, debent tueri suorum subditorum honorem, pari ratione.

Sectio II.

Detractione læditur fama.

5. Qvemadmodum contumelia tollit honorē præsentis, ita detractio denigrat absentis famam, apud eos, qui audiunt detrahentem: potest quidem fieri, vt contumeliae adiungatur simul infamia, vt dixi supra num: 3. sed talis infamia alterius erit rationis ab ea, quae aufert famam absenti, grauiorque est ex eo, quòd plus iniuriae in se contineat; magis enim nocet, qui præsenti obijcit ea, quae non solum dehonestant, sed etiam infamant, quàm is, qui occultè absenti detrahit; quod non faceret praesenti, propter reuerentiam quandam eius. Pari ratione fit nonnunquam, vt detractioni admisceatur, contumeliæ quædam species, id quod etiam est grauius simplici detractione: qui enim absent

absenti ita obloquitur, vt velit ad eum sua perferri verba, nilque vereatur praesentem; non solum famae sed etiam honori affert nocumentum. In vtroque isto euentu tam contumelia, quam detractio; quia duplicẽ habet partialem inhonestatem; principalem, videlicet, & secundariam; (in contumelia enim primum est dehonestare, infamare secundum, è contra in detractione) diuersa est specie ab ea, quæ simplici, & vna contenta est malitia; contumelia quidem contemptu praesentis, detractio autem absentis infamia.

Hæc porro talis nocẽdi famæ alienæ ratio, grauis est, culpãque cõtinet letiferam, si graue fuerit famae nocumentum, adsitque deliberata nocendi voluntas; nocumentum verò famae potissimè quidem honestati vitae aduersatur; potest tamen & in alijs dari materijs, sicut diximus supra num: 1. de contumelia, quae committitur, non solum dum objiciuntur culpae; sed etiam alia, vt ignobilitas, natalium vitia, & similia. Hæc ergo, si alicui (spectatis circumstantijs personae) grauiter noceant, quando de absente dicuntur; grauis erit infamia, sicut etiam in ipsis peccatis, non solum mortales culpae, sed interdum etiam veniales grauiter infamãt; si multũ noceant personae de qua dicuntur. 6.

Hoc modo infamat, qui virum Religiosum, sanctitate clarum, aut insignis auctoritatis, pietatisque personam diceret inebriari, etsi leuiter; esse mendacem; materia enim grauis infamiae (& idem tenendum videtur de contumelia) non tam in se spectanda est, quàm in nocumento quod adfert patienti; quemadmodum sentiunt Theologi cum S. Thom: 2. 2. q. 73. art: 2. in corpore.

Sectio III.

Qua ratione, quibusue modis fit detractio?

Tam contumelia, quàm detractio fit potissimè quidẽ verbis, hæc enim sunt signa sensum animi nostri exprimentia; nihilominus accidere potest non raro, vt factis, nutuque compleatur: certè milites illi, qui vt scribit Matt: cap: 27. *suscipientes Iesum in prætorium, & exuentes eum chlamydem coccineam, circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dexteram eius, & genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes; Aue Rex Iudæorum, & exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Isti inquam, milites non solum verbis illis: *Aue Rex Iudæorum* famam Saluatoris tanquam ambitiosi proscindebant, contemptuique tantam habebant maiestatem; 7.

sed etiam

sed etiam tot impijs factis, & blasphemiarum ludibrijs. Hos imitantur, qui nutibus, risu, cauillis, interdum ipso etiam maleuolo silentio, nituntur famæ aliorum honoriue parere detrimentum.

8. Multos porro modos assignant Theologi cũ S. Thom: 2. 2. q. 73. art: ad 3. quibus fit detractio; quà apertè, & directè; qua simulatè, & a longè siue verbis, siue factis. Aperti quatuor assignantur, quorum primus est, quando falsum imponitur alteri, & talis infamia maior est quàm si verum, (etsi occultum) dicatur; tollitur enim fama, quae nullo modo fuit amissa. Secundus est, cum id, quod adfert infamiã augetur, & exaggeratur; quantò enim plus additur de re infamante, tantò plus infamia crescit. Tertius est si occultũ, etsi verum, (quod nihilominus infamat) reueletur; nam licet verum sit, quamdiu tamen non manifestatur infamia proximi, perinde tuenda est eius fama, atque res propria illius, quãdiu non constat eam esse alienam: Sicut ergo, qui accipit rem alienã, peccat; ita eum peccare necesse est, qui aufert famam, ante manifestationem rei infamantis publicam.

9. Tres porro assignantur viae sciendi a Theologis, quibus occulta res fit publica, & manifesta; prima est notitia signorum, & indiciorum, quibus ab omnibus; vel saltem a maiori parte, in aliqua, ciuitate, aut Prouincia conijcitur factum, resque infamans; & tunc, vt dicunt auctores euadit res famosa. Secunda est notitia facti; si quid fiat in aliquo loco, ita publicè, vt omnes, vel maior pars cognoscat: postrema est notitia iuris, cum decreto quis damnatur. Hoc tale triplex publicum, ad notitiam aliorum deferre, qui non sciunt, non est detractio contra iustitiam, is enim cui tribuitur illud publicum amisit ius ad famã, factusque est, re ipsa infamis: qualis verò quisque est, talis etiam potest alijs manifestari. Committitur tamen interdum peccatum contra Charitatem manifestatione eiusmodi publicorum, propter aliquas circumstantias quæ suadent occultandam rem; vt si quis narret factum infamans, in remoto nimis loco, quò nunquam, vel tardè admodum peruentura est notitia, & alias nulla necessitas est manifestandi id, quod alibi sit factum: idem esset si referatur quidpiam absque vlla necessitate, atque vtilitate, quod iam in obliuione prorsus sepultum est.

10. Præter tres hactenus allatos infamandi modos, quartus est, si opus quodpiam bonum, vel saltem quod non constat esse malum, peruersa intentione factum dicatur; hic etiam interdum interuenit infamia: nam sicut operum, alia sunt externa, interna alia, ita infamia, vel fama ex vtrisque nascitur: sicut ergo infamat is, qui refert opera mala externa; ita & is, qui sinistrè interpretatur mentem soli Deo notam. Et hi quatuor modi

modi palam, & directè detrahunt; nam qui praedicta quatuor mala refert, hoc agit, vt ea perinde consequatur infamia, atque solet corpus consequi vmbra; quidquid sit quod semper is, qui prædicta narrat, habeat directam nocendi famæ intentionem.

Sequuntur iam alij modi indirecti, quibus non quidem dicuntur mala; sed bona occultantur, ex quo etiam sequitur infamia; vel quia carere bono, malum quoddam est; vel quia qui est alienus a bono, vt plurimum in mala declinat. Hac ratione infamat, qui negat proximi virtutē, dexteritatem, nobilitatem, & similia: non secus facit, qui studio minuit bona: aut reticet laudes alteriꝰ, tū cū offert se occasio, aut quod maiꝰ est, necessitas prædicandi: quando, verbi causa, agitur de proximo promouendo ad honores, & officia. Ille etiam non modicum nocet, qui refert quidem bona, laudesque aliorum; sed ita dolosè, & malitiosè, vt potius vilis opinio, contemptusque remaneat apud audientes, quam aliqua celebris memoria.

Sectio IV.

Non semper is, qui mala occulta aliorum refert detrahere est censendus.

Quæ hactenus num: 8. 9. & 10. de detrahendi varijs modis diximus non ita sunt intelligenda vt quoties malum proximi occultum detegitur, semper sit culpa detractionis; possunt enim dari aliquæ causae, quæ narrantem vindicent a peccato, vt docet S. Thom: 2. 2. q. 73 art: 2. in corp: & cum eo Caietanus ibidem, alijque Theologi: qui omnes dicunt abesse debere animum detrahendi, ab eo qui refert mala aliorum. aliàs licet a peccato aliunde excusaretur; eidem tamen obnoxius esset, propter peruersum nocendi animum. Illud etiam hîc certum est, non esse detractionē, si referatur aliquid de persona audienti ignota, & quæ ad notitiam, non est deducenda; infamia enim, est nocumentum famæ, apud audientem: nullum autem patitur nocumentum is, qui ignotus est audienti. Iam ergo ex causis, a culpa, referentem mala occulta, excusantibus, prima est leuitas animi, quâ a plerisque solent de alijs dici non bona. 11.

Hæc si auditores ita accipiant, vt nihil prorsus famæ aliorū noceant, nulla erit detractio, sed otiosum tātum multiloquiū; quod si resideat in animis audientium infamia, est detractio maior, vel minor, (prout fuerit infamia) non quidem ex dicentis proposito; sed ex secuto malo 12.

 infamiæ

infamiæ effectu, propter incautam loquelam; quemadmodum solet sequi percussio, aut cædes, ex incauto lapidis iactu.

Secundò, neque is detrahit, qui mala quidem refert sed talia, quæ non pariunt infamiam, vel ex eo, quòd vsu crebro, & vitio hominum parui iam fiant, vt in partibus septemtrionalibus est ebrietas; aut inter aulicos, & milites impudica vita; vel ex eo quòd abiectioris sortis homines, non multum æstiment quaedam de se dici, vt quod sint ignobiles, malè nati, parui ingenij; vel quod ea dicantur, quæ passim a natura plerisque insunt, vt quod quis sit elati animi, parcus, iracundus; hæc enim sicut & crebra corporis vitia, verbi causa cæcitatis, surditatis, & similia non infamant. Tertiò, qui refert aliquid mali ab alio sibi factũ, non infamandi animo, sed consilij necessarij, aut solatij gratia, præsertim in non leui dolore constitutus, minimè detrahit; habet enim rectũ, & honestum finem, quem illi ordinata in se suadet Charitas, vt vel liber sit a malo, vel leuamen, medicinamque accersat cordi saucio.

Hoc tamen vt fiat rectè, non plures adhibendi sunt, quàm fuerint necessarij ad dandum consilium solatiumque afferendum; neque quæratur solamen hac ratione, nisi ad medendum notabili, vt dixi dolori; non rectè enim faceret, qui paruam animi tristitiam, magna vellet proximi depellere infamiâ.

13. Quartò potest a culpa excusare necessitas obuiandi malo tertij; nam qui certò scit aliquẽ innocentẽ inuadendũ, damnoque afficiendũ bonorum famæ, vitæ, aut quod maius est, animae; potest sine vlla detractionis culpa vti denuntiatione fraterna, reuelareque eum, qui molitur inuasionem. Id quod non solum tunc est verum, cùm imminet periculũ tertio, maioris boni, quàm est amissio famae inuasoris, vt est, verbi causa, caedes Principi alicui, a priuato intentata; sed tum etiam, cum agitur de aequali bono, qualis est fama; aut minori, quam est fama, verbi gratia, de pecunia: quorum ratio est; quia ordinata in proximum Charitas potius debet innocentiæ patientis fauere, quàm malitiae agentis. Cum itaque is, qui molitur alteri mala, nocens sit, alter, cui imminet nocumentũ, innocens; rectè hic, illi præferendus, praemonendusque, vt sibi caueat ab insidiante.

14. Et certè si in defensione vitae, vel bonorum innocentis licet inuasorem vulnerare, aut etiam occidere (quando aliter defensio non potest consistere) licebit etiam infamare, propter eandem defensionem; semper enim iniusta inuasio, aut inuasionis præmeditatio, dat ius ordinatæ in proximum Charitati, vt ea innocentem potius iuuet, piâ cautelâ, quã maleuolum, silentio noxio: Id enim esset perperam agere; cum tamen

Charitas

Charitas teste Sancto Paulo 1. Corinth: 13. non agat perperam. Atque hoc expresse tenet S. Thom: 2. 2. q. 70. art: 1. ad 2. vbi docet debere nocentem manifestari, etiamsi ille secretò cõmitteret sua mala consilia, (modo id faciat extra confessionis Sacramentum, huius enim secretum est summi silentij, vt apud omnes Orthodoxos est certum) verba S. Thomae sunt: *quandoque* inquit *ea* (*quæ scilicet*, secreto committuntur) *sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea, manifestare tenetur, puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in graue damnũ alicuius personæ? vel si quid est aliud huiusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando. Contra hoc debitum, obligari non potest per secreti commissum; quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia, quæ quis prodere non tenetur, vnde potest obligari ex hoc, quòd sibi sub secreto committuntur; & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris; quia seruare fidem est de iure naturali: nihil autẽ potest præcipi homini contra id quod est de iure naturali, Hæc S. Thomas*

Cuius doctrinæ quò sit rectus vsus; curetur diligenter, vt si potest 15. cautela sufficienter dari non nominatâ in specie persona, quae molitur nocumentũ, sed in communi duntaxat; id omnino faciendũ; tunc enim vtrique parti abunde consulitur. Illud quoque adhibeatur, vt si persona nocens debeat omnino manifestari, neque aliter malis occurri possit, alteri potiùs, non ipsi, cui malum imminet reueletur nocens (si tamen id satis fuerit ad euadendum imminens periculum) sic enim saltem vitabitur maior animorum offensio; magis quippe exacerbatur quisque in proxima, quàm in aliena causa.

Quintum & postremum, quod a detractione excusat, est, si quid de 16. alio dicatur quod vergat in malum ipsiusmet, praesertim animae; hoc ex præcedenti paragrapho clarum est. Si enim licet infamantia referre de eo, qui nocet alteri, propter necessitatem occurrendi malo ipsius; pari necessitate licebit referre de eo, qui sibi nocet, cùm perinde charitas in illum, ac in tertium feratur, & Sancti Thomae, praecedenti num: citati testimoniũ apertè id continet. Quod si quis cedat iure, quod habet in suã famã, queãdmodũ faciũt ex Regula, Societatis IESV Religiosi, quâ praecipitur, vt omnes sint parati ad superiores deferri: non solùm in eo casu, in quo agitur de occurrẽdo graui malo, potest fieri manifestatio occulti (id quod ex fraterna charitatis denũciatione, omnibus etiam non renũciantibus iure famae cõmune est) sed & aliàs, modò adhibeatur primo loco, spiritualis, ex manifestatione tali, intentus prouentus: si enim hoc desit; aut otiosè, aut etiam malitiose fit occulti reuelatio. Deinde

id quod reuelatur, debet esse cognitum extra secretum. Nam hoc semper seruandum est, (modò non vergat in damnum alicuius, iuxta dicta numero praecedenti) iure ipso naturali, cui non ceditur per ingressum nostrae Religionis, in qua iubĕtur eiusmodi secreta seruari; vt est in decreto congregationis generalis 6. c. S 4 Vtrumque hoc in examinis cap: 4. paragrapho 8. a S. Ignatio Fundatore suis alumnis relictum clarè legitur, vbi sic præcipit. *Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, vt omnes errores, & defectus ipsius, & res quæcũque, quæ notatæ in eo & obseruatæ fuerint superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.* Vbi verba illa: *Ad maiorem in spiritu profectum*, prouentum exigunt spiritualem; illa autem: *Omnes errores, & res quæcunque, quæ notatæ in eo fuerint*; secretum excludunt: quæ enim ab alio notantur, non accipiuntur secretò, ab ipso, in quo notantur. Huculque dicta, ostendunt, licere vni de altero aliqua mala referre, citra detractionem.

Sectio V.

An liceat se ipsum infamare.

17. POtest hîc non inutiliter quæri, num etiam liceat se ipsum infamare, sua aperiendo occulta mala. Non loquor autem de confessione sacramentali, de qua nullum dubium, sed de alia quapiam manifestatione. Atque vt id, quod dici debet, intelligatur; supponendum famæ suæ vnumquemque esse dominum, sicut & aliorum fortunae bonorum; id quod docet S. Thom: 2. 2. q. 73. art: 4. ad 1. Hoc posito, id omnino de fama propria tenendum, quod & de alijs bonis. Sicut ergo, verbi causa, pecuniæ amissio de se indifferens est, potestque esse mala ob aliquem malum finem, aut circumstantiam; bona, si haec absint; ita & amissio famæ. Quare qui se infamat cum scandalo aliorum, vel cum nocumento communitatis, in qua degit, & in quam deriuatur ex illo infamia, aut etiam cum damno proprio, eò quòd infamatus locũ inter honestos; debitamque non habeat authoritatem, & reuerentiam, perperam facit. Quod si haec, vel similia non sint, licebit sua mala etiã occulta alijs reuelare citra peccatum. Hac ratione S. Paulus ad Galatas 1. scribit de se: *Supra modum, inquit, persecutus sum Ecclesiam Dei*; & 1 ad Timot. 1. sic item de se: *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum*: talia de se referendo; volebat peccatores exemplo suo ad pænitentiam excitare.

Ita in

Ita in Societate nostra, ex præscripto S. Ignatij vt habetur examinis cap: 4. paragrapho 16.& 40. omnes statis temporibus suam conscientiam superioribus aperiant, vt ab ijs in diuino obsequio dirigãtur, & conseruẽtur: tantæque est haec pia, & accepta consuetudo obseruantiæ, ac securitatis, vt quidquid de se quis dixerit; eo superiori licebit quidem vti ad ipsius bonum, salutis, & perfectionis progressum; non tamen ita, vt alij (praeter solum ipsum, qui de se retulit) possint conijcere dicta in tali manifestatione; nequeita, vt ad puniendũ manifestantem se, dimissione ex ordine, vel alia publica pœna procedi possit: nisi fortè aliunde idem cognoscatur, iuxta supra dicta, numero 16. 18.

De notitia confessionis, nihil hic agitur; talis enim notitiae, nullus vnquam extra confessionẽ vsus esse potest; quem non solum alij, sed ipse etiam pœnitens aduertat; nisi fortè ad hunc vsum licentiã ipse dare velit: quemadmodum dat, qui vtitur in eadem Societate, confessione tanquam vsitata manifestatione sui: id quod a Generalibus declaratum, & communi vsu receptum est.

Praeter iam dicta potest etiam citra infamiam, manifestare quis sua mala occulta, ad euitanda grauia tormenta; ita tenet cum alijs Lessius de iustitia lib: 2. cap: 11. dub. 6. & 7. Idque clarum est ex dictis iam, quia ordinata charitas suadet, vt maius malum praeferatur minori, maius autem est plerumque malum grauia pati tormenta, quam infamiam. 19.

Addo (plerũque) posset enim dari casus, in quo pluris fiat infamia, quã tormenta, aut etiam mors; & tum licebit praeferre famam vitae, aut tormentis. Quod si ex manifestatione malorum occultorum, immineat mors propria, quae non sequeretur, si ignota essent occulta, adhuc licitum erit infamare se, ad euitanda grauia tormenta; nam etiã in hoc euẽtu ordinatae est charitatis, grauia tormenta, infamiae, ipsique anteponere vitae; grauia, inquam, nam si leuia sint, non liceret propter illa vitam obijcere periculis. Hæc porro doctrina adeo vera est, vt citra culpam mortalem, possit etiam fingi crimen falsum, ad euitanda magna tormenta; idque ob dictam iam, paulò superiùs rationẽ: non enim obligatur homo, ad tuendam suam famam, vel vitam cum tantis doloribus. Atque tunc fictio illa, vel erit mendacium officiosum, vel omni culpa vacabit, si aequiuocè proferatur, siue ita, vt aliter (verè tamen) ipse narrans verba sua intelligat, aliter audientes; id quod in nonnullis casibus licere dicemus infra cap: 23. a num: 6. Postremò, quae dicta sunt de morte & infamia propria, ex reuelatione mali sui occulti secutura, censent Theologi verum esse de morte quoque aliena, & de alieno malo occulto; nempe licere ad euitanda tormenta grauia, alterius malum clandesti-

Sectio VII.

Irrisione læditur honor, & interdum simul fama.

23. IRrisio, persimilis est maledictioni, eò quòd noceat iam honori, iam famæ, quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. q. 75. art: 1. & 2. & consistit in eo, quòd malum aliquod, seu defectum alterius ioco in mediū producat: id quod duplici modo solet fieri. *Primò* ita, vt risus, & recreatio quædam animi excitetur, & sic nullum est peccatum, Illud enim malum, quod narratur, paruum censetur, nihilque notæ irrogans ei, cui adscribitur. Secundò recensetur aliquod malū, in audientium, (aut saltem eius, cui tribuitur) praesentia, quod parit ruborem, & confusionem, quam consequitur dedecoris nota; atque ita est peccatum; & si rubor fuerit, ac dehonestamentū ex illo consequens modicū, leuis erit culpa; si magnum, grauis. Semper autem censetur tale dictum generare erubescentiam, eò quod illo tangatur irrisus, & despiciendus alijs exponatur, eoque magis tangitur, ac despicitur, quia ridendo, & ioco, narrat irridens, quasi parui pendendo personam irrisam: sicut solet pauperibus stultis, aut vitijs deditis, dici ioco quidpiam, per contemptum vilium personarum. Itaque malitia, & inhonestas irrisionis est, verbis iocosis ruborem excitare, ex quo sequatur despicientia. Quod vtrumque crescit pro magnitudine irrisæ personæ, & pro vilitate irridentis; quo pacto Christus Dñus ignominiosissime irrisus fuit, Lucæ 23 apud Herodem; ab ipso, Rege quidem; sed tamen a Creatura; & ab alijs vilissimis hominibus, vt stultus habitus, & apud Pilatum a cohorte illius, tanquam ambitiosus. Ad irrisionē verborum accedit interdum subsannatio, quae fit signis, nasi, oris & vilium gestorum, eâdemque scatet malitiâ, quâ & irrisio, & crebrò est grauior, ob maiorem contemptum.

24. Hoc vitium inter eos maximè habet locum, qui simulatione pleni, facile alios risu perstringunt; carpendo mores & gesta, quæ reuera bona sunt; sed illi ea, malo aliquo affectu ducti perperam interpretantur; talibus aulae abundāt, qui paris conditionis homines facilè proscindunt iocis, & multò magis alios diuersi status, quibus praesertim sunt malè affecti. Iam verò id vitiū adeo consuetudine inualuit, vt non habeatur pro culpa, cum reuera grauiter proximum laedat, & ob confusionem, & ob consequentem dedecoris notam: interdum etiam infamiam Nā solent quædā dici occulta, quae tollunt reputationē irrisi.

Sectio

Sectio VIII.

Quanta obligatio sit compensandi famam, & honorem, & quàm facilè vtrique noceatur.

CVm constet ex dictis restituendum esse illud omne, quod alteri tanquam proprium acceptum est; sequitur vt ea reddenda sint quibus his tribus vitijs fuerint ablata: & maledictio quidem solummodo imperans tollit famam & honorem re ipsa. Quapropter hæc solùm compensanda erit, non alia, quæ optando fit duntaxat. 25.

Iam vt intelligamus restitutionem famae,& honoris necessariam esse, magnique faciendam, paucis, sed sonantibus verbis, præcipit Christus Matt: 5. *Dico vobis omnis qui dixerit fratri suo, fatue reus erit gehennæ ignis;* mox subiungit viam, & modum ignem hunc euadendi: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo.*

Quod vt seriò, & non oscitanter fiat, vrget imminentibus periculis; *Esto, inquit, consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo; ne fortè tradat te Iudici, & Iudex ministro, & in carcerem mittaris, Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.*

In tam seuero Domini precepto, aduerto inprimis reconciliationem debere tali ratione vsurpari, vt reddatur fama, & honor, vsque ad nouissimum quadrantem, hoc est integrè, & completè. Aduerto, & aliud, non minus verum, quàm horrendum; pro vno videlicet verbulo, modo hoc honorem, vel famam grauiter laedat, sempiternos gehennæ ignes a Christo Iudice intentari; neque hos vitandi vlla restat via, praeter reconciliationem dictam, quae solet semper verae adiungi pœnitentiæ. 26.

Hæc duo aduertendo, expendo iterum alia duo, primum est, Christi Iudicium de iactura famae, honorisue per praefata vitia: neque enim resarciendā esse illam sub æterna pœna sensisset, nisi sua diuina Sapientia intelligeret, magnum quid esse priuari fama, & honore. Et illa quidem plenè nouit, cur tanti hoc vtrumque fortunae bonum æstimandū sit, liceat etiam nobis, vtcunque conijcere, tantae æstimationis causam. Forte inter alias, potest esse ista, quòd caetera caduca bona, vt opes, & dignitates inferiori mundo relinquant morituri homines; famam & honorem, nimirum, virtutis decora secum deferant. Vnde etiam est, vt qui aufert opes demortui, nullam ipsi faciat iniuriam, sed ijs, ad quos illae iure hæreditario douoluuntur; infamare, aut dedecore afficere, ne 27.

instruite, in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.

4. Atque hoc quidem est seruandum illis, qui siue ex Charitate, siue ex debito potestatis, obijciunt quædam ad correctionem; caeterùm illis, qui sustinent contumelias, docet seruanda esse duo, S. Thom: 2. 2. q. 72. art: 3. in corp: vt nimirum *sint parato animo ad ferendas eas; re autem ipsa, tum perferant, cùm id, & ad eorum exercendam patientiam, ac modestiam, & ad proximorum exemplum, postremò ad Dei honorem conferre videtur. Hæc si absint, licebit, quin & oportebit interdum repellere contumeliam, primo, inquit S.* Thomas, *propter bonum eius qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundùm illud Prouerbiorum 26. Responde stulto, iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Deinde, propter bonum multorum, quorum profectus impeditur per contumelias nobis illatas: vnde Gregorius dicit, super Ezechielē Homila 9. Ij, *quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt compescere detrahentium sibi verba, ne eorū prædicationē non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.* Hæc S. Thom: de illis qui patiuntur contumeliam. Quòd verò ad eos attinet, qui audiunt inferentes alijs illam, certum est tales debere, impedire contumelias, tum quidem, cùm id sine suo detrimento facere possunt: Charitas enim in proximos, mouere debet ad prohibenda eorum quaeuis etiam honoris mala: præter Charitatem accedit interdum iustitiae quoque obligatio; nam famuli, exempli causa, debent ex iustitia defendere honorem suorum dominorum, sicut & ij, qui præsunt, accepto stipendio, debent tueri suorum subditorum honorem, pari ratione.

Sectio II.

Detractione læditur fama.

5. QVemadmodum contumelia tollit honorē præsentis, ita detractio denigrat absentis famam, apud eos, qui audiunt detrahentem: potest quidem fieri, vt contumeliae adiungatur simul infamia, vt dixi supra num: 3. sed talis infamia alterius erit rationis ab ea, quae aufert famam absenti, grauiorque est ex eo, quòd plus iniuriae in se contineat; magis enim nocet, qui præsenti obijcit ea, quae non solum dehonestant, sed etiam infamant, quàm is, qui occultè absenti detrahit; quod non faceret praesenti, propter reuerentiam quandam eius. Pari ratione fit nonnunquam, vt detractioni admisceatur, contumeliæ quædam species, id quod etiam est grauius simplici detractione: qui enim absent

absenti ita obloquitur, vt velit ad eum sua perferri verba, nilque vereatur praesentem; non solum famae sed etiam honori affert nocumentum. In vtroque isto euentu tam contumelia, quam detractio; quia duplicẽ habet partialem inhonestatem; principalem, videlicet, & secundariam; (in contumelia enim primum est dehonestare, infamare secundum, è contra in detractione) diuersa est specie ab ea, quæ simplici, & vna contenta est malitia; contumelia quidem contemptu praesentis, detractio autem absentis infamia.

Hæc porro talis nocẽdi famæ alienæ ratio, grauis est, culpãque cõtinet letiferam, si graue fuerit famae nocumentum, adsitque deliberata nocendi voluntas; nocumentum verò famae potissimè quidem honestati vitae aduersatur; potest tamen & in alijs dari materijs, sicut diximus supra num: 1. de contumelia, quae committitur, non solum dum objiciuntur culpae; sed etiam alia, vt ignobilitas, natalium vitia, & similia. Hæc ergo, si alicui (spectatis circumstantijs personae) grauiter noceant, quando de absente dicuntur; grauis erit infamia, sicut etiam in ipsis peccatis, non solum mortales culpae, sed interdum etiam veniales grauiter infamãt; si multũ noceant personae de qua dicuntur. 6.

Hoc modo infamat, qui virum Religiosum, sanctitate clarum, aut insignis auctoritatis, pietatisque personam diceret inebriari, etsi leuiter; esse mendacem; materia enim grauis infamiae (& idem tenendum videtur de contumelia) non tam in se spectanda est, quàm in nocumento quod adfert patienti; quemadmodum sentiunt Theologi cum S. Thom: 2. 2. q. 73. art: 2. in corpore.

Sectio III.

Qua ratione, quibusue modis fit detractio?

TAm contumelia, quàm detractio fit potissimè quidẽ verbis, hæc enim sunt signa sensum animi nostri exprimentia; nihilominus accidere potest non raro, vt factis, nutuque compleatur: certè milites illi, qui vt scribit Matt: cap: 27. *suscipientes Iesum in prætorium, & exuentes eum chlamydem coccineam, circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dexteram eius, & genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes; Aue Rex Iudæorum, & exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Isti inquam, milites non solum verbis illis: *Aue Rex Iudæorum* famam Saluatoris tanquam ambitiosi proscindebant, contemptuique tantam habebant maiestatem; 7.

sed etiam

sed etiam tot impijs factis, & blasphemiarum ludibrijs. Hos imitantur, qui nutibus, risu, cauillis, interdum ipso etiam maleuolo silentio, nituntur famæ aliorum honoriue parere detrimentum.

8. Multos porro modos assignant Theologi cũ S. Thom: 2. 2. q. 73. art: ad 3. quibus fit detractio; quâ apertè, & directè; qua simulatè, & a longè siue verbis, siue factis. Aperti quatuor assignantur, quorum primus est, quando falsum imponitur alteri, & talis infamia maior est quàm si verum, (etsi occultum) dicatur; tollitur enim fama, quae nullo modo fuit amissa. Secundus est, cum id, quod adfert infamiã augetur, & exaggeratur; quantò enim plus additur de re infamante, tantò plus infamia crescit. Tertius est si occultũ, etsi verum, (quod nihilominus infamat) reueletur; nam licet verum sit, quamdiu tamen non manifestatur infamia proximi, perinde tuenda est eius fama, atque res propria illius, quãdiu non constat eam esse alienam: Sicut ergo, qui accipit rem alienã, peccat; ita eum peccare necesse est, qui aufert famam, ante manifestationem rei infamantis publicam.

9. Tres porro assignantur viae sciendi a Theologis, quibus occulta res fit publica, & manifesta; prima est notitia signorum, & indiciorum, quibus ab omnibus; vel saltem a maiori parte, in aliqua, ciuitate, aut Prouincia conijcitur factum, resque infamans; & tunc, vt dicunt auctores euadit res famosa. Secunda est notitia facti; si quid fiat in aliquo loco, ita publicè, vt omnes, vel maior pars cognoscat: postrema est notitia iuris, cum decreto quis damnatur. Hoc tale triplex publicum, ad notitiam aliorum deferre, qui non sciunt, non est detractio contra iustitiam, is enim cui tribuitur illud publicum amisit ius ad famã, factus que est, re ipsa infamis: qualis verò quisque est, talis etiam potest alijs manifestari. Committitur tamen interdum peccatum contra Charitatem manifestatione eiusmodi publicorum, propter aliquas circumstantias quæ suadent occultandam rem; vt si quis narret factum infamans, in remoto nimis loco, quò nunquam, vel tardè admodum peruentura est notitia, & alias nulla necessitas est manifestandi id, quod alibi sit factum: idem esset si referatur quidpiam absque vlla necessitate, atque vtilitate, quod iam in obliuione prorsus sepultum est.

10. Præter tres hactenus allatos infamandi modos, quartus est, si opus quodpiam bonum, vel saltem quod non constat esse malum, peruersa intentione factum dicatur; hic etiam interdum interuenit infamia: nam sicut operum, alia sunt externa, interna alia, ita infamia, vel fama ex vtrisque nascitur: sicut ergo infamat is, qui refert opera mala externa; ita & is, qui sinistrè interpretatur mentem soli Deo notam. Et hi quatuor modi

modi palam, & directè detrahunt; nam qui prædicta quatuor mala refert, hoc agit, vt ea perinde consequatur infamia, atque solet corpus consequi vmbra; quidquid sit quod semper is, qui prædicta narrat, habeat directam nocendi famæ intentionem.

Sequuntur iam alij modi indirecti, quibus non quidem dicuntur mala; sed bona occultantur, ex quo etiam sequitur infamia; vel quia carere bono, malum quoddam est; vel quia qui est alienus a bono, vt plurimum in mala declinat. Hac ratione infamat, qui negat proximi virtutē, dexteritatem, nobilitatem, & similia: non secus facit, qui studio minuit bona: aut reticet laudes alteri9, tū cū offert se occasio, aut quod mai9 est, necessitas prædicandi: quando, verbi causa, agitur de proximo promouendo ad honores, & officia. Ille etiam non modicum nocet, qui refert quidem bona, laudesque aliorum; sed ita dolosè, & malitiosè, vt potius vilis opinio, contemptusque remaneat apud audientes, quam aliqua celebris memoria.

Sectio IV.

Non semper is, qui mala occulta aliorum refert detrahere est censendus.

Quæ hactenus num: 8. 9. & 10. de detrahendi varijs modis diximus non ita sunt intelligenda vt quoties malum proximi occultum detegitur, semper sit culpa detractionis; possunt enim dari aliquæ causae, quæ narrantem vindicent a peccato, vt docet S. Thom: 2. 2. q. 73 art: 2. in corp: & cum eo Caietanus ibidem, alijque Theologi: qui omnes dicunt abesse debere animum detrahendi, ab eo qui refert mala aliorum. aliàs licet a peccato aliunde excusaretur; eidem tamen obnoxius esset, propter peruersum nocendi animum. Illud etiam hîc certum est, non esse detractionē, si referatur aliquid de persona audienti ignota, & quæ ad notitiam, non est deducenda; infamia enim, est nocumentum famæ, apud audientem: nullum autem patitur nocumentum is, qui ignotus est audienti. Iam ergo ex causis, a culpa, referentem mala occulta, excusantibus, prima est leuitas animi, quâ a plerisque solent de alijs dici non bona. 11.

Hæc si auditores ita accipiant, vt nihil prorsus famæ aliorū noceant, nulla erit detractio, sed otiosum totum multiloquiū; quod si resideat in animis audientium infamia, est detractio maior, vel minor, (prout fuerit infamia) non quidem ex dicentis proposito; sed ex secuto malo 12.

 infamiæ

infamiæ effectu, propter incautam loquelam; quemadmodum solet sequi percussio, aut cædes, ex incauto lapidis iactu.

Secundò, neque is detrahit, qui mala quidem refert sed talia, quæ non pariunt infamiam, vel ex eo, quòd vsu crebro, & vitio hominum parui iam fiant, vt in partibus septemtrionalibus est ebrietas; aut inter aulicos, & milites impudica vita; vel ex eo quòd abiectioris sortis homines, non multum æstiment quaedam de se dici, vt quod sint ignobiles, malè nati, parui ingenij; vel quod ea dicantur, quæ passim a natura plerisque insunt, vt quod quis sit elati animi, parcus, iracundus; hæc enim sicut & crebra corporis vitia, verbi causa cæcitatis, surditatis, & similia non infamant. Tertiò, qui refert aliquid mali ab alio sibi factũ, non infamandi animo, sed consilij necessarij, aut solatij gratia, præsertim in non leui dolore constitutus, minimè detrahit; habet enim rectũ, & honestum finem, quem illi ordinata in se suadet Charitas, vt vel liber sit a malo, vel leuamen, medicinamque accersat cordi saucio.

Hoc tamen vt fiat rectè, non plures adhibendi sunt, quàm fuerint necessarij ad dandum consilium solatiumque afferendum; neque quæratur solamen hac ratione, nisi ad medendum notabili, vt dixi dolori; non rectè enim faceret, qui paruam animi tristitiam, magna vellet proximi depellere infamiâ.

13. Quartò potest a culpa excusare necessitas obuiandi malo tertij; nam qui certò scit aliquẽ innocentẽ inuadendũ, damnoque afficiendũ bonorum famæ, vitæ, aut quod maius est, animae; potest sine vlla detractionis culpa vti denuntiatione fraterna, reuelareque eum, qui molitur inuasionem. Id quod non solum tunc est verum, cùm imminet periculũ tertio, maioris boni, quàm est amissio famae inuasoris, vt est, verbi causa, caedes Principi alicui, a priuato intentata; sed tum etiam, cum agitur de aequali bono, qualis est fama; aut minori, quàm est fama, verbi gratia, de pecunia: quorum ratio est; quia ordinata in proximum Charitas potius debet innocentiæ patientis fauere, quàm malitiae agentis. Cum itaque is, qui molitur alteri mala, nocens sit, alter, cui imminet nocumentũ, innocens; rectè hic, illi præferendus, praemonendusque, vt sibi caueat ab insidiante.

14. Et certè si in defensione vitae, vel bonorum innocentis licet inuasorem vulnerare, aut etiam occidere (quando aliter defensio non potest consistere) licebit etiam infamare, propter eandem defensionem; semper enim iniusta inuasio, aut inuasionis præmeditatio, dat ius ordinatæ in proximum Charitati, vt ea innocentem potius iuuet, piâ cautelâ, quã maleuolum, silentio noxio: Id enim esset perperam agere; cum tamen

Charitas

Charitas teste Sancto Paulo 1. Corinth: 13. non agat perperam. Atque hoc expresse tenet S. Thom: 2. 2. q. 70. art: 1. ad 2. vbi docet debere nocentem manifestari, etiamsi ille secretò cōmitteret sua mala consilia, (modo id faciat extra confessionis Sacramentum, huius enim secretum est summi silentij, vt apud omnes Orthodoxos est certum) verba S. Thomae sunt: *quandoque* inquit *ea* (*quae scilicet*, secreto committuntur) *sunt talia, quae statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea, manifestare tenetur, puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in graue damnū alicuius personae? vel si quid est aliud huiusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando. Contra hoc debitum, obligari non potest per secreti commissum; quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia, quae quis prodere non tenetur, vnde potest obligari ex hoc, quòd sibi sub secreto committuntur; & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex praecepto superioris; quia seruare fidem est de iure naturali: nihil autē potest praecipi homini contra id quod est de iure naturali, Haec S. Thomas*

Cuius doctrinae quò sit rectus vsus; curetur diligenter, vt si potest 15. cautela sufficienter dari non nominatâ in specie persona, quae molitur nocumentū, sed in communi duntaxat; id omnino faciendū; tunc enim vtrique parti abunde consulitur. Illud quoque adhibeatur, vt si persona nocens debeat omnino manifestari, neque aliter malis occurri possit, alteri potiùs, non ipsi, cui malum imminet reueletur nocens (si tamen id satis fuerit ad euadendum imminens periculum) sic enim saltem vitabitur maior animorum offensio; magis quippe exacerbatur quisque in proxima, quàm in aliena causa.

Quintum & postremum, quod a detractione excusat, est, si quid de 16. alio dicatur quod vergat in malum ipsiusmet, praesertim animae; hoc ex praecedenti paragrapho clarum est. Si enim licet infamantia referre de eo, qui nocet alteri, propter necessitatem occurrendi malo ipsius; pari necessitate licebit referre de eo, qui sibi nocet, cùm perinde charitas in illum, ac in tertium feratur, & Sancti Thomae, praecedenti num: citati testimoniū apertè id continet. Quod si quis cedat iure, quod habet in suā famā, queādmodū faciūt ex Regula, Societatis I E S V Religiosi, quâ praecipitur, vt omnes sint parati ad superiores deferri: non solùm in eo casu, in quo agitur de occurrēdo graui malo, potest fieri manifestatio occulti (id quod ex fraterna charitatis denūciatione, omnibus etiam non renūciantibus iure famae cōmune est) sed & aliàs, modò adhibeatur primo loco, spiritualis, ex manifestatione tali, intentus prouentus: si enim hoc desit; aut otiosè, aut etiam malitiosè fit occulti reuelatio. Deinde

id quod reuelatur, debet esse cognitum extra secretum. Nam hoc semper seruandum est, (modò non vergat in damnum alicuius, iuxta dicta numero praecedenti) iure ipso naturali, cui non ceditur per ingressum nostrae Religionis, in qua iubētur eiusmodi secreta seruari; vt est in decreto congregationis generalis 6. c. S 4 Vtrumque hoc in examinis cap: 4. paragrapho 8. a S. Ignatio Fundatore suis alumnis relictum clarè legitur, vbi sic præcipit. *Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, vt omnes errores, & defectus ipsius, & res quæcūque, quæ notatæ in eo & obseruatæ fuerint superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.* Vbi verba illa: *Ad maiorem in spiritu profectum*, prouentum exigunt spiritualem; illa autem: *Omnes errores, & res quæcunque, quæ notatæ in eo fuerint*; secretum excludunt: quæ enim ab alio notantur, non accipiuntur secretò, ab ipso, in quo notantur. Huculque dicta, ostendunt, licere vni de altero aliqua mala referre, citra detractionem.

Sectio V.

An liceat se ipsum infamare.

17. POtest hîc non inutiliter quæri, num etiam liceat se ipsum infamare, sua aperiendo occulta mala. Non loquor autem de confessione sacramentali, de qua nullum dubium, sed de alia quapiam manifestatione. Atque vt id, quod dici debet, intelligatur; supponendum famæ suæ vnumquemque esse dominum, sicut & aliorum fortunae bonorum; id quod docet S. Thom: 2. 2. q. 73. art: 4. ad 1. Hoc posito, id omnino de fama propria tenendum, quod & de alijs bonis. Sicut ergo, verbi causa, pecuniæ amissio de se indifferens est, potestque esse mala ob aliquem malum finem, aut circumstantiam; bona, si haec absint; ita & amissio famæ. Quare qui se infamat cum scandalo aliorum, vel cum nocumento communitatis, in qua degit, & in quam deriuatur ex illo infamia, aut etiam cum damno proprio, eò quòd infamatus locū inter honestos; debitamque non habeat authoritatem, & reuerentiam, perperam facit. Quod si haec, vel similia non sint, licebit sua mala etiā occulta alijs reuelare citra peccatum. Hac ratione S. Paulus ad Galatas 1. scribit de se: *supra modum, inquit, persecutus sum Ecclesiam Dei*; & 1 ad Timot. 1. sic item de se: *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum*: talia de se referendo; volebat peccatores exemplo suo ad pænitentiam excitare.

Ita in Societate nostra, ex præscripto S. Ignatij vt habetur examinis cap: 4. paragrapho 16.& 40. omnes statis temporibus suam conscientiam superioribus aperiant, vt ab ijs in diuino obsequio dirigãtur, & conseruẽtur: tantæque est haec pia, & accepta consuetudo obseruantiæ,ac securitatis,vt quidquid de se quis dixerit; eo superiori licebit quidem vti ad ipsius bonum, salutis, & perfectionis progressum; non tamen ita, vt alij (praeter solum ipsum, qui de se retulit) possint conijcere dicta in tali manifestatione; nequeita, vt ad puniendũ manifestantem se, dimissione ex ordine, vel alia publica pœna procedi possit: nisi fortè aliunde idem cognoscatur, iuxta supra dicta, numero 16. 18.

De notitia confessionis, nihil hic agitur; talis enim notitiae, nullus vnquam extra confessionẽ vsus esse potest; quem non solum alij, sed ipse etiam pœnitens aduertat; nisi fortè ad hunc vsum licentiã ipse dare velit: quemadmodum dat, qui vtitur in eadem Societate, confessione tanquam vsitata manifestatione sui: id quod a Generalibus declaratum, & communi vsu receptum est.

Praeter iam dicta potest etiam citra infamiam, manifestare quis sua mala occulta, ad euitanda grauia tormenta; ita tenet cum alijs Lessius de iustitia lib: 2. cap: 11. dub. 6. & 7. Idque clarum est ex dictis iam, quia ordinata charitas suadet, vt maius malum praeferatur minori, maius autem est plerumque malum grauia pati tormenta, quam infamiam. 19.

Addo(plerũque)posset enim dari casus,in quo pluris fiat infamia, quã tormenta, aut etiam mors; & tum licebit praeferre famam vitae, aut tormentis. Quod si ex manifestatione malorum occultorum, immineat mors propria, quae non sequeretur, si ignota essent occulta, adhuc licitum erit infamare se, ad euitanda grauia tormenta; nam etiã in hoc euẽtu ordinatae est charitatis, grauia tormenta, infamiae, ipsique anteponere vitae; grauia, inquam, nam si leuia sint, non liceret propter illa vitam obijcere periculis. Hæc porro doctrina adeo vera est, vt citra culpam mortalem, possit etiam fingi crimen falsum, ad euitanda magna tormenta; idque ob dictam iam, paulò superiùs rationẽ: non enim obligatur homo, ad tuendam suam famam, vel vitam cum tantis doloribus. Atque tunc fictio illa, vel erit mendacium officiosum, vel omni culpa vacabit, si aequiuocè proferatur, siue ita, vt aliter (verè tamen) ipse narrans verba sua intelligat, aliter audientes; id quod in nonnullis casibus licere dicemus infra cap: 23. a num: 6. Postremò, quae dicta sunt de morte & infamia propria, ex reuelatione mali sui occulti secutura, censent Theologi verum esse de morte quoque aliena, & de alieno malo occulto; nempe licere ad euitanda tormenta grauia, alterius malum clandesti-

clandestinum denunciare, quanquam ipsi mors immineat: nã & tunc non tenetur denuncians, cum tanto suo malo, alterius famam vitamque tueri. Secus esset, si falsò alteri imponeretur crimen; hic enim, cui ita imponeretur, habet ius ad famam, & ad vitã, quamdiu nihil facit, propter quod vtroque priuetur; quare iniuria illi fieret, si quid pateretur alieno mendacio. Neque refert, quod paulò ante diximus, posse sibi aliquem imponere falsum crimen, ad euitandam mortem, vel tormenta grauia, licitum enim est cedere proprio, quod quisque habet in suam famam iure; non potest autẽ alterum simili iure, sine iniuria eius, priuare.

Sectio VI.

Quando & quantum sit maledictionis peccatum?

20. Contumeliæ & detractioni iam explicatae annecti debet, maledictio, nam & hac aut tollitur re ipsa fama, honorue proximo; aut saltem est animus tollendi. Dupliciter enim vt docet S. Thomas 2. 2. q. 76. art: 1. in corp: a maledicente proferuntur verba: *primò* per imperium, vt fiat id, quod præcipit imperans: atque ita potest ad imperium iubentis auferri alteri honor, fama, imò & vita ipsa; vt sentiatur ablata tanquam pœnale, & molestum quid; hoc enim fine proferuntur verba ab imperante. *secundò* dicuntur eadem verba optando, & exprimendo affectum maledicentis; hoc modo nihil re ipsa tollitur ei, cui maledicitur; solum ostenditur desiderium tollendi, si fieri posset. Vtraque maledictionis formã in personas dirigitur; hae enim sentiunt molesta, tanquam quid pœnale; & si quando rebus, non personis maledicitur; id fit, vt docet S. Thomas loco citato, art: 2. in corp: per respectũ ad personã, vel quod illæ vtiles sint ei. Ita maledixit Deus Deutoronom: 28. praeuaricatoribus legũ suarũ: *Maledictum*, inquit, *horreum tuum*; vel quòd significet aliquid in eo, cui maledicitur, sic Christus Marci 11. maledixit ficui, denotans in Iudæis sterilitatem fidei, & bonorum operum: vel quòd afferat malum quodpiam homini; Ita Iob cap: 5. maledixit tempori in quo conceptus, & natus est; propter culpam originalem, & consequentes eam pœnas; vel alia ratione res quæpiam ad personam relata, solet maledictione affici. Quanquam potest interdũ maledici rebus ratione carentibus, sine illo ad personam quampiam respectu, pro arbitrio, & affectu maledicentis.

21. Quod verò ad culpam attinet; ea semper in maledicendo erit, quoties siue imperatur siue expetitur malum, sub ratione mali, & nocumenti; id

ti; id quod fit duobus modis, per respectum ad rem intellectualem, aut praecise, vt alter sentiat malum; & sic erit contra Charitatem; aut vt careat re, ad quam habet ius; & id contrarium est iustitiæ: atque sicut res hae sunt diuersarum specierum, nimirum vita, fama, honor; ita & maledictio erit diuersa. De iustitia dixi, tunc esse peccatum, maledictionem, si efferantur verba animo nocendi; si enim alio quopiā fine honesto dicantur, immunia erunt a culpa. Hoc modo Iudex profert verba contra reum, vt iustam sustineat pœnam; ita etiam paulò superius enumerauimus varios maledicendi rebus modos, a quibus procul est omnis peccati species. Iam si ipsi Deo maledicatur, aut creaturæ, tanquam eius operi; erit peccatum, plùs quàm ordinariæ maledictionis, nempe blasphemia. Quòd si maledictio fiat in creaturam irrationalem sine vllo ad hominem, vel ad Deum respectu, erit crassè otiosum verbum, aut signum exorbitantis viæ, siue tristitiae. Quacunque ex his ratione proferantur maledicentia verba, modo in malo personae sistatur, maledictio erit peccatum, & quidem graue, si malum fuerit notabile, leue, si malum quoque leuius fuerit: quanquam blasphemia, non tam a malo, desumit suā peccati grauitatē, quàm ab iniuria maiestati tantæ illata.

Ex his liquet posse interdum fieri sine vllo peccato maledictionem, si 22. rectus adsit verborum maledictionem praeferentiū finis; ita enim præter iam dicta, possumus liberè, & impunè peccantibus optare morbos, Infortunia, & id genus mala; vt his tandem corrigantur: immo possumus illis optare etiam mortem, vt non noceant alijs; quin & ipsam gehennam, dato, quòd diutius viuendo, nunquā essent corrigendi, & semper Deum, proximosque grauius offendant. Tali honesto fine Dauid optauit interitum montibus Gelboe, ex ordinata videlicet charitate in populum suum, in bello caesum, in quo putabat plerosque (vt in bellis fit) non rectè paratos ad piam decessisse mortem. Hoc etiam modo Prophetae solent mala futura iniquis optare, si nimirum, non corrigantur; Ita legimus Psalm: 69. dictū. *Confundantur, & reuereantur, qui quaerunt mihi mala.* Quanquam similia Prophetarum dicta, possunt etiā esse praedictiones quaedam futurorum certo euenturorum, simul iunctæ cum expressione animi, mala bono fine desiderantis. Non solū hoc honesto fine prolata maledictio immunis euadit a peccato, sed etiam cum profertur sine aduertentia, consensuque deliberato, ex primo, & inconsiderato motu: quod si proferatur ioco, vel semiplena aduertentia, vel ex consuetudine quadam, iram potius per modū interiectionis, quā verū desiderantis animū, inuoluente erit venialis culpa, propter inorditum verborum vsum.

Sectio

Sectio VII.

Irrisione læditur honor, & interdum simul fama.

23. IRrisio, persimilis est maledictioni, eò quòd noceat iam honori, iam famæ, quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. q. 75. art: 1. & 2. & consistit in eo, quòd malum aliquod, seu defectum alterius ioco in mediū producat: id quod duplici modo solet fieri. *Primò* ita, vt risus, & recreatio quædam animi excitetur, & sic nullum est peccatum, Illud enim malum, quod narratur, paruum censetur, nihilque notæ irrogans ei, cui adscribitur. Secundò recensetur aliquod malū, in audientium, (aut saltem eius, cui tribuitur) praesentia, quod parit ruborem, & confusionem, quam consequitur dedecoris nota; atque ita est peccatum; & si rubor fuerit, ac dehonestamentū ex illo consequens modicū, leuis erit culpa; si magnum, grauis. Semper autem censetur tale dictum generare erubescentiam, eò quod illo tangatur irrisus, & despiciendus alijs exponatur, eoque magis tangitur, ac despicitur, quia ridendo, & ioco, narrat irridens, quasi parui pendendo personam irrisam: sicut solet pauperibus stultis, aut vitijs deditis, dici ioco quidpiam, per contemptum vilium personarum. Itaque malitia, & inhonestas irrisionis est, verbis iocosis ruborem excitare, ex quo sequatur despicientia. Quod vtrumque crescit pro magnitudine irrisæ personæ, & pro vilitate irridentis; quo pacto Christus Dñus ignominiosissime irrisus fuit, Lucæ 23 apud Herodem; ab ipso, Rege quidem; sed tamen a Creatura; & ab alijs vilissimis hominibus, vt stultus habitus, & apud Pilatum a cohorte illius, tanquam ambitiosus. Ad irrisionē verborum accedit interdum subsannatio, quae fit signis, nasi, oris & vilium gestorum, eâdemque scatet malitiâ, quâ & irrisio, & crebrò est grauior, ob maiorem contemptum.

24. Hoc vitium inter eos maximè habet locum, qui simulatione pleni, facile alios risu perstringunt; carpendo mores & gesta, quæ reuera bona sunt; sed illi ea, malo aliquo affectu ducti perperam interpretantur; talibus aulae abundāt, qui paris conditionis homines facilè proscindunt iocis, & multò magis alios diuersi statûs, quibus praesertim sunt malè affecti. Iam verò id vitiū adeo consuetudine inualuit, vt non habeatur pro culpa, cum reuera grauiter proximum laedat, & ob confusionem, & ob consequentem dedecoris notam: interdum etiam infamiam Nā solent quædā dici occulta, quae tollunt reputationē irrisi.

Sectio

Sectio VIII.

Quanta obligatio sit compensandi famam, & honorem, & quàm facilè vtrique noceatur.

CVm constet ex dictis restituendum esse illud omne, quod alteri tanquam proprium acceptum est; sequitur vt ea reddenda sint quibus his tribus vitijs fuerint ablata: & maledictio quidem solummodo imperans tollit famam & honorem re ipsa. Quapropter hæc solùm compensanda erit, non alia, quæ optando fit duntaxat. 25.

Iam vt intelligamus restitutionem famae, & honoris necessariam esse, magnique faciendam, paucis, sed sonantibus verbis, præcipit Christus Matt: 5. *Dico vobis omnis qui dixerit fratri suo, fatue reus erit gehennæ ignis;* mox subiungit viam, & modum ignem hunc euadendi: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo.*

Quod vt seriò, & non oscitanter fiat, vrget imminentibus periculis; *Esto, inquit, consentiens aduersario tuo citò, dum es in viâ cum eo; ne fortè tradat te Iudici, & Iudex ministro, & in carcerem mittaris, Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.*

26. In tam seuero Domini precepto, aduerto inprimis reconciliationem debere tali ratione vsurpari, vt reddatur fama, & honor, vsque ad nouissimum quadrantem, hoc est integrè, & completè. Aduerto, & aliud, non minus verum, quàm horrendum; pro vno videlicet verbulo, modo hoc honorem, vel famam grauiter laedat, sempiternos gehennæ ignes a Christo Iudice intentari; neque hos vitandi vlla restat via, praeter reconciliationem dictam, quae solet semper verae adiungi pœnitentiæ.

27. Hæc duo aduertendo, expendo iterum alia duo, primum est, Christi Iudicium de iactura famae, honorisue per praefata vitia: neque enim resarciendã esse illam sub æterna pœna sensisset, nisi sua diuina Sapientia intelligeret, magnum quid esse priuari fama, & honore. Et illa quidem plenè nouit, cur tanti hoc vtrumque fortunae bonum æstimandũ sit, liceat etiam nobis, vtcunque conijcere, tantae æstimationis causam. Forte inter alias, potest esse ista, quòd caetera caduca bona, vt opes, & dignitates inferiori mundo relinquant morituri homines; famam & honorem, nimirum, virtutis decora secum deferant. Vnde etiam est, vt qui aufert opes demortui, nullam ipsi faciat iniuriam, sed ijs, ad quos illae iure hæreditario douoluuntur; infamare, aut dedecore afficere, ne

mortuum quidem vlli licet. Rectè ad hoc propositum monet Ecclesiast: cap: 11. *Fili, in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritū suum*, quasi dicat, ita viuas, vt sēper etiā mortuus honoreris propter bona merita animæ tuæ. Cū igitur anima post vitā hāc honorata, id est bonis famae, atque honoris diues caelū petere debeat; meritò ille, qui Lucæ 12. de quieta possessione bonorum eò delatorum, ita certos reddit eos, quotquot ibi erunt; *Facite*, inquit, *vobis thesaurum indeficientem in cælis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit*, meritò inquam, Christus iniquè fert, famae, & honoris, non quidem ibi damna verè illata (in caelo enim fur non appropiat) sed hîc in memoria superstitum, vel notitia; cùm honor, & fama, vbique, & a quibuscunque, & quouis tempore virtuti debeatur.

28. Et quid mirum est, si Deus velit in honore esse homines, apud homines, (neque solùm eorum animas; sed & corpora quae honorificè sepeliri cupit. Tob. 1.) cùm ipse honoret eosdem, nomenque celebre faciat in cælo & in terra vt ostendit S. Aug: Tom: 8. in illa Psalm: 91. scribens verba: *Bonum est psallere nomini Domini altissimi. Si tu*, inquit, *quæris nomen Dei; quærit, & ipse nomen tuum:* explicatque quomodo quærat ex Lucæ 10. vbi referūtur gauisi discipuli, eò quòd ipsis sub jcerētur dæmonia, quibus Dominus: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Ecce, inquit Augustinus, *vbi habes nomen, si nomen Dei non negligas; psalle ergo nomini Dei, opus nostrum, psalterium nostrum est, quicunque operatur manibus, opera bona, psallit Deo, quicunque ore confitetur, cantat Deo.*

29. Iam cùm constet tanti facere Deum famā, honorē, gloriámque hominum; non est quod ampliùs quæramus, cur acerbè ferat damna horum bonorum, & seuerè puniat omnes, quotquot illa inferunt.

Illud nobis diligenter videndum, quod secundo loco expendendū erat, ne Deo infamationes, detractiones, maledicta, & irrisiones seuerè prohibenti non pareamus: id verò tam operosum est cauere, quàm difficile nosse, vnde nam sit, quod ad nocendum famae, & honori alieno promptissimi simus. Aliquis fortè putabit hanc promptitudinem inde esse, quòd manu, aut opere nocere proximo, non semper sit integrū, propter multa, quæ impediunt factum: lingua, nimirū ad loquendū expedita, & quae teste Sancto Iacobo cap: 3. *velut rota* ad minimum motum mox circumagitur, facilis est ad nocendū. Sed & hoc ipsum quæritur, cur adeo hoc membrum, cum tanto aliorum damno petulcū sit. Neque mirarer, si apud eos tantùm exorbitaret, qui minùs excellunt doctrina, aut prudentia; talibus enim quiduis, quod in buccā venerit, futire, non

est, quod

est, quod prohibeat, scilicet, vacillante ratione, a qua membra regi debent: mirandum verò linguae insolentiam, in illis quoque multùm dominari, qui docti aliàs, & praeclari sint scientia, auctoritate, experientia, religione, virtute. Certè S. Augustinus, non alios quàm tales plerûmque solitus erat adhibere ad consortium; quorum tamen ita timebat linguam, vt mensae suae inscriptũ illud distinchon, tanquam epularum, necessarium quoddam condimnentum, conuiuis suis proponere in more habuerit, quemadmodum refertur in vita ipsius.

Quisquis amet dictis, alienam carpere vitam,
Hanc mensam vetitam, nouerit esse sibi.

S. verò Thomas; ita hoc vitium commune gentium vbique asserit, vt 2. 2. q. 73. atr: 2. ad 2. affirmet periclitari illo totum genus humanũ; caussasque huius mali ponit; tum *quia*, inquit, *stultorum infinitus est numerus, & pauci sunt, qui ambulan: per viam salutis; tum etiam quia pauci, vel nulli sunt, qui non aliquando ex animi leuitate aliquid dicant; vnde in aliquo vel leuiter alterius fama minoratur, quia vt dicitur Iacobi 3. si quis in verbo non offendit, hic est perfectus vir.*

Sectio IX.

Vnde est, quòd ad nocendum famae, & honori proximi, tam faciles simus.

MIhi causas communis huius hominum infirmitatis inuestiganti, 30
occurrit duplex, physica vna, moralis altera; prior, vt intelligatur sciendum est, linguam esse vnam ex ijs membris, quae ad nutum, & despoticè obediunt rationi, atque appetitui, sicut sensuum externorum organa: vt oculi; visus, aures, auditus, nares, odoratus, palatum, & ipsa lingua, gustus, manus, tactus: sicut etiã obediunt motus localis instrumenta, vt sunt manus, & pedes. Quòd ergo lingua facilè famae, & honori noceat; non ei, sed rationi, ac voluntati tribuendum est, tanquam mouentibus, & imperantibus causis. Quia verò intellectus, corpore mortali vna cum anima reclusus, non videt summum bonũ (quale vnum duntaxat est Deus) in quo voluntas quiescat; & tamen homo suâpte natura quaerit bonum, quo delectetur; ne voluntas sit sine eo, ad quod primo suo actu, amore, videlicet, (vt ostendi libro hoc priore, cap: 11. num: 21.) est ordinata; neque etiam hoc bonum in alijs tam facilè inuenit, quam in se, quẽ prae caetris magis amat, hinc est vt lingua imperio rationis, ac voluntatis alijs noceat in bono famae,

& honoris; quod dum facit, tacito quodã modo, tam famam, quã honorem ei tribuit, cuius membrum est, & cuius nutu loquitur: qui enim alijs nocet, se a nocumento immunem vult esse: in quo est non modicũ boni. Fit quidem interdũ, vt alijs vitia exprobremus, aut detrahamus: ipsi interim laborantes, & vitijs, & infamia, sed & tunc, est quoddam nostrum bonum socium habere mali: solemus enim dicere, dum aliquid nobis obijcitur: Neque tu, neque ille est melior, vel simile quid. Itaque amor nostri boni inordinatus, efficit suo influxu imperioque, quod habet in linguam, vt illa sit tam facilis ad nocendum proximo. Accedunt multa, quæ peruerso amori calcar addunt, vitia, nimirum, illi famulantia, & effrenes passiones; talis est curiositas inuestigandi vitã, moresque aliorum; consuetudo, obloquendi, exprobrandi, maledicendi; ira, inuidia; denique, ipsa facilitas linguam mouendi, quæ carens ossibus, humidã, & mollẽ nacta constitutionẽ, expedita est ad motũ.

31. Hæc est causa physica infirmitatis iam dictæ: physicam appello, propter naturalem linguæ cum ratione atque appetitu, in obloquendo cõnexionem. Iam moralis videtur esse pœna peccati a Deo permissa; quia enim parentes nostri linguâ passi sunt se seduci, & quidem lingua fligij serpentis, qui & Deo, & homini, conatus est nocere: Deo, imponendo illi simulatam quandã, & cũ inui lia agendi rationẽ, Eum etenim nolenti ab initio gustare vetitum fructum, eò quòd prohibuisset illum Deus minando mortem, suasit serpens Genesis 1. *Nequaquam, inquit, moriemini; scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.*

His verbis Dei veritati, & bonitati detrahere Dæmon voluit, quasi non verè mortem minatus fuisset, & inuidisset homini diuinam scientiam. Rursus toti hominum generi nocuit idem infringẽdo obedientiã, & auferendo id, quod obedientibus promissum erat; quia ergo, vt dixi, linguâ Adam, & Eua seducti sunt, in pœnam tanti errati, iusto Dei iudicio, nunc fit, vt posteri eorum faciles sint, & ad loquendum, & ad audiendum (& quidem creberrimè mendacia) cum magno aliorum damno.

Sectio X.

Quot nocumentorum sit causa lingua detrahens, maledicens, irridens, contumeliosa.

32. VT verò appareat, quanta afferat nocumenta, quadruplici vitio lingua laborans, paucis ea exponenda sunt, quorũ quædam directè intenduntur, infamia, scilicet, & dedecus: alia ex prioribus indirectè cõ-

rectè cõsequũtur, plurima & perniciosa, recensenturque a spiritu S. Ecclesiastici 28. vbi imprimis generatim comparat linguam maleuolam igni. Vt enim hic consumit quiduis, si excitetur: nihil agit, si extinguatur; ita maleuola lingua iam contemptũ, & infamem relinquit, imponendo ea, quae non sunt; iam extinguit bonum nomen, auferendo, quae sunt. *Si sufflaueris*, inquit, *Ecclesiasticus, in scintillam, quasi ignis exardebit, & si expueris super illam, extinguetur: vtraque ex ore proficiscuntur.* Enumerat deinde ea, quae consequi solent infamiam, & dedecus: *Lingua*, inquit, *multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem; ciuitates muratas, diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit.* Hoc est primum fortunae, & opum damnum, quo multi propter linguas malorum vicinorum, collegarum, sodalium deserunt sua, aedesque, vt alibi in pace viuant, & vt non cogantur verbis prouocati, domos ciuitatesque effodere; altercando & pugnando. Non minus damnum sequentibus continetur verbis: *Virtutes populorum* (lingua videlicet) *concidit, & gentes fortes dissoluit.* Sentiunt hoc integræ interdum Respublicæ, quibus lingua inuida, & peruersa adeo obest, vt fortissimorum, & peritissimorum virorum, quasi cæsa, & dissoluta virtus sepeliatur, linguis, experimentum industriæ, prohibentibus. Sequitur tertium non minùs dictis iam, nocumentum: *Lingua, mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis, qui respicit illam non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat.* Magnum est, quando coniuges propter linguas, ab inuicem separantur; maius verò; si & amicissimi sibi, inimici fiant; rectè verò dictum est, *Qui respicit illam, non habebit requiem, nec amicum*; qui enim facilè credit linguæ dicenti, ipse etiam non deest loquendo, nullumque seruat in quo requiescat amicum. Quid verò est societas hominum, aut quàm infelix priuata amicitiâ? cùm Christus solùm hos nominet suos, qui sibi inuicem bene volunt: *In hoc* (testatur ipse Ioannis 13) *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Sed enumeratis hactenus deterrimum est, vltimum linguæ malum, *Mors*, videlicet, quâ corporis, quâ animæ; id quod ita exaggeratur ibi: *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa*; quid iam super est vitæ, si ossa comminuantur? neque tantùm corporis accersit mortem; sed & animæ; *Multi* (additur ibidem) *ceciderunt in ore gladij, sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam.* Reuera enim lingua talis, & eius, cuius est, interimit animam, grauiter nocendo proximo, & crebro audientium; in consensum nocumenti eos pertrahendo, denique tertij, cui nocetur; fit enim persæpe vt is de iniuria sibi illata, vindicet se secus, quàm liceat. Hinc verò sequuntur iurgia, lites, cædes mors

nequissima,

nequissima, & tandem gehenna; subnectitur enim. *Beatus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus: Iugum enim illius, iugum ferreum est; & vinculum illius vinculum æreum est: mors illius mors nequissima, & vtilis potiùs infernus, quàm illa.* Præfert Spiritus S. infernum morti, quam adfert eiusmodi lingua: rectè enim per infernum potest hic (crebra sacrae scripturæ phrasi) accipi sepulchrũ; vt sciamus, meliùs esse corpus mori, & sepeliri; quàm animam ab eiusmodi lingua interimi, & in æternum damnari.

33. Atque vt constet, quàm studiosè, conniti debeamus contra vitia quatuor prædicta, ita concludit Ecclesiasticus: *Aurum tuum, & argentum tuum consla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos, & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in morte.* Docemur hic vim, & conatum adhibere vehementem, in compescenda lingua, ne labamur casu, & morte nunquã sanabili: quia enim nocemus alterius famæ, honoriue plerumque ob cõmodum quodpiam nostrum, aut ex inclinatione animi peruersa; de qua suprà num: 30. dictum est; mandat Deus vtrique ita obuiam eundum, vt auro, argento, & quouis nostro bono, parati simus destitui potiùs, quàm linguâ alieno malo abuti. Atque hæc praeparatio, & resolutio, animi, debet esse instar staterae, verbis modum, & mensuram imponentis. Quod si quis non commodo suo, sed vitiosa propensione trahitur ad malè loquendum; hic frenos rectos ori injciat; hoc est, fortissimè illud teneat, ne dissoluatur: vt enim qui ducit equum renitentem, trahit illum freno in rectum extento, & viribus intentis; ita qui linguam renitentem cupit compescere, conatum animi acriter debet intendere, vt, violenter licet, tandem ad rectitudinem pertrahatur. Quando verò, quæ nostra est misera fragilitas, lingua ductorem pertrahit, videndum restat, quomodo sit famae, vel honoris iactura resarcienda; primò autem præmittendũ; num quoties haec iactura interuenit, sẽper compensatio facienda.

Sectio XI.

An aliquando liceat damnum famæ honorisue simili rependere damno?

34. DVobus modis fieri potest, vt is qui famam, vel honorem aufert, ipse quoque ijsdem priuetur; primò per vindictam, & hoc iudicibus tantùm concessum, nullo modo priuatis; vt infra cap: 9. dicetur

dicetur. Secundò in defensione, & sic vnicuique licitũ est suam famam, & honorem defendere, sicut vitam, fortunas & quæuis propria bona, id quod omnes docent Theologi cum Sancto Thoma 2. 2. q. 72. art. 3. in corpore vbi sic ait. *Dicendum, quòd sicut patientia necessaria est in ijs, quæ contra nos fiunt; ita etiam in ijs quæ contra nos dicuntur: Præcepta autem patientiæ in ijs, quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi habenda; sicut August: in libro 5. de sermone Domini, in monte cap:* 34. 35. *&* 36. *exponit illud præceptum Domini: si quis percusserit te in vna maxilla, præbe ei & aliam, vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit: non tamen semper tenetur facere actum; quia nec ipse Dominus hoc fecit; sed cum suscepisset alapam dixit; quid me cedis? Ioannis* 18. *Et ideo etiam circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum: tenemur enim habere animum paratum, ad contumelias tolerandas si expediens fuerit; quandoque tamen, oportet vt contumeliam illatam repellamus maximè propter duo. Primò quidem propter bonum eius qui contumeliam infert, vt videlicet, eius audacia repimatur, & de cætero talia nõ attẽtet & secundum illud Prouerbiorum* 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam; ne sibi sapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum quorum profectus impeditur, propter contumelias nobis illatas, vnde Gregorius dicit super Ezechielem Homilia* 9. *Ii quorum vita in exemplo imitationis est posita debent, si possint, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationẽ non audiant, qui audire poterant; & ita in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant.*

Ita Sanctus Thomas; a cuius vera doctrina, vt in praxi non deuietur, commune illud omni defensioni adhibeatur sincerè deseruiens antidotũ vt sit inculpata, sui honoris, aut famæ tutela; hoc est, nihil plus dicendum, aut agendum, quàm quod ad defensionem confert. Itaque si infamantem me vicissim infamem, habito quidẽ defendendi mei proposito, reuera tamen mea infamatio, nihil conducit ad defensionem, erit illa vindicta non defensio: sicut etiam, si infamantis me in re vna leui, ego referam, multa, & enormia: aut si maledicenti mihi, vicissim maledicam, quod nunquam licet. Idem de similibus intelligendum. Cæterùm si adfuerit inculpata tutela, licebit se, vt dixi, defendere: ita faciet si detrahenti sibi astruat leuitatẽ, inconstantiam, mentiendique facilitatem: tali enim; vt ferè semper fit, non credetur. Ita etiam non peccabit, qui irridenti, maledicenti, contumelia afficienti dicet tale quid, quod ostendat illum ob similia, publicè, vel priuatim dignas dedisse pænas: his, & id genus alijs, licitis defendendi se vtendo modis optimè ille, & securiùs facit, qui antequam in aliquid prorumpat, committat se Deo vindictam offerẽti, Deut: 22. *Mea est vltio, & ego retribuã*, se quippe inuocanti

câti Deus, & aderit, ne vincatur; & suggeret vincēdi cōgruū modum.

Sectio XII.

Quo pacto restitutio famæ honorisue facienda.

35. ID postremò restat explicandum in hac materia, qua ratione is, qui non in iusta sui defensione, sed contra iustitiam alterius famæ, honoriue nocuit. Duo autem sunt nocentium genera, quorum quidam dicendo, alij audiendo lædunt, rursus inter audientes, alij sunt, qui potestatem habent in noxios; alij priuati, de quibus omnibus, haec quae iam dicentur sunt certa, vt constat ex S. Thoma 2. 2. q. 73. art: 2. & 4. in corpore. Et primò de loquente noxiè, clarum est, eum peccare, debereque compensare nocumentum: audientium autem si quis priuatus sit, & obloquentes, maledicentes, irridentes, ac contumeliosos possit, sine suo notabili incōmodo impedire, neque tamen faciat: peccat non quidem contra Iustitiam; quia neque dictis suis nocet alteri, quemadmodum loquens; neque enim Iustitiae aliquo debito, ratione muneris, vel stipendij obligatus, ad prohibendum aliorum damnum, sed contra Charitatem, vt patet ex dictis hac parte cap: 5. num: 7. & 8. Quisque enim alteri debet id, quod sibi in simili casu, vellet praestari: sicut ergo ipse suam famam, & honorem, ab alijs defensum cuperet esse, ita & ab eo cupit defendi suum. Vt plurimùm quidem defensionis ista omissio, leuis est culpa, si fiat ex timore, vel verecundia, aut negligentia quàpiam; potest tamen esse mortalis, si cùm commodè, & sine vlla difficultate possit, nec tamen defenditur, grauis infamia, aut opprobrium; aut irrisio proximi.

36. Secundò certùm est, omnem, qui audit detrahentem, maledicentem, irridentē, vel contumeliosum consentiēdo illi, & complacendo in dictis, praesertim ex odio, aut malo affectu in proximum, peccare perinde atque peccat is, qui re ipsa detrahit, maledicit, irridet, aut contumelia afficit: nam colentit, aliorum culpae, adeoque, ita consentire, est graue peccatum, vt S. Thomas loco, proximè citato, art 4. in corpore dubitet quis magis peccet, loquensne an audiens? & ad hoc propositum citat S. Bernardum ita de hac re loquentem: *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.*

37. Propterea ab omnibus, qui tales audiunt, salutare illud consilium Ecclesiastici 28. acceptandum esset; *Sepi aures tuas spinis, linguam nequā noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras.* Spinae pungent os illius, qui aliquid

aliquid lædens proximum, aures audientis voluerit insinuare; pungit certè, qui ingenuè fatetur, se nolle malè audire, quæ non bene dicuntur: pungit qui arguit abusum linguæ pestiferum, pungit qui tristi vultu, rugata fronte, abitu, aut alio quopiam signo, ostendit displicere perperam prolata: haec enim, & similia aptè adhibita, aut corrigunt delinquentem; aut saltem, ne vlteriùs procedat, detinent, teste Salomone Prouerbiorum 25. *Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem*. Quod si quis ita pungere nolit, ob respectus supra num: 35. allatos; saltem claudat ostium oris, serámque applicet, ne vlulet cum lupis, & nocenti associetur.

Illud enim tertiò de audiente certò tenendum, quòd, si vel causa fuerit nocumenti famæ, honorisue; vel nocentem iuuerit; perinde contra iustitiam peccet atque is, qui dicendo peccat. Postremò qui audiunt mala loquentes, suæ potestati subiectos, peccant quoque contra iustitiam, si non obuient, & impediant sermonem: tales quippe ipso suo munere, quod gerunt, sunt obligati ad prohibenda mala. 38.

Iam quod attinet ad restitutionem famae, & honoris; eam omnis facere debet, qui quacunque ratione nocuit, siue solus, siue cum alijs, siue principaliter, siue secundariò iuxta dicta de Restitutione in communi cap: 5. a num: 3. Ratio huius doctrinæ est; quia ita fieri debet compensatio bonorum famæ, honorisue, vt sunt ablata; quare eo vnusquisque in conscientia, & coram Deo debito, est obligatus reddere ablatū, quod coram eodem, & in conscientia incurrit sua culpa, quam consecutum sit nocumentum; igitur pro culpæ qualitate, ac proportione, debet quoque esse qualitas, & proportio debiti: vt si culpa fuerit mortalis, eò quod nocumentum sit graue, sub mortali sit obligatio; si venialis, & damnū leue (aut etiam graue iuxta dicta cap: 5. num: 4. hac parte) sub veniali. Neque id tantum tenendum est de ipsa honoris, & famæ compensatione, sed, & de eorum, quæ inde consequuntur: qui verbi causa, infamando nocuit alicui in officio consequendo, aut retinendo, debet, & famam reddere, & restituere tantùm, quantùm in illo munere nocuit iuxta doctrinā hac parte 2. cap. 5. a num: 14. datam. Hæc autem ita intelligenda sunt, vt teneatur qui nocuit, compensare, si videlicet, permaneat nocumentum; si enim infamatus aliqua via, conciliauit sibi famam ablatam; infamator liber erit a restitutione: pari ratione, si læsus donauit lædenti, non tenebitur iam obligatione, is, qui læsit. Nisi fortè is, qui donauit non potuerit id facere, citra præiudicium tertij, vt si sit communitas tota propter vnum infamata; non poterit ille vnus condonare, nisi etiam cōmunitas consentiat, eò quòd 39.

tunc læsio, afficiat totum, quemadmodum infirmitate totali, afficitur totum corpus; sicut ergo non sanatur corpus, sanitate vnius membri duntaxat; ita nec infamia, aut dedecus totius communitatis, compensatur condonatione vnius personæ.

40. Vnum hic vltimò explicandum restat, quisnam labor, & difficultas subeunda sit ex obligatione, vt læso fiat integrè satis. In qua re cõmunis est sensus Doctorum, quos citat Lessius lib: 7. de iustitia, cap: 11. dubitatione 18. & 19. illum, qui falsa dicendo nocuit famæ, aut honori alterius, debere plura adhibere, in restituendo, eo quod abstulit, quàm qui vera dicendo nocuit. Ratio huius discriminis est, quia etsi vterque obfuit; tamen alter ad nocumentum adiecit culpam mendacij, quo maiorem intulit proximo iniuriam: itaque nocumentum restitutione compensare debet, mendacium autem labore in facienda restitutione. Quare si aliter nequeat fieri restitutio, nisi is, qui alteri detraxit, se ipsum infamet, fatendo suum mendacium, aut animi leuitatem, in credendo mala de alijs, aut facilitatem ad obloquendum, & ad calumniandũ; tenebitur id facere: item si opus fuerit iuramento, aut etiam testibus, id totum praestandum; præsertim cùm agitur de magno famæ, honorisue nocumento personae alicuius insignis auctoritatis. Pari ratione, si ex infamia, aut dedecore alicuius sequatur ingens detrimentũ bonorũ, vitæ, aut Reipublicæ; tenebitur ad restituendum famam, aut honorem is, qui laesit, cum compensatione dictorum bonorum, hoc est cum detrimento suorum bonorum, aut etiam ipsius vitae. In quo euentu, non compensatur famae bonum, quod est inferioris ordinis, per bonum superius, qualis est vita; neque bonum superius, nimirum fama, bono inferiore nempe fortunis; quidquid sit, quod & hoc liceat, quando ita in aliquo casu fuerit necessarium (vel quia ita, conuenit inter laedentem & laesum; vel quia, fama, aut dedecus alicuius personae magnae auctoritatis, v.c. Regis, Pontificis, nequeat alter integrè compensari) non, inquam, ex hoc capite compensandam dixi famam, aut honorem, iacturâ bonorum, aut vitae; sed quia nocens non tantùm famæ, vel honori, verum etiã alijs bonis nocuit, propterea omnia hæc vt potest cõpensare debet.

41. Iam si non falsa dicendo, attulit quis nocumentum, restitutionem facere debet, non cum tanto suo incommodo; sed vel dicendo se errasse, deceptumuè esse; verè enim errat, & decipitur a Diabolo, qui alijs obest, neque in hoc mentitur, vel ex aliqua inconsideratione, & ira praecipiti se locutum: vel certè laudet eum, cui nocuit, quoties dabitur occasio, aut simile quid faciat, quod sit aptum ad faciendam debitam cõpensationem. Quod si omnibus verè, & sincerè tentatis nequeat restitutio in-

tutio integrè cōpleri, ad nihil iam is, qui læsit obligatur ampliùs, cùm ea fecerit quæ potuit; nullus autē plura debet, quàm quae potest. Ad finem huius de fama, & honore, materiae, libet afferre verba humilis, & magni Francisci, vt constet quanti sit vtriusque iniuria facienda, quam ille rigidè etiam a Religiosis compensari voluerit: de hoc ergo S. Bonauentura, 4. partè opusculorum in legendis S. Francisci cap: 8. ita scribit. *Audiens quēdā fratrem, denigrare famam alterius, conuersus ad vicarium suum dixit: surge surge, discute diligenter, & si accusatum fratrem innocentem repereris, accusantem dura correctione redde notabilem.* Nonnunquam eum qui fratrem suum famae gloria spoliaret iudicabat habitu spoliandum; nec ad Dominum oculos posse leuare, nisi prius quod abstulerat, reddere pro posse curaret. *Tanto maior est*, aiebat, *detractorum impietas, quàm latronum: quantò lex Christi, qua in obseruantia pietatis impletur, magis animarum, quàm corporum nos adstringit optare salutem.*

CAPVT VIII.

Quonam modo læditur Iustitia commutatiua in corporali, & spirituali aliorum vita.

IN corporali vita proximi, duo præ oculis habenda, ipsa scilicet vita, seu praesentia animae in corpore, & ea quae ad conseruandam illam conducunt; cuiusmodi sunt membra corporis, & bona illius dispositio: vita iniustè tollitur per caedem, membra per mutilationem, bona dispositio per alterationem corporis, qualis est verberatio, fames, detentio in loco carceris, & quid simile. 1.

Et quanquam incarceratio, libertatem tollat, alligando vni loco; tamen simul malè afficit corpus, tristitiam excitat, quae vt est Prouerbiorum 17. exsiccat ossa; praeterquam quòd carcer, vt plurimùm putore, & aere clauso, malè afficit corpus.

His de corporali vita praemissis, vt deinde constet, quando in illam contra iustitiam peccetur, id quoque hîc ponendum, quod apud omnes certum est; solum Deum esse absolutissimum dominum vitae, & necis, quemadmodum de se ipse testatur Deut: 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Meritò id quidem, vt fatetur S. Paulus ad Romanos 9. ita scribens: *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?* quo significat Deum, qui finxit hominis corpus, & vitam (quia ita illi placuit) posse id ipsum in nihilum redigere si ita placuerit; neque praeualet figmentum huic placito resistere, quia est totale Dei mancipium ni- 2.

hil suum habens. nisi quod ab ipso datum fuerit, & tam diu datum retinendum, quàm diu voluerit dator. Quia vero hic talis Dominus ordinatissime dominatur in totam hominum communitatem, in qua inferiores superiori subijcit potestati, ordinando singulos ad communitatẽ tanquam partes ad totum: hinc est, vt ij, qui loco Dei gaudent ab ipso accepta potestate, alijsque praesunt, habeant ab illo ius, non quidem dominij in vitam corporalem, verùm talis curae ac prouidentiae, qualem exigit singulorum, & totius bonum: & cùm totùm semper sit maius sua parte; si bonum totius nequit conseruari, quin pars detrimentũ patiatur, toti potiùs, quàm parti consulendum. Ex quibus facilè iam iudicare possumus quid sit in hac quidem iustitiae materia, de vita hominum corporali statuendum.

3. Primò enim licet ijs, qui praesunt, afficere subditorum corpora aliqua molestia male disponente, vel in pœnam delicti, vel ad maius bonum eorum, qui subsunt; neque in hoc fit vlla iniustitia perferenti; quemadmodum docet S. Thom: 2. 2. q. 65. art: 2. & 3. Ita parentes filios, domini seruos, magistri discipulos puniunt, iudices quoque reos; quia omnibus his potestas a natura, vel ab hominibus concessa, dat licentiam, vt pro munere suo vitia castigent, mala prohibeant, promoueant honestatem, siue ad bonum communitatis, siue ad vtilitatem singulorum. In hac tamen re adhibenda est prudens moderatio, ne vltrà, quàm par sit corpora malè tractentur; & hinc inferendum est, nemini, qui caret praedicta potestate, licere alios hoc modo corrigere, peccareque contra iustitiã, & grauiter quidẽ, si correctio fuerit grauior.

Sectio I.

Vnde est quod quisque se ipsum, siue corpus suum possit asperiùs tractare.

4. Quoniam verò vnusquisque habet dominium in liberas suas operationes tenetur que prouidere bono animæ, corpus ad illud tanquam inferiorem partem debitè ordinando; nullum est dubium, posse hanc ipsam partem castigari; siue in vindictam peccatorum, siue ob bonum virtutis; vt faciunt omnes pij, ieiunijs, cilicijs, & alijs corporis asperitatibus sese affligentes. Nam cùm haec talis afflictio modicè, & sensum tantùm, non vitam, aut membra afficiat, vt facit caedes, aut mutilatio; quemadmodum licitum est vti inedia, aut alia corporis molestia, ob bonum illius, nempe ob valetudinem: ita etiam licebit, similem adhi-

lem adhibere corporis afflictionem ob bonũ animae, virtutem, scilicet, & honestatem. Accedit huc, quòd istum mortificandi se vtilem vsum, passim probet sacra scriptura; imò tanquam necessariũ ad salutem medium imponat omnibus: ita enim apud S. Paulum legimus ad Romanos 8. *Si secundùm carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis.* Et ne quis putaret satis esse mortificationis, non consentire carni, neque opus esse illam castigare: ipse de se 1. ad Corinth: 9. scribit; *Ego sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Non legunt ista, vel certè non legentes legunt, neque audientes audiunt, quicunque in reprobo se statu poni ob carnis petulantiã benè norunt, neque illam, vt in se faciebat Apostolus, castigant: cùm tamen in ijs, qui aliter se cohibere a peccando nequeunt, ita sit mortificatio corporis ad salutem necessaria, vt medicina, vel alia remedia ad tuendam vitã mortalẽ; quae nisi adiuta, consistere non posset. Et necessitas quidẽ par vtrobique est, hinc remediorũ, pro corporis sanitate; inde mortificationis pro bono animae; quãdo neque sine hac danda salus, neque sine illis, vita suruãda. Sicut tamen salus infinitis praecedit corporalem vitam interuallis; ita sine vlla comparatione, maior debet esse cura castigandae carnis, vt saluemur, quã vtendi medicinis, vt breui viuamus.

Quod si ij, qui id quidem agnoscunt, non tamen agunt, in reproborũ se locant numero, testimonio S. Pauli supra citato ad Corinth: 9. quid dicendum de hæreticis, cuiusmodi sunt nostro saeculo, Lutherani, Caluinistæ, & alij, qui voluntarias corporis castigationes rident, tanquam minimè ad virtutem, & salutem necessarias; ratissatis esse, quod Filius Dei pro nobis illas tulerit. Qua in re, vt & in caeteris, occludunt sibi pertinaciã oculos, vt caecutiant, non distinguentes, aliud esse Christum passum fuisse, vt nobis peccata, & gehenna condonaretur, vitáque donaretur æterna; id quod nos afflictione corporis non agimus, nec possumus (neque enim illã, aut peccata abolemus; aut inferni euadimus pœnas; aut cœlum absque meritis Christi consequimur) aliud idoneos effici, ad omnia haec tria adipiscenda & ad applicanda nobis merita Saluatoris. Illud priùs Saluatori tribuendum soli, agendaéque ipsi in æternùm gratiæ, quod fecerit, quod a nullo potuit sperari; hoc posteriùs nobis agendum incumbit, vt ieiunijs, vigilijs, cæteráque corporis a Sacra Scriptura laudata asperitate, ad rectè paenitendum ad satisfaciendum pro culpis, & ad confirmandos nos, roborandósque in arepta vitae meliore fruge, euadamus, aut apti, aut in dies aptiores. Hoc est, quod idem S. Paulus ad Colos: 1. in se alijs sectandum reliquit, dum ait.

Gaudeo

Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia, cuius ego factus sum minister. Non adimplebat certè S. Paulus redemptionis opus; nihil enim illi defuit, ad promerenda supra enumerata tria immensa dona; sed illud bene implebat passionibus carnis suae, vt per eas se dignũ efficeret ministrũ saluandorum, adiungendo, precibus pro ijs fusis, dolores corporis, quibus, & ipse magis idoneus redderetur in vinea Christi operarius; & ij, pro quibus id totum faciebat, disponerent se ad fructũ diuinae gratiae.

Hoc defuit passionibus Christi, qui nemini vult concedere ea, quae meruit, nisi se, vt quisque potest, sua cooperatione, ad percipiendum aptet: quanquam, & hoc ipsum, quòd se aptat, diuinae est gratiae, ex meritis Christi, vt tenet Catholica Ecclesia. Itaque passiones, & castigationes corporis sponte susceptae sunt adminicula quaedam, quæ qui non adhibet, (& tamen ijs ad virtutem, atque ad cauenda peccata omnino eget) idem facit, quod ille, qui eget calore; neque tamen accedit ad ignem, aut non applicat sibi illa, quae calefaciunt. Saluator noster est *Deus, ignis consumens*, teste Paulo ad Hæbreos 12. ad hunc ergo ignem omnibus, quibus quis *potest* viribus eundum. *Accedite iubet* Psaltes Psalmo 23. & *illuminamini, & facies vestra non confundentur.*

Sectio II.

Mutilatio, aut cædes alterius quando licita.

6. POst hanc de qua dixi iustitiam in corpus proximi, sequitur alia maior: secundò ergo, mutilare corpus nemini licet praeter illum solum, cui incumbit tuendi cura totius; nam cùm totum, sit maius sua parte, sequitur vt is, qui totum, & partem suae protectioni cõmissam habet, possit auferre partem, vt totum maneat. Et quoniam communitas est quoddam totum politicum, ad hanc enim singuli in ea tanquam partes ordinantur; necesse est, vt ij, qui praesunt cõmunitati, possint, & debeant bonum illius praeponere bono partis; iudices igitur licitè puniunt mutilatione membrorũ petulcorũ in Rẽpublicam. Simili de causa cuique licet permittere, vt sibi secetur membrum, casu quo nisi id fiat, totum corpus, & vita est in periculo. Id quod docent Theologi cum S. Thom: 2. 2. q. 65. art: 1. in corpore: Estque adeo verum, vt teneant non pauci cum Lessio lib: 2. de iustitia, cap: 9. dubit: 14. Licere non tantùm permittere; vt sibi membrum præscindatur, sed etiam sibi illud amputare, quando aliter vita nequit conseruari. Nemo tamẽ

obligatur

obligatur ad sectionem eiusmodi, siue permittendam, siue exequendã in se, praesertim si sit acerbior; cùm vita mortalis non sit tanti, vt grauia tormenta debeant pro retinenda illa subiri. Nisi fortè illa communitati sit valde necessaria; pro hac enim sicut vitam ipsam debent, qui in ea sunt, exponere vt sequenti num: dicetur, ita & membrorum, quod minus est vita; neque spontè tantùm ad id consentiendo; sed etiam, cùm ei imponitur ab illo, qui ob bonum communitatis id potest iniungere. Hoc quod dictum est, de tuenda communitate, & vita, per membri sectionem, non debet ad alia trahi; vt licita putetur ob alios etiam fines sui mutilatio. Quare censet S. Thomas loco citato, & cum eo omnes Doctores, graue esse peccatum se ipsum mutilare, ob bonum virtutis ad vitandas, exempli causa, tentationes, vel ad exercendam magnam patientiam, aut quid simile. Nam cum virtus in anima sit non in corpore, animae potentijs adhibito crebro vsu, & exercitatione interna acquirenda est, non corporis tanta læsione. Debent quidem membra cooperari animo; non tamen cum tam immani suipsius tyrannide, id quod nunquam a Deo, aut iussum, aut permissum legimus. Accidit huc quòd cùm fomes omnium tentationũ in appetitu resideat; est enim vt docet S. Thomas 1.2.q. 82. art. 3. in corpore inordinata, & rebellis concupiscentia; quemadmodum, si amputetur membrum, non extinguitur fomes, ita nec cessant tentationes: male ergo, ad eas vitandas tam crudele sumitur remedium.

Postremo quod de mutilatione dictum est, idem asserendum, & a potiori quidẽ, de homicidio; nulli videlicet licere cædere aliũ, nisi ijs, qui praesunt cõmunitati, cuius bonũ tanquam totius praeferendum est semper bono partis, siue singulorum vitae. Cùm verò vita cuiusque hominis in se spectata, neque ad cõmunitatem relata, sit quoddã totum, & aliud non reperiatur cuius comparatione pars dici queat, clarum est, non posse hominem sibi auferre eam, sicut diximus num: praecedenti, posse se mutilare ob vitam corporis, tanquam ob bonum totius. Graue ergo est peccatum se ipsum interimere, & grauius alterius cæde, eò quod sui interfector agat contra charitatẽ sibi debitam, quae post Dei amorem prima est, & norma in proximum charitatis; debemus enim proximos diligere, sicut nos. Augetur eadem culpa, quod is, qui se, (& idẽ dicendum de alterius nece ex priuata potestate) interimit, Deo iniuriam faciat, qui solus est dominus vitae humanae, supremo Creatoris iure. 7.

Sceleris nefandi in se, homicidij, vt scilicet plurimum illi obnoxij esse solent, qui ob atræ bilis copiam melancholici, laborant apprehensionibus, tanto cor dolore afficientibus, vt tolerabilior putetur mors violenta, 8.

olenta, quàm diuturnior vita: tales ne succumbant tentationi, abstinere debent a tristibus phantasijs, eósque adhibere sodales, qui illas dextrè, ac iucundè nouerint discutere. Sunt quoque periculosi nimiùm, & sæpe numero impure amantes; qui si amittant, vel non consequantur id quod sic dilexerunt, dolori vehementi cæde sui medentur; hoc stultiores, quòd æstiment mortem daturam id, quod quaeritur; cùm potiùs praesumere deberent, & illud se, non inuenturos hac via, & se in æternùm perdituros in gehenna. Nam si excessus amoris (quod & de melancholia dicendum) tollat vsum rationis; occidere se, semper est facinus enorme, æternâque damnandum pœnâ: a qua vt amatores sint immunes; aut nō ita nimiè ament, aut discant aliorum amori, anteponere dilectionē sui, caueant etiam ne eum tanto sceleri habeant fauentem, qui horrenda blasphemia, ipsi quoque Filio Dei præcipitium suasit, Lucæ 4.

Plus ille in homines audet, & in eos quidem plurimùm, qui se illi deuouent, aut factis, vt sagæ venefici, magi, aut dictis, ij videlicet, qui aduersitate turbati a Diabolo se rapi expetunt: aderit vocatus, atque vt crebris exemplis compertum est, suggeret modū perficiendi nefandam, & nunquam non pœnitendam sui tyrannidem.

9. Excipiunt tamen Theologi, iuxta dogma Ecclesiae Catholicae, vnum casum, in quo licita est sui interfectio (aut etiam alterius) a priuato, cū videlicet id Deus, vt Dominus vitæ mandat cuipiam. Ita narratur fecisse numerorū 25. Phinees, qui zelo diuini honoris motus, vnum è filijs Israel cum scorto interemit. sanctè id creditum egisse, neque vt iudex, cùm is post crimen productum, & conuictum punire soleat; non in ipso actu ante probationem: instinctu ergo, & zelo sancto, vt priuatus id fecit, quem Deus ita ibidē laudat: *Phinees filius sacerdotis, auertit iram meam a filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Irael in zelo meo.* Simili de causa colit Ecclesia quosdam tanquā martyres, qui instinctu Dei sibi vitam abstulerunt: horum de numero est sancta Apollonia, & alij. Quia verò is instinctus a Deo, modo nobis incognito, immitti solet; qui immittit, idem docet, quando sit, vt a se instillante, acceptandus; neque plura de hoc dici debent, quàm quòd Deo, vt Domino vitae parendum sit, etiam in sui nece.

Sectio III.

Quando licet priuato, alium mutilare, aut interimere.

SVnt quoque aliquot euentus, in quibus licebit priuata potestate alium interficere aut etiam, quod minus est, mutilare. Vt docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 64. art: 6. 7. & 8. Horum euentuum præter iam allatum num: præcedenti, vnus est defensio propriè vitae, & membrorũ; Id quod clarè constat ex cap: 20. Exod: vbi sic legimus. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur, qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius constituã tibi locum, in quẽ fugere debes*. Hoc testimonio diuino, ille qui occidit proximum, alia ex causa, quàm voluntate committendæ cædis, qualis causa est sui defensio; non debet haberi pro homicida; & meritò sanè; cùm enim quisque ordinata Charitate se debeat amare priùs quàm proximum, si non potest suam, & alterius vitam simul conseruare; licitum est ei propriam anteponere vitae proximi, adhibereque (quando aliter adscito moderamine inculpatae tutelæ fieri non potest) tanquam medium ad se conseruandum, defensionem sui quantumuis hæc sit coniuncta cnm proximi nece. Debet tamen defensioni adiungi moderamen inculpatæ tutelæ, hoc est, defensio talis vsurpanda, in qua non posset conseuari vita propria, aut vitari plaga vulneris, nisi alter vulnus accipiat; vel si hoc non sufficit, etiam mori cogendus sit. 10.

Quoniam verò ad vitam conducunt quoque bona fortunæ, opes nimirum, honor, & fama, sine quibus bonis non viuitur; licebit etiam defendendo ista, alterum mutilare, aut interimere, quando aliter illa retineri nequeunt, Cùm, vt dixi, sint media ad vitam hanc mortalem, in suo statu retinendam, & quod ad opes atttinet, clarè Deus Exodi 22. permittit propter tuendas illas homicidium vbi ita loquitur: *Si effringens fur domum, siue suffodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit; percussor non erit reus sanguinis: quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur*. In qua diuina permissione, simul additur circumstantia liciti in defensione suorum homicidij; si enim nocte effringendo fur furetur, praesumitur velle inferre domino manus violentas; siquidem tanta vi inuadit domum eius, & vt plurimùm non solet esse spes recuperandi id, quod in tenebris aufertur, secus in luce; facilè enim deprehenditur fur, & capitur, neque præsumitur illam vim velle inferre, sed accipere duntaxat furtum. Hinc aut de alijs quoque fortunæ bonis 11.

facilis est coniectura, cum enim voluntate Dei liceat occidere furē res auferentē, licebit etiam occidere nocentem famæ, & honori; cùm præsertim hæc duo maiora sint, plurisque facienda, quàm opes, & facultates. Maxima tamen in hac defēsione famæ, honorisue, adhibenda est prudentia, ne sit vindicta potiùs, quàm defensio; & cùm verba verbis, vt plurimùm compensentur, rarissimus videtur casus, in quo non sufficiant ad defensionem; vno tanquam certo excepto, quando nimirū fæminae, vel adolescenti vi aufertur ab inuasore pudicitia; tum enim ægrè fieri potest; vt verba sola, efficaciter eam defendant, nisi accedat aliud, quo inuasio repellatur. Quanquā tū non tam verbis, quam violento facto pudor, honorque adimitur, tunc fas erit opponere facti quoque congruam defensionem. Hæc dicta de defensione sui, suorumque bonorum adeo vera sunt, vt sentiant Doctores, non solùm inuasorem illorum occidi posse, verumetiam innocentem, quando inuasor aliter vitari non potest, tum verò innocentis cædes non directa peragitur intentione, sed ex licita defensione secundario sequitur: ita facit ille, qui persequendo, hostem in bello, proterit equo, & interficit in via innocentem. Eadem dicta omnibus seruiunt, cuiuscunque generis hominibus, nam cuique, in quocunque statu, ac gradu concedit ius naturae se, suaque defendere. Id quod etiam homines Deo consecrati, vt Sacerdotes, & Religiosi citra peccatum possunt facere, vt rectè docet Lessius lib: 2. de iure & iustitia, vbi etiam ostendit spirituales viros non esse irregulares ob homicidium, in inculpata defensione sui, aut suorum admissum.

12. Hoc tamen annectendum est ad doctrinam iam datam, vt afferamus licitam quidem esse necem, aut mutilationem alterius in defensione sui aut suorum bonorum, sed non necessario exercendam; nam non obligamur ad tuendum nos & nostra, adhibendo medium tam durum, quale est mutilare, vel occidere proximum: omnino potest esse magnæ charitatis opus, præsertim in spiritualibus viris (qui mansuetudinē Christi debent præseferre) permittere se occidi, aut mutilare vt proximus viuat, quod tunc vel maximè faciendum, quando inuasor in malo statu occidendus esset. Aliud dicendum, si vita eius, qui inuaditur sit valde communitati vtilis, aut certè in periculo versetur damnationis, eò quòd non sit paratus ad sãctè decedendum è viuis; tunc enim potiùs inuasor interimendus, quàm vt se permittat ab eo interimi: & quod ille etiā sit inparatus ad bene moriendum, sibi suæque malitiae imputet, qua instigante, vltro se exponit cadacā, & æternæ morti.

13. Quæ probata sunt de nece proximi, ob defensionem vitae, vel bonorum, ac-

rum, acco modari debent defensioni bonorũ animae: licitũ enim, immò debitum erit, interimere inuadentem, si is, qui inuaditur, subeat periculum salutis animae occasione inuadentis. Atque hoc aduertant omnes diligenter, qui alios adoriuntur cum nocumento honestatis: nam quidquid sit de iure ciuili, in quo externa attenduntur duntaxat: iure certè diuino, & naturali, quilibet, qui inuaditur, sortitus est potestatem, vt defendendo se, alium mutilare, occidere, & si imparatus ille fuerit, etiã aeternae adijcere morti possit, ac debeat, Talis potestas significatur, verbis supra ex Exod: 21. allatis *Quia non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, constituã tibi locum in quem fugere debeas*; itaque Deus tradit inuadentem insonti ad necem, & occisorem in tuto reponit. Quòd si, vt non rarò fit, innocens se defendendo priuetur caduca vita; aeternam certè euadit mortem, quam incurrit inuasor, vt ostendit S. Augustinus Tom: 8. in Psal: 36. adducens illa verba. *Obseruabit peccator iustũ, & stridebit super eum dentibus suis: Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quod veniet dies eius. Acerbus*, inquit Augustinus, *videtur, cum minatur iusto, nesciens horam sui crastinam; tu non prospicis diem, sed Deus prospicit:* & paulo inferiùs: *Quale est saeuire gladio, nec posse occidere, nisi corpus inimici, & posse occidere animam suam. Desipiunt, insaniunt, tanquam si vellet aliquis per corpus suum ferrum traijcere, vt concideret vestem alterius; attendis peruenisti, & non attendis, qua traiecisti. Bene Psalmus de talibus, Gladiũ euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum, vt deijciant pauperem, & inopem, vt trucident rectos corde, gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Adducit, haec verba Augustinus; quó constet Deum inopi & pauperi socium se iungere, & ita iungere, vt peccatorũ, ipso illorũ gladio transfigat corda; & quidquid aliquando, in inopes & pauperes permiserit, semper illos victores manere.

Sed ad alios euentus pergamus; in quibus licet occidere, aut mutilare proximum. Secundus ergo est, defensio proximi, aut bonorum eius. 14. Nam cùm quisque bene alteri velle, perinde ac sibi teneatur; sicut se, suaque cupit defendi, ita & ipse alios tueri debet. Et siquidem conductus sit mercede ad defendendum, obligatur id ex iustitia praestare, etiã cum periculo suo, quo pacto milites debent defendere Rempublicam, aut custodes corporis priuatum, a quo ad id conducuntur. Quod si absit conductio, ex charitate obligatio erit defendendi proximum, quando, id fieri potest sine graui incommodo defendentis; sine incommodo, inquam, nemo enim debet prodesse alteri ita, vt sibi obsit: quanquam si sibi in caducis bonis, seu etiam vita pro amore proximi nocere quis voluerit, id non obligationis, sed eximiae erit charitatis.

15. Tertius euẽtus, in quo cædes, vel mutilatio proximi fit citra peccatũ, est fortuitus casus: Hic tamen, vt ab omni excuset culpa, debet habere adiũctã prudẽtẽ cautelã ne opus ex quo sequitur tantum nocumentum proximi sit naturâ suâ causa illius: si enim quis iaciat sagittãm, aut exoneret sclopũ in plateas hominibus frequentes, lædatque transeuntẽ, reus erit noxae, eò quòd huiusmodi actio, in tali loco, & tempore, sit de se causa alterius damni.

Sectio IV.

Qualis restitutio damnorum, quæ inferuntur corpori proximi facienda sit.

16. CVm læsio corporis alieni duplici ratione noceat proximo, primò priuando ipsum vita, aut membro, aut vsu sensûs, rationisue, aut recta valetudinis habitudine; deinde priuando commodis, quæ quisque viuus, & benè sanus potest parare sibi, suisque, quos tenetur sustentare; parentes enim filios, filij parentes alere debent, coniuges etiam se mutuò iuuare, dinique hi omnes alijs succurrere, qui aliquo iusto contractu, ad prouidendum ijs sunt obligati: cùm, inquam, hæc certa sint, compensatio debet esse non solùm nocumentorum corpori illatorum; sed etiam damnorum inde consequentium. Quare primò compensanda est iactura vitæ, membrorum, & sanitatis, id quod omnes docent cum S. Thoma: 2. 2. q. 62. art: 2. ad 1. quidquid sit, quòd ciuilia alicubi iura negent posse compensari corporis læsionem in libero homine, eò quòd libertas nequeat æquiualenter resarciri; sed in conscientia aliud tenendũ. Etsi enim vita, & sanitas, nequeat sufficienter cõpensari, cũ, quidquid fuerit a nocente datũ, aut factũ, eo læsus, neque viuere neque sanus esse possit; tamen vt in alijs aliorũ bonorũ fortunae restitutionibus, cùm non possit reddi æquiualens, datur id, quod potest dari; ita & in hoc corporis, vitæque humanæ bono. Et Deus quidẽ, qui est Dominus vitae, non eget sibi danda compensatione, siquidẽ illi nihil perit, in quo, vt testatur S. Paulus ad Roman: 11. semper sunt omnia: ijs ergo restitutio facienda, quibus illa vtilis esse potest, nimirũ ipsi læso, si superuiuat; tum ijs, quibus vita, & sanitas læsi cõmoda erat; vt sunt propinqui, Respublica, & similes. Quanquã potest dici Deo & cõmunitati fieri cõpensationẽ pœnâ talionis, quã in veteri lege statutã legimus Exod: 21. vbi ita Deus decreuit *Qui percusserit hominẽ volens occidere, moriatur, oculũ pro oculo, dentẽ pro dente,* hac tali pœna, & Reipublicæ fit satis, cuius membrum laeditur, & supremo Rectori, ac Capiti Deo, alijs alijs au-

alijs autem qui proximè concernunt laesum, restitutio fieri debet pecuniâ, deprecatione, & similibus, pro vt conuentum, aut legibus vspiam cautum fuerit.

Præter hanc primam, & principalẽ restitutionẽ sequuntur aliae duæ prima in læsi (si superuiuat) cura, vt sanetur; cui eidẽ resarcienda erũt damna, quae subijt, & lucra, quae omisit. Secunda, facienda est restitutio enumeratis praecedenti numero, quos læsus alere debuit. Haec omnia sunt exequenda sub graui culpa, quoties læsio fuerit grauis; qua in re adhibendum est semper arbitrium prudentis viri, aut standũ iusto iudicis decreto, quanta nimirum, & qua ratione sit compensatio facienda. Neque verò ab illis solùm restituendum est, qui vim intulerunt, occidendo, mutilando, percutiendo, sed etiam alijs, qui fraude, vel negligentia ad nocendum vsi sunt; quo pacto restitutioni subiacent medici, qui studio, vel ignorantia artis, male ægrotos curant, periculisque exponunt: tales etiam sunt causarum ciuilium aduocati, qui etiam studiò, vel ex ignorantia ita defendunt, vt insons, detrimentum corporis patiatur: his adiungendi ij, qui conducuntur ad tuendos alios, vt milites, famulique, si non faciunt, quod deberent. 17.

Sectio V.

An & quomodo delinquatur in bonis animæ contra iustitiam commutatiuam.

Bona animæ duplicia esse possunt, quædam, quae illi insunt beneficio corporis, vt est ingenium, memoria, doctrina, eloquentia & similia naturæ, & exercitationis decora, quae neque acquiri, neque retineri possunt; nisi corpus simul adsit, & collaboret: ingenium enim, verbi causa, non est solius tantùm intellectûs sagacitas, sed phantasiæ etiam corporeæ congrua aptitudo, ad cooperandum intellectui. 18.

De his animae bonis iam hoc capite egimus: nã cùm sint adeo corpori coniuncta, vt ab illius siue vita, siue bona qualitate, ac dispositione omnino pendeat, quidquid dictum est de nocumento corporis proximi, idem intelligendum de damnis taliũ bonorum. Quare medicus, verbi causa, aut iuris consultus, qui ex vulnere, memoria, aut eloquentia priuatus est, qua sibi, alijsque multùm profuit, potest exigere, non solùm vulneris, sed etiam horum bonorum, damnorumque inde consequentium compensationem.

Alia animi bona sunt, ad quorũ possessionem concurrit quidem cor- 19.
pus, quam

pus quamdiu anima vtitur illo ad huc mortali; non tamen ita, vt nequeant ea retineri a sola anima, imò quaedam ex ipsis in sola illâ resident. Duplex verò eiusmodi bonorum reperitur genus; vnum increatum, nempe Deus, alterum, quod ad ipsum aptat, & est virtus: vtrumque horum potest retinere anima etiam separata a corpore: & Deum quidem sola illa comprehendit, sicut & virtutes, praesertim, infusas; moralium verò quasdam cõmunicat corpori, vt diximus hoc libro parte priore, cap: 11. a num: 12. ad 19.

20. De his ergo talibus bonis hîc est sermo, num, & quomodo auferri queant, contra iustitiam commutatiuam? Qua in re certum videtur ipsa in se spectata, non posse vlli contra iustitiam tolli; cùm enim homo nõ habeat in Deum, aut virtutem ius dominij; sed in Deum quidem ferri debeat iure pietatis, & amoris, quo eum super omnia prosequatur: virtutem etiam colere, ac obseruare teneatur: sequi necesse est, vt duplicia hoec bona nequeant contra iustitiam auferri. Praeterquam quòd omnes qui ista bona perdunt, non inuiti id faciunt; sponte enim consentiunt in peccatum, quo & virtutem deserunt, & Deum a se alienant, in quos ita inuehitur Isaias cap: 1. væ genti peccatrici, populo graui iniquitatate semini nequam, filijs sceleratis; dereliquerunt Dominum, &c., Væ, minatur Propheta, tum desertoribus honestatis, tum contemptoribus Dei; neque assignatur vlla excusatio, quòd coacti, & nolentes,

21. aut virtutẽ deserant, aut contemnant Deũ. Haec itaque animae bona, si in se sumantur, nequeunt ab inuito tolli: id quod egregiè ostendit S. Aug: Tom: 9. lib: de ouibus c. 16. vbi ex vna parte ponit bona animae, Deum, & virtutem, ex alia bono caduca fortunae, scilicet, & corporis; vtraque hac differentia possidentur vt de prioribus tantùm quisque habeat, quantùm velit, neque vsurpando multùm, alteri inuito aliquid auferre possit; de secundis, non tantùm habeant, quantùm vult; sed quantùm potest, aut sine iniuria, aut cum iniuria alterius.

Libertas a nullo potest cogi; quia est natura hominis, quæ nisi in nihilum redigatur, semper est similis sibi, & eadem, videlicet libera: potentia autẽ a potentiore superatur, & qui superat, cogit inuitũ. Sed Augustinum audiamus. *Super omnes*, inquit, *Deus est, tamen nescio quomodo non facile quisquam audet dicere, Deus meus; nisi qui in eum credit, & qui eum diligit, dicit Deus meus. Tuum fecisti tibi, cuius es; hoc amat ipse, securius dicis; quia tuus est, & non fecisti vt non sit alterius; non enim sic dicis, Deus meus, quomodo equus meus, equus tuus est, non alterius, Deus, & tuus est, & eius, qui sic dixerit Deus meus. Lux ista corporea de cælo fulget: tamen procedunt in ea, & deriguntur oculi omniũ, & omniũ oculi pariter eam possident, non eam diuidunt;*

nidũt: nullus in ea diues limitẽ fixit, nec prior praeoccupãdo, oculos pauperis exclusit, aut angustauit. Dicit pauper Deus meus dicat diues Deus meus, minus ille habet, plus hic habet sed argentũ, non Deũ, vt perueniret ad Deũ Zacheus diues, dedit dimidiũ patrimonij sui, vt perueniret Petrus, retia, & nauẽ dimisit; vt perueniret vidua, duo minuta dedit; vt perueniret pauperior, calicẽ aquae frigidae porrexit; vt perueniret penitus egenus, solam bonam voluntatem tribuit. Diuersa dederunt, sed ad vnum peruenerunt; quia non diuersa amauerunt: sic, & vos homines, nolite perturbari temporalibus diuersitatibus vestris. Quod alij in honore, alij sine honore, alij cum pecunia, alij praeter pecuniam; alij pulchri corpore, alij minùs pulchri, alij aetate fessi, alij iuuenes, alij pueri, alij viri, alij faeminae, Deus omnibus aequaliter adest: ille plus apud Deum habet loci, qui plus attulerit, non argenti, sed fidei, id est qui plus illum cognoscit, ita vt ardentiùs amet.

Haec S. Augustinus, ex quibus inprimis constat. Deum esse bonũ animae, virtutem quoque maximè illam omnium reginam, charitatem, scilicet, esse etiam bonum, & magnũ quidẽ, eò quòd, conferat ad summũ consequendũ, & possidendum bonum, Deum. Cõstat deinde vtrumque hoc bonum, non posse auferri iniusto, siquidem nemo coactus, sed sponte amat.

22. Quia tamẽ amor eget directione intelligentiae, in qua si fueri, error, amorem quoque errare necesse est, & contra suum naturalẽ, id est, spõtaneum operari impetum. Adhaec fieri potest, vt quis territus inducatur in prosequendum aliquid, quòd aliâs nollet, atque ita minùs sponte fertur (quidquid sit, quod si absolutè nollet, nullo modo cogi posset) hinc fit, vt libertas hominis iniuriam pati possit, a fraude decipientis, & a vi terrentis: & cum sit libertas, tantum naturae rationalis bonum, grauem committit iniustitiam, qui illam impedit, neque sinit in suo naturali cõsistere statu. Quare qui per fraudem, vel vim, inducitur ad peccatum, & eo admisso deserit Deum, ac virtutem, inuitus deserit; non quòd nolit deserere,) vltro enim peccat) sed quòd intelligentia, a fraude, voluntas a violentia, passa sit iniuriã: quo in euentu, inuitus priuatur tanto animae bono, non quidem in se spectato, sed vt concernit libertatem, in qua, qui deceptus, aut coactus peccat, patitur iniuriam.

23. Qui igitur fraude, vel vi inducit proximum in culpam, peccat inprimis contra charitatem proximi, si id agat directè eo fine, vt ille delinquat, Deoque ac honestate priuetur: deinde iustitiam quoque commutatiuam laedit, eò quòd vi: ac fraude vtatur. Ac quod in charitatem praeuaricetur, debet ex eadem conari reuocare proximum ad meliorem frugem, vt docetur in materia charitatis; id quod verum est licet sine vlla fraude, vel vi alium ad peccandum alliciat, atque siue directè, siue indirectè,

indirectè, solùm praebendo, suis malefactis scandalum, semper etiam obligamur ex charitate quosuis auocare a malo, multò magis eos, quos ipsi induximus; aut quibus fuimus occasio mali. Iam verò, qui contra iustitiam egerit, obligabitur ex eadem ad tollendũ fraudem & vim, & reponendum eum, qui sic deceptus, vel adactus est; in sua libertate, quamdiu is, qui inductus est ad peccandum perseuerat in malo, durante fraude, & violentia alterius. Quanta porro haec vtraque sit obligatio, & quàm arctè vrgens conscientiam, si nossent omnes, qui iã scandalis manefestis, iam callidis persuasionibus, & terrentibus mandatis sunt causa, autoresque peccatorum, proximi; cautiores profectò essent, neque tot, & tanta aliena mala in se deriuarent, cũ quisque habeat satis, quod agat cum porprijs. Non igitur essent tot publici concubinarij, homines palam impuri, sine pudore, ac timore Dei, hominumque tot seductores, ac deceptores debilis fæminei sexus, tot violenti corruptores virgineæ, vidualis, & coniugalis castitatis, tot inuasores impotentiorum, ac spoliatores; tam flagitiosi sicarij, & grassatores; postremò tantorum in se atque alios patratores criminum, quibus omnibus, quia potentes sunt, nemo obsistit; vel certè, quia fraudibus pollent, difficilè est resistere. Sed audiant quid sibi dicat ille, quem omnes timere, vel inuiti debent, nullusque valebit decipere intima scrutantem: *Quid gloriaris* inquit ille, *in malitia, qui potens es in iniquitate. Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum; dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quàm æquitatem.* Quid tandem expectent potentes iniquitate, & dolis? Propterea, subnectitur ibidem. *Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium* Psalm: 51.

24. Sunt hæc, quæ promittuntur tam certa, quàm horrenda, & tantò propiora, quantò minus praeuisa: atque si causam tam seuerae Dei indignationis indagemus, prompté occurret cuilibet prudenti; tantò siquidem vnusquisque ægrius fert bonorum priuationem, quantò illa fuerint maiora, plùs certè dolemus auferri nobis praeclaram famam, quã modicum substantiae, multò verò his magis, timemus nobis eripi vitã, eò quòd haec sit potior caeteris bonis. Iam cùm Deus sit omne, ac summum hominis bonum, & ad illud proximè accedat, honestas virtutis: quid mirũ, si ille ita seuerè decreuit punire eos, qui tali, ac tanto vtroque priuant hominem bono? & si vt est Deut: 19. anima pro anima, dens pro dente, manus pro manu, vita pro vita, debeat mandato diuino dari: quid tandẽ dabit pro Deo, & virtute, qui & illum, & hanc abstulerit? id sanè est, quod plenũ commiseratione diuiuinum cor, stupens super

pens super insania hominum, ita per Ieremiam cap. 2. queritur. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus; duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.* Et paulò inferius: *Scito & vide, quia malum, & amarũ est, reliquisse te Dominum tuum, & non esse timorem meum apud te.* Istis tam benignis, & amantibus verbis suadet homini summum esse ipsius bonum, si illud habet, & detrimentum, si caret se Deo; suadet etiam timorem sui, cæterasque virtutes esse hominis, secundùm se maximum bonum, vtpote per quod ad supremũ conscenditur: sceleratissimus igitur, & maximè noxius sit, oportet, qui tanti detrimenti fuerit autor.

Atque vt tam boni, quàm iacturæ illius magnitudinem clariùs, vtilíúsque percipiamus, & magis caueamus obesse in tanta re proximo; libet ex S. Augustino duo afferre, primum est, Deum, ad quem per virtutem ascenditur, esse illud, quod ab homine totis conatibus quærendum sit, & retinendum omni custodia, vbi fuerit acquisitũ; alterũ, sine eo, & virtute, remanere eidem homini nihil. Prius ita Tom: 9. Tractatu 27. in caput 5. Ioannis ostendit, docendo modum, quo quisque ad Deum conscendat: *Cogita,* inquit, *corpus mortale, & terrenum, est fragile, & corruptibile, abijce: sed fortè caro temporalis est, alia corpora cælestia cogita, maiora, meliora, splendida sunt, attende & ipsa voluũtur ab oriente ad occidentem, non stant, videtur oculis non solum ab homine: sed etiam a pecore, abijce & ipsa, vltra cælestia corpora, quo iturus sum, ipse considerator istorum omnium animus est; sine dubio melior. Celeritatem animi vide, cito tu potuisti cogitare, quod facturus est sol, ab oriente ad occidentẽ venturus est, iam ex alia parte cras oritur. Vbi hoc fecit cogitatio tua, adhuc ille tardus est, & tu omnia peragrasti. Magna ergo res est animus, sed transi & ipsũ, quia mutabilis est, modo nouit modò nõ nouit, modo vult, modo nõ vult; modo peccat, modo iustus est, Inuenisti mutabilitatem animi tui, transactis omnibus, nunquid mutabilis est Deus?* Probat Augustinus talem modũ quaerendi Deũ ex Psal: 41. scribens in illa verba: *Factæ sunt lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus; Hoc memoratus sum,* inquit, *& effudi supra me animam meam, id est transij etiam animam meam, & perueni ad Deum.* Ecce hic & totum hominis bonum, nullum enim maius, aut melius, & modus eius adipiscendi, a Sancto Doctore propositus, qui posterius illud, ita eodem Tom: 26.
9. lib: vno Soliloquiorũ, cap: 5. demonstrat; *Malum* inquit, *nihil est; quia sine verbo factum est, sine quo factũ est nihil:* Ioan: 1. *Illud autẽ malũ est, quod priuatur illo bono, per quod omnia facta sunt: At quæ non sunt, per ipsum facta non sunt, & ideo nihil sunt.*

Esse ergo sine verbo, malum est, quod esse non est, quia sine ipso nihil est. Sed quid est separari a verbo? audi: quid est verbum Ioannis 14. Ego sum via, veritas, & vita, separari ergo a verbo, est esse sine via, sine veritate, & sine vita, & ideo sine ipso nihil, & ideo malum, est deficere, & a factore transire in defectum, quia sine ipso est nihil. Quoties ergo a bono declinas, a verbo te separas; quia ipsum est bonum, & ideo nihil efficeris, quia sine verbo, factum est nihil.

Hac alta, & simul vera S. Augustini disputatione perstringuntur ij, qui proximum ad peccata praesertim fraude, vel vi pertrahunt, ostenduntur que esse autores tantorum damnorum, quantis nulla alia comparari possint: non enim partem boni cuiuspiam auferunt, verùm totum & omne; neque relinquunt illius, vel exiguam particulam, sed prorsus nihil, & tale nihil, vt nec habeat, nec sit peccans, nisi nihil: *Nihil efficeris* tonat Augustinus, *quia sine verbo, factum est nihil.* Quod est dictū de inducentibus in graue peccatum, applicandum ijs, qui in minoribus nocent, de quo plura infra Sec: 8.

Sectio VI.

Susurrones maximopere detestatur Deus.

27. QVæ diximus vniuersim de peccato, hoste, & corruptela virtutis, ipsiusque Dei aduersario, applicanda sunt in specie cuiuis; omne enim ad quod inducit quis proximum, iam charitatem, iam iustitiam lædit, iuxta dicta num: 22. & 23. Sed inter alios acriter insectatur Deus susurrones, qui vt docet S. Thom: 22. q. 74. art: 1. tollunt inter amicos virtutem beneuolentiae, siue vera, siue falsa (talia tamen) ijs referendo, quae pacem turbant, seminant discordias, iurgia, & simultates generant. Detestandum hoc vitium in id euomit virus suum, quod homini concessum est a Deo, tanquā naturæ eius socialis maximè cōueniens donum, conseruansque ipsam in iucundo amicitiæ conuictu, quo secundùm Deum, quid in hac vita maius aut beatius esse potest? Et ne per auxesin videamus id dicere, ipse qui de cœlo venit, pretium, æstimationemque tanti muneris declarauit, quando inter omnia reliqua praecepta, hoc vnū de mutua dilectione, appellauit suum: *Hoc est*, inquit Ioannis 15. *praeceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Et sicut ille nouus erat nunquam auditus [illegible] Deus, ita & hoc praeceptum [illegible]: *Mandatum* [illegible] inquit Ioannis 13. *nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Nos quoque [illegible] hominis, & Praeceptoris, nouos censuit discipulos: *In hoc*, ait ibidem, *cognoscent* [illegible] *quod discipuli mei*

puli mei estis ; si dilectionem habueritis ad inuicem. Quid verò, vel abiturus à nobis, in cænaculo illo grandi strato, crebriùs sonantiusque mandauit quàm amicam vnionem? Ioan: 14. 15. 16. 17. vel à morte resuscitatus, quid ex illa beata vita attulit iucundiùs, & vtiliùs, quàm pacem? Ioan: 20. Nimirum hac via, parabat suos cœlesti regno, quod teste S. Paulo Rom: 14. *Est pax, & gaudium in Spiritu sancto*, omnium eorum, quorum numerus erit millia millium, summa consensione regnantium. Vnione hac paceque mutua, Christo & sibi copulati Apostoli, eadem, vt omnes quoque discipuli Christi, arctissimè colligarentur quoties ad eos scripserunt, pacem tanquam vnicum fidelium symbolū, literis praefigebant, vt legentes eas optimè norunt.

Neque vero fideles duntaxat, sed & ignara diuinorū gētilitas assecuta quoque est vim ac felicitatem concordis amicitiae: nam vt scribit in Apophetgmatis Regum Plutarchus, Alexander magnus cùm sibi a Dario exprobraretur inopia thesauri necessarij, ad cogendum tantum militem, quātus requireretur ad bellandum contra Persas, respondisse fertur: *Darius thesauros suos arcis claudit areis, ego vero nullos habeo præter amicorum animos, omnes thesauros Darij, vnicus homo furari potest; meos vero, neque ipsi omnes mortales eripere possunt*: thesaurus ergo, & omniū maximus erat apud Alexandrum amicitia hominum. Atque hanc tam pretiosam rem furatur susurro, vt Ecclesiasticus cap: 5. testatur his verbis: *Non appelleris susurro, & lingua tua ne capiaris, & confundaris; super furem enim est confusio, & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem; susurratori autē odium, inimicitia, & contumelia*. Furem, rectè appellat susurronē; nam vt plurimùm clam in corda amicorum ille se insinuat, vt inde surripiat beneuolam concordiam: vocat eundē *bilinguem*; aliter enim atque aliter, & plerúmque mendacijs quemque adoritur; tandem odium, inimicitiam, contumeliámque illi adscribit; quia quicunque est talis, nullo modo putandus est praeditus Christiana charitate; sed potiùs odio venenatus, quo a se infectos ad inimicitiam & contumeliam impellit. Nam exacerbatus nefaria susurratione animus, in seditiones opprobria, lites, iurgia, cædes & id genus alias pacis, beneuolentiæque mutuæ inimicissimas pestes facile prorumpit; quae omnia si praeuideat susurro, singulorum est reus, cunctaque, iam ex charitate, iam ex iustitia resarcire debet, & ipsam inprimis amicitiam; vt dixi sup: num: 22. & 23. 28.

Sectio VII.

Vndenam nascatur susurrandi vitium & quibus maximè noxium sit?

29. ET certè cùm a spiritu S. furis appellationem nactus sit susurro; rectè conijcere possumus notari hoc nomine ipsam susurandi originem. Tria quippe in fure aduerto, tenebras noctis, quas vt opportunas furto deligit, necessitatem egestatis, & tandem maleuolā furandi cupiditatem: omnia haec in susurrone reperio. Caligant primò oculi eius tenebris mentis; quod enim lumen, aut quae prudentia in eo credenda, qui obeat intimas domos, corda scilicet humana, vt in ijs abiectissimum inter peccata furandi genus exerceat? Diaboli ipsius vile instrumentum effectus, qui vt testatur Ioan: Apoc: 11. *Accusator est fratrum, draco, & serpens antiquus* lente, & pestiferè se insinuans. Vide deinde in susurrone egestatem quandam, & quasi necessitatem susurrandi; debent enim esse tales ita inopes virtutis, dignitatis, autoritatis, quin & rerum fortunæ, vt nisi hoc se vafro, & perniciosso iuuent artificio, animosque hominum occupēt, ab omnibus, vt viles, & indigni consuetudine habeantur, & tanquam tales contemnūtur, miseramque degant vitam. Postremò inest susurroni maleuola quaedam nocendi cupiditas, quae non sinit eum esse quietum, nisi exsaturetur aliena inquietudine, turbationibus, discordijs: hoc planè est propriū malitiae Diaboli, qui id vnum agit, vt tum inter Deum & homines: tum inter ipsos homines; & inter eos maximè; qui maximè sibi vniti sunt, iaciat semina dissensionum.

30. Et omnibus quidem ac singulis maligna susurratio, perquam noxia est, ijs tamen prae cæteris, vel potissimè, quorum vnio, & consensus in multos, siue vtilitate, siue dispendio redundat. Tales sunt communitates, ac Respublicae & harum animarum prima Christi in terris fidelium Ecclesia, cuius pacem, pestilentissimè turbant Hæretici, Schismatici, & bellorum in Religionibus Christianis, turbulenti, perfidique incentores. Hanc ob causam Deus in ipso exordio Synagogae Haebreorum tulit eiusmodi legem Leuit: 19. *Non eris criminator nec susurro in populo*; ne verò leuem hanc putarent prohibitionem per Salomonē Prouerbiorum 6 pro odio inter homines excitato, promittitur odium Dei, & tale quidem odium, quasi, inter septem scelera, hoc tanquam sceleratissimum praecipuè, & vltimo sit detestandum; *Sex sunt*, inquit Salomon,

Salomon: *quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innocentem sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Ita odit Deus, eos qui seminant inter fratres discordias, fratresque nominat nos omnes; omnes enim vno patre Adamo, vnaque matre Eua prognatos fraternâ amicitiâ voluit esse concordes. Quantùm verò detestabitur eosdem, idem Deus nunc, cùm ipse frater noster effectus sit, ac primogenitus omnium reliquorum, caputque totius Ecclesiae suae S. declarauit patenti argumento, vt legimus in vita Petri Alexandrini in statis Sacerdotum precibus pro 26. Nouembris ita descripta: Ad eum capitis a Maximino damnatum, in carcere cum Achiles, & Alexander presbyteri, deprecatores Arij venissent, respondit, nocte apparuisse sibi IESVM, veste discissa, causam que rei sciscitanti dixisse: Arius vestem meã, quae Ecclesia est dilacerauit. Hic autor est omnium turbatorum pacis inter fideles; vt vestem Christi Regis Regum impia dilacerarent temeritate; pro qua non esse ferendos, sed tanquam maledictos, & hic, & deinceps in æternum habendos Ecclesiasticus cap: 28. testetur: *Susurro, & bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes.* Capiti suo Christo, conformat se Ecclesia, & eius pastores; qui turbatores, aut acriùs corripiunt, aut si correptio non sanat, a reliquo fidelium corpore, tanquam putrida resecat membra. Eandem secutus regendi formam, Sanctus noster Pater Ignatius, quantam in ordine suo vnionem, pacemque vigere voluerit, parte tertia constitutionun cap: 1. paragrapho 18. hac expressit lege: *Idem sapiamus, idem quoad eius fieri potest, dicamus omnes iuxta Apostolum; doctrinæ igitur differentes, non admittantur, nec verbo in concionibus, vel lectionibus publicis, nec scriptis libris (qui quidem edi non poterunt in lucem, sine approbatione atque consensu Propositi Generalis; imo & iudiciorum de rebus agendis diuersitas, quæ mater solet esse discordiæ & inimica vnionis voluntatum, quantum fieri potest euitari debet: vnio verò, & conformitas mutua diligentissime curanda est, neque, quæ ei aduersantur, permittenda.* Et parte 8. cap. 1. in memores huius, de vnione præcepti, ita statuit puniendos, vt magis a Societate nostra nemo puniri soleat; censuit enim eos, tanquam pestem a com'n unitate separandos: tali iudicio Fundatoris sui, tota Religio innixa, susurrationis, culpam, inter reseruatas, connumerat.

Hæc quà ab ipso Christo, quà a Sanctis eius, contra turbatores pacis sancita, nullus iniquè feret, qui nouerit quale sit pacis bonum Sanctus certè Augustinus totum & vltimum in ea ponit, quod a Patre omnium 32.

Christo

Christo testamento nobis relictum sit. *Hoc est*, inquit ille Tom: 9. lib: de ouibus cap: 2. *testamentum patris nostri, testamentum pacis; qualibet hæreditas diuidatur inter consortes, pacis hæreditas diuidi non potest. Pax nostra Christus est, pax facit vtraque vnum, non duo de vno; ipse enim pax nostra dixit, qui facit vtraque vnum Ephesios 2. testamentum Dei est, hæreditas pax nostra, a concordibus, consortibus, possideatur, non a litigantibus diuidatur.* Et eodem Tom: Tractatu 104. in cap: 17. Ioannis, ita de eadem pace scribit: *Hanc cõmendauit causam sermonis sui, vt in illo pacẽ haberent, propter quod totum agitur, quod Christiani sumus, hæc enim pax finem temporis non habebit, sed omnis, piæ nostræ intentionis, actionisque ipsa erit. Propter hanc Sacramentis eius imbuimur; propter hanc mirabilibus eius operibus, & sermonibus erudimur; propter hanc spiritus eius pignus accepimus; propter hanc credimus in eum, & speramus, & eius amore, quantum donat accendimur.* Sufficiant iam dicta, ad ostendendum, quanto sint odio Deo, amicitiae pacisque, quae tantum est bonum, inimici.

Sectio VIII.

Plurimùm Deo displicent, qui alios auocant a religiosa vita.

33. SEd neque ij leuiter deliquunt, qui ab obsequio diuino, hoc est a vita religiosa, fraude, vi, suasionibus, precibusque reuocant importunis eos, quos aut sufficienti piaque deliberatione, statuisse norunt apud se perfectionis viam, aut iam eam vident ingressos. Nocent tales in eo animae bono, quod Christus Lucæ 18. cæteris omnibus, quae in hac vita, ab optimis, & sanctissimis hominibus possunt haberi, præferre non dubitauit. Nam Principi cuidam quaerenti, quid faciendum esset, vt saluaretur, & fatenti se omnia Dei mandata, a iuuentute custodijsse sic respondit: *Adhuc vnum tibi deest, omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & veni sequere me.* Hoc vnum, vocat Dominus perfectionem vitæ Christianae; eidem enim adolescenti, vt refert S. Matt: cap: 19. dixit: si vis perfectus esse, vade vende omnia & veni sequere me. Itaq; iudicio ipsius sapiẽtiae Dei, relinquere omnia Christi imitatione, atque amore, est perfectio, & vnica quidem, in humana vita perfectio. Quoniam verò perfectum coincidit bono, vt docet S. Thom: 1. parte q. 5. art: 1. in corp: omnesque Theologi, ac Philosophi; est enim quædam integritas, & consummatio eius; sequitur, vt is, qui a sequendo abducit Christo, tollat bonum, & illud bonum, quod vnice perfectum,

suppeno

ſuppono autem eum, qui abducit, non facere id, aliqua pia voluntate, qualis eſſet neceſſitas iuuandi parentes, aut prouidendi proli, & ſimilis, ſed aliquo carnali intuitu: aut quia dolet ſe priuari conſortio relictum ſuos, aut quia timet, ne ipſius relicta trāſeant in poſſeſſionem Religioſi ordinis, aut alijs non ſecundùm Deum de cauſis.

Et obſequium quidem hoc Dei duobus impeditur modis, ſuaſione, ac precibus; aut certè vi, & fraude. Rurſus ij, qui impediuntur poſſunt eſſe in triplici ſtatu; vel enim nondum ſunt ingreſſi ordinem etſi certè apud ſe ingreſſum decreuerint, vel ſunt in probatione, vt nouitij; vel iam ſe votis Religioſis conſecrarunt Deo: de quibus omnibus recepta eſt Theologorum doctrina, quos citat & ſequitur Leſſius lib: de iuſtitia 2. cap: 8. dub: 3. eam paucis hic propono. Primò, qui auocant a Religione quoſcunque, ſiue ante ingreſſum, ſiue nouitios, ſiue profeſſos, aut ſimplicibus ante profeſſionem adhuc votis (vt fit in noſtra Societate) ligatos, qui, inquam, hos auocant precibus ſolùm, & conſilio, ſine vlla vi, & fraude, peccant quidē grauiter, vt numeris ſequentibus oſtendetur; non tamen contra iuſtitiam: vnde, ad nihil reſtituendum ſunt obligati, eò quòd nihil adimant proprium, & ex iuſtitia debitum; nam nec Religioſus in Religionem, nec Religio, in Religioſum habet vllū dominij ius; ſed aliud quoddam, quale interuenit inter totum & partem; quorum vtrumque ordinatur ad primum finem, nempe ad cultum, & obſequium Dei. Secundo, qui abducit a vita Religioſa quoſcunque hactenus enumeratos vi, & fraude; peccat contra iuſtitiam, debetque ita ſeductos ponere in libertate, amouendo omnem vim, ac fraudem. Quod ſi ſeducti nolint, ſiue ingredi ordinem, prout decreuerunt; ſiue regredi ad deſertum, durum eſſet obligare ſeductores, vt ex iuſtitia teneantur, vel ipſi effici Religioſi, vel alios in locum ſeductorum ſufficere; ſatis ergo communiter ab Autoribus cenſetur, ſi ex charitate conentur in ſe, vel alijs id præſtare: charitas enim Chriſtiana ſuadet, vt tam ordini Religioſo, quàm perſonis ab eo auocatis, bene optet is qui, male nocuit Et quanquam ſeductores, non debeant ex iuſtitia reſtitutionem in perſonis facere; tenētur tamen omnia temporalia damna cōpenſare, quae Religio paſſa eſt, priuata ſubiectis ſibi vtilibus; vt ſunt lectores, prædicatores, & ſimiles; quorum labor, iuſto pretio ſolet, nonnullis ordinibus compenſari, tenentur, inquā, reſarcire damna. Nam cum iniuſta actione, fraude, ſcilicet & vi ſint cauſa vt abducantur a communitate vtiles perſonæ; debent hanc compenſare iniuſtitiam, non ſolum in ſe ipſa, auferendo vim, & fraudem; ſed etiam in detrimentis ex ipſa ſecutis. Verū enim eſt illud: qui eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati; 34

ita iſti,

ita isti, & vim, fraudemque operantur, & id quod ex his nascitur. Hæc tamen detrimenta proportione quadã æstimanda sunt, pro maiore, vel minore vtilitate seductarum personarũ; vtilior enim est professus, iam ordini incorporatus, omnibusque instructus ad commodum afferendũ, quàm nouitius; & hic (nimirum vicinior professioni,) quam qui solùm certò decreuit ingressum.

35. Hæc sunt apud Theologos certa, tum de iniustitia, quam committunt ij, qui impediunt seruos Dei; tum de compensatione eiusdem. Videndũ iam superest, quàm meritò talibus grauiter succenseat Deus. Et possunt quidem aliquot pecccatorum species, in hac re committi, tum contra charitatem, si directè intendatur nocumentum, in tanto bono proximi; tum contra Religionem, cultúmque diuinum; a quo seruus Dei auocatur; accedit interdum odium Religiosi ordinis, cupiditas item occupãdi bona, quæ relinquentes mundum iuxta consilium Christi, solent dare pauperibus, & alia id genus, pro seducentium mala, atque inordinata affectione. Quacunque ratione id fiat, certum est, non fieri sine graui offensa Dei, quae, vel maximè duplici ex capite deriuatur; primũ est iniuria Creatoris, & supremi Domini; qui singulari sua beneuolentia, apud Ioan: cap: 15. verbis illis declarata; (*Non vos me elegistis, sed ego vos*) quosdam destinat ad obsequiũ sibi peculiare, nẽpe votis obligandos: iniuria ergo Dei est, & quidem magna, tanto videlicet Domino subtrahere seruum.

36. Ponderat magnitudinem culpae Salomon iudicio eius, cuius & scripsit, Prouerb: cap: 20. *A Domino*, inquiens, *diriguntur gressus viri; quis autem hominum intelligere potest viam suam?* hoc significatur a Deo moueri hominem ad obsequium eius; quia ipse scit, qua quisque via sit consecuturus sanctitatem, & tandem salutem. Dum verò statim subiungitur, *Ruina est homini deuorare Sanctos, & post vota retractare*: notantur præuaricatores in Deum, siue qui post vota retractant obsequiũ eius; siue ad retractandũ sunt alijs autores: qui bene dicuntur deuorare Sanctos, id est, Sanctificatos votorum Religione, aut firmo illorũ proposito: lupi enim sunt, non oues ex caula pecorum; sed homines ex aula Dei educentes, & immani crudelitate mactantes: quippe quos educunt, draconi infernali, Apocalip: 12. vorandos. & quidem certò, *ruina enim est homini post vota retractare.* Ac quemadmodum lupi dum lacerant oues, ipsi quoque laniantur a canibus, ita & hi ab eodem Dracone, cui obyciunt prædæ instar Sanctos, ipsi quoque dilaniandi sunt, siquidem ruina est homini deuorare Sanctos, inquit Salomon.

37. In ijsdem sapientis verbis, alterũ etiam innuitur caput, ex quo magnum

gnum conijcitur crimen, abstrahere homines ab obsequio diuino. Atque vt magnitudo hæc percipiatur, sciendum est, (de quo in Ecclesia Catholica certò constat) vnicuique praedestinata esse a Deo media, ad finem consequendæ salutis congrua, quæ qui prosequitur, certò saluandus est; damnandus, si reijciat. Sumitur haec doctrina catholica ex S. Paulo ad Romanos 8. vbi clarè id sic definit: *Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imagini Filij sui: quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Cùm igitur vocationem ad fidem, cultúmque diuinũ, ponat Apostolus tanquam medium ad salutem; sequitur, vt is, qui a Deo vocatus est ad statũ religiosũ saluandus sit, si eum amplexus fuerit, & in eo piè perseuerauerit; damnandus si tanto diuino dono indignum se fecerit, istud planè Salomon cap: illo Prouerb: 20. de Deo asserit, qui & scit pro infinita sapientia, quae cuique sit via congrua, & pro misericordia pari dirigit vnũquēque, monétque ad persequendum illam: *A Domino*, inquit, *diriguntur gressus viri; quis autem hominum intelligere potest viam suam?* Intelligenti itaque, & dirigenti Deum viam, tutissimum, ac saluberrimum est, se committere; periculosissimũ, & damnabilissimũ, vocanti renuere & vt quis renuat, iuuare; id quod ipse testatur Prouerb: 1. *Quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum; ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit.*

Posset quidem aliquis cogitare, non vnum tantum vnicuique homini assignatum a Deo vitæ statum, in quo saluandus sit, sed plures, è quibus si negligat religiosũ (præsertim ante vota) in altero sæculari, tutus erit. Verùm id opinando, non sequendo, pium est cogitare; *Quis enim*, vt Paulus clamat ad Romanos 11. *cognouit sensum* Domini, *aut quis consiliarius eius fuit?* itaque sequi incertam opinionẽ, in negotio salutis, in quo semel errasse infelicissimum est, erit hominis, aut cæca cupiditate, aut periculosa dubitatione agentis. Quæ cum vera sint, intelligimus iam quantùm peccet, qui abducit, ab obsequendo Deo; fieri enim potest, vt cum abducat, qui nisi Religiosus saluari (Deo ita prædestinante) nullomodo queat. Tantùm Deo Domino, qui cariturus est seruo; tantùm religioso, qui priuandus est Deo, nocet; quisquis deuorat sanctũ: quid tandem idem expectare debeat, quam ruinam, soli illi quantitate notam, qui ipsam minatur? Non deerit qui dicat, idẽ imminere periculũ ei, cui status sæcularis designatus sit a Deo tanquam salutis medium; tam ergo periculosum est abducere a statu sæculari, quàm a religioso: ita dicenti responderi debet, nos de illis solũ hîc agere, qui vel iam sunt 38.

religiosi, vel volunt fieri non de ijs, qui diuersum amplexi sunt, vel cupiunt inire viuendi genus: quidquid enim sit, quòd crebriùs inconsultò, & humano affectu, non diuina directione sæculo se addicant; si tamen ad perfectiorē vitam, non se moueri sentiant; sequantur sanè imperfectiorem; modo ita eam, vt condecet degant, solùm ergo ostendimus hîc grauiter peccari si abducantur a Dei obsequio in eo iam constituti, aut constituendi, a quo peccato deterrebat S. Hieronymus lib: 2. Eplarum Eplam 6. Heliodorū, qui propositū Religions differebat; *Sed forsitan, inquit, dicturus es, quid ergo quicunque in ciuitate sunt, Christiani non sunt? non est tibi eadem causa, quæ cæteris, Dominum ausculta dicentē; si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni sequere me; tu autem perfectum te fore pollicitus es, nam cum derelicta militia, te castrasti propter regnum cælorum, quid aliud quàm perfectam secutus es vitam? perfectus autem seruus Christi nihil prater Christum habet: aut si quid prater Christū habet perfectus non est, & si perfectus non est, cùm se perfectū fore Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est. Os autē quod mentitur occidit animam:* Sap: 1. Hæc Hieronymus: Quod si mentiuntur, qui deserunt, vel differunt statum religiosum; eiusdem culpæ sunt rei, qui alijs, vt mentiantur suadent, nec timēt id quod legunt Psalm: 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

39. Notum quidē multis est, quod refero sed tamen non ideo inutile puto fore, quia eruditis vulgare, quod scribit idē Sanctus. Hieronymus lib: 2. Epist: 15 ad Lætam, vbi ista leguntur: *Prætextata nobilissima quōdam fæmina, iubente viro Hymetrio, qui patruus Eustochij Virginis fuit, habitum eius, cultúmque mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit; sibi vincere cupiens, & virginis propositum, & matris desiderium. Et ecce tibi eadem nocte, cernit in somnijs venisse ad se Angelum, terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem. Tu ne ausa es viri imperium præferre Christo? tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus, quæ iam nunc arescent? vt sentias excruciata quid feceris; & finito mense 5. ad inferna duceris; sin autem perseueraris in scelere, & marito simul orbaberis, & filijs. Omnia per ordinē expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam, velox signauit interitus: sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas, & pretiosa ornamenta defendit: & hoc retuli, non quod insultare velim calamitatibus infelicium; sed vt moneam, cum quanto metu, & cautione seruare debeas, quod Deo spopondisti.* Hæc Hieronymus de virginè quae nondum fuerat votis obstricta; & tamēn tanta erat disuasionis culpa, vt non constet, caducâ ne tantùm morte, illius rea punita sit, an vero etiam æternâ: nimirum Deus, & vt Dominus iniquè fert obsequij sui iacturam; & vt sponsus zelat pro animabus, suo diuino coniugio, aut datis; aut dandis magno cū earum detrimento.

Facile

Facile est verò Zeli tanti coniecturā assequi, si recolamus iram Dei, 40.
vnà & vindictam, de filijs Heli sumptam, vt legimus primo Reg: 2. & propterea quidem, quod illi Deo oblata auferrent, quâ vi tollendo fuscinula ex cacabo, quâ fraude prætextu, scilicet, muneris sacerdotalis, cui debebantur aliqua ex oblatis: quo suo facto, bis delinquebant: nam, & ea auferebant, quae dabantur ad cultum Dei; & ab eodem cultu retrahebant homines: Erat, inquit scriptura, peccatum puerorum grande nimis corā Domino, quia retrahebant homines a sacrificio Domini. His ergo, qui vorabant sancta, carnes, videlicet, iumentorum, ruina triplex superuenit; mors in bello, ablatio dignitatis sacerdotalis, non ab vna tantùm, aut aliquot personis; sed a tota Heli familia, & posteritate, ad longum satis tempus, vt ibidem est scriptum; denique nisi ante obitum resipuerint, (de quo non constat) mors insuper æterna. Iam quae ruina timenda illis, qui sanctos Dei deuorant, & retrahunt homines a sacrificio eius, cui se per vota dedicant? si morte, & quidem duplici puniuit eos, priuauitque dignitate, atque alijs quae illam consequebantur cōmodis, vitæ mortalis, quid aliud, vel potiùs, quid non maius his, expectandum?

Et quidem, qui retrahunt homines a seruiēdo Deo palàm & malignè, 41.
pauciores sunt; plures simulata ducuntur pietate, quæ ad duo vel tria reuocanda videtur. Quidam enim impediunt eos, in quibus spem habēt posteritatis, in quo ficta pietas potest subesse tum vel maximè, cùm remanent in sæculo, qui possunt continuare progeniem; cùm non est necessitas seruandae prosapiæ vt pote tenuioris, & minùs reipublicæ vtilis; cùm sunt de eadem gente alij, in quibus retinetur genus. Sed de ijs etiam, qui pauci, magni, & vtiles sunt in republica, audiamus quid dicant duo Eccelsiæ Doctores, citati a me parte huius lib: priore cap: 8. num: 35. & cap: 15. num: 28. Ex his Ambrosius audet sua experiētia promittere vberiùs propagādos homines in ijs regnis, in quibus sunt plures serui Deo consecrati, seu virgines, de quibus ibi loquitur; sed eadem est ratio de viris. *Si quis, inquit, putat, consecratione virginum minui genus humanum, consideret quia, vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines; vbi, virginitatis studia crebriora; ibi numerum hominum quoque maiorem. Discite, quantas, Alexandrina totius orientis, & Africana ecclesia, quot annis consueuerit sacrare. pauciores hic homines prodeunt, quàm illic virgines consecrantur.* Sanctus autem Augustinus: Tom: 6. lib: de bono coniugij cap: 9. Non propagationem promittit, sed cœlum; neque vnius gentis hominibus, sed humano generi vniuerso: cœlū, inquam, citiùs, & certiùs dandum, si omnes Deo se per votum castitatis consecrent; sic

verò id ostendit. *Sed noui*, inquit, *quosdam qui murmurant , quòd si, inquiunt, omnes velint , ab omni concubitu abstinere , vnde subsistet genus humanum ? vtinam omnes hoc vellent , duntaxat in charitate, & de corde puro , & conscientia bona, & fide non ficta*, 1. Timot: 1. *multo citiùs Dei ciuitas compleretur, & accelleraretur terminus sæculi , quid enim aliud hortari apparet Apostolum Velle omnes esse sicut me ipsum* 1. Corinth: 7. *Videant iam, quanam pietate ducuntur, qui retrahunt suos ab obsequio Dei. Audio propagandorū hominum ; cum si id reuera piè volunt , habituri sint a seruis Dei, & si in æternum cupiunt esse pij aliisque id optant , debeant ipsi quoque , ac cæteri omnes esse serui Dei : & posteritas ergo caduca, & æternitas beata, ab obsequio Dei , cui, & suos & se dare; est & se , & suos ita habere , vt meliùs haberi non possint.*

42. Sed ingeniosa simulatio dicet fortasse maius Dei obsequiū futurum, si plures nascantur homines , a quibus colatur Deus : nasci autem tot nequeunt , si vel plurimi , vel omnes Deo se solitarios consecrent. Hoc si vera expeteret pietas, nunquam esset finiendus iste mundus, sed æterna generationum danda series , quod cùm nemo sentiat , qui nouit maius Dei obsequium, & gloriam, non ex eo manare , quòd posset esse, sed ex eo quòd voluntate , atque arbitrio eius statutum est , fatendùm multò melius esse , vt pauciores iam nati finem sibi a Deo destinatum, citò consequantur, cùm sit voluntas eius per Ioannem ita declarata Apocalipsis 22. *Hæc verba fidelissima sunt , & vera, & Dominus Deus spirituum Prophetarum, misit Angelum sūm ostendere seruis suis, quæ oportet fieri citò, & ecce venio velociter.* At ne ad vnum quempiam, vel ad paucos, venturum velociùs putaremus tollit ambiguitatem sequentibus verbis : *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundū opera sua.* Hinc intelligimus maius esse Dei obsequium, si hi qui breui tempore propagati fuerint , & in mortali vita illi seruiant , & ad cœlum velociùs transferantur , itaque non pietatis est, sed carnalis concupiscentiæ, optare, vt quàmplurimi nascantur.

43. Est & aliud suspectæ pietatis indicium quòd putent plerique graue reipublicæ fore damnū, si seruituri Deo suas hæreditates transferant in dominiū religiosorū hominum : sed ne hi, qui ita sentiunt sumant offensæ ansam, si quid cōtradicatur, libet ex Sancto Hieronymo afferre, quis fuerit tanti viri de hoc sensus. Is ergo lib: 2. Eplarum, Epla 12. ad Nepotianum sic scribit. *Pudet, dicere sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ , & scorta hæreditates capiunt , solis clericis & monachis , hoc lege prohibetur non a persecutoribus , sed a principibus christianis* &c. infra : *Sit hæres, sed mater filiorum, id est gregis sui ecclesia, quæ illos genuit, nutriuit , & pauit.* Plura ibi de hoc , S. Doctor, optatque vt nec serui Dei dent aliquam huiusmodi

fegum, damnabilem causam; & principes sinant eos, se suaque integrè Christo dicare. S. Hieronymum sequuntur Doctores, omnes aut veriùs Christum, qui diuiti principi Lucæ 18. & alias alijs se secuturis suasit, vt sua dent quidam reipublicæ christianæ, sed in pauperibus

44. Postremùm est fictæ pietatis argumentum, quo nonnulli probant se rectè facere, si abducant sibi charos, a sequendo Christo, non quasi id non optent, sed quòd non putent æquũ rationique consonũ, vt homines tenerioris ætatis deligant vitã religiosam, in aliud ergo maturius tempus negotium tantum differendum, ante quod, omni ratione, etiam vi, & arte abstrahendos, tanquam præcoces in agendo. Accedit, & illud, quòd ægerrimè ferant, ad obsequium Christi persuasionibus induci, rati, non ætatem tantùm pleniorẽ expectandã, sed & consilia eiusmodi a solo Deo acceptanda citra hominũ opem. His quoniam pietate agunt, responsum ab ijs dandum, qui pietatis veræ & germanæ doctores, cultoresque sunt, qualis imprimis est ecclesia S. quæ in concilio Tridentino a spiritu S. (quemadmodùm orthodoxi credere debent) congregato, duo de hac re determinauit, vt habetur in sessione 25. cap: 15. de regularibus; verba concilij sunt: *In quacunque religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat, ante 16. annum non completum; nec qui minore tempore, quam per annum post susceptũ habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.* Ante hoc concilium olim fæminæ poterant anno 12. mares 14. profiteri; iam id mutatum est, nouo statuto, cui doctores & Patres innixi censent nõ esse opus magna & valde matura deliberatione, in Dei obsequio aggrediendo, vt inter alios docet S. Thomas 2. 2. q. 189. art: 10. in corp: estque talis eius doctrina: *Dicendum quòd diuturna deliberatio, & multorum consilia requiruntur in magnis dubijs, vt philosophus dicit* 3. Ethicorum cap: 5: *In ijs autem, quæ sunt certa, & determinata, non requiritur consilium. Circa ingressum autem religionis tria possunt considerari; primò ipse religionis ingressus secundum se, & sic certum est, quod ingressus religionis est melius bonum, & qui de hoc dubitat, quantum est in eo derogat Christo, qui hoc consilium dedit, vnde Augustinus dicit in libro, de verbis* Dñi serm: 7. *Vocat te Oriens, id est Christus, & tu attendis ad occidentẽ, id est ad hominẽ mortalem errare potentẽ. Alio modo potest considerari religionis ingressus per comparationem ad vires eius, qui est religionẽ ingressurus; & sic etiam non est locus dubitationis, quia illi qui religionem ingrediuntur, non confidunt in sua virtute, sed in auxilio virtutis diuinæ secundùm illud Isaiæ* 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinẽ, assumment pennas sicut aquilæ; current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Si tamen sit aliquod speciale impedimentum, puta infirmitas corporalis, vel onera debitorum, vel aliqua huiusmodi, in ijs requiritur deliberatio,*

deliberatio, & consilium cum ijs, de quibus speratur, quod possunt, & non impediant. Vnde dicitur Ecclesiastici 37. cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto, de iustitia; quasi dicat, non: *vnde sequitur: Non attendas his in omni consilio, sed cum viro sancto assiduus esto. In quibus tamen non est diuturna deliberatio habenda, vnde Hieronymus dicit in Eplam, ad Paulinum: Festina quæso te, & hærenti, in solo nauiculæ funem magis præscinde, quam solue. Tertiò autem modo considerari potest modus religionem intrandi, & quam religionem aliquis ingredi debeat; & de talibus potest haberi etiam consilium, cum ijs, qui non impediant*. Ita S. Thomas.

45. Cùm igitur iudicio totius ecclesiæ & doctorum, sanctorum patrũ adolescentiae tempus sufficiat, ad ritè, & piè inchoandum Dei obsequiũ, profectò non piè censendi sunt opinari, qui contrarium sentiunt, voluntque expectandum virile, aut forte etiam senile tempus, vt quis de se maturè statuat. Et certè si ab eadem Ecclesia definita sunt tempora cõiugij, vt fæmina duodennis, mas quatuordecim annorum ritè, & piè illud inire possit, consensusque a fæmina suasu interdũ parentum, & importunis extorquetur precibus; cur ad liberè seruiendum Deo, & offerendum illi animam in sponsam, designatum ab eadẽ ecclesia non sufficit tempus? An fortè ideo, quia coniuges cæptam viuendi rationem feliciter promouent mutua ope; Deus in ijs, qui se illi totos deuouent non tantùm possit, aut velit? quod quis de potentia, & bonitate, cuius nec principium, nec finis est, audet affirmare? qui certè non diceret per Ieremiam Threnorum 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se*; hæc, inquam, non assereret Deus, si ij, qui eius iugum portant in adolescentia, hoc ipso nomine periculis se exponerent. Sed enim multi adolescentiũ, (& idem de virginibus) maturiores deinde facti, dolent cæpta; alij eadem deserunt; quasi verò ij tantùm dolent, aut deserunt, & non etiam qui maturi ante ingressum erant: certè Iudas senior fuit Ioanne Euangelista; & tamen ille resilijt, hic mansit. Quot matrimonia a iuuenibus contracta piè, & concorditer continuantur; quot a maturis, aut senibus inita, scatent discordijs, & inimicitijs: testes sunt vidui, viduæque; quos vt plurimùm citò pænitet repetiti coniugij. Quod si semper reprehendenda sunt iuniorum facta, eò quòd interdũ, vbi ad maturitatẽ venerint, ab ijsdem retractentur; non bene in ecclesia catholica infantes baptizarentur, qui nullo proprio assensu ad tantum concurrunt opus: & tamen aliqui eorum, maturi deinde facti, abnegant baptismũ. Quod cùm perperam, & non sine periculo fidei diceretur, minimè reprehendendi, qui in iuuenili ætate Deo se dicant, quidquid sit, quòd interdum animum mu-

mum mutent: non enim ætas hanc bene viuendi noxiã pœnitentiã; sed ipsa morum facit inconstantia.

Iam verò, & ad illud, quòd ad seruiendum Deo non debeant induci, 64
respondeat S. Augustinus Tom: 1 Epist: 89. ita de hac re scribens. *Ego perfectionem, de qua Dominus dicit Matt: 19. Adolescens vade, vende omnia & da pauperibus, vehementer adamaui, & ad hoc propositum quantus possũ viribus alios exhortor & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meũ ministeriũ persuasũ est.* Duo se testatur egisse S. doctor & induxisse, quos potuit, & non senes aut decrepitos, sed tales, quales ipse inducebat Christus Matt: 19. nempe adolescentes, id enim Christus fecit. S. verò Thomas 2. 2. q. 189. art: 9. positam a se dubitationem, vtrum videlicet aliquis debeat alios inducere ad religionem, sic resoluit: *Dicendum quod inducentes alios ad Religionem, non solùm non peccant; sed magnum præmium merentur; dicitur enim Iacobi vltimo. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam eius a morte, & operit multitudinem peccatorũ. & Danielis 12 dicitur, quod qui ad iustitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Posset tamen, contingere circa huiusmodi inductionem triplex inordinatio, primò, si violenter aliquis alium ad religionem cogeret; secundo, si aliquis simoniacè aliquem ad Religionem trahat muneribus datis: nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis alicui pauperi necessaria subministret in sæculo, nutriens eum ad religionem, vel si sine pacto aliqua munuscula tribuit, ad familiaritatẽ captandã: tertiò, si mendacijs eũ alliciat.* Huc vsque verba S. Thomæ, quibus (vt aliorum de hac re copiosè dicta omittam) abundè puto factum satis simulatæ pietati, quâ in veram ab ipso Deo, sanctisque eius probatam, commutata, illud potiùs agendum, vt qui non perfectius, seruiunt Deo, alijs non sint impedimento; ne dum alienis implicant se magnis, & perfectioribus; sua minora, & imperfectiora negligant, coganturque non pro se tantùm, sed pro cæteris etiam Deo non teuem reddere rationem.

CAPVT IX.

Qua ratione iudicia fiunt iniusta.

SAnctus Thomas 2. 2. q. 60. bifariã accipit actũ iudicij, primò art: 3. 1
& 4. pro ea intellectûs operatione, qua de aliorũ vita bene, vel malè sentimus; id quod fieri potest tripliciter; primò dubitando, dum in vtrumque partem æqualia sunt indicia, eaque non conuicentia, sed leuiter suadentia, vt iam bonum, iam malum existimemus proximum, idque vacillante animo: secundò suspicando, cum mens in alteram par-

ram partem magis propendet, propter indiciorum maiorem probabilitatem, quae efficiunt assensum potius vnius partis quàm alterius; non ita tamen vt alteri, non assentiamur, si accesserint rationes, & maiora indicia, inde cum tali assensu suspicioso potest esse formido oppositi. Postremò fit iudicium assentiendo firmiter vni parti, ita, vt alteri nullo modo adhæreatur, eo quod talia adsint argumenta, tamque certa indicia, vt vnam duntaxat veram esse demonstrent. Hæc iam explicata iudicij operatio, potest quidem referri ad iustitiam cõmutatiuã, (nullus enim debet famae proximi, malè de illo iudicando, nocere) sed tanquam actus internus, vt docet S. Thom: art: illo 3. ad 3. & velut principium externi: qui enim intra se malè iudicat de alio, facilè data occasione, & loquitur de illo, & malè tractat eundem. Secundò ergo accipit S. Thomas eadem q. reliquis articulis, actum iudicij pro ea operatione, quam exercet iudex, inter reum, & actorem, vnum absoluendo, damnando alterum, & talis actus est manifestè iustitiæ; ad hoc enim iudices constituuntur, vt lites terminent, & pacẽ inter diffidentes statuant, ad quod etiam stipendijs certis, & redditibus conducuntur, vt ex iustitia teneãtur perinde iudicare, ac tenetur quisque mercenarius laborem exhibere conductum. De vtraque hac iudicij acceptione, quantum proposito nostro conducit, agendum est.

Sectio I.

Iudicia temeraria, suspiciones & dubitationes, ex leuibus indicijs concepta, grauiter sunt iniuriosa famæ proximi.

2. TRiplex iam explicata mentis nostrae operatio, triplici, ratione in ea exercetur; primò ita vt pro exigentia indiciorum debitè perceptorum, excitetur dubitatio, si illa sint in se dubia, suspicio, si aliam nequeant parere notitiam; iudicium firmum, si sint certa, & firma: secundo ita, vt non aduertatur, quòd indicia sint leuia, ac insufficientia ad dubitandum, vel suspicandum, vel ad iudicandum de re quapiam noxia famæ proximi; tertiò ita, vt iudicia inperfectè, vel certè plenè cognoscantur, sed non pro exigentia eorum, fiat voluntatis assensus. Si priori modo concipiantur de humana vita, in anima notitiae nullũ erit peccatũ, siquidẽ, veritati obiecti sunt cõsentaneae, nemo autem censendus est errare si ita nouerit vt illi cognoscendum offertur quidpiam. Si secundo modo, sic etiam nulla erit culpa, eò quò in deliberati sint illi assensus, ad culpam verò necessaria est sufficiens, cognitio;

cognitio, aliàs ignoti mali, nulla erit mala, & inhonesta cupido.
Quod si tertio modo prædicti assensus exciten tur, nimirū cum imperfecta aduertentia, aut certè cum perfecta, sed in materia modicè famæ noxia, erunt peccata leuia, vel ob defectum deliberati assensus, vel ob leue nocumētū proximi. Si verò adsit plena aduertentia, & materia famae notabilis, erit peccatū mortale, non tantū iudicare sed & suspicari quin,& dubitare de aliena vita. Tenēt id passim Theologi cum S. Thom: 2. 2. q. 60. art: 3. in corp: qui dicit quidem dubitationē leue esse peccatū, & pertinens ad tentationē humanā, eò quòd facilè homo de proximo aliquid mali incipiat dubitare; verùm his ipsis verbis ostendisse loqui de illa dubitatione quæ primò incipit, scilicet cum imperfecta deliberatione Cæterùm quæ deliberatè,& firmiter residet, ac in materia graui, non erit immunis a graui culpa; vt sequentibus verbis indicare videtur. *Cum* inquit, *aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex leuibus indicijs, & hoc sit de aliquo graui; est peccatum mortale; profectò non solum is, qui ex leuibus signis iudicat, sed etiam, qui suspicatur vel dubitat, procerto æstimat de aliena malitia; non enim ex fragilitate humana incipit primò moueri malis cogitationibus; sed certò illis, siue iudicando, siue suspicando, siue dubitando inhæret*. Fit autem hoc duplici ex causa, vt docet ibidem S. Thomas, *primò*, inquit, *quòd aliquis malus est, & ex hoc quasi conscius suæ malitiæ faciliter de alijs malum opinatur, secundum illud Ecclesiast: 10. In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat*. Alia est causa, quod contemnit, vel odit aliquem; aut irascitur, vel inuidet ei, ex leuibus signis operatur mala; quia vnusquisque faciliter credit quod appetit. Cùm igitur haec duplex causa grauis esse possit, non solùm mouendo ad iudicia, sed etiam ad suspicandum, & dubitandum, graue erit peccatum, ex odio verbi causa, non solum iudicare malè; sed & suspicari & dubitare.

Quanquam non ex causa duntaxat graui; sed & in se potest esse grauis culpa, non iudicij tantùm, sed & suspicionis, aut dubitationis: atque ita multi tenent Theologi Ban: in q. 60. art: 3. S. Thomæ Lessius lib: 2. de iustitia cap: 20. dub: 2. & 3. & alij. Quisque enim ex ordinata in se charitate; & iure quod habet in propriā famam, iniquè fert aliorum de se iudicia, suspiciones item, & dubitationes, ex leuibus indicijs conceptas. Vnde est illud. *Vir bonus etiam suspicione carere debet*: magna ergo illi fit iniuria, si de ipsius probitate fiat iudicium, suspicio, aut dubitatio. Confirmari id potest ex eo, quòd sicut magnum facit ille famæ proximi nocumentum, qui refert tertio occultum quid, quod tamen sit graue, siue de eo iudicet, siue suspicetur,vel dubitet, par certè 3.

nocumentum est, apud se tale quid occultum de alio quouis ex his tribus modis concipere; hæc solum nocumenti est diuersitas, quod ibi inter plures serpat infamia, hic in vno continetur.
4. Idē alia quoque ratione probari potest ex doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 60. art: 4. quae est cōmunis, Theologorum, asserentium *Dubia in meliorem partem esse interpretanda*, idque duplici modo, aut non cogitando malè de eo, cuius dubia apparet vita; aut si est opus statuere aliquid apud se, alijsque denunciare, potiùs bene, quàm malè decernatur, idque ideo quia qui in peiorem partem accipit, facit iniuriam proximo. Aut enim aliter in re potest esse, aut si non sit, tamen (cùm illi certò non constet) malè interpretando, exponit se periculo nocendi proximo, cui non se exponit, si bene cogitet: meliùs ergo, & prudentiae, ac æquitati conformiùs est, meliora de alijs iudicare.

5. Itaque cùm occurrit dubium factum, habito de illo dubio assensu pro exigentia facti, aliud nouum superaddere quisque debet, qui rectè velit facere; superaddere, inquam, aut negatiuum assensum, nihil mali de vita alterius apud se statuendo, aut positiuum, potiùs bene practicè æstimando, hoc est, iudicando illum bonum, & pro tali habendū: Deo autem, & eius infallibili notitiae relinquendo, veram de alienis factis notitiam. Rectè tamen monet S. Thom: art: illo qruartò ad 3. nihil esse mali, si quis talia facta dubia, interpretetur peiùs, ex quadam suppositione, quid nimirum agendum esset, si quid mali certò supponeretur. Nam si, verbi causa, introeat quis in domum, quem constaret solere furari, diligentiùs, & magna cautela custodirentur res; ita licet id non constet; adhiberi tamen potest cautela, quando ignotus quis superuenit, non cogitando illum esse furem, sed suis rebus prudenter attendendo. Similes cautelæ a parentibus circa filiorum, filiarumque probitatem citra peccatum fieri, & possunt, & debent; a praelatis item de sibi subditorū vita: quia bene docet loc: cit: S. Th: *Cum*, inquit, *debemus aliquibus malis adhibere remedium, siue nostris siue alienis, expedit ad hoc, vt securius remedium apponatur quod supponatur id, quod, est deterius.*

Ex hac doctrina sic propositū confirmo: si enim dubia, in meliorem sunt accipienda partem, id ex eo est, quia grauiter læditur ius proximi, quod habet ad famam, si ex dubijs indicijs malus iudicetur: posset enim ex illis nequissimus etiam censeri, cū ingenti suo dolore & nocumento famæ. Pari modo is, de quo ex leuibus indicijs dubia vel suspiciones sinistrae concipiuntur, potest magnam, magnae infamiae incurrere notam cum ingenti suo dolore: sicut ergo non licet nullum malum praesumere iudicando ex dubijs factis; ita neque

Digitized by Google

neque licebit suspicando, aut dubitando praesumere malum ex leuibus indicijs, cùm similia sint, & damnum & dolor vtrobique.

Hinc verò vt certũ, apud Theologos deduci debet cõpensandam esse eam iniuriam, quam iudicia, suspiciones, ac dubitationes contra æquitatem habitae proximo afferunt, cùm enim sic temere verbi causa, iudicatur, minus habeat de fama apud iudicantem, quàm deberet habere, illud minus resarciendum, apud eundem iudicantem. Et quemadmodum qui externa quapiam operatione, aufert aliquid proximo, debet illi externè etiam resarcire; ita qui cogitatione nocet, eâdẽ debet compensationem facere, mutareque persuasionem malam, vt iterum in debita fama apud eundem reponatur proximus. 6.

Sectio II.

Quantùm Deus offendatur sinistris de aliorum vita cogitationibus iam explicatis.

MAgno studio ab his de aliorum vita sinistris cogitationibus abstinendum esse ille bene nouit, qui experimento suo scit, facillimũ esse concipere intra se eiusmodi aduersas persuasiones: cùm enim mens, & phantasia volabiles sint, mirèque promptæ ad primas præsertim apprehensiones, & id potissimè verum sit in doctis & celeris ingenij, sæpe etiam, & pene semper (nimirum in communi multorum vita) incurrant in sensus nostros aliorũ facta, experientia docemur, vix aliquando nos vacare ab occasione de hominibus cogitandi; neque ab occasione tantum, sed a tentatione quoque malè cogitandi. Et tentationem quidem potentem primò ingerit Dæmon, qui (nimirum spiritus) spiritui humano se insinuans facilè inducit eundem in alienas a vero cogitationes: & cùm sit *mendax paterque mendacij* Ioan: 8. citò & potenter persuadet de alijs falsa. Addit tentationi cui res insita ad malũ cordis nostri propensio vt testatur ipsemet Deus Gen: 8. *Sensus*, inquiens, *& cogitatio humani cordis in malũ prona sunt ab adolescẽtia sua.* Ex hac propẽsione fit vt plures reperiantur homines, qui proximis malè potiùs quàm bene faciant, id quoque Deo testante Psalm: 52. *Non est*, inquit, *qui faciat bonum, operantur iniquitatem, deuorant plebem*, (proximum scilicet suum) *vt cibum panis*: neque solum factis deuorant, sed & malè, de aliorũ vita dictis, id quod vsitatissimũ esse hac par: c. 7. num: 30. ostendimus. Quod si a male agendo, & loquendo difficilè abstinemus; eò quòd in talia vehementer propendeamus quàm multò difficiliùs erit ne cogitare 7.

quidem male de proximo cùm (præter propensionem) faciliùs fit multò cogitare quàm loqui, aut agere. Itaque notus, & facilis est talium cogitationum lapsus, & diligentissimè illi cauendus, qui vult ab eo quod facillimum est, liber esse.

8. Multo verò, magis sibi attendet si aduertet grauiter Deum hisce cogitationibus offendi, id quod Christus clarè illis verbis apud Matt: 7. Mar: 4. Luc: 6. designat: *Nolite indicare, vt non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini, & in qua mēsura mensi fueritis, remetietur vobis*. Mira, & seuera Dei sententia, ac forsitan a paucis cognita: quis enim crederet eum, qui alterum mente æstimat adulterum, aut sacrilegum, ipsum talem apud Deum haberi, & vt talem puniendum, pro sola illa iudicij interni cogitatione? Hoc quidē non ita intelligendum, vt qualem quis suspicatur alterum, talis ipse sit apud Deum, etsi id nō egerit, quod egit alter; alia siquidem species peccati est cogitare proximum esse v. c. furem, alia furatum esse: sed quod affirmat Dominus est, omnes illos, qui de alijs temerè suspicātur quid mali, non effugere iudicium Diuinum, pænamque. Neque verò leue illud iudicium, aut exigua pæna futura; sed sicut furta, adulteria sacrilegia, aliaue enormia peccata, seuerè iudicanda, & æternis pœnis castiganda sunt; ita & temerariæ de aliorum vita præsumptiones acriter iudicandae & gehenna damnandae: quidquid sit, quòd homines leues illas putent, neque facile credant, se ob occultas huiusmodi cogitatiunculas, eò deuenturos. Hoc igitur tanquam certissimū, & promittit, & inculcat Christus apud citatos Euangelistas: videte quid audiatis *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*.

9. Iam vt ab eiusmodi iudicijs deterreantur homines, adhibet Dominus duo, quorùm primum est, error, & neglectus sui; nam qui de alijs sinistrè cogitant, & decipiuntur crebrò, & aliorum factis occupati, suis maioribus non medentur: plùribus enim intentus, minor est ad singula sensus, dicunt Philosophi. Istud planè talibus exprobratur a Domino Matt: 7. & Luc: 6. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculis tuis est, non consideras? hypocrita eijce primum trabē de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui*. Audiant, & sciant, qui aliorum trutinant facta, quo nomine ad iudicium Dei citandi sint, hypocritarum videlicet, quos Christus, simul cæpit publicam inter homines degere vitam, vehementer auersatus & palam persecutus est; testes sunt illæ voces: *Væ vobis hypocritæ* Matt: 23. Luc: 11.

1 Fieri quidem potest, vt tales, alios putemus, quales reuera sunt, atque tunc non decipiamur pro eo tempore, quo tales sunt; nihilominus inutilis est,

utilis est, periculosaque etiam tum nostra opinio: nam nos, quem semel agnouimus; eum semper in mente (quæ nostra est fragilitas) vt plurimùm retinemus, cùm tamen crebrò, magna interim succedat morum mutatio. Quod pulchrè, & ad Dei occultam prouidentiam accōmodatè, deque Dñi misericordia magnificè declarat S. Aug: tom: 9. tract: 45. in cap: 10. Ioan: agens de Pastore Christo cuius vocem non omnē, neque omnes simul, & semper audiunt; sed hic hodie, alter cras: ille vnam vocem spernit, alter acceptat; iste & hanc, & illam iam contemnit, iam deinde dolet se contempsisse. Qua alternationis diuersitate illud efficitur, vt qui tales iudicant decipiantur creberrimè; praesentia enim solùm attendunt, & ex praesentibus futura conijciunt, aut etiam definiunt, quod prorsus erroneum est. *Quàm multa* scribit Agustinus *oues foris, quàm multi lupi intus; & quàm multa oues intus; quàm multi lupi foris Quàm multi modo luxuriantur; casti futuri; quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum, quàm multi se inebriant, futuri sobrij; quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas.* Hæc Aug: propter quae clamat Apost: 1. Corinth: 4. *Nolite ante tēpus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

Est & aliud, quo Dominus corripit, vt sanet, perperam de alijs opinātes, & si hoc ab alio assereretur, quàm ab eo, qui nouit abscondita cordium; nec crederetur, & discordiæ, atque iræ præberetur ansa. Quis enim mihi non succenseret, si suspicantem malè de alijs dicerem esse hominem doli & scelerū plenum, vasque refertū nequitijs? & tamen scrutator internorum Christus, id planè affirmat Luc. 6. vbi cùm prohibuisset iudicare, & hypocritas eos, qui id agunt nominasset: quales ijdem sunt, & vnde ita iudicant, docet deinde: *Non est,* inquit, *arbor bona, quæ facit fructus malos; neque arbor mala, faciens fructum bonū: vnaquaeque enim arbor de fructu suo cognoscitur; neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo, de malo thesauro profert malum.* Quæ doctrina Saluatoris contra temerarios occultorum iudices prolata est, duoque in se certa habet; primum iudicia & opiniones eiusmodi esse fructum malum; alterum iudices illos habere in corde thesaurum, & semen malitiæ: sicut enim arbor non potest dissimile quid sibi producere; neque thesaurus alius promitur, quàm qui reconditus est, ita malae cogitationes de occultis aliorum, sunt indicia mali cordis, siue malitiæ cogitanti insitæ, & in eo recōditæ. Et quemadmodum arbor, nisi mutetur, alia non generabit, nec thesaurus proferetur, nisi qui fuerit repositus; ita tale cor non desistet perperam iudicare, nisi in se mutetur. Nemo potest (neque

(neque enim debet) succensere Christo, verùm de talibus ferenti iudicium, & eos qui male de alijs iudicant, malitia interna laborare asserenti; sed illud veniat potiùs in mentem, quod reliquit sapiens, Sap: c. 11. *Per qua peccat quis, per hac, & torquetur:* qui ergo per falsa de hominibus iudicia peccat, per vera Dei torquetur, atque ne a Deo bene, & iustè iudicetur, desinat alios malè & iniustè iudicare, ita quippe ore Veritatis dictum: nolite iudicare, & non iudicabimini. Hucusque egimus de iudicio, quod priuatim, & clam in mente cogitantis solet concipi; sequitur vt agamus de eo, quod publicè iudices exercent, aut absoluendo, aut condemnando.

Sectio III.

Quæ sint partes iusti Iudicis.

12. DVo potissimum requiruntur in eo, a quo iudicium debitè exercendum est, auctoritas nimirum, in iudicandos, & scientia, qua iudex fultus ferat rectam sententiam. Et auctoritas quidem idcirco exigitur, quia vt docet S. Thomas 2. 2. q. 67. art: 1. in corpore, iudex suo decreto cogit ad executionem eiusdemmet; coactio autem, non fit ab inferiore, aut æquali; sed a superiore, viribus præeminente, quæ in iudice non aliae sunt, quàm auctoritas potestatis publicæ, ad hoc institutae, vt qui iniurias patitur, habeat illarum recompensatione͂. Accedit huc, quòd iudicare sit proprium munus Dei: *Cuncta*, inquit, Ecclesiastes cap: vltimo, *quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni errato siue bonum siue malum illud sit:* propterea Saluator fatetur sibi, vt homini, hanc potestatem a Patre datam Ioan: 5. *Pater dedit filio potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est.* Cùm verò in vita hominum caduca hoc Dei iudicium sileat interim, & tamen necesse est reos plecti; alioquin plurima, & nefanda a mortalibus patrarentur; visum est Diuinæ Prouidentiae communicare hominibus in homines iudicandi potestatem; siue immediatè (qualis sola, & in omnes fideles est in summo Pontifice, Christi in terris vicario, Petro & successoribus eius, illis verbis collata, Ioan: 21. *Pasce oues meas & agnos meos*, omnes videlicet, qui Christi nomine censentur, ab eoque denominantur Christiani) siue mediante communitate, quæ statuit, in quauis terræ parte, principes & iudices dãdo illis potestate͂ in singulos vnaquaque republica contentos. De talibus legimus Sap: 6. *Audite Reges & intelligite, discite iudices finium terra, prabete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a*

Domino

Domino,potestas vobis,mediantibus scilicet turbis nationũ. Quãquã enim hæ diuersæ sunt tamẽ sicut per cõsensũ vnũ aliquid habent v.g.limites eosdẽ,mercimonia &c. ita per consensũ quoque possũt eligere vnũ rectorẽ,& iudicẽ;quẽadmodũ cõsenserunt Iudæi in primũ Regem Saul, a Deo per Samuelẽ propositũ 1. Regũ 8. Atque hinc cõstat non leuiter eos peccare,qui iudicant sibi nõ subiectos cõtra Apostolũ Rom: 14. 13.
dicẽtẽ: *Tu quis es, qui indicas alienũ seruũ?* vsurpant quippe potestatẽ, quã nõ habent, modo illo duplici dicto, ordinẽque a Deo institutũ perturbant. Et sicut delinquunt vsurpantes iurisdictionẽ; ita & nõparentes illi, quẽadmodũ scribit Apostolus Rom: 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo,quæ autẽ sunt a Deo,ordinata sunt itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Qui verò non putat esse peccatũ Deo resistere? id quod eodẽ loco affirmat S.Paulus: *Ideo*, inquit, *necessitate subditi estote, non solùm propter irã, sed etiã propter conscientiam:* loquitur autẽ ibi de potestate sæculari, vt doceret etiam huic, nedũ spirituali resistere, graue esse nefas: quidquid dicant contra manifestã scripturã moderni hæretici, qui putant per libertatẽ Christianam, se nulli legi ita subdi,vt peccent,si nõ pareant. Sed hanc talẽ libertatẽ ostẽdimus esse peruersã, veræque libertatis corruptelã lib: hoc part: priore cap: 16. a num: 26. libertas enim Christiana solũ nos liberat a peccato idq; eos,qui per sacramẽta,& pia opera vtuntur meritis Christi,nõ verò ab obligatione seruandi leges & vitandi peccata. Iam alterũ quod ad 14.
rectum iudicium adhiberi debet, est scientia ex duobus petenda; cùm enim iudex sit publica in quauis cõmunitate persona; non priuata quapiam notitia, sed publica in iudicando dirigi debet. Hæc porrò publica notitia, primò in legibus recondita est, quarum præscripto decreta ferri debent: deinde sita est in probationibus quæ conuincant factum, & in testium asseueratione, quorum vtrumque legibus in quauis communitate definiri solet, quænam probationes, & quot, qualesué sufficiant testes. Ius igitur, legesque tenendæ sunt a iudicibus, quarum notitia destituti perinde in executionẽ muneris sui errabunt, atque si quis artem v. c. Philosophiæ, aut Medicinæ profiteatur, quam nunquam didicerit. Ad legum iuriumque peritiam, adiungenda est, vt dixi, notitia facti petita ex probationibus, & testibus; quæ si desint, neque absolui, neque condemnari reus poterit, nisi cum magno illius iustitiæ praeiudicio, quã iudex vt publica persona ad suum subsellium delatis, pro officio debet.
Nolo hîc intelligi eam me a iudice scientiam iuris, legumque exige- 15.
re, quæ omnibus numeris sit absoluta, quæque in paucissimis, aut vix in vllo reperiatur; verùm eam, quæ imprimis terminos iuris nouit, partim vbi-

Digitized by Google

tim vbique terrarum, quibusuis iurisconsultis peruios; partim (quod magis requiritur) in vnaquaque patria vsitatos. Deinde vt ius legesque suæ Prouinciæ aut regni proprias sciant iudices, saltem ita vt prudenter dubitare, & alios consulere possint. Optimum quidem, & tutissimū esset, ius quoque commune ac Cæsareum intelligere; sed hoc paucorū est & magis sui muneris obseruantium. Iam si quis sibi non fidens aliorū inquirat consilium, id dupliciter fieri potest; primò, quia etsi bene iuris peritus sit, factumque debitè expenderit; tamen memor dictū esse a Spiritu S. Prou: 12. *Salus vbi multa consilia*: optimè is facit. Qua in re laudat Iulius Capitolinus, Marcum Aurelium Imperatorem, (vt scribitur in eius vita) consilium amicorū semper negotijs præmittere, itaque dicere solitum: *Æquius est vt ego tot, & talium amicorum consilium sequar, quàm vt tot & tales amici meam vnius voluntatem sequantur*. Secundò id fit, quia is qui alios consulit aut ignarus prorsus iuris legumque est, aut aliàs vtcunque peritus; præsentem tamen litē minimè nouit; vel quod dormiendo altercantes audiuerit, vel (vt alicubi fit crebrò) mero turbato capite, apud quem illud iustum & æquum est, quod alijs tale videtur, fertque, aut solus sententiam, aut cum alijs pro parte sua definit.

Eum ego ab iniquitate sententiæ nequaquā absoluendū puto; quomo enim iustè iudicat, qui caret eo, quo iudex est iudex, nempe notitia iuris & facti? cum Salomon Prou: 12. dicat: *Iudex iustitiæ est, qui quod nouit loquitur*, non qui imperitè ignorat. Itaque tales magnam cōmittunt iniustitiam, & ad quid teneantur, infra numero 36. intelligetur: ne verò peccent, & ad restituendum obligentur, alios consulant. Iam quod attinet ad hanc scientiam, dictum quidē est parte huius libri priore cap: 8. a num: 39. quantùm eius inopia iudicijs obsit; vbi etiam variæ iudicum corruptelæ allatæ sunt, nempe fauor, munera, timor, affectusque inordinati: explicatum quoque est hac parte posteriore cap: 5. num: 13. An possint iudices stipendia exigere, vel oblata acceptare munera; his tamen dictis, tria addenda sunt, vt plenè constet de ijs quæ ad publicam requiruntur scientiam.

Sectio IV.

Vtrum iuxta leges, iusque scriptum semper iudicandum sit.

16. HAnc dubitationem paucis definit S. Thomas 2. 2. q. 60. a num: 5. quem omnes sequuntur; & suppositis, quæ de iure dicta sunt cap: 4. a num: 3. sic propositū resoluit dubium: *Si ius scriptū consonum est*

Digitized by Google

ſonum eſt iuri naturali, aut iuri gentium, quod ex naturali manat, ſeruandũ eſt, neque ab illo vnquam recedendum: quod ſi fuerit diſſonum, nequaquã ſeruari debet, vt iniquũ & peruerſũ. Cùm enim in iure naturali fundetur ius ſcriptum, tanquam in eo quod ab auctore naturæ acceptum eſt, qui contraria ſanciunt, & ſecundum illa iudicant, perinde faciunt, atque ſi quis ædificare velit dirutis fundamentis: ruit ergo omne decretum pugnans cum iure naturæ, hoc eſt iniuſtum, & Deo (per quem legum conditores iuſta decernunt Prou: 8.) prorſus contrarium cenſendũ. Hoc praecipit illa vna ex regulis iuris in 6. Quae a iure cõmuni exorbitant nequaquã trahenda ſunt ad conſequentiam; nullum autem ius ita commune habendũ, vt illud quod eſt omnium naturae inſculptũ, non ab alio certè quã qui eam ipſis indidit Deus, iuſque naturale, ſuum diuinum ita appellauit, vt qui ab illo diſcrepat, cum Deo ipſo pugnet. Quapropter, ſi quae leges, tales vſpiam fuerint, non habent vim praecepti; ſed tanquã nullius roboris tollendæ ſunt ab ijs, quibus incumbit onus iura condendi; & antequam tollantur, non ſunt mandandæ executioni, cùm ad facienda mala nemo obligatur. Rectè de hoc ſcripſit S. Auguſt: lib: 9. de ciuit: *Inanis*, inquit *eſt, cenſura, niſi diuinæ legis imaginem gerat*: hoc eſt humana ſtatuta, quæ ſunt diſſimilia diuinis naturalibus iuribus, non ſunt cenſenda eſſe, ſed habenda tanquam ſi non eſſent; & ſi quis eiuſmodi ſtatutorum vrgeat obedientiam, reſpondendum illi eſt cum Apoſtolis Act: 5. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Dicta oſtendunt inanem eſſe eorum excuſationẽ, qui putant ſeruandas eſſe, etſi iniquas leges, eo quòd ſcriptae, & impoſitæ ſint, ſolũque peccare illum, qui ipſas fert non qui exequitur: inanis, inquam, eſt talis excuſatio, nam S. Paulus Rom: 1. ita loquitur: *Digni ſunt morte & non ſolùm qui ea faciunt* (ſcilicet mala quia ibi dicit commiti ab eorũ inuentoribus) *ſed, etiam, qui conſentiunt facientibus*: pari ergo morte æterna, de qua ibi agitur, tam conditores iniquarum legum, quàm executores puniendi ſunt, conſentiunt enim iniquitati eorũ. Nec verò dici poteſt praedicta iura permitti a repub: aut eius rectore, perinde, ac permittuntur aliqua peccata ob maiora vitanda incommoda, vt ſunt lupanaria: hoc inquam, dici non poteſt, nam ad peccata, quae permittuntur nemo obligatur, ſed quiſque ea, ſuo genio, & malitia patrat; cæterùm leges ideo feruntur, vt obligent; quare tam is, qui malè obligat, quàm qui malè obligantem audit, peccat& dignus eſt morte vt docet S. Paulus Rom: 1. Itaque illas ſolùm leges exequi debent iudices, quae nullã contra ius diuinum iniquitatem habent. 17.

Iam verò ſi leges ſcriptæ iuſtæ quidem ſint, neque tamen contineant 18.

aliquem peculiarẽ euentũ; censet S. Thomas articulo illo 5.cum cõmuni placito Theologorum, recurrendũ esse ad voluntatẽ, mentẽque conditoris legum, & ita iudicandum, vt iudicaret ille, si euentus dictus occurreret, vtendumque tunc epykia supra cap: 4. num: 44. & 45. explicata, quoties legislator non poterit consuli. Atque si de mente certò, aut probabiliter constet, iuxta eam ferenda sententia; quòdsi illa sit dubia, tenendam putant legem: in dubijs enim melior est conditio possidentis, in tali autem euentu lex, & conditor eius possidet vim ita obligandi, prout litera sonat. Et hoc quidem verum est de inferioribus iudicibus: caeterum is, qui tulit legem, aut qui habet auctoritatem ferendi, potest pro suo placito relinquere legem scriptam,& vel aliam,iustam tamen ferre, vel latam pro recto interpretari arbitrio.

19. Epijkiam seu æquitatem dictam ipsa iura concedunt, vt constat ex illa regula iuris in sexto: in obscuris minimum est sequendum & ex alia: eodem certum est, quòd cõmittit in legem qui legis verba cõplectens, contra legis nititur voluntatem. Et aliquando quidem in ipsa lege exprimitur æquior, benigniorque eius pro quopiam casu interpretatio,committiturque illius vsus prudentiæ iudicũ; interdum id non exprimitur, sed intelligitur. Tali aequitate vsus Caius Marius Crassus, vt referunt scriptores Romanorũ gestorum, mille Camerinos; qui cum contra Cimbros egregiè iuuissent, Romanis æquauit. Quod dum nonnulli contra leges factum dicerent, lepido dicto se excusauit: Ob armorum, inquit, strepitum, legũ vocẽ exaudire nõ potui. Ad similem epijkiam inductus fuit S. Paulus a fratribus, quemadmodum legimus Act: 21. Nam vt eum ab inuidijs calumniantiũ eriperent suaserunt (secus, quam in rigore exigebant iam leges Christianæ) obseruari quiddam ex Testamenro veteri: *Sunt* dicebant, *nobis viri* 4. *votum habentes super se his assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis, vt radant capita, & scient omnes, quia quæ de te audierunt falsa sunt* Secutus est vtiliter amantium consilium S. Paulus nimirum à Magistro doctus, qui circumcisus est, oblatus est, pullis columbarum, aut turturum redemptus est, tulit, egitque plurima alia, ad quæ nulla tenebatur lege, sed sola aequitate dilectionis illius. qua *cum dilexisset suos in finem dilexit eos Ioan:* 13. Hoc magisterio instructus Apostolus, & fecit quod memini, & cùm recensuisset fructus Spiritûs S. ad Galatas 5. *Fructus Spiritus est Charitas, gaudiũ, pax* & qui sequuntur, conclusit. *Aduersus huiusmodi non est lex.* Nõ quod ij, qui sincera ad quiduis charitate mouentur, non subsint legi; sed quòd siue scripta sit illa, siue non, siue faciant quod iubet siue non: sẽper illam impleant, nunquam auersentur. Id quod ignitis illis verbis significat

gnificat Augustinus Tom: 9. Sermone de laudibus charitatis 7. *Dilige, & fac quod vis*, neque enim amans aliud faciet, nisi quod vel lege est praescriptum, vel praescribendum esset, si de ommnibus leges ferentur sed iam alterum ad scientiam iudicum conferens expendamus.

Sectio V.

Quid in eo, & accusatore requiratur, vt iusti iudicij seruetur forma.

AD scientiam publicā praeter iura, & leges concurrunt ij, per quos iudèx facti acquirit notitiam. Primo itaque reus tenetur fateri verum, si tamen iuridicè interrogetur, id quod omnes docent cum S. Thoma 2. 2. q. 69. art: 1. iuridicè autem censetur interrogari reus, si factum sit notorium, & infamia publica, vel aliqua probabilia fuerint indicia, ab accusatore allata, vel semiplena probatio, per vnum videlicet testem iuratum; qualis dici solet omni exceptione maior. His concurrentibus iudex ex officio potest ac debet, reum ad veritatem fatendū interrogatione cogere, & reus illi, tanquam legitimo superiori debet parere. Hanc tamē doctrinam Angelus Verbo, Cōfessio sacramentis, Emanuel Sa: Verbo, Reus, & alij doctores, temperant, vt putent non teneri reum verum fateri, quando agitur de graui pœna; qualis est verbi causa mors donec plenè conuincatur. Ratio autem cui innixi ita docent est; quia nemo obligatur superiori obedire cum vitæ, aut alio simili damno nisi hoc sibi ipse peculiariter imponat; quo pacto imponunt sibi Professi Soc: Iesv quarto Professionis voto, vt summo Pontifici obediant, si in terras infideliū propter eorum conuersionē mittantur, etiamsi in tali missione subsit periculum mortis. Itaque si interrogetur reus iuridicè quidem, non tamen plenè conuictus de veritate, quam si fateatur, plectendus sit aliqua minori pœna; debebit eam fateri; si maior imminebit, licebit vti tergiuersatione, vtendo verbis, quibus significet se nō fecisse, id de quo quaeritur; & ne mentiatur, in mente concipiet, se non fecisse ita, vt debeat fateri, Rectè quidem agit tunc iudex interrogando, tamen etiam reus sine peccato, negat id de quo quaeritur, siquidē ad hoc non est obligatus. Hac eadem ratione & a fortiori quidem, non legitimè, neque ex iuris praescripto interrogatus indemnem se seruare poterit reus, obijcereque citra peccatum accusatori mendacium; siquidem habet ius se defendendi, etiam cum alterius incommodo; si aliter fieri non potest; neque tunc iudex rectè aget, si omninò cogat, ad fatendam reum veritatem. 20.

21. Iam si omnia legitima a iudice adhibita fuerint, debet imprimis reus fateri verum, tanquam ei, qui ad hoc constitutus est vt comparata ex allegatis, ac probatis, publica notitia adigat sua interrogatione reum ad fatendum verum, quo constet meritò illum puniendum; & si id reus facere renuat, peccabit tanquam inobediens suo superiori, in eo, in quo probationibus & prescripto iuris subijcitur eidem. Secundò tenetur reus subire tormenta a iudice sibi iniuncta. Tertio debet quoque subire sententiam vltimæ paenæ, neque potest citra peccatum vti appellatione ad tergiuersandũ duntaxat & dilationes texendas: multò minùs poterit vti vi, se defendendi, aliosque lædendi. Porrò sententiæ pæna potest esse, vel mors, & id quod mortem causat, vt est mutilatio, vel alia quæpiam, vt est exilium, aut solutio pecuniæ: priorem nullo modo in se exequi reùs debet, sed minister iustitiæ, cuique enim innata est propensio tuendi suam vitam, contra quam agere, est contraire naturæ; posteriorem licet, cum nulla in hoc appareat crudelitatis enormitas. Ista sunt certa apud Theologos; cum S. Thoma 2. 2. q. 69. art: 2. 3. 4. qui ijdem tenent licere reo fuga euadere è carcere, etiam cum ipsius effractione, (modò illam deinde compenset) aut cum aliqua modica vi tenentium; cum enim quisque habeat ius ad tuendam vitam potest adhibere media (citra tamen aliorum damnum) quæcunque, & quamdiu suppetunt, neque tenetur se morti offerre, aut ad eam disponere, nisi cũ aliter fieri non possit vt fit, cùm tentus a carnifice iubetur scalas, patibulum conscendere, exponere manum secandam; & cætera talia Quod adeo verum est vt non solum ipse reus possit eripere se è manibus, aut è carcere citra peccatum; sed etiam cæteri consilio aut alia ratione ad id concurrere; si quidem res ipsa, hoc est fuga mortis, ex suo obiecto licita, & honesta est; licebit ergo alijs ad eam cooperari; alijs inquã, quibus id, peculiari quapiam ratione non sit prohibitum, vt sunt iudices, custodes carcerum, & ministri iustitiæ; hi enim ex officio, tum sententiam exequi, tum ad eam exequendam debent detinere reum.

22. Quæ hactenus diximus de obligatione rei, siue de obedientia iudici præstanda, alijsque qui ex ipso desumunt authoritatem, ita intelligenda sunt, vt sub graui peccato, a reo sint exhibenda quoties id, quod præcipitur grauem continet materiam. In hoc verò tam durum obedientiæ iugum, ne se conijciat reas, pareat suaui, & prouidæ Christi legi, Matt. 5. ita præcipienti: *Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum ad altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Duo sunt hic, cultus, obsequiumque Dei, & compensatio iniuriæ, ac damni fra-

ni fratris; suum cultum, aut relinquendum, aut differendum censet Deus; differendum, quia iubet primò, reconciliare fratrem; relinquendum, ostendit illa conditionalis: si offers; quasi non exigat omninò, sed si cui placet. Id de illo obsequio diuino intelligendum quod exhibetur non ex obligatione; verùm ex pio in Deum animo: Quanquã intelligi potest etiã illud, quod obligat, si nẽpe tum, & ex eo offerendũ esset, cùm & ex quo proximo deberet dãnũ cõpensari. Quoties ergo tale quid Deo offerendũ est, aut relinquendũ, aut differendũ iubet Deus, non accepturus oblatũ, nisi priùs offenso fiat satis fratri. Non seruant hanc Christi legẽ, qui aliena Deo offerunt, largas dant eleemosynas de spolijs pauperum, magnifica construunt templa, decorant altaria, labore, & sudore violento: nihil horũ accceptat, qui dicit: *Vade priùs reconciliari fratri tuo.* Ita reijciebat olim Isaiæ 1. quorundam munera: *Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris? ne offeratis vltra sacrificiũ frustra: incensum abominatio est mihi; Neomaniam, & Sabbathum, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri; & cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis; & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiã: quia manus vestræ sanguine plenæ sunt; quærite iudicium; subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* Non solùm ea reijciebat Deus, quæ libera erant cultûs ipsius obsequia; sed etiam debita, vt sabbatha, & sacricia a lege præscripta, quia scilicet, hæc non poterant celebrari, citra damnum proximi, & omissionem reconciliationis.

Eandem legem Christi violant illi, quoque, qui cùm rei sint, iudicijs contendunt, vt a satisfaciendo, quâ possint arte, fraudibus, vi, minis, corruptionibus munerum, dilationibus, appellationibus se vindicent. Alij volunt quidem refundere damna, sed non nisi post sẽtentiam iudicis, post tot partis expensas, & fastidia; quos omnes a conspectu suo reijcit Christus tanquam indignos, qui compareant: *Vade*, inquiens, *reconciliari fratri tuo.* Et ne leuem putemus hanc repulsam atque indignationem, tanta certe illa est, quanta in inimicos concipi solet; ita enim eodem illo apud Isaiam capite legimus: *Principes tui infideles; socij furum; omnes diligunt munera; sequuntur retributiones, pupillo non iudicant; & causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum, fortis Israel: Heu consolabor super hostes meos, & vindicabor de inimicis meis.* Ista cõsiderent quotquot sunt rei, & si ijs duri videntur iudices terreni, durior erit ille, qui & iudex, & pars, non vt de reis tantùm sed, vt de hostibus, & inimicis vindicabitur. 23.

Iam quod ad accusatorem attinet is duo aduertere debet, vt rectè accuset. Primò, si putet se corrigere, posse reum priuata monitione, id faciat, cha- 24.

ciat, charitas enim, amicitiæque præsertim christianae lex exigit, vt quod potest fieri per pauciora non fiat per plura, maximè cùm publicâ notâ, & magnâ molestia, quam subit reus apud iudices Vtendum ergo correctione occulta, nisi forte crimen sit adeo notum, & grande (qualia sunt quæ in respublicas committuntur) vt non nisi publica pæna castigari debeat; aut certè si aliter non possit fieri compensatio damni. Qua in re a plurimis peccatur, qui leuia a proximo passi, mox intentant lites, semina iurgiorum, ac simultatum; fitque non rarò immo sæpissimè, vt nocumentum vix alicuius valoris, exiguaque læsio, decuplo, aut centuplo maioribus constet termineturque expensis, ac offenssionibus Quod siue ex eo est quia plurimi hominum sunt natura discordes & inquieti, siue quia præcipites in agendo; siue quia in suis modicè laesi, aliena magna hac occasione expetunt: quacunque tandem ex causa hoc proueniat, vehementer id sibi displicere testatur Deus Prouerb: 16. Vbi omnem talem ita proscindit: *Homo peruersus suscitat lites, & verbosus, separat principes.* Dicuntur accusatores peruersi & verbosi: iura enim co, dices, testes, ipsam denique iustitiã susque deque vertunt; verbositati quoque litigando finem non prius imponunt, quàm videant discordias multorum, & quidẽ principum; tum inter se, tum cum ipso supremo Principe, ac iudice Deo, aegrè enim fit, vt in litibus nõ committantur peccata, siue a iudice, siue a reo, siue ab ipso accusatore, aduocato demum, & a testibus. Atque hanc ipsam causam abstinendi a litibus affert Deus Ecclesiastici 18. *Abstine te a lite, & minues peccata, homo iracundus intendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Hoc itaque primùm ab accusatore tentandum medium, vt conueniat ipse, aut per tertiam prudentem personam eum, qui reus esse, & nocere videtur.

25. Id si non sufficiat, propter aliquam in reo, Numero 22. & 23. explicatam difficultatem, accusare iudicialiter licebit; si tamen poterit iuridicè probare factum, vel testibus, vel infamia, vel evidentia reis aliàs grauiter peccabit infamando, & molestando innocentem. Vnde Sanctus Thomas 22. q. 68. art: 3. in corpore enumerat tria accusatorum peccata. Prima est calumnia, quando imponit falsum; huc reducitur accusatio quae probari non potest, perinde enim est verum publicè non demonstrare, ac falsum obijcere Secundum peccatum est, præuaricatio, si in accusando adhibeantur fraudes; postremò est tergiuersatio; si desistitur ab accusando, cum nota innocentis, aut etiam reipublicæ, si eius damna non compensentur, propter tergiuersatione; desistitur, inquam, fine aliqua iusta, & vrgenti causa. Potest autem intercedere iusta, ab inchoata lite

ata lite desistendi, causa multiplex; qualis inter alias est, transactio amica, notitia innocentiæ rei,quæ ab initio non habebatur, vel quid simile. Explicata iam, quæ ab accusatore seruari debent, erunt illi cordi, si meminerit dicti Salomonis Prouerb: 30. *Ne accuses seruum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi & corruas:* dominus est quisque iudex; habet enim in reum potestatem, propter quam iudices, dij appellantur; Psal. 81. *Ego dixi Dy estis, & fily excelsi omnes.* Ad hunc ergo dominum deferendus est reus, plectendusque si debitè accusetur; liberandus si iniustè; alioquin duo illi a Spiritu Sācto,in accusatorē tela dantur,maledictum,& ruina: non quòd iubeatur peccare maledicendo; sed quòd permittatur maledicere, & post maledicta, non rarò sequitur vindicta ab offenso perperā intentata: vel certè iubetur maledicere reus,vt tum a iudicibus, tum ab ipso Deo expetat debitum malum, hoc est Sanctam vindictæ iustitiā,quae tum hoc, tū futuro sæculo trahit ruinā in malè accusantem.

Sectio VI.

Quid necessariū sit aduocato, & testibus, vt in iudicijs seruetur iustitia.

TAm aduocatus, seu qui causas in iudicio peragit, quàm testes pariunt iudici publicam notitiam. Aduocatus iuri, & legibus innixus, allegatis, atque probatis manifestat iudici reum, aut innocentem. Ex quo duo deducuntur aduocati munera, primum est a legibus, & iure non exorbitare; nam sicut iudex est custos legum, vt seruentur; ita aduocatus velut monitoris subit vicem; qui certum eum faciat de violentia, & præuaricatione illarum: iuri ergo, & statutis legum insistendum erit, vt pateat, quænam pessum sidat. Quoniam verò leges ac iura in se spectata, mortuo sunt similia, qui nisi ab alio moueatur, hæret in vno loco; ita illa se ipsa tueri & manifestare a quo vim patiantur nequeunt, ab aduocato, tanquam a motore id præstandum; neque tamen etiam is, certò, & euidenter violatorem ostendere potest, nisi rarò admodum, cùm videlicet factum est omnium oculis patens; idcirco probabilius vtitur indicijs, atque argumentis, quæ (quantū prudens coniectura assequi potest) in notitiam veri iudicem ducant. Hic verò emergit alterum aduocati munus, vt scilicet a fraudibus, & falsitatibus abstinendo, quàm potest obsequatur maximè veritati: in quo a pluribus valde delinquitur: qui siue corrupti muneribus, amplisque stipendijs; siue odio aduersæ partis; siue ostentatione scientiæ, reorum tegunt malefacta 26.

lefacta, insontium æquitatem obfuscant, quo fit vt illi absoluantur, damnentur isti, cum graui damno, & iniuria.

27. Tales illud Psalmi 49. nouerint sibi dictum: *Si videbas furem, currebas cũ eo, & cũ adulteris portionem ponebas; os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Non agitur hic de cursu pedum, sed animi, qui consensu, auxilio, consilio, ope; defensioneque comitatur patrantem mala: ergo isti currunt cum furibus, raptoribus, homicidis, adulteris & id genus præuaricatoribus, patrocinando furtis, rapinis, homicidijs adulterjis, & quibusuis criminibus, portionẽque suam cum illis ponunt, exigendo ab iniquis iniquas stipendiorũ sortes, pro iniusta tutela: enimuero ijdem timeant sibi a Deo id, quod tertio Regum capite vltimo legimus euenisse Sedeciæ prophetiam simulanti. Consulebat rex impius Achab, dictum Sedeciam, num prosperè initurus esset bellum contra Syros, suasit ille, eo spiritu instinctus qui (vt ibidem narrat historia) *Stetit coram Domino & ait: ego decipiam, egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.* Dissuadebat Michæas verus prophetra ergo, ne iret, commissurus prælium, non iniustitiam eius accusans (nihil enim ibi de hoc, quin suam propriam Ramothgalaat, recipere rex, a Syris cupiebat) sed quod illud tunc non esset è voluntate Dei. Percussus est propterea verus, a mendaci propheta cui haec praedixit: *Visurus es in diè illa, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum, vt abscondaris*: abscondendus erat Sedecias, non ob aliud certè, quàm vt euaderet mortem, in pænam sui mendacij, quo seductus Achab, perijt in bello.

28. Videant cuius spiritum in ore suo habeant, qui contra diuina & humana iura falsa tuentur, suadent, defendunt, vincunt tandem, & gloriantur se vicisse: profectò si Achab suũ non tamen tempore a Deo definito, repetendo suasu & consilio Sedeciæ meritus est mortem, quam mendax consiliarius latitando putabat se euasurum; quid aliud expectare debent, & clientes, & patroni falsitatis, quàm vt legitur Sap. 7. *Accipiet armaturam zelus* illius, iudicis scilicet Christi, *& armabit creaturam, ad vltionem inimicorum, induet pro thorace, iustitiam & accipiet pro galea iudicium certum.* Quærent tunc cubicula fautores mendaciorum, & falsitatis, vt abscondantur, *dicent montibus: cadite super nos & collibus operite nos* Luc: 23. sed quis, & vbinam locorum effugiet manum omnipotentis.

29. Hominum quidem opiniones facilè est talibus eludere, nam vt se corã illis iustificent, iura legumque allegant statuta, è quibus sumptis probationibus, aiunt se defendere, vrgere; causam obtinere, nec proinde sibi imputandum, si iudices contra æquitatem decernant sed argumentis ex iure petitis. Ita vt plurimum querelis hominum fit satis, sed non conscien-

conscientiæ, neque Deo. Fatendum quidem est posse & debere interdũ (si id à iudicibus praecipiatur) aduocatos suscipere, etiam nocentis patrocinium, ne prorsus deseri videantur, & destitutos se dicant forensibus adminiculis : verum non ita id fieri debet, vt quiduis ad vincendũ moueatur, & iniustitia iusta fingatur; sed satis erit ea afferre, quae noxio manifeste fauent, non detorquendo iura, & fraudulentis deprauando interpretationibus. Nisi ita fiat, peccatis se inuoluet grauibus aduocatus, vt cum S. Thom: 2. 2. q. 71. art: 1. in corp: omnes docent Theologi; verba Sancti Doctoris sunt : *Illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum, siue consulendo, siue adiuuando, siue qualitercunq́; consentiendo; quia consiliarius, & coadiuuans quodamodo est faciens, & Apostolus dicit ad Romanos 10. quod digni sunt morte non solùm qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus. Manifestum est autem quod aduocatus auxilium, & consilium præstat ei, cuius causæ patrocinatur, vnde si scienter iniustam causam defendit, absq; dubio grauiter peccat, & ad restitutionem tenetur eius damni, quod contra iustitiam, per eius auxilium, altera pars incurrit: si autem ignoranter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusari potest.* Verba hæc S. Thomæ clarè ostendunt peccare aduocatos, si notam sibi defendant iniustiam, ita vt lucretur reus aut si non lucretur, velit tamen, & intendat aduocatus victoriam: quodsi ignorans id agat, adhibitaq; debita diligentia, iniquitatem causę non assequatur, non peccabit; nisi forte ante finitam litem, cognoscat iniustitiam: & si quidem clarè nouerit, aut desistere à patrocinando debet, persuadereque nocenti quam poterit comodam, & iustam concordiæ rationem, aut ea solùm affere, quæ vt paulò ante dixi, manifestè faciant pro noxio, non vt vincat, sed ne communibus iuris destituatur præsidijs. Si verò dubia & pro vtraq; parte tam rei, quam actoris probabilis sit, aut etiam pro vna parte probabilior iustitiæ, vel iniustitiæ notitia; licebit vtrilibet parti offerre patrocinium, & cõmittere iudicis arbitrio decisionem.

Quæ sunt de aduocatis dicta, applicanda erunt quibusuis quacũq; ratione alteri parti fauentibus, qui si innocenti patrocinentur, siue gratis & ex charitate christiana (quam in graui necessitate, tam aduocatus, quàm quiuis alius debet proximo, si simile quid, ipsemet non timeat ob id, quòd patrocinetur) siue alia ex causa, qualis est iustitię, non solùm ab hominibus debitas grates mercedemue laboris est accepturus; sed etiam ab eo, qui dicit Matth: 5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam saturabuntur*; Si tamen verè iustitiam honestatemq; virtutis sitiant, & non caduca, & humana duntaxat, fauores 30.

scilicet amicitiasq; humanas, & similia.

31. Quod ad testes spectat tria illi habere debent requisita, vt cum S. Thoma 2. 2. q. 70. omnes docent; 1. aptitudinem ad testandum idoneam, quali censentur præditi virilis sexus homines vltra viginti annos, nulla notati infamiæ nota; qui hæc habent, dicuntur testes omni exceptione maiores. Quare mulieres, & adolescetes propter instabilitatem ingenij, vt plurimùm reijciuntur; alij etiam, quorum fides suspecta esse solet, vt consanguinei serui, & illi, qui aliquando falsum testati sunt, & similes, de quibus videndum, quid in quauis cõmunitate sancitum sit legibus. Alterum, quòd testes habere debẽt, est debitum testandi; quoties enim necessarium est testimonium, ad defendendum in magno periculo constitutum innocentem, vel ad prohibenda grauia reipublicę mala, debet illud præstari ex cõmuni charitate proximi, aut pietate in patriam. Quòdsi accedat præceptum iudicis id iniungentis, parendum illi ex obedientia, nisi forte quis excusetur à testando, eò quòd nequeat solus probare, cum omnino requirantur minimùm duo vel tres testes ad conuincendum reum, vt legimus Deutoronomij 19: In ore duorum, vel trium testiũ stabit omne verbum, vel certè, nisi excusetur secreto, aut alio quopiam graui impedimento. Tertium tandem est veritas, vt nimirum id quod viderunt, aut audierũt, testentur se vidisse, vel audiuisse, aliàs falsò testabuntur grauiterq; peccabunt, propter iniuriam, vel damnum partis, contra quam fide agunt; admittetur etiam periuriũ, si (vt crebro fit) præcedet iuramentum de manifestando vero.

32. Non leue hoc, falsi testimonij apud DEVM crimen inde colligimus, quod Exodi 20. vno ex decem præceptis à DEO prohibeatur; Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Et certè cùm reus testibus, tanquam vltimo, & quidem viuo probationis conuincatur aut protegatur argumento, cui iudex innixus decidit litem; quemadmodum si vera sint testimonia, rei castigantur; defenduntur insontes; iustitia triumphat; ita si sint falsa; iniuria, damna, & iniquitas dominatur; neq; aliud restat, quàm oppressi falsitate testium sumant illas Susannæ voces Danielis 13. itaque ad DEVM clament: DEVS æterne qui absconditorum es conditor, qui nosti omnia, antequam fiant; tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cùm nihil horũ fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me. Exaudiuit, inquit ibidem scriptura, Dominus vocem eius, non dubium quin omnes ita clamantes exauditurus sit, testante Dauid Psal: 4. *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ.*

meæ, in tribulatione dilatasti mihi: & si non statim mittet Angelum, qui accepta sententia scindat falsiloquum medium, vt misit ad perdendos impios illos senes, contra Susannam mendaces (quanquam non desunt etiam nostris temporibus exempla pænarum de falsis testibus occulto DEI iudicio sumptarum) faciet certè id tum, cum sicut pollicetur Psal 74 *acceperit tempus, vt iustitias iudicet.* Nota erunt tunc falsa testimonia, patebunt causæ, quibus ad illa mendaces inducti sūt, animas & conscientias, vili pretio, aut terrena amicitia vendentes; feretur tandem pro veritate contra falsitatem sententia, à qua qui liberet nusquam & nunquam reperietur, quia (vt Psalmo nunc citato habetur) *Neq; ab oriente, neq; ab occidente, neq; à desertis montibus, quoniam Deus iudex est.*

Sectio VII.

An Iudex ferre debeat decretum iuxta notitiam partam ex concertatione partium, etiamsi certò contrarium sciat.

HOc tertium est ex propositis supra, num: 15. in hac de iudicis materia expediendum; Num videlicet iudex possit eum, quem certò scit iñocentem esse, condemnare siue ciuili, siue criminali pæna. In qua re est sententia S. Thom: 2. 2. q. 64. art: 6. ad 3. & q. 67. a t: 2. quam communiter defendunt Theologi, duo vero illa in se cōtinet. Primò tentanda esse iudici omnia media quæ faciunt ad liberandum insontem, cuiusmodi sunt, suadere parti iniustè instiganti, vt desistat à persequēda lite; aperire carceres, vt innocens inde fugiat (modò tamen id cautè fiat sine aliqua infidelitatis in custodiendis captiuis nota, aut sine alijs iudicis incommodis,) remittere litem ad superius tribunal, differre sententiam, vt interim pateat factum, & alia adhibere, quæ prudens charitas suggerere potest. Quodsi nihil horū profit, alterum quod in hac sententia continetur est, vt possit & debeat iudex ferre decretum contra insontem, allegatis, & probatis tanquam reum conuictū, vt tamen secura id conscientia agat, testari publicè debet, notam sibi priuatim esse innocentiam condemnandi, & quod condemnetur, se testibus, & probationibus coactum ferre pro munere iudicis eiusmodi sententiam. Jam ratio cui innixi, ita tenent Theologi est talis: quia iudici datur à communitate potestas, vt in iudicando subeat illius vicem, si autem ipsa cōmunitas iudicaret, non vnius priuati sequeretur sentētiam, sed omniū, vel multorum, ac proinde com- 33.

de communem, & publicam; ita & iudex, non sua priuata notitia dirigi debet ad ferenda decreta, sed eorum quos illi assignat cõmunitas ad comparandam publicam scientiam: nempe, vt sint testes, fama, facti clara notitia, leges & iura, & tandem ex his allegata & probata: ista ergo iudex attendere debet, si rectè munus suum peragere velit.

34. Et id quidem ordinariè illi faciendum; excipiunt tamen authores euentum, in quo potest respublica concedere supremo iudici, ex priuata scientia ius puniendi reum, ob enorme quodpiam, & atrox facinus quando publicæ probationes propter multa incommoda fieri nequeunt. Hoc modo posset morti is subijci, qui toti reipublicæ, aut eius capiti machinaretur interitum; neq; tamen, quia potens est, publicè expediret eum iudicari, ob tumultus, & similia: ita docent authores apud Lessium, quos ipse in hoc sequitur, lib: 2. de iustitia c. 29. dub: 11. Extra hunc casum neq; insons iudicialiter absolui, neque reus damnari debet nisi præhabita publica scientia, ob id vel maximè, quòd (vt præcedenti num: dixi) iudices vicem communitatis gerant; hæc autem præscripsit ijs publicam notitiam, tanquam regulam, & normam in iudicijs sequendam, aliàs plurimis iniustitijs porta pateret, si permitteretur ijs, vt priuato regantur sensu.

35. Lessius nunc citato loco dubitatione 10. & quidam alij, apud ipsum tenent contrarium huic doctrinę: asseruntq; non posse à iudice eum damnari, quem scit priuatim esse innocentem, quantumuis conuictus sit, tanquam reus, debereq; (si aliter prodesse insonti nequeat) eum deponere potiùs officium, quàm contra talem, decretum ferre. Ratio eorum potissima est hæc, quòd sit contra ipsum ius naturæ, velle nocere, aut perdere innocentem Confirmant id duabus instãtijs; nam sicut nulli licet accedere ad alienam vxorem, quam ipse sciat priuata scientia esse alienam, quantumuis probetur in iure propria; ita non licebit damnare iñocentem, etsi publicè probetur nocens. Rursus sicut carnifex non potest exequi sententiam capitis, si certo sciat esse iniquam, ita neque iudex potest talem damnare ad mortem. Sed hæc non videntur habere vim, vt priorem sententiam probent falsam esse; innocentem enim non licet occidere, quam diu habetur innocens; cæterum is qui publica scientia, quam debet iudex sequi ex potestate à republica accepta, conuincitur, est apud iudicem, & communitatem nocens, debet ergo, vt talis condemnari. Nisi fortè communitas censeat absoluendum in aliquo casu, quemadmodum numer: 34. diximus, posse reipublicæ concessione reum puniri, qui ex

priuata

priuata duntaxat ſcientia talis habetur. Hic tamen caſus in quo liceat inſontem, ex priuata ſcitntia abſoluere, rarus videtur eſſe, quod vel ex proceſſu Danielis, quem legimus apud ipſum capite 13 diuino iuſſu confecto, manifeſtè patet: vt enim Suſannam innocentē à morte vindicaret, non priuata ſcientia, quam à DEO communicatam ſibi habuit, vſus eſt, ſed ipſorummet ſenum, qui contra illam falſum teſtati erant, publico teſtimonio. Uoluntas ergo DEI fuit, vt Suſanna tantæ authoritatis, & famæ fæmina (quæ circumſtantiæ videntur continere caſum in quo licuiſſet priuata ſcientia innocentem abſoluere) non aliter qnàm per allegata, & probata declararetur eſſe liberanda. Ad inſtantiam illam de vxore aliena, facilis eſt reſponſio, etſi enim iudex inſtructus probationibus ferat ſententiam tanquam de propria; is tamen qui certò ſcit alienam eſſe; non poteſt ei vt ſuæ cohabitare: ſi quidem iudicis eſt ferre duntaxat decretum, non autem cogere ad eius executionem illum, qui eſt facti, & veritatis conſcius; quin vt diximus num: 33. proteſtari debet iudex ſe cogi publica ſcientia ad decretum ferendum, etſi priuatim aliud tanquam certum ſciat; debetq; diſſuadere, ne ſententia ſortiatur executionem. Atque hinc ad ſecundam quoq; inſtantiam par danda reſponſio, quam affert S. Thomas 2. 2. q. 64. art: 6. ad 3. Miniſter inquit ille, *Iudicis condemnantis innocentem, ſi ſententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire aliàs excuſarentur carnifices, qui martyres occiderunt; ſi verò non contineat manifeſtam, non peccat, præceptum exequendo; quia ipſe non debet diſcutere ſuperioris ſententiam, nec ipſe occidit innocentem, ſed iudex cui miniſterium exhibet.* Per intolerabilem errorem duo poſſunt apud Sanctum Thomam intelligi, primò ſi iudex contra ordinem iuris, & æquitatem allegatorum, probatorumq; damnet, & tum non debet ei miniſter obedire, quia abutitur ſua poteſtate. Secundò, ſi damnet ex probatis, declarando tamen innocentiam damnati, quo in euentu, non debet exequi miniſter ſententiam: nam hoc ipſo, quod iudex teſtatur inocentiam rei, liberum facit miniſtrum ab exequendo decreto, à ſe quidem benè lato, quia ex poteſtate publica, non tamen tali, quæ vrgeat, aut mandet executionem; peccabit igitur tunc miniſter, ſi vrgente parte innocentem necet.

Doctrina hactenus S. Thomæ, aliorumque Theologorum ita iam probata, monet ſui officij iudices; ſi enim iura legesq; adeo fideliter ſeruare debent, vt etiam inſontes poſſint damnare: quanta erit illorū iniquitas, qui iuribus, & iuxta ea debitis probationibus omiſſis, fraudibus, dolis, vi, fauoribus, & id genus alijs iuſtitiæ peſtibus, iudicia ac 36.

decreta vitiant, audaci quadam præsumptione, tantum sibi arrogantes, & fidem ac reuerentiam, quam legibus debent violantes? sed non diu patietur Deus iniquè damnatorum latere, opprimiq; innocentiam, neq; feret iudicantium sceptra, fascesq; longius extolli: Dominus, testatur Ecclesiast: cap. 35. *non elongabit sed iudicabit iustos, & faciet iudicium & fortissimus non habebit in illis patientiam vt contribulet dorsum ipsorum, reddet vindictam donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet, donec reddat hominibus secundùm actus suos, & secundum præsumptionem.* Verum quid tandem faciendum siue iudicibus, siue alijs, qui authores sunt peruersi iudicii, vltimò iam videndum est.

Sectio VIII.

Quonam pacto corrigendum sit iudicium iniquè factum.

37. AD iudicij actum omnes si (vt iam vidimus) concurrunt, nempe iudex, actor, reus, aduocatus, postremo testes diuersa quisq; ratione; quibus non satis est pænitere facti, nisi aliud accedat. Cùm enim agant contra iustitiam commutatiuam, damniq; ac iniuriæ sint causa; non sufficit pænitere, sed simul compensanda sunt omnia integrè illata insonti nocumenta: id quod est apud omnes doctores plus certum, quàm vt egeat probatione, patetq; ex dictis hac parte cap: 5. num: 3. de restitutione. Quamobrem si vnus ex ijs, qui ad iudicium spectat est totalis causa iniquæ sententiæ ille ipse resarcire debet totum, quod si in parte noceat, partialis ab eodem facienda restitutio, & ita facienda, vt nisi fiat, ipsum quoq; peccatum non sit dimittendum clarè id præcipiente Christo Matthei 5 *Vade, reconciliare fratri tuo*: *vbi mandat Dominus* præter memoriam facti cum dolore, adeundum quoq; esse offensum, & reo satisfaciendum. Solent quidem nonnulli excusare suum in iudicijs erratum in eo casu, in quo plures concludunt, vel quacunq; ratione iniustitiam promouent, quibus si vnus contrarietur agatq; pro iustitia, nihil facit, quia non vincit plures; in eo ergo euētu putant sibi licere vlulare cum lupis. Sed nequaquam id licet, etsi enim vnus non vincat plures, tamen conscientiam suam à culpa vindicat, & suo rectè facto, quasi protestatur coram DEO, & hominibus se non subscribere iniquis Ita Exodi 23. iubet DEVS: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies; nunquam ergo sequenda est plurium iniqua sententia.*

38. Jam quanta, & qualis debeat esse satisfactio, propter iniqua peracta iu-

acta iudicia, cognoscere possumus ex Exodi 21. vbi inter alia hæc duo Devs statuit: *Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius; dominus quoq; bouis innocens erit: quòd si bos cornupeta fuerit, ab heri & nudius tertius, & contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum, occideritq; virum, aut mulierem; & bos lapidibus obruetur & dominum eius occident.* Aliud quoq; ibidem statuit Devs; *Si quis* inquit, *aperuerit cisternam, & foderit, & non opperuerit eam, cecideritq; bos, aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium iumentorum, quod autem mortuum est ipsius erit.* Ista duo ibi legimus statuta quæ planè congruunt nostro proposito in sensu morali sumpta; cornuum enim fortitudo significat in scriptura potestatem, quam in Rege Ægypti Devs exprimit per Ezechielem capit: 32. *Leoni assimilatus es, & draconi; ventillabis cornu:* cisterna quoque, seu puteus, au fouea denotat ruinam, ita Psalmo 7. dicitur: *Incidit in foueam quam fecit.* Itaq; qui potestate iudiciaria cum damno insontium abutuntur: & qui ijsdem sunt authores, vt æquissimâ cadant causâ, ruantq; in foueas damnorum; audiant quid à talibus velit Devs: Pœnitentiam agent facti; bene quidem, nisi enim illam egerint *omnes similiter peribunt* sententia iusti iudicis Christi, Luc: 23. Addent ijdem, vt potestate non ad ruinas innocentium fungantur in posterum, & hoc bene; non enim vera est pœnitentia, nisi adsit voluntas non repetēdi noxia: vltra hæc ipse bouis & cisternæ dominus puniendus est, qui sæuum animal in inermē dimisit, qui lapsum casuro parauit. Puniri debent potestatis iudiciariæ iniqui, ad cædem, damnumq; aliorum villici, puteorum, ad aliena detrimenta profundi fossores; debēt, inquam puniri in nummis, in fama, in vita, in omnibus, in quibus nocuerunt: eodem enim capite in Exodo dicitur: *Oculum pro oculo, manū pro manu, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.*

Dicent fortè ad hæc, non videmus ita puniri aut iudices, aut aduocatos, aut testes aut actores, & tamen plurima malè iudicantur. Respondet iudiciorum Iudex 1. *Ego cùm accepero tempus etiam iustitias indicabo.* Psalmo 74. Fuerunt, & sunt tempora iudiciorum Dei in tales; sed hæc occulta, & rariora sunt, succedent manifesta quæ nullus, qui meretur euadet. Ergo moriuntur iudices, aduocati, testes, accusatores; Devs accipit tempus, iudicat illam, quam ipsi ferunt, scribunt, promouent iustitiæ sentētiam. Isto tempore tam omnibus vicino, quàm est vicina mors puniendi, & vt sint certi iudicij, sint memores illius promissi: *Cœlum & terra transibunt, verba mea non præteribunt.* Matth: 24. Puniet igitur Devs, ac ne puniat, dum suum quisq; tēpus ha- 39.

pus habet, antequam veniat illud domini; verè in ipsius iudicio reus, & doleat id, se authore iniustè factum sit, & non repetat deinceps idem; postremò reconcilietur fratri suo, ne restet, quod illo tempore sit iudicandum. Hæc de iustitia commutatiua.

CAPVT X.

De Religione, & eius actibus Orationis ac deuotionis.

EXpeditis Iustitiæ partibus subiectiuis, sequuntur illæ quæ potentiales dicuntur supra hac 2. parte cap: 4. à numero 46. recensitæ, nempe religio, pietas & cæteræ. Hoc ergo capite à re-
1. ligione inchoandum. Quæ vt docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 81, *Est virtus reddens Deo debitum illi cultum, ac reuerentiam, primo principio creationis & gubernationis.* cum enim ille infinitè sit excellens, debetur ei à creatura intelligente, excellentiamq; diuinam cognoscente omnis, qui exhiberi potest honor. Neque verò per honorem nostrum accessio fit aliqua diuinæ gloriæ; nam cùm gloria sit clara notitia excellentiæ, & DEVS solus, tantum norit suam excellentiam, quanta illa est, nimirum, infinitam, infinitè ipse solus tantùm se glorificat, quantùm est dignus, proinde à nullo clariùs & meliùs laudari potest: debet ergo creatura intellectualis honorem illi, & gloriam, tum vt protestetur suam subiectionem, & diuinæ maiestatis celsitudinem; tum vt eiusmodi cultu excitet, promoueatq; se in vltimû finem. Vtrumq; hoc declarat Ecclesiasticus capit: 43. his verbis: *Multa dicemus, & deficiemus consummatio autem sermonum ipse est, in omnibus glorificantes, ad quid valebimus? ipse enim omnipotens supra omnia opera sua terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius, glorificantes Dominum quantumcunq; potueritis, superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius.*

2. Tantam excellentiæ celsitudinem ab ipso Spiritu S. descriptam, colit, & veneratur religio, tam internis, quàm externis actibus, infra num: 7. explicandis; & cum sit propensio, & impetus quidam ex habitu conceptus, quo anima cupit Deum reuereri; sequitur vt religio in voluntate resideat; dirigitur tamen à prudentia, & fide christiana in præstando cultu vni vero Deo debito, quemadmodum & ipsa voluntas regitur ab intellectu. Causa autem propter quam externæ quoq; vsurpantur in cultu diuino operationes, est quia homo constat spiritu, & corpore, & vtraq; hac sui parte Deo subijci, ipsiq; obse-
qui de-

qui debet; quare non satis erit mente (quanquam hoc præcipuũ est) colere DEVM, nisi etiam accedat portio corporis, vt eo toto, quod homo est, & quo potest, laudet DEVM, quemadmodum præcipit Ecclesi: Cap: illo 43. *Glorificantes Dominum quantum potueritis.*

Sectio I.

Hæretici non rectè impugnant cæremonias catholicorum.

QVa in re manifestè errant caluinistæ, aliįq; heretici, qui non putant adhibendas esse in diuino cultu cęremonias, verum ijs semotis, mente duntaxat colendum DEVM: errant inquam, suntq; in DEVM iniurij, qui partem obsequij humani illi subtrahunt, cùm cęremonia nihil sit aliud, quàm operatio corporea, & externa, quæ significet internam mentis reuerentiam, & obsequentis animi propensionem. Ac inter homines quidem vsurpantur cæremoniæ, tãquam signa, & indices animi; cæterùm DEO, qui scrutatur corda non ideo exhibendæ sunt, sed vt eo toto, quod est, & quod habet homo testetur se colere supremam maiestatem, id quod apud fideles semper in vsu fuit. 3.

Atq; vt omittam veterem legem in qua innumeræ cęremoniæ, in Exodo, & Leuitico præsertim contentæ ex præscripto DEI obseruandæ erant: similes etsi multò nobiliores & exercuit Christus, & in se credituris, exercendas reliquit: inter quas præstantissima fuit illa: Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22, quam adhibuit Dominus relinquendo nobis suum corpus & sanguinem sub externis signis panis & vini, & vtriusq; consumptione, idq; vt deinceps in memoriam eius tanti benefactoris Ecclesia per destinatos ad id munus vsurparet, mandauit dicens; Hoc facite in meam commemorationem. Quid verò fuit ille corporis situs, in monte Oliueti, vt apud eosdem Euangelistas legimus procumbere in genua, in faciem procidere, iacere in terra? quid inquã fuit aliud, quàm cęremonia, quæ significabat demissionem animi, & quidem supplicantis, & in angustijs constituti. Quoties oraturus, benedicturus, aut sanaturus, *iam oculos in cælum eleuabat,* Ioannis 11. Lucæ 24. *iam ingemiscebat,* Marci 7. *iam sputum luto miscebat, linebatq́,* Ioannis 9. *iam manu attingebat ægrum,* Matthæi 8. *mortuum* Matthæi 9. Similiaq; quibus plena sunt Euangelia faciebat: quid hæc erant, nisi signa, & operationes externæ, internas deuotionis, cõmiserationis, aliasq; pias in DEVM Patrem, & in peccatores affectiones indicantes? 4.

5. Magistrum secuti discipuli, Apostoli Sancti, ea quæ ad cultum DEI hominumq; salutem necessaria erant, partim à Christo tradita retinuerunt, partim noua instituerunt, potestate sibi ab eo data de qua Matthæi 10. legimus: *Dedit illis potestatem Spirituum immundorum, vt curarent omnes languores*, (signis profectò, & cæremonijs, quibus ipse Christus vtebatur) aliaq; fierent, quæ ibi recensentur. Eadem potestate, de qua gloriatur Apostolus 2. Cor: 10. & 2. Thessalonicenses 2. succenset ille idem ijs, qui non seruabant traditiones ab Apostolis ordinatas, inter quos procul dubio erant aliquæ ad cultum DEI externum, recēter ad Christum conuersorum spectantes. Tali ergo potestate Apostoli *& baptizabant aquâ*, Actorum 8 & 10. adhibebant *oleum extremæ vnctionis* Iacobi 5. *Imponebant manus, ad confirmandos in fide recens baptizatos* Actorum 8. *ordinabant Epis: & sacerdotes manuum impositione* 2. ad Timotheum 1. plurima alia exteriùs agebant, ad significandum DEI dona, & Sacramenta intus operantia, quæ in Ecclesia catholica hucusq; per traditonem accepta fidelissimè retinentur, & retinebuntur quoad durabit mundus. Quod si quæ nouæ adduntur à successoribus Apostolorum cæremoniæ, eæ non substantiam continent sacramentorum, sed ad institutorū iam pleniorem, & magis deuotum conferunt vsum; vt sunt longiores preces, diuersi cantus, & similia, quæ etiamnum illius authoritate fiunt, & ab illo accepta potestate, qui dicit Matth: 24. *Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi*; & Ioan: 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

6. Hæc qui sano mentis oculo, neque lippiente hæreseos pertinatiā considerat, clarè videt miseram istorum cæcitatem, qui, rudes, hoc tanquam maximo argumento, à veritate catholica auocant; quòd apud nos plurimæ sint cęremoniæ; neq; aduertunt infelices, se (nisi desinant esse homines) ne quidē eo, quem vsurpant cultu, posse vtcunq; honorare DEVM, reiectis omnibus cęremonijs. An enim contenti sunt spiritu duntaxat orare, & non etiam ore? nunquid non tundunt pectus manu? non detegunt capita viri? non flectunt genua, etiam fæminæ in nomine IESV? quod vel Dęmones facere coguntur Philippenses 2 an non cantant sua cantica? Postremo nunquid non faciunt alia multa, quæ & externæ sunt cęremoniæ, & plurimæ ex illis, neque à Christo, neq; ab Apostolis præscriptæ? vbi enim Christus, vel Apostoli mandarunt, vt ad mensam panis, quem illi vocant sacramentalē assideant, stent aut flectant? Vbi legerunt in sacra scriptura illas, quas recitant preces, psalmosq; quos cantant; Quis inuenit funebres, quas peragunt processiones? & cætera multa, quæ ab illis non ideo damnamus

arnamus fieri, quia cæremoniæ sunt ab ipsis excogitatæ, (licitas quippe omnes asserimus, quæ conducunt ad DEI cultum, atq; obsequium debitè exhibendum) sed ideo, quòd in ipsa sacramentorum, & fidei substantia, à nobis atq; à veritate discrepent. Maneat ergo tanquam certum, & verissimum fidelium dogma, *ad internos religionis actus, adiungendos esse externos.*

Vt verò tam hi, quàm illi noti sint; sciri debet, actus virtutis moralis, præsertim in voluntate residentis, bifariam solere accipi; quidam enim sunt, qui concernunt subiectum, & per quos in obiectum, siue in materiam virtutis fertur voluntas: eiusmodi est amor honesti, desiderium, intentio, & similes affectiones, alij sunt ipsa materia & obiectũ, qui positi in exercitio continent virtutis operationes. Priores actus sũt interni dũtaxat; posteriores possũt esse tã interni, quã externi id, quod in religione facilè cernitur: huius enim primi generis actiones sunt, quibus, aut intendimus colere DEVM, aut eligimus ea quæ ad cultum conferunt, aut vtimur electis, fruimurque ipso DEI cultu. Secundi generis actiones internas ponit Sanctus Thomas 2. 2. q. 62. & 83. deuotionem, & orationem vtraq; enim, vt ostendemus in anima completur, licet signis externis possit manifestari. Externas enumerat Quæstione 84. *adorationem, sacrificium, oblationes, primitias, decimas, votum, iuramentum, adiurationem, laudem Dei,* quæ omnia, aut solũ externis exhibentur signis, vt adoratio, sacrificium, decimæ, oblationes, primitiæ, iuramentum, adiuratio creaturæ; aut licet possint internis perfici actibus, vt plurimùm tamen habent externos, vel vt comites, ita orationem mentalem comitatur vocalis, & psalmodia, vel, vt id, quod omnino exteriùs complendum sit, vt votum eleemosynæ, aut ingressus in religionem. Omnes hæ religionis operationes clariùs patebunt, per explicationem singularum: hoc verò capite priores duæ internæ declarandę erunt. 7.

Priùs verò ipsa huius virtutis videnda præstantia, quæ vt docet S. Thomas 2. 2. q. 81. art: 6. antecellit alijs virtutibus moralibus in voluntate sitis, eò quòd aliæ, moderentur vsum bonorum corporis, fortunæ aut etiam animę, illa in DEVM fertur colendum, ex quo capite etiam obedientię præstat, quæ intellectum, & voluntatem perficit, maior autem est DEVS, etiam hisce bonis animæ. Quanquam obedientia præfertur religioni, in eo quòd latissimè pateat, & omnes virtutes morales, etiam ipsam religionem, DEI subijciat imperio (de quo libro hoc, parte priore, capite 10. num: 41. dictũ est, & plura hac parte, cap: 19.) cùm religio suos duntaxat actus respiciat. Et licet tanta 8.

 sit reli-

sit religionis præstantia ex eo quòd in Devm feratur, non ita tamen eum concernit, vt virtutes Theologicæ, nam hæ in ipso Deo hærent, fide, fiducia, & amore; religio autem per actus iam præcedenti numero explicatos in Devm fertur, tanquam per media quædam, offert enim verbi causa sacrificium rei alicuius sensibilis, vt per illud colatur Devs, virtutes autem Theologicæ citra vllum medium in Devm tendunt. Sed iam actus propositos explicemus, ex quibus opposita religioni vitia facile cognoscentur.

Sectio II.

Quid sit Oratio.

9. DE Oratione tria explananda. Quid illa sit, ad quem dirigenda, & quæ petenda per eam. Primum vt S. Thomas ostẽdat, supponit 2. 2. q. 83. art: 1. rationem nostram, quæ est suprema in homine facultas, & cæterarum dux ac regula, dupliciter ordinare ea, quę ad hominem spectant, primò imperando, qui modus cum ijs seruatur, quæ nobis sunt subiecta, vt mẽbra proprij corporis, serui, famuli, subditi, secundò ordinat ratio precando, & inducendo aliũ, in id, quod quis de se, suisq; rebus statutum velit, atq; id cum superioribus duntaxat vsurpatur, aut cum paribus, qui non sunt subiecti. Hoc supposito ostendit S. Doctor orationem esse rationis operationem, qua illa proponit indigentiam suam Deo precando, hoc est inducendo eam ad succursum, & sicut ordinatio imperans vno verbo exprimitur, (fac) ita ordinatio supplicans vno etiam exprimitur (succurre). Quo ipso, siue expresso, siue intellecto vocabulo, satis ostenditur oratio esse actus religionis. Etsi enim sit operatiò intellectus, in eam tamen voluntas religiosa ita inclinat, vt honoretur Devs tanquam principium & author succursûs, omnisque boni, quod ab illo petimus. Itaq; oratio ad Devm, (de hac enim agimus) est propositio indigentię, cui omnis creatura ipsa sui conditione subdita est, propositio, inquam, ab homine ad Devm directa, qui solus sine vllius ope potest auxiliari: Atq; hac de causa dicitur oratio esse eleuatio, vel ascensus mentis ad Devm, per eam enim homo transcendit omnia creata, & ad Creatorem ipsum eleuatur, in eoq; sistit, cùm non possit ascendere altius.

10. Multis porro oratio gaudet asseclis, quò gratior compareat coram supremo Numine, & si de fidelibus orantibus sit sermo, non satis est prudentia acquisita, quæ moneat orantem officij, vt decenter cum tanta agat

ta agat maiestate; neq; sufficiunt aliæ virtutes pariter acquisitæ humilitas verbi causa obedientia, & similes; sed debet adesse fides & spes, multò vero vtilius atq; efficatius oratur præsente quoq; charitate, sed dehoc infra.

Sectio III.

Quomodo attentio, intentio & deuotio requiratur ad orationem.

CÆterum tria hæc singulari quadam ratione, annexa sunt orationi, & inprimis attentio, quæ si de oratione mentali agamus aliud non est, quàm consideratio eorum, quæ mens voluit, siue DEVM, eiusq; attributa contemplando, siue exercendo actus de quibus numero 16. dicitur, vt est orantis aliorumq; necessitates DEO proponere contestari illum, eiusq; attributa, gratias ipsi agere, & cętera. Hæc omnia duplici modo mens peragit; vel enim ita ista considerat, vt non aduertat ista se considerare, vel reflectit se nouo actu, scitq; se in consideratione perdurare; quocunq; modo id fiat, sufficiens, & necessaria est talis attentio. Cùm enim oratio, vt iam vidimus sit mentis opus, quemadmodum, vt illa aliquid operetur, requiritur eius applicatio, conatusq;, ita vt operetur orando, adesse debet applicatio talis, qualis non in alia quapiam oratione diuertente constituat mētem, sed in oratione duntaxat. De industria addo, non debere esse aliam diuertentem cogitationem; potest enim fieri, vt quis oret mente, & aliud quid eadem verset, ita videlicet vt hæc alia cogitatio, nihil distrahat, neq; alio auocet attentionem orationis: sed hoc rarum est, & inprimis beatis proprium, hi enim & DEVM perfectè contemplantur, & alia simul mente agitant, sine vllo beatæ visionis impedimento. Deinde Sanctis quibusdam in hac adhuc vita degentibus conceditur id interdum; nam vt scribit Vincentius Puccinus, Maria Magdalena de Pazis, Carmelitana Florentię in raptu durans, simul cum alijs agebat, & opera quædam manibus elegantissima texebat, quod sine attentione fieri non potuit; Multa eiusmodi citatus author parte 1. vitæ ipsius capite 18. & alijs refert, in alijs rarò id euenire putandum, quantumuis enim docti sint, & ingenij cuiusdam lati quod ad plura simul extendi possit, tamen de omnibus verum est illud: Pluribus intentus minor est ad singula sensus: itaque qui orando multa mente tractat, aut prorsus auertit eam ab orando, aut saltem minuit attentionem. Dico qui multa tractat, pauca enim, & non magna egentia attentione, possunt & debent interdum expediri; ita quippe sacerdotes inter

tes inter celebrandun adhibent cęremonias, thurificando verbi causa cruce ſignando oblata, veſtibus ſacris ſe induendo & ſimilia peragendo: atq; hæc dicta ſunt de attentione orationis internæ.

12. Si vero agamus de oratione vocali, ad eam triplicem exigit attentionem S. Thomas 2. 2. q. 83. art: 13, ad verba ſcilicet, ad ſenſum verborum, & ad Dei maieſtatem, excellentiamq́;: quæuis harum ſufficiens, & neceſſaria eſt ad orandū vocaliter, præſtantiſſimam tamen putat S. Thomas citato articulo in corpore, *Si nimium hæreatur in Deo, & diuinis.* Etſi enim attentio ad ſenſum verborum poſſit excitare pios affectus & commentationes deuotas; nulla tamen præſtantior eſt ea, quam quæ Deum, & diuina expendit, ex qua deinde conſequūtur piiſſimi affectus, amoris, timoris, reuerentiæ Dei & ſimiles.

13. Jam intentio eſt duplex, vna communis, & vniuerſalis, ſpecialis alia, illa eſt voluntas colendi Deum, & neceſſaria prorſus ad orādum, ſaltem implicita, & confuſa aliqua ratione in animo præhabita: ſi enim abſit colendi Deum voluntas, occupatio in diuinis non erit oratio, ſed vel indifferens quædam operatio vt eſt lectio, aut literarum ſtudium, cogitatioque de Deo; ſi etiam oretur animo impetrandi aliquid erit actus ſpei, qua expetitur quidpiam à Dei potentia & bonitate. Atq́; hæc vniuerſalis intentio, non ſolùm præſtat, vt oratio ſit cultus Dei, ſed etiam retinet illam, in continuatione religioſi actus quantumuis diſtractio ſuperueniat, modo prima illa intentio non mutetur, ſed ſaltem vt docent Theologi virtualiter perſeueret, hoc eſt in aliquo opere ab illa intentione præſcripto, aut certe renouetur formali actu. Quod ſi vel mutetur per propoſitum non orandi, vel fiat aliquid contrarium orationi, & diſſonum ab ea, vt ſtudium literarum, lectio, colloquium, & cætera, iam ceſſat oratio, debetq; iterum intentio inſtaurari, ſi quis in oratione pergere velit. Quod ad ſpecialem orationis intentionem ſpectat, ea varia eſt pro varietate affectûs inter orandum occurentis; qui enim orat iam ſibi intendit impetrare aliquid, iam alijs, iam excitare mentem ad feruorem, iam ad aliud quidpiam collimat, tantoq; intentio hæc erit melior, quantò finis ad quem tendit excellentior præfigetur.

14. Sequitur deuotio, quam ita definit S. Thomas 2. 2. q. 82. art: 1. & 2. *Deuotio eſt prompta voluntas colendi Deum.* Duo verò per hanc promptitudinem poſſunt intelligi; primò voluntatis efficax actus, ſeu intentio colendi diuinam maieſtatem, ex qua voluntate ſequuntur deinde actus orationis, adorationis, & cæteri pro neceſſitate, & oportunitate ſingulorum, ad religionem ſpectantes. Secundo: poteſt accipi deuotio pro

tis pro intensione vt dicitur philosophi graduali tam voluntatis iam explicatę, quàm cuiuscunq; alterius religiosi interni actus. Prior deuotio, & promptitudo potest dici substantialis, est enim actus religionis in obiectum eius, scilicet, in cultum DEI terminatus, eiusdem formę, ac speciei cum reliquis religionis actibus: posterior deuotio vocāda est accidentalis, quę est feruor, & accensio quædam cordis. Vtriusq; partim necessitas, partim vtilitas inde patet; nam sine priore nemo censendus est Deo douotus. Sicut enim, vt bene docet S. Thomas art: illo primo in corpore, qui se cuipiam tradit ad prosequendum eum cultu & honore, dicitur illi deuotus; ita qui DEVM agnoscit, à se tanquam supremam maiestatem summè colendum idq; omnino statuit apud se, censendus est illi deuotus, siue hoc faciendum decernat per votum, vt faciunt religiosi, aut qui aliquid ipsi vouent, siue sine voto, sola voluntate colendi eius diuinam celsitudinem. Et quemadmodum, qui non se deuouet alicui domino per efficacem honorandi voluntatem non colit illum nec censetur ipsi deuotus, quia non habet actum substantialiter requisitum ad hoc, vt ei exhibeatur à minus honorato cultus, & honor; ita qui caret hac substantiali deuotione, nequit colere DEVM tanquā inferior supremam excellētiam. Secus tenendum, de deuotione illa accidētali, potest enim quis dici DEO deuotus, illiq; exhibere actus religionis, etsi careat accenso mentis feruore, (dico accenso, aliquis enim intensionis gradus, in omni voluntatis actu, adesse debet, vt certum est ex philosophia) siue ex eo, quod nondum adeptus sit intensum habitum religionis, siue quòd licet habeat intensum, non tamen applicat illum toto conatu ad actum ex pigritia, tentatione Dæmonis, & id genus alijs ex causis.

Porro vt tam accidentalis hęc crescat deuotio, quam illa alia substantialis solidetur, & nunquam voluntas à colendo auertatur DEO, optima dat duo media S. Thomas 2. 2. q. 87. art: 3. & 4. meditationem, scilicet, ac contemplationem, tum diuinę bonitatis, & excellētiæ, tum nostræ infirmitatis, egestatisq;. Inde enim inprimis fiet, vt voluntas adhæreat firmiter Deo, quem scilicet intellectus agnoscit dignissimum omni, qui à nobis exhiberi potest cultu, neque posse nos egestati propriæ ab vllo pręsentius remedium expectare, quam à supremo Deo bonorum omnium fonte. Deinde ex eadem consideratione, augebitur feruor, & lętitia mentis, vt pote quæ in DEO quiduis boni habet, & omne reperit suę miserię antidotum. Postremò nascitur inde diuini boni amor, quem excitat meditatio; vt enim ignoti boni nulla est cupido, ita cogniti, & valde excellentis, magna. Qua- 15.

propter

propter amor DEI, & oratio mutuò se promouent, nam dum ille DEI bonitate oblectatur, tenet comitem orationem, vt non solum eius summam perfectionem, excellentiamq; laudet; sed etiam ab eo suppliciter petat, quod vult, velitq; quiduis cum quiduis ibi reperiatur, ex altera parte quando oratio laudat precaturq; DEVM, non vult deseri ab amore per quem omne illud, quod diuinæ à nobis præstatur maiestati, & quod ab eo impetramus, vltimo tandè tanquam in fine bonorum omnium in Deo desinere, & terminari debet.

Sectio IV.

Cur Apostolus Paulus 4. ad rectè orandum requirit, obsecrationem, videlicet, orationem, postulationem, & gratiarum actionem.

16. VErba Apostoli 1. ad Tim: sunt: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus*; vbi cùm distinguit postulationem, ab oratione, & oratio, vt vidimus, idem est quod postulatio, seu petitio, difficultatem parit prædicta distinctio: & augetur eadem difficultas per alios actus ibi enumeratos qui distincti sunt ab oratione. Nam vt docet S. Thomas 2. 2. q 83. art: 17. in corpore. *Obsecratio significat obtestationem, seu adiurationem Dei per ipsius diuina attributa*, adiuratio autem videtur, esse distinctus religionis actus ab oratione, sicut & gratiarum actio ad aliam pertinet virtutē, nempe ad gratitudinem. Sed optimè à Spiritu S. doctus Apostolus omnia hæc & distinxit & adiunxit orationi, volebat quippe excitare homines ad DEVM, vt cum eo agendo, colloquendo suaq; conferendo, familiaritatem quandam, cum tanta contrahant celsitudine; id quod significat nomen orationis, quæ vt vidimus supra num: 12. transcendit omnia, & ad DEVM peruenit in eoq; remanet, quod ipsum meliùs explicatur infra cùm agetur de præstantia orationis. Cùm vero multis egeat orans; vbi ad DEVM venerit, suas illi proponit egestates, & hoc innuitur nomine postulationis petentis succursum, quæ duo, oratio, nempe, & postulatio, non sunt distincta nisi mentis conceptu; vnus enim orationis actus, & est eleuatio, ascensusq; mentis in DEVM & simul supplex necessariorum petitio. Jam adiuratio additur, tanquam distincta ab oratione, (de quo dicitur cap: 16. num: 12.) & quidem valde vtiliter, dum enim per bonitatem, misericordiam, sanctitatem, & alia DEI attributa petimus, excitamus cor diuinum ad tanto vberiùs, citiùs & efficaciùs nobis succurendum, quantò ipse se, suasq;

suasq; diuinas excellentias infinitè magis colit, & glorificat, quàm nos possumus. Itaq; dum dicimus; per infinitam tuam misericordiam exaudi me DEVS, est idem ac si diceremus, quantùm DEVS nosti, quid possit, & digna sit tua conferre misericordia, tantùm succurre. Postremò additur actus gratitudinis optimè etiam, & vtilissimè; sicut enim obsecrando DEVM per DEVM, mouemus illum ad succurrendum propter ipsius excellentiam; ita nostram illi gratitudinem proponendo allicimus ad noua conferenda beneficia, nempe ijs, qui totum ipsi acceptum ferimus, nihil nobis, sed quiduis illi attribuentes. His de causis optimè & vtilissimè quatuor prædicta ad debitè orandum recensuit Apostolus.

Sectio V.

Quæ sint commoda, & fructus orationis.

QVemadmodum aliorum bonorum operum tria recensentur à Theologis commoda, meritum scilicet, satisfactio, & impetratio vt dicetur cap. 14. nu. 31. ita & orationis; & duo quidem priora sunt communia alijs pijs operibus; impetratio peculiaris est orationi, nempe quæ ad hoc assumitur, vt aliquid impetret. Explicandum hic latius esset, quænam requirantur, vt oratio certò, & infallibiliter impetret; nisi id fuisset dictum hac parte post cap: 3. nu: 71. & 72. vbi recensuimus 4. requiri ad efficacem orationem, nempe vt is, qui orat pro se oret, deinde piè, tum necessaria ad salutem, postremò perseueranter, id quod docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. Q. 83. art: 15. ad 2; & art 16. in corpore vbi singulas has efficacis orationis conditiones exposuimus. Vnum tamen hîc restat ostendendum; num videlicet etiam peccatores infallibiliter impetrent; siquidem carent, saltem una ex predictis 4. conditionibus. Etsi enim pro se, & necessaria ad salutem, ac perseueranter petant; non tamen piè, cum sint destituti gratià, & charitate DEI quæ est fundamentum pietatis. Rursus accidere potest, vt petat quis pro se, & perseueranter, sed neq; piè, nec necessaria ad salutem, verùm indifferentia cuiusmodi sunt, quæ ad vitam conferunt mortalem. 17.

De horum oratione, ita videtur sentire S. Thom. 2. 2. Q. 83. art: 16. in corp: & art: 15. ad 1. primò enim, aut petit peccator vt peccet, duretue in peccato, & talis non exauditur, cùm contra 18.

DEVM, & omnem pietatem petat, vt infrà à num: 71. dicemus; nisi forte DEVS in pœnam permittat, vt id peccator habeat quod petit, DEVS enim, inquit S. Augustinus tract: 73. in Ioannem sermo: 53. *Quædam negat propitius, quæ concedit iratus.* Aut certè secundò petit aliquid peccator non spectans ad pietatem, sed quid indifferens, atq; tunc aliquando exauditur, hoc etiam testante sup: apud S. Thom. S. Augustino. lib. sent. Prosperi, capite 212. Vbi sic ait: *Fideliter supplicans Deo, pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur; quid enim infirmo sit vtile magis nouit medicus, quam ægrotus* Atq; hæc doctrina, cuilibet etiam infideli, aut hæretico, quadrat, modò vtcunq; apprehendat vnum DEVM, & illi supplicet; priori modo, si iustus petat indifferentia, iam exauditur, iam non, vt nunc diximus. Tertiò potest peccator orando pro se perseueranter, & necessaria ad salutem petere: in quo casu putat S. Thomas eum exauditum iri, non quidem ex iustitia, & ex iure, quod iusti habent ad promissa DEI, sed ex gratia, & misericordia diuina. Cùm enim talis peccator à gratia excitante mouetur ad precandum, congruum est, vt exaudiatur tandem; addo, tandem, æquissimum enim est, vt iusti citiùs quàm peccatores, & vberiùs ac de condigno ea quæ salutis sunt impetrent. Quinimo ipsos inter iustos, quò quisq; Sanctior est, eò efficaciùs orat, ac impetrat, pro Sanctitatis gradu ac dignitate; sicut enim meritum correspondet Sanctitati, ac iustitiæ, & maiori iustitiæ maius meritum; ita & impetratio vim, ac efficaciam suam vel maximè sumit à præstantia personæ apud diuinam Maiestatem acceptæ, tantò autem vnusquisque est acceptior, quantò Sanctior.

Sectio VI.

Causæ ob quas non exaudimur, à Deo.

19. Dicta Hactenus ostendunt tres esse causas propter quas nostræ orationes non referunt optatum effectum, prima est iniquitas petitionis, quam reprehendit S. Iacob: in sua epla: cap: 4. *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis.* Quod si iniqua etiam obtineamus postulata, ea in pœnam peccatorum permittuntur à DEO, vt ostendit S. Paulus ita ad Romanos 1. scribens; *Cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam;*

ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. Optabant isti explere desideria sui cordis & id à Deo, quem cognouerant, sibi concedi petebant, neq; in optatis volebant impediri, vnde & traditi sunt in illa, sed ad suam perniciem; qui *enim* inquit ibi S. Paul: *talia agunt, digni sunt morte.* Secunda causa est non auditarum precum diuina prouidentia, quæ nocitura, vel non profutura, aut saltem minùs vtilia negat, qualia sunt vel indifferentia, vt temporalia bona, honesta quidem, sed talia sine quibus potest consistere salus; immo secreto DEI iudicio perfectiùs comparatur: Ita, petenti Sancto Paulo. 2. ad. Cor: 12 castitatem sine sensu libidinis, respondit Dominus: *sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.*

Vtramq; hanc causam pulchrè dilucidat S: Augustin: Tomo. 2. 24
Epla. 121 cap: 14 *Hoc*, inquit, *deuotionis debemus Domino Deo nostro, vt si mala non abstulerit*, alia scilicet aduersa, tentationes, non *ideo nos negligi à Deo existimemus, sed potius piá patientia malorum, bona speremus ampliora.* Subiungit dein se interdum malum esse, quòd exaudiamur ob impatientiam nostram; ita enim Israelitæ exauditi sunt, sed castigati mox: post carnes obtentas Num 11. Ita Regem obtinuerunt posteri eorundem, ad malum suum, 1: Regùm 8. Ita exaudiuit DEVS diabolum contra Iob, ad suam confusionem: concludit tandem S: Augustinus, *Hæc scripta sunt, ne forte se quisq; magni pendat, si fuerit exauditus, cum aliquid impatienter petit, quod non impetrare plus prosit; aut se abijciat, & de diuina erga se miseratione desperet, si non exauditur cùm aliquid petit, quo accipiendo affligatur atrocius, vel à prosperitate corruptus penitus* euertatur. & cap: 15. ita dicit: *Est ergo in nobis quædam, vt ita dicam docta ignorantia, sed docta Spiritu Dei, qui adiuuat infirmitatem nostram. Quid enim oremus, quod oportet nescimus: sed ipse Spiritus interpellat pro nobis Rom:* 8. Nam si omnimode ignoraretur (scilicet id, quod petimus) *non desideraretur; & rursus si videretur, non desideraretur, nec gemitibus quæreretur.* Et Tomo octauo in psalm 30. concione 3: in illa verba scribens; *Domine non confundar quoniam innocaui te, ita loquitur; Nisi proprio modo quodam diceret; Innocaui te Deum; nullo modo tantam mercedem auderet exigere, responderet enim illi Deus; Quid à me petis, vt non confundaris? Nonne quotidie homines innocant me, vt impleam voluntatem eorum, vt moriantur illi, à quibus expectant hæreditatem, vt fraudem proprio euentu compleant, innocant me.* Et respondet ad hæc ... S. Augustinus: *Innocant quidem illi, sed non innocant te; innocas Deum, quando in te Deum vocas; non auderes autem tantum hospitem familiariter innitare, nisi nosses ei habitaculum præparare: Si enim tibi dicat Deus*

ecce inuitasti me, venio ad te, quò intrabo? Si seruum meum in domum tuam inuitares, nonne priùs eam mundare curares? Inuocas me in cor tuum, & plenum est rapinis, blasphemiis, adulteriis, ira, malis concupiscentiis, de talibus loquitur alter Psalmus: Dominum non inuocauerunt.

Pulchrè idem expolit S. Pater: *Dico* inquit, *auaro: Quare inuocas Deum? vt det tibi lucrum; lucrum ergo inuocas non Deum, quia hoc lucrum quod concupiscis, non potes habere per seruum tuum, per colonum tuum per amicum tuum, per satellitem tuum, ministrum lucri facis Deum tuum, viluit tibi Deus: vis inuocare* Deum, *gratis inuoca. Auare, an parum est tibi si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro, non vis illum, quid ergo tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit?* Ita S. Augustinus de his qui meritò non obtinent quod petunt, aut noxiè sibi obtinent, quando Deus cum impetratis locum in homine simul habere nequit. Iam tertia causa ob quam non exaudimur, est defectus alius ex 4. illis conditionibus ad efficacitatem orationis requisitis; atque hæc quæ nostra est fragilitas, vt plurimùm impedit orationis fructum. Nam cùm ex fidelissima Christi promissione Ioannis 14. his verbis denunciata. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio:* Cùm inquam ex hoc promisso certum sit posse nos obtinere quoduis propositum in nomine Christi petitum; quòd non obtineamus, non potest esse causa prima, si non mala petamus; neque, secunda, diuina scilicet prouidentia (hæc enim si non dat id quod determinatè petimus, dat aliud vtilius) est igitur tertia, nempe in nobis aliquis defectus; vel quia non petimus pro nobis; vel quia non ea quæ ad salutem conducunt; vel pietate, id est gratia diuina destituti petimus; vel postremò citò fatigamur, obliuiscimur, desistimus, alia, relictis prioribus, postulamus, immemores præcepti CHRISTI Lucæ 11. *Petite, & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Et Apostoli Pauli 1. ad Thessal: 5. *Sine intermissione orate:* Hinc verò efficitur vt innumeri hominum damnentur, quòd non debitè necessaria ad salutem petant, præsertim perseuerantiam, (de qua diximus hac parte cap: 3. à numero 69. patebitque; id clariùs ex dicendis infra de necessitate orationis) alij minùs clari sanctitate decedant, eò quòd deficiant in petendo ea quæ maiorem conferunt perfectionem.

21. Singulas has conditiones & earum defectus perquam vtiliter ad promouendum in nobis orationis studium explanat varijs in locis S. Augustinus, & inprimis de petendo pro nobis, & piè, Tomo nono Tractatu 102. in illa Verba Ioannis cap: 16. *Si quid petieritis*

Patrem

Patrem in nomine meo dabit Vobis; Vbi cum dixisset quid sit petere in nomine CHRISTI; *Non petitur, inquit, in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra rationem salutis*: Subdit: *Accipit autem quando debet accipere, quædam enim non negantur, sed vt congruo dentur tempore, differuntur*; *Ita sanè intelligendum est quod ait: Dabit Vobis, vt ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt propriè pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti, pro se ipsis, non autem pro omnibus amicis, vel inimicis, vel quibuslibet alijs, quia non vtcunq; dictum est, Dabit, sed dabit vobis.* Ita vult S. Augustinus, iuxta mentem CHRISTI; Sanctos piosq; debere esse illos qui aliquid petunt, tum cùm petunt, hoc est extra statum peccati mortalis, & pro se postulare si certò obtinere velint, cùm tamen præcipiat Aplus Iacobus in Epla sua Cap: 5. *Pro inuicem orare vt saluemur*; possunt etiam Sancti impetrare alijs DEI beneficia, non ex infallibili promisso, sed tum, cùm DEO placuerit exaudire.

Ad pietatem orationis præter gratiæ diuinæ sanctitatem, multum etiam confert, corporis ea compositio quæ tum mentem, tum affectum in DEVM, ac diuina eleuet: propterea censet S. Augustinus donum orandi, ex singulari diuina gratia solitum concedi, petendumq; principio orationis, & corpus ita situandum, vt maximè iuuet ad eleuationem illam, & de petendo orationis dono sic Tomo 4. lib. vnico ad Simplicianum Q. 2. loquitur: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra, sic tepida est, vel potius frigida, & pene nulla imò interdum omnino nulla, vt neq; hoc in nobis, cum dolore aduertamus: quia si vel hoc dolemus, iam oramus; quid ergo ostenditur nobis? nisi quia, & petere & quærere, & pulsare ille concedit, qui vt faciamus iubet.* De secundo, corporis, scilicet, situatione ibidem. Quæstione 4. ita scibit: *Cùm quisq; orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrit accomoda pro tempore positi corporis, ad mollienduni animum: Cum autem non quæritur, sed infertur appetitus orandi, quocunq; modo inuenerit hominem, non quærantus quo sedeamus, aut vbi stemus aut vbi prosternemur.* 22.

Ibidem affert exempla Sanctorum, qui vario situ corpus in oratione ponebant. Dauid 2. Regum 7. Ingressus sedit coram Domino; nimirum senex, qui alium ad orandum commodum situm ægrè habere potuit: Idem Psalmo 6. fatetur se iacendo orasse: *Lauabo, inquiens per singulas noctes lectum meum*; Iacentem quippe orandi appetitus inueniebat; ita de reliquis corporis sitibus, apud fideles visitatis, vt vel stando, vel flectendo, vel in terram deiecto vultu quisq; oret pro desiderio pij affectus, corporis viribus, & necessitate impellentis 23.

 spiritûs

identidem recurrendo. Vtrumq; Dominus Lucæ 11. voluit intelligi, quando dixit: *Petite, & accipietis, quærite & inuenietis; pulsate & aperietur vobis* Et primò quòd non sit cessandum quoad obtineamus. Vt enim is, qui cupit aliquid obtinere, tam diu petit, donec obtineat, & qui quærit, aut pulsat, non desistit quærere donec inueniat, & donec ei aperiatur, aut certè ipsi constet non esse illi dandum, nec inueniendum, vel aperiendum; ita nos tam diu orare debemus, donec assequamur, vel certè nobis constet nolle DEVM dare; constet, inquam, non miraculosâ aliqua reuelatione, vt constitit Sancto Paulo cui CHRISTVS dixit, 2. ad Cor: 12. *Sufficit tibi gratia mea*; id enim ordinariè DEVS non facit: Sed euentu contrario, quo pacto CHRISTO Dño oranti, vt transiret passionis calix, euentu contrario, (& quidem ad instructionem nostram, nam id ipse bene sciuit) constitit contrariam fuisse Patris voluntatem.

Secundum etiam, quod nimirum semper orandum sit, ijsdem verbis tradidit Dominus; ad quid enim toties repetita illa monitio, *Petite, quærite, pulsate*? ad quid ingeminatio? nisi significaretur repetendas esse orationes, causamq; huius repetitionis, non illam solùm esse, quod gratum sit cœlesti Patri, si cum illo dilecti filij crebriùs agant, sed quòd decreuerit singula sua dona, & beneficia pensanda esse valore precum, idq; significari illa terna distinctione: *Petite, quærite, pulsate*. Nam qui sæpius petit, facit, vt sua petitio, pluris valeat, vel ob demissionem, constantiamq; supplicandi, vel ob fidentem instantiæ importunitatem: item qui quęrit sæpius, tandem incidit in id, quod latebat; deniq; pulsus repetitus, aut vi effringit fores, aut molestia flectit aperturi cor. Ita planè oratio, sæpius innouata, ob dicta maioris est valoris, simul, quasi discurrit per immensam cordis diuini latitudinem, vt tandem reperiat id, quod quærit; & cùm nunquam molesta sit, aut importuna DEO, nimirum iubenti, & excitanti ad orandum, facit volenti vim sine iniuria & flectit promptissimum ad dandum. Hoc nimirum volunt illæ parabolę de vidua: *Dicebat*, inquit Lucas, Cap: 18. *& parabolam, quoniam oportet semper orare, & non deficere*: ac de amico Lucæ 11. nocte excitato, & negante ab initio panes, quas similitudines expendens S. Aug: Tomo 2. Epist: 121. Cap: 8. *Mirum*, inquit, *videri potest, quamuis multiloquium prohibuerit, cur nos sic orare adhortatus sit, qui nouit quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo; oportet semper orare, Lucæ* 18, & huic admirationi suæ ita respondet: *Hinc admonemur quantò certiùs nos exaudiat misericors & iustus Dominus Deus, sine intermissione orantes, quando illa,* 27.

(vidua

(vidua scilicet) *nec ab iniquo, & impio Iudice potuit assidua* interpellatione contemni: Et infra, de illo amico sic loquitur: *Vt hinc intelligamus, si dare cogitur, cùm dormiat, à petente excitatus inuitus, quanto det benigniùs, qui nec dormire nouit & dormientes nos excitat, vt petamus.*

29. Conciliat idem Doctor, & illam apparentem in verbis Domini apparentiam Lucæ 18. vbi semper iubemur orare, & Matthæi 6. vbi dicit Dominus: *Cùm oratis, noli e multum loqui*, Sic inquam, eodem loco Cap: 10. hæc explicat: *aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus: multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis; multùm autem precari, est ad eum quem precamur diuturna, & pia cordis excitatione pulsare.* Hæc S. Augustinus, quæ omnia de efficacitate orationis, ex scriptura, & ex illo allata, qui expenderit, & (singulari diuina gratia) sibi ad exequendum iudicauerit dicta, statueritq; exequi, vt scilicet, petat, quæ sibi diuinitus suggesta fuerint, tanquam necessaria ad salutem, vel ad maiorem pefectionem; nec destiterit, quoad viuat; (ante mortem enim, vel non impetrabit nempe salutem, & vltimam beatitudinem, vel plura & maiora obtentis petenda videbit) qui, inquam, ita fecerit, illud certus expectet quod Marci 11. promisit, nec decipiet CHRISTVS: *Dico vobis, omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniet vobis.*

Sectio VII.

An & quæ exteriora signa possint, & interdum debeant adiungi orationi.

28. CVm oratio, vt hactenus vidimus, sit opus mentis internum; Sicut aliæ spirituales actiones solent signis manifestari, ita & illa; & signa quidem orantis animi triplicia, nec plura videntur esse; quædam remota, quæ ostendunt pium duntaxat animæ in DEVM motum, talia sunt tundere pectus, genua flectere, caput discooperire, oculos in cœlum leuare, & similia, quæ significant supplicantis desideria. Alia sunt ad hoc instituta, vt sint imagines mentis, nempe voces oris, siue submissæ, siue sonantes in gutture modulantis; nam hæc cooperantur menti, & eius motiones internas exprimunt, (Vox enim est imago quadam conceptuum) con plentq; laudes diuinas. Voces igitur constituunt, secundum genus signi, psalmodia tertium, Porro tam vocalis orationis, quàm psalmodiæ & cantûs, triplicem

causam

causam affert S. Thomas 2. 2. Q. 83. aut 12. & Q. 91, articulis duobus & Q. 91. a. 2. primo est excitatio affectûs interni, facilè enim præsertim debiliores mente, externis ducimur, & mens iam verba, iam gemitus, iam tristes, lætasuè inflexiones soni, prosequitur affectu. Secunda causa est, vt idem affectus, quasi non valens se cohibere, è præcordijs erumpat, ad testandum orantis animum deuotionis pinguedine diffluentem; ita lacrimæ, & gemitus recreant, & quodammodo tranquillant mentem, Tertia Causa est, plenitudo diuinarum laudum; sicut enim homo spiritu & corpore constat, ita æquū est, vt vtroq; diuino Numini supplex assistat; atq; ob hanc causam remota quoq; illa signa solent abhiberi, sicut & perennis in cœlo cantus.

Cæterùm rectè monet S. Thomas art illo 12. aliter hæc signa conuenire priuatæ, quam quisq; sponte peragit, orationi, aliter publicæ, ab Ecclesia pro omnibus institutæ; nam in illa vsurpanda sunt, vel omittenda signa dicta, pro cuiusq; arbitrio, & deuotionis impulsu, atq; in cremento. Qui enim iam bene in orando instructus, potiùs impeditur, quàm iuuatur signis ad attentè deuotèq; orandum, potest, & debet illa omittere; cùm satis sit vt cooperetur animæ caput, & phantasia corporea laudetq; simul Deum verum in oratione publica seruanda ea, quæ ab Ecclesia præscribuntur, nempe ceremoniæ, verba, cantusq; vt sequenti puncto videbimus; hæc enim, non ad cultum Dei solum, sed etiam ad excitandos homines, qui sensibilibus multùm mouentur instituta sunt, exterius ergo ad vnguem tenenda quò effectum suum, in intuentibus, & audientibus sortiri possint. Quapropter idem Doctor Q. illa 91. art: 2. duo addit de melodia cantus, Primum est, vt ii qui possunt vtiliùs alijs prodesse (quales sunt pastores Ecclesiæ) v. c. prædicatione, non occupentur cantu, ne omittant maiora diuinæ gloriæ opera. Alterum vt in ipso sono (& idem de instrumentis quæ iam nunc in Ecclesia adhibentur, contra quàm scribit ibidem S. Thomas, fuisse suo tempore) deuotio attendatur, non delectatio sensus aut vanitas. Eiusmodi melodiam & attentionem eius laudat Augustinus. tom. 1. 10. Conf. Cap: 33. ita scribens: *Ipsis Sanctis religiosius & ardentiùs sentio moueri animos nostros in flammam pietatis, & omnes affectus spiritus nostri pro sua diuersitate habent proprios modos in voce atque cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitantur.* 30.

Sectio VIII.

Quid in horis Canonicis seruandum.

31. ET si; quemadmodum dicemus infra necessaria sit aliquando omnibus oratio; tamen non est præceptum à Christo, vel Ecclesia, vt id fiat voce, aut cantu; sacrificio missæ, & officio diuino excepto; illud à Christo institutum est, quoad substantiam, præceptumq; his verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, vt ostendemus cap: 14. Sed ceremonias, pluresq; ante, & post sacrificium orationes, addidit deinde Ecclesia, sicut & horas canonicas ipsa instituit in 7. vel vt aliquibus placet, in 8. distributas partes, ob eandem memoriam passionis dominicæ; id quod hisce versibus non in congruè exprimitur.

Matutina ligat CHRISTVM, qui crimina purgat;
Prima replet sputis; dat causam tertia mortis;
Sexta cruci nectit; latus eius nona bipertit;
Vespera deponit; tumulo completa reponit.

Sacrificium missæ quando, & à quibus sacerdotibus debet ex præcepto celebrari cap: 14. ostendentur; ad horas canonicas obligantur sub graui peccato primò iu sacris ordinibus constituti; deinde beneficia tenentes præsertim curata, religiosi demum choro alligati; id quod apud omnes certum Quicunq; ergo quocunq; obligationis titulo horas canonicas dicunt, aut cantant, vt id rectè faciant, debent esse memores Ecclesiæ præcepti, de officio quidem diuino dati (sed idem à fortiori, vt suo loco dicemus de Missa intelligendum) in synodo enim generali sub Innocentio tertio celebrata ita præcipitur: Districtè præcipientes in Virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantùm eis DEVS dederit, studiosè celebrent pariter, & deuotè. Quibus verbit duo iniunguntur, externa videlicet verborum prolatio, ceremoniarumq; exhibitio studiosa, & accurata; interna item deuotio mentis; & si externa vltro omittantur in notabili quantitate, verbi causa medium officium, vel eius pars aliqua ex maioribus, aut sacri etiam pars notabilis, omnes fatentur esse grauè peccatum, teneriq; eos, qui intuitu beneficij prædicta peragere debent, ad restitutionem fructuum respondentium (prudenti arbitrio) omissioni. Meritò ita omnes docent; cùm enim tam sacrum, quàm officium diuinum, sit materia præcepti notabilis; transgressio eiusmodi

eiusmodi præcepti erit etiam grauis, & notabilis; & cùm sacrificiũ Missæ sit multò præstantius horis, ob misterium, quod in illo conficitur; minor quantitas, aut ceremonia omissa, erit materia grauis peccati, & maximè quidem post Canonem inchoatum, qui est vicinus ipsi admirando mysterio. Quod dicitur de omissione, idem intelligitur de mutatione & variatione contra DEI, aut ecclesiæ præscripta, vt si quis loco verborum à saluatore ad consecrandum relictorum, alijs à se inuentis vtatur; vel si loco officij diuini, dicat psalmos pænitentiales, aut alijs vtatur in missa ceremonijs, seu orationibus, quàm quæ sunt ab ecclesia præcepta.

De interna mentis compositione, hoc est de attentione, & reuerentia tenent aliqui Theologi quos sequitur Lessius lib: 2. de iustitia 32. cap: 37. dub: 11. & Suar de Relig: t. 2. l. 4. c. 26. (quamquam lib: 3. de iuramento cap: 17. num. 6. oppositum videatur sentire) in oratione quæ suscipitur libere aut ex obligatione sed leui, esse venialem culpam, defectum attentionis spontaneum. In oratione autem siue à Deo siue ab ecclesia sub mortali obligatione præcepta, mortalem. Ratio eorum potissima est, quia coram tanta maiestate quam dignissime comparendum, maxime cùm id præcipiatur. Cæterum multi authores Hostiensis, Antonius, Angel: alijq; quos idem Lessius & Suar. citat, hunc internum defectum veniali tribuunt culpæ, non solum cum libera est oratio aut sub veniali debita sed etiam sub mortali Quod vt clarius sit, pono duplicem orantis statum; primus est, vt initio velit orare, laudareq; DEVM attentè, & reuerenter quemadmodum debet, deinde auertat alio mentem, affectumq; continuando interim inchoatas preces: nihilq; vltro exteriùs faciendo, quod vt inquit S. Thomas 5. d. 15. q. 4. a. 2. ad 2. sit contrarium precibus vt esset iocari, vesci & cætera. Secundus status est, si oraturus nolit DEVM debitè colore, sed habeat finem malum aut prophanum prolationis verborum, vel vt rideat diuinam maiestatem, vt olim faciebant gentiles quidam; vel fictè oret, aut alio modo se habeat, sine vlla mentis ad DEVM vera conversione. Posteriores hi non sunt liberi à graui peccato ob contempum, & vltro quæsitam DEI irreuerentiam; Cæterum primi venialiter solum delinquunt, quià defectus ille applicationis animi, nulli attributo diuino facit notabilem iniuriam, qualis est illa, verbi gratia vt rideatur maiestas diuina. Sed solum intuendo quasi DEVM aliud loco eius respiciunt; quod ex se non tam malitia, quàm fragilitas quædam videtur esse, eo quòd homo in hac vita degens, non videt DEVM clare, sicut beati; ac propterea facile

se alio finit auerti. Et certe; si omissio attentionis, & reuerentiæ esset graue peccatum, tum, cùm oratio sub graui iniungitur præcepto, etiam tunc esset graue, cùm est libera, semper enim dignè coram diuina maiestate comparendum, siue quis oret sponte, siue iussus. Si ergo qui sponte orat, & distrahitur sua incuria non peccat mortaliter, vt omnes fatentur; neq; peccabit, si ex præcepto oret sicut quia periurium est grauis DEI irreuerentia semper peccatur mortaliter siue quis sponte siue iussus iuret. Atq; hinc satis fit argumento contrariæ sententiæ, dicentium ecclesiam posse præcipere actum internum, qui necessarius sit ad externam honestatem; sicut hic necessaria est attentio ad orationem alias oratio non erit oratio, sed lectio quædam aut studium: quali ergo obligatione tenemur ex præcepto verba proferre, eadem & attendere. Ad hoc inquàm respondetur cùm multis theologis: ecclesiam (quæ de internis non iudicat) non posse præcipere interna siue in se, siue vt necessaria ad externum opus, semper enim interna, tam per se sumpta quàm coniuncta externis interna sunt; itaq; in præcepto orationis præcipitur solùm externa orationis compositio, vt non sit legentis, vel aliud quid dissonum facientis; Interna autem DEO committuntur vt defectus illorum sint maiores, vel minores culpæ pro natura cuiusq;. Cùm vero defectus attentionis sua pro natura secundum multos theologos sit venialis, non erit apud DEVM mortalis. Econtra quia ad conferenda sacramenta verbi causa baptismi requiritur intentio ex natura sua, sub graui obligatione; vt opus illud sit quale instituit CHRISTVS; Si parochus exterius se gerat vt baptisans careat autem intentione, satisfaciet quidem ecclesiæ, coram DEO tamen reus erit sacrilegii mortalis. Sed licet demus ecclesiam posse attentionem præcipere, adhuc illius defectus erit venialis, quia natura sua est leuis; sicut quia otiosum verbum aut cogitatiò natura est venialis, commissio eius & si prohibeatur præcepto, venialis erit sed de hoc egi ex professo lib: 2. Cap: 22. a. n. 63.

Alia quæ ad horas canonicas spectant sunt minutiora, & scholis relinquenda, vt quod statutis temporibus expediendæ sint, breuiario
33. Romano vtendum ijs, qui à ducentis annis non habent alias horas in vsu, quod matutinum cùm laudibus possit pridiè expediri post Vesperarum, & Completorij vsitatum in bene ecclesijs ordinatis tempus, & similia de quibus illud vniuersim dicendum vt exactè, & ex consuetudine passim recepta vbiq; seruentur. Etenim cùm officium diuinum sit res eximij momenti, ab ecclesia sponsa CHRISTI præscripta:

scripta, vt pro eius membris à ministris ipsius Deo certa ratione supplicetur; quantò quis omnes circum stantias ab eadem præscriptas accuratiùs seruauerit, tantò munus suum Deo honorabilius ecclesiæ vtilus peraget; neq; immunem se putet à culpa, si in aliquo defecerit: vt non mirandum aliquos etiam sanctos grauiter punitos, quòd vel leue aliquid interdum omiserint; quemadmodum de magnæ famæ, & virtutis Episopo Coloniensi Seuerino refertur, qui graues purgatorij sustinuit pœnas, quòd distentus magnis, vt illi (sed non Deo) videbatur Reipublicæ negotijs, minus accuratè seruauerit tempus horariarum precum. Non pigeat ad maiorem legentium vtilitatem ipsam historiam à classico authore Petro Damiani Cardinale in Epla ad Desiderium, Cassinensem Abbatem conscriptam hic referre Clericus, scribit Damiani, Coloniensis ecclesiæ vadum transibat, & ecce Beatus Seuerinus; eiusdem ecclesiæ nuper Episcopus, equi eius habenas apprehendit, eumq; retinens sistit, cumq; ille ad stuporem versus; & grauiter admiratus, cur illic tam clarus, & tam celebris famæ vir moraretur, inquireret; Da mihi, ait manum tuam, & quæ circa me sunt, non auditu disce, sed tactu. Cùm datam manum fluctibus impressisset Episcopus, tantus eam ardor absorbuit, vt vndiq; carnes eius resolutæ diffluerent; & ossa nudata vix hęrentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus: Cùm nomen tuum in tanta benedictione sit apud nos, & fama tua consonis totius ecclesiæ præconijs celebretur; cur te hæc vorago constringat, tantoq; (proh dolor) incendio cruciaris? Ad quem S. Episcopus: Nihil aliud ait in me remansit vltione plectendum præter hoc tantùm, quia in aula Regia constitutus, imperialibus me consilijs vehementer implicui, canonicæ synaxis officia, per distincta horarum spacia non persolui; manè quippe simul omnia coaceruans tota die negotijs ingruentibꝰ secura libertate vacabam. Ob hanc itaq; negligentiam horarum, ardoris huius fero supplicium; tu vero omnipotentis Dei clementiam humiliter implora, vt manum tuam in salutis pristinę restituat statum. Quòd cùm factũ fuisset; vade, inquit Fili obsecra fratres nostros ecclesię clericos, & alios spirituales viros, vt prò me preces fundant, indigentibus subsidia conferant, sacrificiorum votis insistant; his enim peractis ego mox de vinculo penę huius indubitanter expediar, & expectantibus me, beatorum ciuium choris lætus adiungar. Hæc Damiani. Ex quibus conijcere possumus, quanta in primis à nobis exigatur diligentia in colendo Deo, vt adhibeamus omnem, qua tanta maiestas dignissima est, exquisitam circumstantiam. Intelligimus etiam, alia esse à

 nostris,

Digitized by Google

nostris, diuina iudicia, & quod apud nos leuissimam præsefert culpæ suspicionem, apud DEVM non ita leue est: atq;, quod de vna temporis circumstantia diximus, idem intelligendum de alijs.

Sectio IX.

Quæ in omni oratione tenenda.

84. HÆc quæ diximus, horis canonicis potissimè seruiunt; nunc de quauis oratione agendum, quæ plerumq; ita expeditur, vt longè sit à memoria id quod præcipit DEVS Ecclesiastici 18. *Ante orationem prepara animam tuam & noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Peroraturi coram Regibus, & id genus magnæ eminentiæ viris diu multumq; se ante parant, singula, quæ dicturi sunt trutinant verba, gestus deniq;, & reuerentiæ, honorisq; signa quàm decentissima adhibent. Iam quot sunt, qui cùm multò plura, & accuratiùs debeant celsitudini diuinæ maiestatis, vel hæc ipsa, quæ præstant hominibus ipsi reddant? quàm multi, qui initio orationis saltem crucis figuram raptim, dimidiatè, & indecorè præmittunt! inchoant deinde orationem, ab eo quod primò & casu in buccam, memoriamq; irrepserit, crebriùs inchoata sine vrgente necessitate interrumpendo, iam negotijs leuis momenti, iam sensuum diuagatione; accedit persæpe risus, aut somnus vltro petitus, & similia. Hanc tantam DEI vsu continuo inolitam irreuerentiam, vt vitarent antiquiores Christiani, Sancti pijq; homines, duo factitabant, acturi cum DEO, aut collato cùm ipso negotio aliqua hominibus relaturi. Primò supplices, proniq; in terram se demittebant, vt hoc indicio profiterentur internam Numinis reuerentiam; ita seruus Abraham acturus DEO gratias pro felici itineris sui successu, inclinauit se, & adorauit dicens; *Benedictus Dominus Deus Domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam, & veritatem suam à Domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris Domini mei*, Genesis 24. Hoc eodem modo Iacob, Genesis 47. moriturus iam, audito à Ioseph filio, quod exigebat iuramento, exhibuit adorationis signum, quod decrepitus & æger potuit: *Adorauit*, inquit Moyses, *Deum conuersus ad lectuli caput*. Alterum quod ijdem adhibebant fuit, protestatio diuinæ præsentiæ, ad debitum timorem, & reuerentiam excitandam; ita Elias 3. Regum 17. prædicens à DEO futuram siccitatem: *Viuit inquit Dominus Deus*

Israel

Israel in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Tali adorationis externo gestu, & protestatione præsentiæ, interdum adhibita quadam adiuratione, accingebant se Sancti, ad eam, quam poterant assequi, quàm dignissimè tractandi, diuinæ maiestatis excellentiam.

Non reiecit piam hanc consuetudinem, quin imo commendatam reliquit CHRISTVS Christianis, nam vtilissimam illam generi humano facturus orationem in villa Gethsemani procidit in faciem suam, vt testatur Matth: cap: 26. sæpius etiam quædam alia orationi præmittebat, vt rogaturus Patrem pro mortuo Lazaro: Eleuatis, inquit Ioan: cap: 11. oculis dixit, Pater gratias ago tibi; Sic non semel præsentem sibi Patrem testatus est vt Ioan: 8. *Qui me misit mecum est, & non reliquit me solum.* Idem seruandum esse à suis alumnis censuit, S. Pater noster Ignatius, in libro spiritualium exercitationum, vt aggressuri ipsam orationem statuant se (id quod reuera est) in conspectu DEI, adhibitoq; aliquo reuerentiæ, & adorationis actu, petant opem, qua fulti dignè compareant. Istis atq; id genus alijs ad orandum præuijs modis, quos pene singulis, (qui tamen piè cupiunt colere DEVM eo animo) nouos suggerit Magister supernæ facultatis oratoriæ, Spiritus S., qui vt scribit S. Paulus Rom: 8. *Adiuuat infirmitatem nostram, nam quid oremus sicut oportet nescimus:* his inquam modis adiuti, voluntati conformamur eiusdem Magistri per Ecclesiasticum dicentis: Ante orationem prepara cor tuum. 36.

Alterum quoq; tenendum in oratione, quod eodem mandatur loco, ne videlicet simus quasi qui tentat DEVM: tentare DEVM, est vt docet S. Thomas 2.2. Q. 97. art. 1. dictis, vel factis probare, possit nec ne ille, sciat, aut velit aliquid; siue id clarè, & disertè intendatur, siue obscurè, hoc est, cùm id agitur, vel dicitur, quod ad aliud non confert, quàm ad sumendum de DEO experimentum. Atq; ita videntur inprimis illi tentare DEVM, vel ad minimum se periculo tentandi exponere, qui orant conscij peccatorum suorum, neq; dolendo de ijs, neq; propositum vitandi deinceps concipiendo vllum, & multo magis illi, qui petunt auxilium ad peccandum: tales enim videntur velle experiri, velit necne DEVS facere bene hostibus suis, non præteritis tantùm, sed etiam tum, cùm orant in hostili affectu obstinatè durantibus: imo (siquidem perseuerant in malo) etiam futuris hostibus. Dicunt quidem hi dum orant, illud ex oratione dominica: Et dimitte nobis debita nostra, sed cùm interim ea non soluant verâ 37.

pæniten-

pænitentiâ, quin maiora contrahunt obdurata (præsentium repetita) in mora voluntate, mentiuntum coram Deo; & quidem verbis ab ipso Christo ad verè fatendum culpas institutis. Quanquam quia oratio dicta est commnnis totius ecclesiæ, & quiuis pro omnibus orat, (propterea enim non dicimus; Pater meus, dimitte mihi, sed Pater noster, omnium scilicet, dimitte nobis omnibus) ita verbis illis relatis ad omnes fideles, inter quos sunt plurimi, qui verè cupiunt sibi dimitti peccata, non committitur mendacium per os mentientis prolatis, qui vt priuata persona, & mentitur, & simul tentat Devm non leui suo malo.

38. Tentabant olim Pharisęi Dominum, vt habemus Matthei 22. cupientes experiri sciret nec ne tantùm, vt & ipsorum astui, & suæ, satisfaceret veritati, quęrentibus igitur: *Magister licet censum dare Cæsari, an non?* iratus Dominus dixit: *Quid me tentatis Hypocritæ?* Non aliud suæ orationi dandum sciant illi responsum, qui precantur Christvm in cœno peccatorum demersi, dicetur illis: Quid me tentatis Hypocritæ. Et minus quidem esset, si tantùm hac sola reprehensione terreret Dominus, non superaddendo aliud, quod fictè; & mendaciter orans retulit scelestus Antiochus Rex: *Orabat ille* testatur scriptura Machabæorum Cap: 9. *Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus:* quo quid miserabilius esse potest? quid enim infelicius homini, quam non consequi Dei misericordiam præsertim omnium maximam, euadendi scilicet eius iudicium, quod impius sustinuit Antiochus?

39. Quàm stultè & periculosè agat ille, qui peccatis, Deo inimicus optat sibi eum amicùm, & beneuolum, atq; id ipsum precatur; ostendit Sanctus Augustinus, ita de quouis tali Tomo 9. Lib: vno meditationum cap: 3. loquens: lacessit iudicem, qui postposita satisfactione delicti, quærit præmijs honorari, regi insultat, obnoxius supplicio, qui donari flagitat indebito brauio, & dulcem affectum patris stultus exarcebat filius: qui post illatas contumelias, ante pænitudinem, hæreditatis vsurpat celsitudinem. *Igitur qui obfirmatus, in malo recitat orationem dominicam, cùm in ea æterna, & caduca petat præmia hæreditatemq; regni, aliud arbitrio S. augustini non agit, quam lacessit, insultat exacerbat Deum.* nimium stultus.

Secundò illi quoq; & si non ita noxiè, vt priores videntur tentare Devm precibus suis, qui grati quidem, & amici sunt eius; sed cum defectibus præsertim voluntarijs orant, nempe distractè, irreuerenter, incon-

inconstanter, mox, vt aliquid non impetrauerunt desistendo, impatienter non se exaudiri ferendo; in fide, aut fiducia, nonnihil vacillando, & alias admiscendo imperfectiones quibus in eo constituuntur statu, vt quasi tentent Devm, num ita indebitè petentibus succurrere velit.

Cæterum hi vel non referunt optata, testante S. Iacobo Cap: 4. *Petitis & non accipitis, quia male petitis*; vel tardè admodum obtinent, 41.
promerente id tandem, (saltem propter bonam voluntatem colendi Devm quæ de se est impetratoria) longa, etsi negligente oratione, quod breuis, & accurata mox impetraret; vel forte dimidiatum, & non integrum assequuntur petitum, propter dimidiatam, & mutilam orationem. Cuius habemus euidens argumentum in Sancto Petro. Etenim hic, vt scribit Matthæus Cap: 14. viso Iesv ambulante in mari, petijt, vt posset eum adire: *Domine si tu es*, *dicebat iube me ad te venire super aquas*, quod cum impetrasset, rectè scilicet, ab initio precatus, timorem deinde, & fidei, fiduciæq; admiscens defectus, dimidium vix forte emensus spacium, mergi cæpit, audiuitq; à Domino causam: Modicæ fidei quare dubitasti. Simile quid expertus Moyses & Aaron, pari de causa, vt habemus Numerorum 20. Petierant illi à Deo, vt possent habere viuas aquas pro satiando populo, quem sanum cupiebant vna secum deducere in terram promissionis; sed quia defuit plena fides, & fiducia, tardè, & cum adiuncta pœna impetrarunt. Nam Dominus iusserat tollere virgam, ad cuius eleuationem productura erat petra aquas; Non paruit sublatæ, & quasi minanti virgæ, nisi percussa, & quidem bis, tandem edidit riuos; quo facto ita Devs indebitè petentes coarguit: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Sancti erant Petrus, Moyses & Aaron, recta omnes, nimirum ad mentem Dei petebant; sed quia non recto modo, & quasi qui tentarent Devm, non sunt pro voto exauditi; non aliud sibi promittant, quantumuis pij, & sancti, si non solum bona, sed etiam bene non precentur.

Sectio X.

An ad Sanctos possit dirigi oratio nostra.

Svpra numero 9. tria de oratione dicenda proposuimus, quorum primo, nempe, quid sit oratio expedito, sequitur alterum, de 42.

eo, ad quem oratio dirigenda sit. Et de Deo quidem nullum est dubium; cum enim ille sit fons, & origo bonorum, quà æternorum, quà temporalium, inde suppliciter petendum, quid quisq; obtinere velit: difficultas tamen est de hominibus, & Angelis, non apud orthodoxos (hi enim cum Ecclesia credunt, non solùm mortales quos uis posse pro se inuicem licitè orare; sed & sanctos pro nobis) verùm apud hæreticos, etiam nostri temporis, qui putant homines in terris posse pro se orare non tamen beatos præsertim homines pro nobis; Ita tenent nunc Lutherani, Caluinistæ, & alij pleriq; à quorum citatione, vt minus necessaria hîc abstineo. Non est huius instituti, ex professo veritatem catholicam latius probare ex scriptura tam veteri, quàm noua, Concilijs, & Patribus, vno, & altero sacræ scripturæ loco, vnoq; ex sanctis antiquioribus Patribus ostendendum id est, obiter quidem ex occasione orationis quà de agimus; sed tamen sufficientur ad cognoscendam fidei veritatem. Illud autem sciant hæretici oportet, vel potiùs quod sciunt, fateantur, de nobis, neq; aliud catholicis apud imperitam multitudinem contumeliosè imponant; fateantur, inquam, nos dum oramus Sanctos, aut per illos petimus aliquid, non ita id agere, vt ab ijs citra Devm expetamus beneficia, Credimus enim vnum solum esse, à quo, & bona omnia speranda, & mala, in pœnam culparum timenda; quemadmodum ipse Deutoromii 2. de se testatur: *Ego occidam, ego viuere faciam, & non est, qui de manu mea possit eruere: Et S. Ioan: de Christo predicat Ioan: 1 De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Cum igitur ad sanctos recurrimus, opem duntaxat, auxiliumq; inquirimus, quo accedente speramus nos facilius exauditum iri; nempe per eos, qui & Deo acceptissimi sunt (nimirum sine ruga & macula Sancti Ephesios 5.) ipsiq; immobiliter purissima & prudentissima charitate coniuncti, nihil vnquam petentes, quod voluntati eius sit dissonum; id quod ad perfectam orationem, tanquam necessarium præscripsit Christvs: Matthæi 6. quando docuit nos illa verba: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Vtrumq; id, in beatis habemus, nempe quod grati sint Deo, & sciant eius voluntatem, vtroq; hoc nos ipsi in vita hac destituti, vel quia peccatores, vel sancti quidem, sed cum maculis adhuc (qualibus etiam Sanctissimis, quemuis beatum præfert Christvs, cùm de eo, quo maior non surrexit inter natos mulierum, ita dixit: *Qui minor est in Regno calorum, maior est illo Matthei* 11.) vel quia, vt scribit Apostolus Romanos 8. *Nescimus quid oremus.*

44. Quod autem Devs ad vtrumq; horum attendat, ita videlicet, vt eos exau-

eos exaudiat, qui sibi gratiores sunt; quiq; conformia diuinæ suæ voluntati petunt, id clarum est, ex Iob: 42. vbi Dominus amicos eius pro se exorantes, nimirum peccatores, noluit exaudire, sed ad Iob sibi gratum remisit: *Ite, inquit, ad seruum meum Iob, orabit, pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Pari ratione duob9 discipulis mundanos honores postulantibus, ita respondit CHRISTVS Matthæi 20. *Nescitis quid petatis*; eò quod non conformia diuinæ petiuerint voluntati.

Certa itaq; est hæc apud catholicos doctrina, qua præmissa, clare ex scriptura constat opem beatorum iam in cælo cum CHRISTO regnantium plurimum prodesse omnibus, qui illa egent; quales sunt adhuc mortales, & mortui iam, sed pro suis culpis, in pænis purgatorijs detenti. Quando enim, vt habemus Exodi 32. (qualia sunt multa in sacra scriptura testimonia) intellexit Moyses DEVM velle omnes delere Hebræos, ob idololatriam in deserto patratam, talesq; fudit ad illum placandum preces: *Cur Domine irasceitur furor tuus contra populu tuum? recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum*; quando, inquam, inter DEI iustum furorem, & populi nefandum crimen posuit medios Abraham, Isaac & Iacob; quid aliud Moyses efficere voluit, quã vt DEVS intuitus merita, amicitiã, & gratiam, quâ apud se illi pollebant, placaretur, parceretq; lapsis? Quæ enim alia potuit esse causa eorum mediatorum propositorum DEO? Respondent hæretici, (neq; aliud possunt) ideo ita orasse Moysem, quia volebat quasi in memoriam reducere DEO promissum tribus patriarchis factum, de introducendis Israelitis, in terram promissionis; vt tali memoria quasi excitaretur DEVS, ad conseruandos potiùs, quàm ad tollendos Hebræos; non autem, inquiunt, sic orauit, vt moueret DEVM ad parendum per obiectam dignitatem seruorum ipsius. Sed hæc responsio verba sunt tantùm, nihil veri continentia; nam Moyses duo proponit DEO, primò Sanctos Patriarchas, deinde promissum, & vtrumq; adducit tanquam seruiens suæ causæ primum, vt in gratiam tantorum, & tantæ apud se autoritatis, præuaricatoribus parcat, secundum, vt intuitu eorundem, quibus promisit exequatur promissum. Et quod in ipsa etiam ratione promissi retulerit suam orationem ad eorum dignitatem Moyses, vel hinc manifestè patet; nam primum factum est promissum terræ illius, Non Abraham, (quamquàm intuitu eius) sed semini ipsius, ita, quippe Abrahæ de terra sua egresso locutus est DEVS: Semini tuo dabo terram hanc, si igitur Moyses solùm memoriâ promissi

missi voluit excitare ad veniam dandam, DEVM, cur non seminis memoriam obiecit? cur non propter Esau iam mortuum, qui fuit vnus de semine Abraham rogauit? cur non per viuos, qui tunc vitulum coluerant? nimirum ideo, quia Abraham, Isaac, & Iacob, erant serui DEO acceptissimi; alij vel damnati iam, vel peccatores, vel non tanti amici DEI, vt illi tres.

46. Quod si merita, & dignitas amicorum DEI, adhuc tum in limbo degentium, pænamq; detentionis ob Adæ culpam soluentium tanti fuit in conspectu maiestatis diuinæ, quanti erit beatorum iam & regnantium in cælo? Constat itaq; ex S. scripruta licere proponere DEO merita, & dignitatem sanctorum hominum, pro indignis, & egentibus nobis. Quod de hominibus dicitur, idem de Angelis intelligendum, sicut enim, quia per Abraham, Isaac, & Iacob, Patres SS. promisit DEVS Israelitis beneficia, licebat per eorum merita precari; ita quia per Angelos promittit, licebit per eorum dignitatem à DEO promissa postulare. Vnde de hac ipsa terra promissionis per Angelos danda, sic Exodi 23. legimus; *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te & custodiat in via, & introducat in locum, quem paraui, obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes:* Neq; vero rogare tantum DEVM per sanctos licet, sed & ipsos sanctos, vt pro nobis orent; id quod illos facere, nempe pro nobis DEO supplicare & nostras preces illi offerre clarè significat scriptura: De Angelis habemus Tobiæ 12. vbi ita Gabriel de se narrat: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Idem narrat Angelus Danieli, Danielis 10. de Michaele quod Iudæos apud DEVM iuuerit: *Nemo, inquit, est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps maior.* Similia de hominibus sanctus scribit Ioannes Apocalypsis 5. *Quatuor, inquit animalia, & 24. seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, phialas aureas, plenas adoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum* Per ista animalia, & Seniores, significantur homines, Angeli enim suo Angelorum nomine solent in Apocalipsi exprimi: siue ergo beati suas pro nobis offerunt preces DEO, siue nostram agunt causam, & pro nobis supplicant; & quod illi in cælo faciunt, id nobis in terra adhuc degentibus licet profecto rogare eosdem, vt id ad nostrum commodum faciant.

47. Atq; vt certi essemus de solicitudine tum Angelorum, tum præcipuè hominum, qui mortui carni, nunquam charitati in nos, tanquã fratres eiusdem Patris CHRISTI moriuntur; princeps Apostolorum, & pastor omnium fidelium vices CHRISTI in terris gerens S. Petrus decessu-

decessurus ex hac vita, ita id se in cælo facturum in Ecclesiâ sua 2. Cap: 1. pollicetur: *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis:* quibus verbis pollicetur se in cælo procuraturum, vt doctrinæ suæ apostolicæ sint memores ij, quos ipse Christo lucratus erat. Hoc tam euidens testimonium, cùm aliter eludere non possent hæretici, ad grammaticos confugiunt, aiuntq; comma debere esse post pronomen (vos) vt quasi ita dixerit Sanctꝰ Petrus, dabo operam, & frequenter habere vos, scilicet in vita, post obitum meum vt horum memoriam faciatis; sed imprimis turbant manifestum sensum, quis enim ita dicat, curabo; post mortem meam vt horum memineritis; & non potius, (si sensum ab hæreticis intentum exprimere velit) ita dicat; Curabo, vt post mortem meam horum memineritis, sed quiquid sit de grammatica, & orthographia ipsa connexio antecedentium cum sequentibus, clare Sanctum Petrum pollicitum, se memorem fore post mortem suam; Dicit enim ibi, se breuî moriturum, & propterea iustum arbitrabatur: quamdiu adhuc cum illis erat, vt moneret & excitaret eos: tandem ne christiani putarent morte finiendam eius de ipsis solicitudinem, subiungit se non in viuis solum, vt paulo ante dixit, sed post obitum quoq; curaturum, vt suorum monitorum sint memores. Clarè id intelliget quicunq; textũ bene expenderit: *Iustum, inquit, arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione (hic præsens de præsentibus est solicitus) certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi, Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Quid clariùs, & facilius intelligitur in his Apostoli verbis, quam id, quod tota semper Christi Ecclesia & intellexit, & fideles docuit scilicet Sanctum Petrum suas orationes christianis post mortem suam promisisse, & cum orationibus ad Deum, simul etiam curam, & operam apud eundem. Sed omissa rei claræ longiore probatione, audiamus futiles hæreticorum rationes, quibus impugnant catholicum dogma.

Prim. Asserunt idcirco Sanctos non posse orare pro nobis, quia id faciendo derogarent meritis Christi, qui vult, vt in nomine eiꝰ rogemus Patrem. Verè futilis, & sine ratione hæc ratio; si enim beati in cælo iniuriam faciunt Christo suis pro nobis precibus, etiam, mortales, & quidem peccatores, multo maiorem facerent; Cùm tamen ipse Christus Matthæi 5. præcipiat orate pro persequentibus vos. Neq; vero iubendo Dominus in nomine suo orare, prohibet ora- 48.

 tionem

Digitized by Google

tionem, in nomine sanctorum; cùm id nullibi in sacra scriptura si & licet esset non absolutè prohiberetur oratio in nomine Sanctorum, sed eo solùm modo, quo petimus in nomine CHRISTI, tanquam saluatoris DEI, & supremi Mediatoris inter DEVM, & homines. Hac ratione, multa sunt in sacra Scriptura, quæ ijsdem prorsus verbis iam CHRISTO, iam Sanctis tribuuntur, alio tamen, & longè inferiore modo Sanctis. Isaiæ 43. de se testatur DEVS: *Non est absq; me Saluator*; Idemq; sibi tribuit CHRISTVS Lucæ 9. *Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*; & tamen S. Paulus, similibus verbis asserit hoc conuenire Episcopo Timotheo, ad quem 1. Timothei 4. ita scribit: *Attende tibi & doctrinæ, hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies & eos, qui te audiunt*: aliter certe quàm CHRISTVS, qui suum diuinum sanguinem pro saluandis fudit, id quod non fecit Timotheus. Ioannis 8. Dominus de se dicit: *Ego sum lux mundi*, ijsdem verbis de Apostolis Matthæi 5. loquitur: *Vos estis lux mundi*, quis tamen credat, tantam mundi lucem esse Apostolos quanta est Christus. Talia, & plurima passim in sacra Scriptura legimus, ex quibus clarè patet, posse nos, in nomine tam CHRISTI, quàm sanctorum eius DEVM rogare, dispari tamen valde ratione; per illum, vt qui sua persona, & infinita dignitate meretur à Patre, quiduis nobis dandū, per hos, vt tales, qui omnem merendi, & impetrandi valorem, ex CHRISTI sumunt authoritate, ac plenitudine; nullius ergo ponderis est prima illorum ratio.

49. Altera prorsus similis: Quia inquiunt, Sancti ignorant nostra, quomodo ergo pro nobis orant? quasi verò DEVS, qui Prophetis, Apostolis, & alijs in terra adhuc degentibus cælestia reuelauit, & in dies reuelat, in beatos iam minus liberalis erit, vt diuina & cælestia videntibus, & inter hæc potissimè ipsum, de nobis terrenis nolit manifestare aliquid. Cæci igitur erant & surdi illi viginti quatuor seniores, quos vidit mortalis adhuc Ioannes Apocalypsis 5. orationes scilicet, à se non auditas, neq; præsentatas DEO offerre. Sint ita contumeliosi, & blasphemi in sanctos DEI Lutherani, Caluiniani, & eorum discipuli; cathololici credunt multò magis in cælo fieri, id quod CHRISTVS suis fidelibus hic adhuc viuentibus Ioannis 14. promisit, de spiritu suo diuino: *Paraclitus*, inquit, *docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis*, Dicit, & in æternum dicet Diuinum Verbum suis dilectis ea, quæ cuiq; dicenda Spiritus Sanctus suggeret, amor videlicet, & Bonitas diuina, siue ij dilecti sint in hac adhuc vita, siue in futura, & vltima felicitate.

Postremò

Proſtremo blaterant hæretici, aiuntq; ſufficere nobis CHRISTI nomen, quid igitur Sanctorum Petri Pauli, aliorumq; nomina inuocanda? cogor dicere eos talia afferentes revera blaterare: ſic enim, quia ſolius CHRISTI ſufficiens eſt pro animabus noſtris paſſio, fruſtra illemet Lucæ 21. iubet *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Quia CHRISTVS eſt Pontifex & Epiſcopus animarum noſtrarum Hebræos 5, & 1. Petri 2. otioſè Spiritus S. poſuit *Epiſcopos regere eccleſiam* DEI Atq; vt ſexcenta omittam, cùm illa oratio à Domino data; *Pater noſter qui es in cœlis.* Matthæi 6. ſit ſufficientiſſima, vt quid miniſtri hæretici tot alias à ſe inuentas, quæ nullibi extant in ſcriqtura addunt preces? Sicut ergo non ideo has orationes vſurpant, quod à CHRISTO data, non ſit ſufficiens, ſed quia putant ab alijs quoq; ſe iuuari: ita nos adhibemus Sanctos, non quod nobis non ſufficiat CHRISTVS, ſed quià ad ipſum iuuamur Sanctorum ope, maximè cùm in ſacra ſcriptura, eam illos offerre nobis legamus, & præter ſcripturam antiquiſſimâ Eccleſiæ inuocandi Sanctos conſuetudinem (quæ ſacræ paginæ optima eſt interpres) vel vnius ex vetuſtiſſimis, celeberrimiſq; Patribus Sancti Auguſtini comprobo teſtimonio, alijs, & quidem omnibus, quicunq; erant Sancti Patres, ac doctores ne longior ſim, ſilentio relictis. 50.

Auguſtinus ergo inanibus illis hæreticorum obiectionibus contra eundo, docet inprimis Sanctos eſſe patronos noſtros, mediatores, & iuris peritos apud CHRISTVM, qui multo melius, quàm nos agere poſſunt generis humani cauſam tanquam pupilli: & ad hoc adducit illa Pſalmi noni verba: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor,* Sicq; illa Tomo 6. concione ad catechumenos explicat: Adſit aliquis pius homo, & aliquam miſericordiam huic pupillo, & pauperi exhibeat: ferocem enim atq;, calidum aduerſarium patimur, & hic pupillus in cauſa ſua defecit, quoniam eum ſuus aduerſarius prauis actibus obligauit adhibeamus huic pupillo idoneos defenſores, & Apoſtolorum, tanquam iuriſperitorum cæleſtium ei patrocinium ſubrogemus. Apud vos itaq; Petre, Paule, Ioannes, cæteriq; Sancti conſiliarij veri Iudicis, amici ſummæ poteſtatis cauſam exponimus huius pupilli, qui ex paterno chirographo debitor inuentus eſt, reus atq; obſtrictus ab aduerſario detinetur; non eſt aliud, quemadmodum huic ſubueniatur, niſi ex veſtro conſilio. Quid itaq; in hoc negotio ſerenitati Veſtræ videatur, pro huius miſeri libertate, ex communi tractatu, vtinam pro eo dignemini proferre ſententiam; & vos enim adſtrinxerat hæc obligatio, niſi gratia CHRISTI ſubueniret. Et tandem refert ſententiam 51.

Digitized by Google

sententiam Sanctorum: Quod fecimus, faciat, renunciet diabolo, pompis, & Angelis eius. Hic duo dicit S. Pater; & quod SS. Patroni sint nostri, & quod iuxta promissum CHRISTI consiliarii eius. Matth: 19. *Sedebitis super sedes iudicantes*, amiciq; , Ioannis 15. *Vos amici mei estis*. Licet ergo CHRISTVS solus sufficiat nobis, tamen quia sanctos sibi adsciuit, vt coniudices, & amicos; vult nos ab illis quoq; iuuari. Idem Doctor Tomo 9. libro vno meditat: cap: 32. asserit Sanctos videndo DEVM, videre etiam nostra, contra quam somniant hæretici, quasi beati dormirent obliti nostri, Vident, inquit faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua, legunt, eligunt, diligunt, semperq; legunt, & nunquam præterit id, quod legunt, eligendo, & diligendo legunt immutabilitatem consilij tui; & non clauditur codex eorum, nec plicabitur liber eorum, quoniam tu ipse illis hoc es, & eris in æternum. His tanquam certis suppositis, & quod Sancti nostra sciant; & quod DEVS citra præiudicium summi mediatoris Christi velit per illos nos iuuari, plurimis in locis plenas affectibus fudit hic Sanctus adhuc mortalis, ad immortales Sanctos suas orationes, ex quibus aliquot pro excitando nostro quoq; affectu, & pro maiore veritatis catholicæ declaratione hic afferam.

52. Tomo igitur illo eodem vno libro Meditatiorum capite 20. sic orat apellando sanctos domum quam DEVS inhabitat: o Domus DEI luminosa, & speciosa, Sanctam Societatem tuam, & admirabilem pulchritudinem tuam, non per meritum requiro, sed per sanginem eius, quo redemptus sum adipisci non despero, tantum adiuuent me merita tua, subueniant prauitati meæ, Sanctæ & purissimæ orationes tuæ, quæ inefficaces apud DEVM nullatenus esse possunt. Et cap: 24. sic orat: Felices Sancti DEI omnes, qui iam transistis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis soliciti estote de nobis, securi estis de vestra immarcescibili gloria, soliciti estote de nostra multiplici miseria, per ipsum vos rogo, qui vos elegit, estote iugiter memores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in solo huius vitæ circumstantibus agitamur procellis, Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam surrexistis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum date manum, & erigite iacentes supra pedes. Intercedite, orate constanter, atq; indesinenter pro nobis miseris, vt per vestras orationes, vestro sancto consortio coniungamur quia aliter salui esse non possumus. Sumus namq; valde fragiles, & nullius virtutis

Digitized by Google

virtutis homunciones, animalia, ventus, & carnis mancipia; & tamen sub CHRISTI confessione positi ligno crucis ferimur, nauigamus per hoc mare magnum, & spaciosum, vbi sunt reptilia quorum non est numerus; vbi sunt animalia pusilla cum magnis; vbi est draco sæuissimus, vbi est scylla, & charybdis, loca periculosissima; vbi naufragantur incauti & in fide dubij. Orate Dominum, orate pijssimi, orate omnia agmina Sanctorum, vt vestris precibus, meritisq; adjuti salua naue, & integris mercibus peruenire mereamur, ad portum perpetuæ salutis.

Et quoniam omnes penè hæretici maximo in DEI Matrem odio feruntur, non ob aliud certe, quàm quod ipsi à DEO concessum sit, vt hæresum, & mendaciorum omnium authorem, caputq; serpentem diabolum conterat, ita enim DEVS in paradiso de ea prædixit, Genesis 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum*, vt propterea recte illi gratuletur sancta ecclesia: Gaude Maria Virgo, cun ctas hæreses sola interemisti, in vniuerso mundo: hoc sciens S. Augustinus, Beatissimæ Virgini MARIÆ precipuè se comendabat semper certus omnium per eam obtinendorum. Quapropter eodem illo tomo, ac libro cap: 35. sic DEVM per ipsam precatur: Pie & misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces serui tui intercedente, orante, & impetrante gloriosa Virgine Genitrice tua MARIA Domina mea, cùm omnibus Sanctis tuis Amen. Atq; vt ostenderet, quàm sit vtilis, & vnicè toti generi humano necessaria DEI Genitricis intercessio, omnes omnium statuum, generum, & conditionum homines commendat illi Tomo 10. Sermone 18. de Sanctis, oratione, quam tota vbiq; terrarum vsurpat ecclesia: Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes; refoue flebiles, ora pro populo; interueni pro clero; intercede pro deuoto fæmineo sexu; sentiant omnes tuum iuuamen, quicunq; celebrant tuam sanctam com memorationem Reijciant has ad Matrem DEI aliasq; ad alios sanctos preces hæretici, qui reijciunt sanctum, & certum ecclesiæ, fideiq; dogma; nos orthodoxi, & dogma teneamus, & ad eos recurramus, qui nostri memores sunt semper, vt citò, & semper præsentes sibi habeant.

Sectio XI.

Quid sit à Deo petendum.

53. HOc tertium, & vltimum, in hac materia expendendum restat, quæ sint à DEO petenda? Et cùm orare non sit aliud, quam proponere DEO nostras egestates, in promptu est definire illa esse petenda quibus egemus: Quia vero vniuersa hominum multitudo in quatuor velut classes distribuitur; Quidam sunt beati, alij sunt damnati, sunt & mortui, nondum beatudine donati, postremi, in terra adhuc degentes; ex hac diuisione constat quid sit petendum. Et beatis quidem nihil debet peti, quià nullo egent, testante hoc de illis Ioanne Apocalypsis 21. *Mors vltra non erit, neq; luctus, neq; dolor, quia prima abierunt:* Damnatis etiam nihil impetratur; egentissimi quidem illi, sed in eo sunt constituti statu, vt nullum in æternum habituri sint refrigerium, Iudice ita suo immutabili decreto statuente, Matthæi 25. *Ibunt in supplicium æternum*: Nec ipsi ergo sibi, nec Abraham, aut vllus sanctorum, impetrabit illis vlquam minimum leniminis, quemadmodum factum legimus Lucæ 16. cum infelice illo epulone. Restamus nos mortales, & mortui, ante beatitudinem detenti; & nobis idem quæ sunt petenda, expressit CHristus in oratione sua Matthæi 6. quâ vt explicat S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 9. docemur & recta, & recto modo petere.

54. Nam cùm egeamus Deo, tanquam fine, ad quem creati sumus, deinde medijs ad eundem finem consequendum, postremò remotione malorum, quæ nos, & à fine, & à medijs auertunt, seu impediunt: omnia hec continent 7. petitiones dominicæ, ante quas recte premittitur. *Pater noster qui es in cælis*, vt quemadmodum declarat S. Ioannes, Epistola 1. Cap: 3. tribus primis, prestantissimisq; omniũ reliquarum, virtutibus eo conscendamus, quo non possimus altius. Itaq; fide indubitatè credendum est, nos esse Dei veros filios (modo non simus indigni tanto dono); spe, certò fidendum omnia à tali Patre nos obtenturos, charitate, solus ille super omnia bonum, vt vere dignissimus, est summè amandus; sic ista tria comendat Ioannes: *Videto qualem charitatem dedit nobis Pater vt Filij Dei nominemur, & simus. Charissimi si cor nostrum non reprehendit nos fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam ea, quæ sunt placita coram eo facimus*, Quem locum interpretans S. Aug: Tomo 9. Tractatu 6. ita filiorum piam in suum Patrem dilectionem depredicat: Charitas ipsa gemit, charitas ipsa orat, contra hanc aures claudere non nouit, qui illam dedit. Quo, tam Apostoli, quàm Augustini testimonio monemur, minus recte, & vtiliter nos hanc orationem DEO offerre, si charitate careamus, obnoxij alicui graui peccato; consul-

tissimum

tissimum ergo est, in ipso eius exordio (cum non semper, aut aditus patet, aut necessitas instat sacramenti pœnitentiæ) vero dolore, & contritione conciliare sibi Deum, cum vera fide, spe, & charitate dicamus: Pater noster.

Iam ita inchoata, à dulci Patris nominè oratione, primum petimus id, quod purissima precatur charitas; vt nempe Dei Patris, nomen, gloria, famaq; celebretur, qui enim sincerè diligit, optimè vult dilecto. 55.

Alterum petitum est; *Adueniat Regnum tuum*; Scilicet ipse Deus, in quo est omnis bonorum, & gloriæ felicitas, & quem eadem charitas cupit diligenti obtinere; ita ordinatè Deum amamus, primò ipsi, tum nobis optando, quod est optimum.

Tertiò petimus obedientiam tanquam medium quo obtinetur Deus; dicimus ergo: *Fiat voluntas tua.*

Quarto, expetimus adminicula explendæ diuinæ voluntatis, tum præcipua, & diuina, qualis est Christus in Eucharistia, & per reliqua sacramenta operans gratiam, & virtutes; tum secundaria, & caduca, vt sunt necessaria vitæ: hæc postulamus dicendo *Panem nostrum da nobis.*

Quinto, petimus dimitti nobis peccata, quæ à fine nos auertunt, & mediorum prohibent vsum.

Sexo oramus protegi in tentationibus, ne illis adacti peccato consentiamus. Postrema petitio est, vt simus liberi ab aduersis huius vitæ: quæ siue in penam peccatorum, siue alio fine à Deo permittuntur, possunt sua accerbitate, & huic, & futurę obesse vitæ, huic tollendo necessaria per famen, bella, similesq; clades, illi ad peccatum nos inducendo, & priuando Deo. Plura hic septem iam explicatis peti non possunt, nimirum vltra Deum, & ijs, quæ ad Deum sunt, nec vllus melior modus est petendi, quàm in hac oratione contentus, scilicet à Deo summo, & vltimo bono inchoando, & pergendo gradatim ad ea, quæ in ipsum referunt. Omnes igitur, & singulæ petitiones nostrę ad aliquam harum spectant, vt testatur S. Thomas loco citato, afferens illud ex S. Augustino Epistola 121. Cap: 12. si rectè, & congruenter oramus, nihil aliud dicere possum9, quam quod in ista oratione dominica positum est.

Quia vero legimus *Rom*: 8. *Spiritus adiuuat infirmitatē nostrā, nam quod oremus, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* 59.
fatendum est omnium harum petitionum sapientissimum, & beneuolentissimum esse commentatorem Spiritum Sanctum, qui docet vnam quamq; piam animam, singularem quandam dictarum petitionum

 intelli-

intellignriam vrgetq; eam ad postulandum id, quod nemo intelligit, nisi qui petit, & Deus à quo petitur; hoc enim ibidem testatur S. Paulus: *Qui scrutatur, inquit corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro Sanctis.* Itaq; primę petitionis, potest vna anima habere hanc intelligentiam, vt velit sanctificare nomen Domini, quam liberalissimis eleemosynis, quibus egeni adiuti gratias agant, & glorificent Deum. Illa sanctificabit, pręclara animi fortitudine, & tolerantia, vt laudetur insignium author virtutum Deus, eritquæ talento prædicationis doctrinæ, aut libris in lucem editis cultum Dei promouere cupiat. Reperietur, quæ à Spiritu Sancto ad quiduis agendum, & petendum mouebitur, quò, pro conditione, & genere viuendi possit Deum glorificare, quasi infinita animo complectens. Ita Augustinus petere solebat, Tom. 1. 10. Confess: Cap: 29. Da quod jubes & jube quod vis, scilicet ad gloriam tuam. Secunda item petitione quidem rogant, vt regnum Dei, salutemq; consequantur; alij eo non contenti, altum in regno Dei desiderant thronum; sunt qui altissimum cupiunt, neq; timent ambitionem, scilicet Spiritu S. postulante pro illis, & quasi dicente: Ego sum, qui tantum audeo.

57. Pari modo in tertia petitione, non nulli satis habent, si obtineant obedientiam mandatorum Dei, amoremq; eius in illa contentum, omnibus ad salutem necessarium, de quo Christus Ioannis 14. *Qui seruat mandata mea ille est, qui diligit me.* : Alij omne illud sequi, & exequi cupiunt, quod è diuino nouerint esse placito; ita verò amare Deum, expetunt, vt nulli ex ijs, qui adhuc certant, & exercitantur, amando cedere velint, neq; timebunt præsumptionem; Spiritus enim S. gemitibus inenarrabilibus pro illis postulando, hoc est (vt omnes interpretantur) ad postulandum incitando, non finit in minoribus hærere; Sed ideo inenarrabiliter mouet, vt ad altissima, & quasi ad ea ferantur, quæ sermone humano comprehendi nequeant. Et sanè si inter filios rectè, prudenterq; illic faceret; qui alijs, in optimos parentes nollet affectu amoris cedere, quin imo præ omnibus cuperet alios diligere; quid putamus effecturum Spiritum Sanctum, in cordibus filiorum diuini Patris, cuius tam mirabilis est, tamq; amabilis paternitas, vt ex eo omnis alia in cælo, & in terra nominetur. Epheseos 3. Quis igitur prohibebit impulsum à Spiritu S. orare, & dicere: Pater, diligam te super omnes, qui tuo sancto amore cupiunt ardere. Et cum amor sit mater, & regina virtutum omnium, quantò quis hunc petit maiorem, ad perfectiores, quoq; & præclariores

riores instigatur petendas virtutes; neq, contentus erit communibus, verbi causa, quali quali patientia; sed ardua, fortitudine inuicta, mansuetudine rara, mentis demissione excelsa, quàm integerrima mentis corporisq; puritate, & similibus.

Iam 4. petitione cum rogat panem, hoc est corpori sustentando congrua, contentus erit quauis pro suo statu mediocritate; cæterum sacramenta, illa præsertim, quæ sunt instituta ad reficiendam, sanctificandamq; animam, & præterea repetuntur sæpius, inter quæ præcipuum est (nimirum fontem sanctitatis continens) sacramentum eucharistiæ, eam & quam sæpissimè, & semper alio meliore modo vsurpare desiderabit.

In 5. non grauia solum crimina condonari sibi petet, sed & minima, vt nihil sit, quod vel tantillum DEO in se displiceat.

In 6. vrgebit vt indies minus sentiat incentiua, foemitemq; tentationum: Postremò ita se à malis liberari expetet, vt illud cum Sancto Augustino malit: Domine hic vre, hîc seca, tantùm in æternum parce.

Nec in æternum modo, sed & ad breue purgatorij tempus, quod animæ Deum amanti, & illo quamprimùm frui cupienti, grauem affert pœnam, quam ne ibi sentiat, hic pati eliget. Ita Spiritus S. suggerit suis diuinas, & reconditas dominicæ orationis commentationes, semperq; magis, ac magis perfectas, pro orantis gradu, ad quem vnumqqemq; promouet.

Quæ cùm ita sint, non aliud video cuiq; salubrius faciendum, 58.
quàm vt consulat hunc cælestem interpretem, dignetur docere quid in quauis orationis illius parte petere debeat; hæc enim & voluntas eius, qui adiuuat infirmitatem nostram, vt ab illo illustrati petamus, quæ cuiq; nostrum, congrua sunt, præsertim cùm non nisi certa, & sigillatim petentes promittat se Christus exauditurum Marci 11. *Omnia, quæcunq, orantes petitis, credite quia accipietis;* non dicit absolutè omnia accipietis, sed quæcunq;, ex omnibus petetis illa accipietis. Et à singulis quidem duo vnicè sunt ad mortem vsq; petenda, bona videlicet, vita, & perseuerantia in illa (de temporalibus bonis, hîc non ago videat vnusquisq; quibus, eget) quid enim prodest homini, si omnia alia habeat, ita vt vniuersum inquit Christus Mathei 16. lucretur mundum, si animæ suæ detrimentum patiatur? Alia sunt singulorum in quouis statu propria. Coniugatis igitur necessaria sest pax mutua, & pia educatio prolis si eam habent.

59. Viduis continentia, & attentius ad diuinum obsequium studium; adolescentibus, virginibusq; castitas, & verecundia; ecclesiasticis, vita communi aliorum sanctior: religiosis, votorum, disciplinæq; religiosæ obseruantia; patientia pauperibus; diuitibus, in egenos liberalitas; militibus, fuga rapinarum, fortitudoq; in aduersis; mercatoribus, amor veritatis, & moderati lucri cura; aulicis, pudicitia, sobrietas, sincera fides; iuuenibus, parsimonia, libidinum, & petulantiæ odium; senibus liberalis misericordia, dignaq; breui moriturо vita; postremò prælatis, tam politicis quam spiritualibus, vigil commissorum cura, & prouidentia. Qui plura aut his potiora petet, ab illo edoctus, qui adiuuat infirmitatem nostram, id vtilissimè aget, habebitq; petendorum indicem, vt & memoria teneat, & sciat, quid tandem, & quando impetrabit; neq; id oneri ducet, cùm non onus, sed magnum sit leuamen, & sperare obtinenda, & obtentis frui.

Sectio XII.

Pro detentis in purgatorio orandum.

60. De his vltimò, iuxta proposita supra Numero 53. dicendum, vt constet de omnibus, quæ sint petenda. His ergo vnum postulandum, vt cito à pænis purgatorij liberi esse queant, quibus solutis, transeant ad beatam vitam nec vero ipsi liberant se ab illis pænis, cùm, vt inquit Christus Matthæi 5. tamdiu detineantur, donec reddant nouissimum quadrantem, sunt enim in loco ad satispatiendum, non ad satisfaciendum designato, hoc est in quo pæna diuino decreto definita per ministros eius siue illi dæmones sint, siue aliæ creaturæ, pœnam afferentes, plenè est exequenda. Cæterùm quemadmodum in terra reo, qui non est meritus mortem, sed ad exilium missus, vel ad temporales aliquas subeundas destinatus pœnas non prohibentur amici, quo minus possint nomine satisfactionis quidpiam offerre, partemq; placare; ita statuit Deus, vt qui ex hac vita decesserunt, absq; illis grauibus malis, de quibus legimus Ioannis 5. *Procedent qui mala egerunt in resurrectionem iudicij*, qualia mala vocamus peccata mortalia; tamen e leuioribus (vt est fragilitas nostra) obnoxii sunt; neq; (licet tam grauia, quàm leuia doluerint se commisisse, debite tamen pro illis Deo satisfecerunt; statuit, inquam, Deus, vt eiusmodi, luant post mortem pœnas, tanto, quanto illis à Deo præfinitur tempore. Et quot-

Et quod hæc ſit voluntas Dei, certiſſimo credunt Catholici; hæretici, qui beatorum detrectant auxilium, his quoq;, qui nondum beatitudinem attigerunt. nolunt prodeſſe. Et cùm illis tres mortuorum ſortes proponimus, Sanctos omnimode, qui ſcilicet ita vixerunt, itaq; Deo, (fulti meritis Chriſti) pro culpis fecerunt ſatis, vt immaculati abſq; omni reatu culpæ & pænæ ex hac vita deceſſerint, alios nequam, & ſceleratos, qui gehennam meruerunt; quoſdam nec ſanctos, vt ſunt primi, nec ſceleſtos, vt ſecundi, juſtos quidem; tales tamen, qui vt eſt Proverbiorum 24. ſepties in die Cadebant, & ante, quam debitè ſurrexiſſent, obierunt, cùm, inquam, hos proponimus, quærimuſq; quid de illis tenendum ſit, cum gehennam non meruerint, ſcilicet non ſcelerati; neq; cælo adhuc digni; non intrabit enim illuc aliquod coinquinatum Apocalypſis 2. quò ergo loco, vel potius ſtatu hi erunt? Quod dicant aliud (veritate, ſcilicet, deficiente) non habent, quàm ſolita & ineptiſſima conſuetudine, negare, rectè ab Eccleſia Catholica fieri pro mortuis orationes: & cùm, vt in omnibus aliis ſtudió, hoc eſt pertinaciter ignari, errorem ſuum defendant, audiamus Sanctum Auguſtinum, quid ille cum tota catholica eccleſia & contra illos, & pro fidelibus ſcribat:

Is ergo in libro cui titulum dedit, de cura pro mortuis Tomo 4. cap: 1. cum objeciſſet ſibi illud 2. Corint. 5. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti*, quaſi contrarium conſuetudini fidelium, qui pro mortuis in ſpe adhuc conſtitutis orant, & Sanctus Paulus videtur dicere, omnes ſtatim á morte, vel pæna, vel præmio æterno afficiendos, ad hoc ita reſpondet: Hæc ita ſolvitur Quæſtio; Quoniam quodam genere vitæ acquiritur dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent iſta (nimirum orationes pro defunctis, ſepulturæ in locis martyrum, & alia quæ ibi enumerat) defunctos; ſunt enim quos nihil omnino adjuvant, ſive pro eis fiant, quorum tam mala ſunt merita, ut neq; talibus digni ſint adjuvari; ſive pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis, Genere igitur vitæ, quod geſſit quiſq; per corpus, efficitur, ut proſint, vel non proſint, quæcunq; pro illo pie fiunt: ita fit, ut neq; inaniter Eccleſia, vel ſuorum cura pro defunctis quod potuerit religionis impendat, & tamen ferat unusquiſq; ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit. Et ſtatim confirmat id ex 2. Machabeor 12. ubi pro defunctis oblatum eſt ſacrificium, ſubditq;: Sed etſi nunquã in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non pauca tamen eſt univerſæ Eccleſiæ authoritas, quę in hac conſuetudine claret, ubi in precibus ſacerdotis, quę Domino Deo ad ejus altare 62.

fundun-

funduntur locum suum habet etiam commendatio mortuorũ. Hic docet S. Augustinus, ut & omnes catholici tales non perfectè sanctos, in eo esse statu, (de loco enim ubinam sint infra vel supra terram non laboramus) ut non videant olim, nisi prius pęnas luant; atq; ut eas citò solvant, á nobis juvantur; & hunc statum mortuorum, in quocunq; tandem loco constituantur, dicimus esse purgatorium.

63. Idem S. Pater infra eodem loco docet, mortuos nostra scire, tam beatos, quam qui purgantur, sive per Dei revellationẽ, sive per Angelos, sive per recenter mortuos, ipsis quæ hic aguntur deferentes. Et beati quidem cupiunt nostra scire, ut nos juvent, quos multó plús, & sinceriús, quám antè amant: purgandi autem optant etiam scire, quomodo ab illis juventur: de utrisq; ita ibi Augustinus: Absit ut facta sit (loquitur de sua sancta matre Monica) vita fęliciore crudelis usq; adeo, ut quando aliquid angit cor meum, nec tristem filium consoletur, quem dilexit unicé, quem nunquam voluit męstum videre. Non existimemus ad mortuos pervenire, nisi quod pro eis, sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus; quamvis non pro quibus fiunt, omnibus prosint; Sed iis tantúm, quibus dum vivunt, comparetur ut prosint.

64. Quapropter ipse Augustinus pro se, qua utebatur, talem constituit orationem Tomo. 9. Libr. uno meditationum. Cap. 40. Da Dñe. Iesu Christe sacerdotibus concordiam, regibus, episcopis, & principibus justé judicantibus tranquillitatem, & pacem: oro Domine pro universa ecclesia Sancta catholica, pro viris & fęminis, pro religiosis & secularibus: pręsta Domine virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, defunctis fidelibus requiem sempiternam. Ita S. Augustinus. Et ille quidem securus consuetudinem catholicæ Ecclesiæ, in orandi pro mortuis pietate sequebatur, etiamsi non haberet scripturam; apud ipsum enim erat semper illa solennis credendi regula: Evangelio non crederem, nisi me catholicę ecclesię commoveret auctoritas, Tom. 6. contra Epistola Manichæi dictam Fundamenti Lib. unico cap. 5. Sed quia hæretici semper ad scripturam appellant, quasi illa tantum esset credenda, quæ in ipsa claré, & disertè proponuntur, id quod falsum omnino est, cúm etiam illi multa dicunt se credere, & tanquam ex mente Christi facere, quę non sunt proposita á sacra scriptura: ut quod infantes baptizandi sint quod Christus & Apostoli non leguntur fecisse, quod templa apud christianos exstruenda sint, ad cultum Dei, qui antea in domibus ab Apostolis exercebatur: Quod ministri illorum habeant

uxo-

uxores, cum S. Petrus Matthei 19. Se, & alios Apostolos dicat reliquisse omnia inter quæ numerat ibi Christus uxores: Sed quis recenseat cuncta, quę non sunt expressa in scriptura, & tamen ipsi tenent? alia vero, etsi revera sunt pro libito rejiciunt. Quia ergo scripturam rogant etiam de orando pro mortuis, relictis multis, utriusq; tam veteris quam novi testamenti locis, propter instituti nostri brevitatem unum afferam clarum, & simplicem ex ipsa dominica oratione Matthei 6. in qua dicimus: *Adveniat regnum tuum*, petimusq; ab eo, qui est Pater, tam hic, quam in altero mundo vivorum (quemadmodum Christus Marci 12. testatur de mortuis alterius mundi, *non est, inquit, Deus mortuorum sed vivorum* nimirum Abraham, Isaac & cæterorum) ut regnum det iis, qui nondum eó fruuntur. Cum itaq; ab hoc communi, tam viventium hic adhuc, quám mortuorum jam hic & viventium ibi Patre, petamus regnum cæleste iis, qui nondum illud habent, nostrę orationis sunt participes, sive viventes hic sive ibi, iis tamen acceptis, qui regni incapaces sunt; & quos claré accipit S. Ioannes in Epistola sua; 10. Cap. 5. tanquam mortuos, qui non vivunt: *Qui inquit, scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.*

Nos non oramus pro iis, qui commisso peccato ad mortem, seu mortali decesserunt ex hac vita, sed pro illis qui peccarunt peccato, venia, non autem morte æterna digno, oramusq; oratione á Christo pręcepta & á S. Ioanne declarata: optimé igitur, ad mentemq; Christi & credimus ita faciendum, & ita facimus. Quod si dicant oratione illa utendum esse solum, pro vivis in mundo, non in altero; respondendum est, id nusquam esse in scriptura quod dicunt, potius hoc esse, & satis claré, ut oremus pro omnibus, qui sunt viri filij communis omnium Patris Dei, quales sunt, vivi in hoc mundo, & in altero, egentes tamen orationibus; seu ij, qui non sunt inter exceptos á Ioanne Apostolo; inter quos reponunt se hęretici merito grandis, & ad mortem infidelitatis. Quare ipsi neq; mortuos suos possunt juvare, nimirum peccato illi ad mortem obnoxios, neq; juvabuntur ubi decesserint, impediente simili peccato; sed reliqua de oratione prosequamur, relictis ob brevitatem plurimis S. scripturæ locis, quæ id contra illos convincunt.

Digitized by Google

Sectio. XIII.

Quæ sit orationis necessitas.

65. NEcessitas humanorum actuum, duplex á theologis assignari solet, quædam pręcepti injungentis illos, ita est necessaria observatio diei festi, eo quod sit pręcepta; alia est necessitas medii, ad consequendum quempiam finem; hoc modo necessarius est Dei ordinatione babtismus ad vitam æternam; vel ex suppositione quod quis velit aliquid consequi, vel absolute de quo vide lib. 2. c. 5. & 31. & 52. ita necessarium est studiosorum actuum exercitium propter acquirendos habitus. Vtrâq; ratione est necessaria; oratio primo ut pręcepta á Deo, Lucę enim 8. dicit Dominus: *Oportet sine intermissione orare, & nunquam deficere.* Non quęro hic, an istud præceptum divinum sit naturale, an vero positivum, id quod ad mores parum facit, satis est nos teneri ex Dei pręcepto orare; & cum jubeamur semper orare, non intelligendum est de continuo tempore, quod fieri non potest, cum varia vitę negotia, & vel ipse necessarius somnus id prohibeat. Iubemur ergo semper orare, quando per alia vitę munia possumus, & ex vi hujus præcepti saltem aliquando in vita debemus: verbi causa nimirum ter, primo in initio vitæ, ubi ad plenam Dei venerimus notitiam. secundò in decursu illius, tandem in fine: qui nunquam saltem aliquo ex his tribus tempore id agit, non erit liber à gravi peccato, propter notabilem pręcepti divini negligentiam: ut tenet cum aliis scrip. libr, cap. 30. de oratione.

66. Porro hujus præcepti, atq; obligationis inde videtur sumi fundamentum, quod cum homo (sicut & reliqua omnia creata) à Deo, ut à principio, & fonte bonorum in sui conservatione dependeat, hanc dependentiam debet alio modo profiteri, ab aliis creatis rationis expertibus; Hæc enim satis est si ordine quodam sibi mutuo rationali creaturę & tandem Deo subjiciantur; suamq; quasi testentur dependentiam. Terra igitur subjicitur aquę, aqua aeri, hic igni, ignis cęlestibus corporibus ista demum Angelorum regimini & humanæ necessitati: cęterum homo, nimirum mentis compos, creatori á quo se conditum novit, sui conservationem oratione proponere debet ut á quo est, ab eodem continue teneatur pendere in esse, & hoc facit, dum adhuc mortalis est; ubi verò inter

inter beatos fuerit connumeratus, una cum Angelis beatis subjicitur Deo perpetuâ ejus laude, gratiarum actiones, & ineffabili, cum ipsa unione. Atq; hæc procul dubio est causa, cur sępius in sacra scriptura, jubentur Angeli, homines, & creaturę ratione carentes laudare Deum, ut nimirum singula hæc pro suo modulo, recurrant ad originem suam Deum, ab eoq; vel supplicent conservari tam in natura, quam in operatione, vel agant gratias: Et Angeli quidem, ac homines ipsi per se id agunt, quia possunt, alia autem per Angelos, & homines, quibus subsunt, & á quibus reguntur. Itaq; qui id negligunt (optimum autem est, quám creberrime ad principium suum recurrere) á culpa immunes esse non possunt, tanquam immemores conditionis, & officij sui, quod est continuo velle ab illo dependere, á quo nisi dependeant velut abrupto filo, cadant in nihilum necesse est.

Altera orationis necessitas est medii, ex suppositione quam significavit Dominus Lucæ 22. quando discipulis suis relictis in horto dixit; 67.
Orate ne intretis in tentationem; Necessaria erat tunc oratio, tanquam medium ad tentationes vincendas, quam quia somno oppressi neglexerunt Apostoli, non mirum, si omnes relicto illo fugerunt. Secunda hęc orandi necessitas, toties graviter obligat, quoties quis agnoscit se nequaquam magni momenti egere, qualis est verbi causa, honesta, & præcepta operatio, ad quam consequendam oratio unicè conducit. Pari lege tenebitur quis ad orandum, qui alium charitatis, vel justitiæ titulo debet curare præsertim in anima, neq; potest nisi per orationem. Ex hac necessitate orationis facile quisq; videt suum orandi debitum, cum est in gravi tentatione constitutus, versaturq; in periculo peccandi, & licet castigatio corporis, jejunium, vigiliæ, & id genus asperitates conferant ad vitanda peccata; multó tamen efficacius id præstat oratio. Nam cúm peccatum mente, & spiritu committatur, & inde corpori, tanquam animæ instrumento communicetur, exterius quoq; consummandum, cum etiam oratio in Spiritu quoq; suam habeat sedem ac perfectionem, cui lingua tanquam instrumentum cooperatur, sequitur multó esse efficaciorem ad fugienda peccata orationem, quám aliquam afflictionem corporis, Primo ex eo, quod oratio spiritum afficiat, afflictio corporis carnem, atq; illa magis mentem roborat contra peccatum, nimirum, vicinior menti, quám hæc, quæ in carne remanet, deinde ex ea, quod qui orat pręservari á peccato, duo facit, impetrat, scilicet, auxilium divinum, quo á culpa protegatur, & simul detestationem con-

Digitized by Google

cipit peccati, propositumq; vitandi illius, hoc ipso, quód petat ab eo, tanquam á pessimo liberari malo. Hæc veró detestatio, atq; hoc propositum tanti est, ut ille solus non peccet, qui habet contrariam peccato voluntatem, quomodo enim illud volet, quod protestatur se nolle, aut quomodo amplectetur, quod fugit, & detestatur? Quapropter optimé faciunt confessarij, qui suis pænitentibus maximè veró ijs, quos in eadem peccata sæpius recidere advertunt, inter alias medicinales pænitentias, assignant, ut per aliquot tempus petant manè, & vesperi à divina misericordia, dignetur eos preservare ab assuetis: Ita enim inveteratum usum alio contrario, & pio superabit. Itaq; necessitas orationis, ad consequendum aliquid ordinatæ tantę est utilitatis, quantę res illa, quam orando consequi cupimus, potestq; esse grave peccatum omittere orationem, si necessitas, impetrandæ rei sit gravis ut tenet Suar. 2. de relig. lib. 1. c. 30.

Sectio XIV.

Quanta sit præstantia orationis.

68. AD majus orationis concipiendum studium, & devotionem, libet postremó dictis addere, & pauca adferre de excellentia ejus, quam omissis plurimis, quę hîc possent occurrere desumo ex Apocalypsis cap. 19. ubi sic lego: *Vox de throno exivit dicens, laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, pusilli & magni*; quibus verbis significatur imprimis magnum servis Dei concessum beneficium, quod possint Deo suo laudes dicere, id quod faciunt non solùm beati in cælo, sed omnes qui in terra adhuc orant fideles. Quid enim aliud est dicere: Pater noster, sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua, quam laudes dicere Deo? regina Saba, ut narratur 3. Regum. 10. videns omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat, & cibos mensę ejus, & habitacula servorum, & ordines ministrantium, vestesq; eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum, dixitq; ad regem: *Verus est sermo, quem audivi in terra mea, super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nunciata non fuerit, major est sapientia, & opera tua, quàm rumor, quem audivi, beati viri tui, & beati servi tui, qui stant*

stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Hæc in longum idcirco citavi, ut appareat magnitudo beneficij, qua gaudet quicunq; orat, etsi enim non videt adhuc ita clare Deum, ut vidit regina Saba Salomonem, & ea quæ oculis patebant; tamen fides, qua orans ascendit ad Deum, eumq; in ænigmate contemplatur, verissimas formans in mente sua notitias de Deo, de ejus sapientia, de omnipotentia, de bonitate; de ijs quæ fecit in cœlo, mari, & terra, quibus comparatus Salomon, est unum granum, cum universa arenarum mole collatum: Si igitur illa fæmina beatos & prudenter quidem ut homo humana expendens, prędicabat eos, qui Salomonem videbant, audiebant, alloquebantur, quám veré beati, qui Deum ejusq; celsitudinem fide in oratione vident, audiunt loquentem, alloquuntur, laudant.

Non sentimus, neq, experimur, neq; apprehendimus beatitudinem 69.
tantam esse, tantumq; negotium orandi, non ob aliud forte, quám quód similes simus servis, & amicis Salomonis, á quorum nullo dictum legimus id, quod à regina Saba, vel quia non ita prudenter, atq; accuratè ea, quę in Salomone erant expendebant; vel quia licet initiò, ut nova, & magna apprehenderint, consuetudine tamen (ut solent omnia caduca) tandem viluerunt. Ita prorsus nobiscum agitur, sunt, & plurimi orantium, qui, nunquam seduló & studiosé Deum, divinaq; apprehendunt, alij, apud quos orandi & familiaris cum Deo agendi consuetudo parit quandam vilitatem, ut idem prope sit orare, quod alloqui familiarem cum eo fabulari, tractare communia. Cæterum qui accessum ad orandum audiunt attenta, & viva fide dici sibi de throno vocem: Laudem dicite Deo nostro servi ejus; experiuntur se urgeri ad tantum opus, quantum est Dei majestatem, magnitudinem, celsitudinem, oculis mentis spectare, alloqui, ab illo audire, & ea facere, quæ pręsentes, & secum agentes solent, quorum unus pręcelsæ sit dignitatis, alter conditionis infimę. Hinc illa corporis compositio, reverentia mentis, fuga distractionum, & interpellationum; inde in talibus orandi perseverantia, gustus, & sapor, cessandi ab incæpto fastidium, in quibusdam etiam rariori Dei dono, excessus mentis; nimirum, hi sentiunt beatitudinem, (qualis hîc degentibus dari potest) aguntq; divinæ bonitati grates, quod ita stent coram Deo, & audiant sapientiam ejus.

Norunt ijdem se etsi nondum esse inter beatos in cęlo, tamen ita vi- 70.
cinos pręsentesq; verè Deo adstare, ut adstant ipsi beati; nisi quod hi vident per speciem, & facie ad faciem, illi per fidem, & speculum in

ænigmate 1. Cor. 13. & 2. Cor. 15. contemplantur Dei majestatem: & quia id norunt viva fide, perinde atq; si illum claré viderent, & in medio essent constituti cælo, alloquuntur, audiunt, referunt tacita sibi duntaxat nota, responsa.

71. Tale responsum fuit, quod audivit á Deo sanctus Propheta Samuel 1. Reg. 16. *Vsquequo, dicebat Deus, tu luges Saul, cùm ego projecerim eum?* audivit hæc á Deo, quia prius audivit eum Deus, tota nocte 1. Reg. 15. ad se valide, & cum luctu clamantem. Digna veró est, quæ expendatur usitata in scriptura phrasis, modusq; loquendi, ut quicunq; recté orat, dicatur clamare ad Deum. Ita David Psalmo. 3. *Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo*: Psalmo item 56. *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benificit mihi*: Et Psalmo 60. *A finibus terræ ad te clamavi*: Et Psalmo 87. *Intret in conspectu tuo oratio mea.* Quo loquendi modo intelligi vult Spiritus Sanctus, primo nostras orationes, Deiq; laudes esse veré clamorem. In auribus divinis, atq; ubicunq; Deus est, (est autem in toto mundo, immensus nimirum) ibi vocem nostram exaudiri. Itaq; tota terra, mari, & reliquo inferiore orbe, in omnibus cælis, quotquot, & quam lati sunt, personat iste clamor non oris, (hunc enim ægré interdum audit ipse orans) sed mentis, intelligentiæ scilicet, ac voluntatis. Neq; veró Deus solus ubiq; residens audit hos clamores, sed etiam sancti in cęlo, quibus eos ipse, ut supra de hoc á numero 42. diximus revelare dignatur, & efficere ut audiant. Quód autem tantùm distent á nobis, id nihil impedit; non enim clamor mentis per locorum spatia, defertur ad audientis intelligentiam, sicut sonus oris ad aures; sed citra omne medium innotescit percipienti ipsum. Gemitus itaq; vocesq; mentis sonare in auribus divinis indicat sanctus David illis verbis: *Clamabo ad Deum altissimum à finibus terræ: Intret oratio mea in conspectu tuo*, & similibus, quibus quasi hoc exprimitur: Etsi ego uno, & quidem infimo mundi claudor angulo, nempe in terra; ad eum tamen clamo, qui ubiq; est, & in altissimis, & in infimis, optoq; ut in conspectu ejus sistatur oratio mea.

72. Deinde ipsa hac voce (clamo) ideo utitur Sanctus Psaltes ut ostendat nostras preces similes esse voci oris; hæc enim si fiat magna contentione pectoris, in clamorem resolvitur: Ita plané mens affectusq; noster, si exili conatu oret, vox apud Deum habetur, tantoq; exilior, & sibilo cuidam mussitantis, vix perceptibili tantó similior, quantó fuerit remissior applicatio animæ: quod si hęc magno studio, nisuq; oret, quem fides,

des, spes, & charitas urgeat vehementer, sit ingens in divinis, sanctorumq; auribus clamor, toto validissimè personans cœlo, itaq; perstringens, non aures tantum, sed & corda audientium, ut in hoc mundo solet perstringere regis & eorum, qui sibi assistunt animos, clamor petentis aliquid solito validior, & lamentabilior. Et apud nos quidem crebró inhibentur tales clamores, ne offendant aures delicatas; quemadmodum fecerunt illi apud S. Marcum cap. 10. qui comminabantur cæco, ut taceret, neq; illud sæpius ingeminaret: *Jesu fili David miserere mei:* Secus est apud Deum, qui ad clamandum instigat, cum dicit: Oportet, sine intermissione orare, Lucæ 18. & Lucæ 11. *Petite, quærite, pulsate*; deinde ubi satis clamatum fuerit, vocat, ad se, quæritq; : *Quid tibi vis faciam* Marci 10.

Magna profectó est dignitas; ingens excellentia, gratia orationis mira; ita supremam majestatem ea delectari, ut diutissimè in conspectu suo perorantem, nunquam fastidiat, nunquam dicat, satis jam oratum; unum tantúm, non tam silentij, quam beneficij, adhibet modum, finemq; Deus exaudire, scilicet, dicereq; : Quid tibi vis faciam Marci 10. *Vade & sicut credidisti fiat tibi, Mathei* 8. Id non aliunde manat, quám ex in exhausto boni fonte ipso Deo, qui, nimirum Pater, Amicus, Sponsus, & quid non hominis? Cupit in eundem (per orationis veluti canalem) quam abundantissima, & præclarissima ex se derivari bona. Et quemadmodum hoc magnum est beneficium nostrum, si pro dignitate, id est validé, ad tam amantem clamemus, ita pudor, & confusio faciei, quando in locum clamoris succedit timida quædam vixq; perceptibilis mussitantis species, & inconditus sibili sonus, nempe resolutio pigritantis animæ, negligentiaq; supina, aut ultro accita, si videlicet serijs, & gravibus (qualia cum Deo tractantur) superveniant nostra culpa ludicra, & ridicula, phantasiæ ineptæ, vanæ, deformesq; . Hæc, & similia non dico invitum pati (rarus enim ab his liber) sed quasi studio agere; quid aliud est, quàm tantæ majestati, & millibus Angelorum, atq; sanctorum indignissima oculis, auribusq; ingerere, illamq; orationis gratiam, & innumera emolumenta, prestantiamq; convertere in fastidium, aut quod majus est, in odium; ut testatur David Psalmo 108 *Oratio ejus fiat in peccatum.* 73.

Quemadmodum enim si quis agens cum terreno rege in consessu principum totaq; præsente aula, ubi magna proposuerit, mox jocos, scurrilitates, & indigna tanto, exhibeat conspectu, aut quod majus est, si tum 74.

si tum plané velit offendere spectantes; quid tandem is relaturum se speret? Vel potius quid non timeat? Simile, sed longè majus timere debet, qui se divinæ majestati talem sistit. In ita orantes videtur illud posse quadrare, Isaiæ 29. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo eloquium tuum mussitabit:* Taxantur quidem ibi, qui consulunt dęmones; verum omnes irreverenter orantes, videntur in terra, mussitare, non in cœlum erigere vocem, neq; ut audiat is, ad quem jubemur (tanquam si in cœlo tantúm esset, & ibi tantúm audiret) validé clamare illis verbis: Pater noster, qui es in cælis. Hæc saltem illi attenté considerent, quibus datum est nosse mysteria regni cœlorum, Matthæi 13. Quantó scilicet studio adniti debeant, ut dum corpore in terra degunt, digné in cælo mente compareant, jamq; incipiant, vel á longé ita laudes dicere Deo suo, ut dum in conspectum clarę majestatis ejus perducti fuerint, non retineant memoriam prioris ob desidiam erubescentiæ: quin potiús ita nunc dicant laudes Deo suo, ut tunc in majores prorumpant, eó quód orationis agnoverint, & pro viribus coluerint dignitatem. Atq; ex hoc, quód orare sit opus, negotiumq; divinum, magnumq; á Deo beneficium nobis concessum, quód possimus pręedicare laudes ejus, cognoscitur præstantia orationis; est veró & aliud, ejusdem præstantiæ argumentum loco ex Apocalypsi citato, contentum, ubi habetur: *Laudes dicite Deo pusilli & magni.*

75. Qui sint isti pusilli & magni, omissis varijs hujus loci interpretationibus, illa proposito nostro deservit, quam desumo ex Matthæi 12: Vbi cúm Dominus laudasset Baptistam á sanctitate dixissetq;: *Non surrexit inter natos mulierum major Ioanne Babtista,* qui autem *minor est in regno cælorum, major est illo.* Sunt igitur ex mente Christi pusilli quicunq;, etiam maximi sancti, mortalem adhuc degentes vitam; nimirum minores, minoribus in regno cælorum jam beatis, ac proinde minimi, & pusilli inter omnes servos Dei.

76. Recté vocantur pusilli, non ex eo tantùm quod dum hic vivunt, sint in periculo amittendę sanctitatis & evadendi vilissimi non beatorum tantúm, sed omnium etiam mortalium, scilicet damnationi obnoxij, non, inquam, ex eó tantúm, erant enim aliqui sanctorum ab hoc exempti periculó, confirmatiq; in gratia; quod de Apostolis ita credendum, ut habemus apud Ioannem cap. 14. ubi ait Dominus: Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis: Hoc autem dixit solúm ad undecim, post abitum

abitum Iudæ, ut traderet illum, teste Sancto Petro Actorum 1. ut abiret in locum suum; ex quo constat, omnes ex undecim fuisse certos æternæ salutis. Sanctus autem Paulus huic certitudini addit confirmationem in gratia, & charitate, á qua nunquam separandi erant: Sic enim de se, (idemq; intelligendum de alijs Aplis. quos ille ad Galatas 2. vocat: Columnas ecclesiæ) ad Romanos 8. scribit: Certus sum, quia neq; mors, neq; vita (& cætera quæ enumerat) poterunt nos separare á charitate Dei. Itaq; non ex eo sancti (præsertim omnes) adhuc mortales dicuntur pusilli, quòd non sint de perseverantia, & gratia certi, cum aliqui habeant hanc certitudinem, verum ex eo, quod maxima sit inter ultimam beatitudinem, & quamcunq; vitæ caducæ differentia; illa enim est talis in qua beati conquiescunt, nihil appetendo amplius, cúm nec possint appetere, quia jam summum consecuti sunt, & ideo vocantur magni, nimirum summè magni fælices: e contra sancti in hac vita, adhuc teste Paulo Romanos 8. intra se gemunt adoptionem filiorum expectantes & miseriam servitutis deplorantes, tanquam pusilli, & infimi; quid enim mancipio vilius? quid filio dignius, præsertim apud tantum Patrem?

Cum itaq; jubentur laudare Deum pusilli, & magni, intelligimus o- 77.
mnibus, tam in cælo, quám in terra sanctis, laudandi Deum imponi præceptum; nam peccatores ab hoc excelso Dei obsequio excluduntur, non quòd etiam illi non debeant laudare Deum, cúm David Psalmo 48. fateatur id eos facere debere: *Anima*, inquit *ejus, in vita ipsius benedicetur, confitebitur tibi, cum benefeceris ei*: Sed quod eorum laudes vilipendat Deus, ita tales sugillans: Isaiæ 29. *Populus iste ore suo, & labiis glorificat me, cor autem ejus longè est á me*: minùs quippe dignè sua divina majestate glorificatur Deus, si tantúm corporis ore, & non simul corde spiritus prædicetur, cúm ex totis, & carnis, & animæ viribus laudandus sit. Cæterum laudes plenè acceptæ Deo, sunt Sanctorum, tam magnorum, quám pusillorum, tam beatorum in cælo, quám piorum in terra, ita quidem ut pusilli recipiantur in consortium magnorum, laudesq; nostras suis adjungant, Hac ratione Apocalipsis 5. dicitur 24. Seniores cadere coram agno, *habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*? Idem non tantùm de hominibus, ex quibus erant illi seniores, sed & de Angelis cap. 8. idem legitur. Quando igitur sancti orant in terra Deum laudando, amando, gratias agendo, petendo: Sancti in cælo nostra pusillorum præsentant diuinę

 maje-

majestati, sua magna admiscendo, ita videlicet, ut possunt beati, laudando Deum, amando, gratias agendo, petendo non jam pro se, (nullo enim egent,) sed pro nobis, ut illud verum sit: Laudem dicite Deo omnes servi ejus pusilli, & magni.

78. Hac inter alias de causa statuit ecclesia ut canonicæ horæ alternatim per distributos decantentur choros: Volebat scilicet fidelibus dignitatem commendare orationis, laudumq; divinarum, docere etiam illas á nobis mortalibus, non solitariè Deo offerri; sed simul & semel Angelorum numerosissimos choros, beatorumq; ordinatissima agmina suis, nostras prosequi, ut quod nobis deest, ab illis compleatur, fiatq; hac ratione integra, ac perfecta á servis Dei laus, & obsequium ejus. Quo admonemur cuncti, quocunq; tandem oremus modo, sive soli, sive in choro; quæ debeant esse nostræ partes, ut societate magnorum Dei servorum non simus indigni, caveamusq; illud omne, quod in consessu illorum, & quorumvis prudentium vehementer displicere necesse est. Si quis id dicere, agereq; præsumat, quod omnes meritò offendat; id enim cavere jubet Ecclesiasticus cap. 32. *In medio magnatorum non præsumas.* Quidquid igitur, quà externo corporis gestu, quà mentis actione ab orante fit, quod non audent facere beati, est præsumptio vehementer displicens, & offendens cælestes magnates; propter quam ab eorum felicissima corona merentur excludi præsumentes. Atq; hoc est orationis alterum, neq; parvum præstantiæ argumentum, Societas videlicet beatorum, & quidem in eo, quod est præcipuum ipsorum munus; ut in prima ejusdem orationis excellentia declaratum est: quid enim aliud, vel debetur á creatura intelligente Creatori, vel fuit huc usq; gratius exhibitum, vel futurum est per æterna sęcula, quám laus, gloria, amor, & gratiarum actio illi, cui á beatis creaturis, ut amplius quid pendatur, nec harum est potestas, nec egestas illius?

Sectio. XV.

CHRISTVS cum suis simul orat.

79. ENimvero pluris hæc societatis communio æstimabitur, si advertamus unum esse inter illos magnos maximum, cujus consortium, & allicere ad orandum, & officij monere plurimum debet, attentosq;

tosq; reddere ut sciamus singula nostra verba, votaq; ita ad Deum deferri, ut á nullo prçter illum solum. Cæteri quippe beati, nostra Deo præsentant, tanquam aliena, conservorum scilicet suorum, amicorumq;, & velut membrorum, quç simul cum ipsis uni cohærent corpori: Ille solus maximus omnium beatorum, nempe Christus, proponit nostra tanquam sua, qui cum caput sit Ecclesiæ: Ephesеos. 70. singulorum nostrum tanquam membrorum (quç ille sibi unit, subordinat, & efficit propria) orationes, vota, gemitus, desideria, sua æstimat, & ut sua paternis insinuat auribus. Eleganter id declarat S. August. Tom. 8. primum illum verbum Psalmi 56. Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, ita interpretans: Christus dicit: miserere mei, Deus Deo dicit, miserere mei, qui cum Patre miseretur tui, in te clamat: miserere mei. Etenim quod de illo clamat: miserere, tuum est; non expavescamus voces petentis misericordiam, ideo petit, quia exhibet, ad hoc homo, quia misericors. Singula ergo verba, ut veré ostendit Augustinus, & nostro, & Christi proferuntur ore; quæcunq; fuerint vota in corde nostro, & Christi concipiuntur in corde; quaslibet nostras miserias, suas esse Christus in cælo clamat. Quid jam dignius oratione? quç efficit ut Christus ex ore nostro, verba in suum transferat, gemitibus cordis nostri, suum repleat; neq; satis est illi, nos socios in laudibus divinis habere, sicut habent alij sancti, nisi simul laudes á nobis quasi mutuetur, ut non paribus, vel similibus, sed ijsdem laudet Patrem; (quanquam, ut capiti nostro, non negandæ sunt aliæ longé nostris prçstantiores) quibus & nos, membra ejus. Atq; hæc est duplex, de qua diximus, prçstantia orationis, Deum, comitibus Sanctis, & quod maximum est, ipso Deo, non tam comite, quàm nostro ore, & corde orante, laudare. Quemadmodum enim in corpore humano caput pro singulis agit membris, condolendo eorum malis, & quæ opportuna, ac salutaria sunt optando; atq; si membra, os, corq; haberent, voces, ac desideria horum, essent eadam & capitis; ita in corpore ecclesiæ mystico, caput Christus agit apud Patrem pro suis membris, hoc est fidelibus; & cum hi os, & cor habeant; orationes, votaq; istorum saluti opportuna sunt eadem, quæ & Christi Iesu Salvatoris ac Dei. Sed jam de oratione sit satis, in qua etiam actum est de laude Dei cantu fieri solita.

Digitized by Google

CAPVT. XI.

De Meditatione & Contemplatione, ac de annexis utriq;.

QVæ hactenus diximus de necessitate, & pręstantia orationis, etsi serviant orationi vocali, habenti adjunctos internos actus, intentionem, scilicet, orandi, attentionem, & devotionem; multò tamen excellentius quadrant orationi mentali, & quę ex illa consequi, ut plurimum, solet, contemplationi. Vt verò tam meditatio, quám contemplatio rectiùs percipiatur, advertendum est, orationem mentalem duo significare: primò id, quod voce exprimit oratio vocalis, nempe actum intellectus proponentem Deo nostras necessitates, quem comitatur pia voluntas; quo pacto egimus hactenus de oratione; quoties enim oramus vocaliter, vel priùs, vel simul mente Deo proponimus illa, quę lingua voce exprimit. Secundò oratio mentalis significat eam internam operationem, quam S. Thomas 2. 2. Q: 8. 2. art. 3. in corpore appellat meditationem seu considerationem, in tribus velut materiis, versari solitam, in Deo scilicet, in divinis operibus, & in nostra voluntate. Quæ consideratio, quia circa multa occupatur, & jam antecedentia, causasq;, jam consequentia trutinat, atq; effectus, debet discursu perfici rationis; sive is sit per altissima, & divina principia, suggesta per donum Spiritus Sancti, quod vocatur intellectus, & ex quo nascitur alterum donum sapientiæ; sive per inferiora, spiritualia tamen, qualia suggerit fides, & inde consequitur donum scientię, Theologia acquisita, & aliæ probabiliter illatæ notitię, ad quas non semper requiritur ingenij acumen, aut præstans doctrina. Quapropter crebrò evenit, ut naturalibus & acquisitis donis minùs pollentes per super naturale Spiritus sancti auxilium, accedente pia, & humili crebra meditandi consuetudine, felicius & uberius meditentur, quàm alij doctrina, & ingenio præditi: id quod in sancto Francisco literis minùs instructo prædicatur á scriptoribus ejus vitæ; nam hęc duo verba: Pater noster, diutissimè, & uberrimè mente volvebat.

1\.

Sectio.

Sectio I.

Quæ consequi solent meditandi rationem.

QVia verò Meditatio dicta non dirigetur ad veritatem speculativè intelligendam, sed practicè, ut voluntas intellectui cooperetur; hinc fit vt ex cognitione considoratorum pij consequantur affectus, amoris Dei, gratiarum actionis, doloris de peccatis, & aliarum virtutum, quibus omnibus meremur apud Deum tantoq; hi affectus sunt præstantiores, & quoad suam honestatem, seu, ut dicunt Theologi, quoad suam specificationem, & quoad perfectionem intensivam, augmentumq; accidentale singulorum, quantò illa quæ meditatio expendit sunt præstantiora, meliora, & meliore proposita modo. 2.

Hoc voluit, innotescere S. David omnibus, qui promovent in se assiduo, diligentissimoq; usu, & petunt à Deo utilissimè orandi studium, quando Psalmo 72. ita dixit: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quibus verbis significat eum, qui meditando ad Deum, & divina ascendit, manu duci á Deo, singulari ejus, & benigna voluntate, deduciq; ad speculandam divinam gloriam, ac magnificentiam quanta mortalibus concedi potest. Quid verò deinde sequatur in intelligentia, & affectu sic meditantis, subdit: Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Ecce fructus meditationis in Intellectu quidem, tanta notitia Dei, ut illo nihil, in mundo cognoscatur majus, melius, præstantius, fecundius, beatius; in voluntate verò ejusdem Dei, summi boni amor, qui totum cor occupet, & carnem atq; appetitum, á terrenis ad superna elevet expetenda. Hoc ipsum idem S. Psalmo 62. meditationi tribuit, declarans se velle tota vita Deum laudare oratione, á mente incipit, & ad linguam pergit, priusq; petit animam lumine, & sanctis affectibus impinguari, ut deinde os exultet, sic ergo ibi loquitur: Deus: Deus meus ad te de luce vigilo, sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, & labiis exultationis laudabit os meum: si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. 3.

Digitized by Google

Hoc expendentes sancti Patres, & petitissimi rerum spiritualium viri,
4. præferunt meditationem vocali orationi, nam hæc ad publicas laudes Deo persolvendas, ut fit in horis canonicis, & ad eos, qui cantui intersunt, ad cultum divinum excitandos utilis est. Sed illa ad pietatem menti instillandam per illustrationes, videlicet, & sanctos affectus, apprime necessaria. Vnde sententia est eorundem Patrum, quam illi sua experientiâ compertam habuerunt, & posterius probandam tradiderunt, nihil ita conferre ad vitam de mala in bonam, & de bona in meliorem, ac etiam in optimam commutandam, atq; est meditatio, & alta Dei, divinæq; voluntatis accurrata consideratio. Inter alios ita de hac re scribit S. Bernardus lib. 1. de consideratione cap. 7. Primùm, ipsum fontem suum, id est mentem de qua oritur consideratio purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores vitam honestat, & ordinat, postremò divinarum pariter, & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa discerminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta, & fucata explorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis, quasi non sentit, quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est.

5. Hæc Bernardus, & rectè sanè; cúm enim in homine sint duo, anima, scilicet, & corpus, & pietas etiam, atq; honestas in mente tanquam in arce resideat, é qua deinde in corpus, velut in subjectam partem descendit; cum inquam, hæc ita se habeant, effici profectò necesse est, ut si anima sedula consideratione claré videt quid agendum sibi, quidq; fugiendum sit, eadem quoq; pio affectu (qui semper efficax mentis sequitur imperium,) aut renuat, aut amplectatur tandem, corpusq; etsi interdum cum pugna, spiritui subjiciat, atq; ita totus homo talis sit, qualem describit Sanctus Bernardus. Quod si quis honestatem vitæ consequi velit, & ad hoc corporis assumat exercitationes, nempe jejunia, vigilias, castigationes, atq; id genus alias externas asperitates, neglecta interim consideratione animę, profectò is aut tardè, aut fortè nunquam ad solidam perveniet pietatem, perindeq; faciet, atq; ille, qui optimam ad scribendum habet pennam, ineptam tamen manum; ut enim is deformes exarabit characteres, eó quód licet instrumento utatur bono, sed non eo bono, quod principale est, nempe manu ita nisi mens consideratione exculta sit, modicum externis pietatis instrumentis in

virtu-

Digitized by Google

virtute promovebit. Non assero hic adminicula corporis ad spiritum non prodesse, cúm in sacrâ scripturâ sæpius commendentur, tanquam multum conducentia; sed quod dico est, illa juvare quidem, tum tamen, & maximè, cum á spiritu, & initium, & fundamentum, & regula sumitur; id quod pręcipit S. Paulus Timothæo 1. Timothęi 4. Exerce te ipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia.

6. Hac sanctorum sententiâ propriâq; experientiâ edoctus S. Ignatius nostrę societatis auctor in se primò probavit, deinde in plurimis alijs, voluitq; ut sui alumni, quà in se, quà in cæteris idem referrent emolumentum mentalium, seu spiritualium exercitationum; sive eæ ab illis usurpentur, qui de vitę suę ratione primùm moderandâ, aut mutanda cogitant, sive qui in rectè vivendi modo perfici cupiunt. Atq; ut id ubèriùs consequeretur, exercitia jam dicta in 4. partes est partitus, quas vocavit quatuor Hebdomadas etsi non sit necesse, ut semper tantùm temporis in illis insumatur. In prima eorum parte, expenduntur præterita peccata, initur ratio cum conscientia, noxissima, pręsertim mors, judicium, & ignis æternus meditanda assummuntur, ut videat quisq;, quid mereantur delicta, & vitet illa deinceps. In secunda, Christi à nativitate ejus usq; ad passionem, vita decurritur, ut qui peccatis jam purgatus est, vultq; eó pervenire, quó veré pęnitentes collimant, sequatur illum operum imitatione, qui dicit; Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis: Et, si quis mihi ministrat me sequatur, Ioan: 12. & 13. neq; veró errabit pręeuntem sequendo; ipse enim qui ducit de se testatur; Ego sum, via, veritas, & vita Ioan. 8. In tertia parte consideranda proponitur mors, & passio Salvatoris; nimirum in qua difficilium, & heroicarum elucet speculum virtutum, cúm in reliqua ejus vita faciliores se imitandas offerant.

7. Atq; hæc secunda, & tertia pars, dicitur illuminativa, prima autem purgativa; in hac enim purgatur à culpis & vitijs animus, debita penitentia, atq; examine conscientiæ, in illis duabus á Christo, qui est, ut testatur Ioan. cap. 1. Lux hominum, illuminatur cultor virtutum. Tandem in quarta parte de novissimo quarto, nempe de gloria cælesti, & amore Dei agitur; qui enim jam à culpis animæ liber, virtutibus adhęc excultus est, quid aliud desiderare potest, quàm divina, & cælestia? atq; dum in terra adhuc degit, illud pręlibat, quo in altero mundo perenniter, & felicissimé vivet, frueturq;, amando clarè visum suum creatorem:

Digitized by Google

torem: atq; hęc quarta pars dicitur unitiva, uniens hominem Deo per amorem ejus. Ista fundator noster exemplo sanctorum, & magisterio Spiritus Sancti, qui pro nobis orat gemitibus inenarrabilibus Romanos 8. & putavit, ad vitę probitatem unicè conferre, &, ut jam dixi, in se aliisq; expertus est, hodieq; ejus filij experiuntur idem.

8. Lividis id oculis spectavit semper inimicus salutis humanæ dęmon, qui exercitiorum inuentum, in ipso eorum authore Ignatio ultus est carcere, & catenis, quas ille sustinuit tanquam suspectus, de nova vivendi tradita doctrina, ut scribit in ejus vita Ribede: lib. 1. cap. 15. Nunc quoq; eadem reddit exosa persuadens esse, carcerem quendam tędiosum, & in eo cruciatus corporis, melancholiæq; fomitem; quę omnia digna patre mendacij mendacia: Revera enim non aliud, qui se his exercet, facit, quám vacat á turbis negotiorum, ut uni omnium maximo salutis negotio utiliùs intendat, tantó quisq; tempore, quantum sibi præfinit commodum, cum eaq; corporis afflictione, quam cujusq; discretio, aut ejus, qui instruit, exercentem se, prudentia, videt ætati, moribus, & usui congruam, & opportunam. Qui spretis mendaciorum pręstigijs, vel semel in sua vita, de eadem sua vita, & fine ejus æternitate scilicet, coram Deo init hanc, quam dixi rationem, nemo est, quod sciam, qui ipsi non magnas agat grates, & non doleat se antè id non fecisse, neq; concipiat desiderium iterum (si possit) probandi quod semel expertus est, quocunq; in statu fuerit, & genere vivendi.

9. Hoc est primum, quod dixi supra numero 4. spirituales viros colligere, ex verbis Davidis meditationem vocali præferendam esse orationi. Alterum quod ibidem insinuatur est, aptitudo ad has mentis considerationes, neq; enim cuicunq; sunt pervię, vel ob rudem ignorantiam, quæ omne prohibet intellectus ratiocinium, vel ob corporis instabile temperamentum, quod non permittit tantisper in uno hærere, ut rectè percipiatur; vel (quod creberrimum, & quasi universale est) ob defectum consuetudinis meditandi. Plurimi certè sunt, qui oratione vocali contenti, consideratione internâ verentur fatigare, lædereve caput, itaq; malunt, si pij sunt, multiplicare orationes, quàm vel tantillum meditari. Talibus formam in se reliquit David, qui (nimirum rex) negotiorum molem præveniebat, & summa luce agebat cum Deo, unde & dicebat: Deus Deus meus ad te de luce vigilo; in matutinis meditabor in te. Matutinum quippe tempus, & ad meditandum, & ad usum meditandi comparandum, aptissimum est, quo scilicet sensus, phantasmata, & ipsa

& ipsa intelligendi vis preteritorum immemor, futurorum adhuc ignara, presentia illa solùm apprehendit, quę sibi accersit; qui igitur tunc ad Deum accedit, cum illo solo agit, ut veré dixerit David Deus meus meditabor in te, non in alijs.

Idem tempus est quoq; aptum ad acquirendam meditandi consuetudinem, quo si quis sępius utatur discet (nimirum in aurora amica Musis) in terra adhuc degens, beatorum eloquentiam, viam, scilicet, & methodum orandi, quæ, ut mox dicemus beatis est propria. Qui tamen ineptum se semper ad considerationes sentit, accipiat vel hanc orandi rationem, cum modica utili tamen meditatione, quam tradit in libello exercitiorum spiritualium S. Pater noster Ignatius triplicem, & quam sibi putat commodiorem eligat. 10.

Prima est ut singula orationis verba, tanto temporis spatio proferat, quanto respirat! sic enim attentius, & aliquid percipiendo orabit. Secunda ut prolato uno, vel aliquot in oratione dominica, aliave verbis, hæreat in eis tantisper, dum occurrunt menti sanctæ considerationes, pijq; affectus: exempli causa is, quem voco Patrem, initio orationis dominicæ, sit Deus, summa majestas excelsior omni terreno Monarchâ; & si is, qui in terra habet patrem regem, magnus est, quantó major, qui habet Patrem Deum? Quod si filius, est hæres patris, profectó & homo hæres est bonorum Dei; laudandus igitur gratesq; ei agendæ, quod se receperit in filium; in hunc modum possunt, multa occurrere. 11.

Tertia est orandi ratio, qua sumitur aliqua certa, ad salutem spectans materiâ, & ea expenditur cum examine conscientiæ, quo pacto se in illâ quis gerat, gerereve debeat; verbi causa, qui vult decem præcepta hoc modo percurrere, proposito primo, cogitet, num aliquando non recurrerit ad dæmonem, relicto suo Creatore Deo, quod fit quando in adversis consuluntur venefici, vel ipse dæmon; & si id fecit, doleat, si non, agat grates pro fortitudine, & patientia, ita de reliquis.

Quacunq; alia proposita materiâ, qui isto modo orat, potest mentem suam impinguare: Sanctis illustrationibus, & affectibus pijs, redderéq; se indies magis idoneum, ad meditandum de quavis re, quam assumet, non tantùm se examinando, ut cepit, sed ut supra dixi considerando Deum, divinaq;.

Sectio II.

Quid sit Contemplatio & qua viâ acquirenda.

12. EX hac verò consideratione usu diuturno, & inprimis Dei ope atq; gratiâ, ut plurimùm consequitur eorum, quę meditatione trutinata sunt, intelligentia quædam, quam Sancti Patres, & Doctores vocant contemplationem. Est autem contemplatio, simplex quædam veritatis perceptio, seu intuitus, ex prȩvia consequens meditationis ratiocinatione, eo quadantenus modo, quo quis conspecta à longè arce obscura quadam ratione, pergit ad eam, & quò vicinior est, distinctius videt, tandem stans prope intuetur clarè, miraturq; ejus molem, munitionem, pulchritudinem, & similia. Ita qui Deum, vel aliquod illius attributum considerat, verbi causa, misericordiam, ab initio varia in illa reperit; ut quòd sit infinita, quòd nulla alia ei similis & cętera, quæ à longè, & obscuré videt, quia non ita cognoscit, ut jam sistat, & contentus sit notitia habita. Adhibendo deinde diligentem considerationem advertit in divina misericordia seipsum, & ea omnia quæ habet, cognoscitq; ex illa, velut è fonte emanare cuncta, nec plura, aut se habere, aut habiturum unquam, quám quę inde emanarint: intuendo sic misericordiam Dei, tanquam quendam inexhaustum, & verè suum thesaurum, miratur divitias ejus, hęretq; in contemplatione, nec jam ampliùs discurrit; considerando, sed uno simplici recreatur intuitu. Quemadmodum autem, intuitus illius arcis parit in appetitu delectationem, laudem, aliosq; circa illam affectus; ita intuitus miseri cordiæ Dei excitat in voluntate lętitiam, amorem, gratiarum actionem, petitionem beneficiorum, & id genus alios pios affectus; & sicut tam diu conspicitur arx, quam diu nec oculus fatigatur, nec delectatio cessat, ita tamdiu in contemplanda Dei misericordia, quietè persistitur, quam diu intelligentia non fatigatur, nec voluntas cupit aliquid aliud invenire, quod sit mirum, & delectabile.

13. Hæc ratio divina contemplandi est inprimis, ut dixi, simplex intuitus, hoc est non discursus quispiam, aut, ut dicunt Philosophi compositio subjecti cum prędicato per affirmationem, aut negationem: Sed est instar primę apprehensionis, multò tamen illâ clarior; Nempe per mul-

multos discursus & compositiones comparata, virtute in se ac eminenter discursum, & compositionem, continens est enim actus, qui causa, effectus & alia adjuncta cernentur, etiam in uno interdum verbo, v. c. Deus, vel in duobus, ut, misericordia Dei. Deinde contemplatio est propria beatorum, etsi imperfectior multò; hi enim Deum vident, & illo summa cum voluptate fruuntur, viatores autem obscura notitia fidei, nil aliqua inferiore quam est fides, ita in Deum conscendunt, ut altius, & utilius in hac mortalitate non possint; rectè de illa S. Augustinus sermone 43. de tempore scribit; Vna sola contemplatio Dei est, cui meritò omnia justificationum merita, & universa virtutum studia postponuntur. Optimè id quidem affirmat hic sanctus, nam cùm contemplatio in veritatem feratur, (hęc enim est objectum intellectus) veritas autem sit forma, & norma entis formati, pulchri, & jucundi, cùm etiam summa veritas, summaq; pulchritudo, & plenitudo entis, sit Deus, ex quo alia, quę vera, & quocunq; modo sunt, pulchraq; ac formata sunt, suam sortiantur veritatem; sequitur ut contemplatio Deum inprimis, deinde opera ejus intuendo, in ipso reperiat omnia, in quo verè sunt omnia, in alijs autem operibus illius ea inquirit, quæ ad Deum ducunt.

Affectus quoq; contemplationem consequentes, necesse est ut in Deo, tanquam summo & ultimo bono quiescant, ad alia extra Deum, tantùm afficiantur quantùm ad amandum Deum conferunt: in his autem ut dicit S. Augustinus sunt omnia justificationum merita, & universa virtutum studia. Nam qui Deo excelsè cognito vniuntur, aliud preter ipsum non eligunt, nisi illa tantùm, quæ sunt honesta, & sancta, scilicet, virtutum studia, & operum merita, quę ad ipsum conducunt: sed de meritis infra dicetur.

Sectio III.

Quot sint contemplationis gradus.

Contemplationis jam explicatæ, sunt aliquot gradus & excellentiæ; prima est intueri Deum clara visione, quo pacto Christus adhuc mortalis, ab initio suę conceptionis contemplatus est Deum, ut omnium orthodoxorum communis tenet sensus; post illum passim 14.

Digitized by Google

Theologi tribuunt id concessum Beatissimæ Virgini, saltem aliquibus temporibus, quale fuit conceptionis Christi, Nativitatis, Resurrectionis, aut aliquod ex his, ut refert, & sequitur Suares Tom. 2. in tertiam partem: Q. 37. Art. 4. disp. 19. Sectione 4. citatq; Patres, & Doctores. Ratio quoq; est, quę id valde suadet, cùm enim pręcellentissima virgo, ad Incarnationis mysterium ita fuerit assumpta, ut nulla Creatura alia; Angeli quippe nunciando illud, homines pręodicando, & fructus ejus in salutem animarum usurpando, concurrerunt: Sola illa suum sanguinem Deo uniendum obtulit, priusq; illum mente, quam ventre concepit, ut testatur Augustinus alicubi. Propter hoc decebat, ut præ omnibus perciperet id, quod in ea & ex ea factum fuit, eumq;, qui per illam factus est oculis carneis spectabilis, prę aliis nosset, nulla autem, est clarior, & major notitia, quam visio Dei, quali fruuntur beati. Et certè si Moijses, & S. Paulus, ut tenent aliqui Theologi, cum S. Thom. 2. 2. Q. 78 art. 3. & in 6, viderunt brevi momento Deum, quia erant digni tanto beneficio, nimirum Doctores hominum, ille Iudęorum, hic gentium, profectò dignior est sine comparatione Mater Dei, quę licet non docebat ita, ut ipsi, pastores, scilicet, & Sacerdotes, sciebat tamen id, quod alij docturi erant, quodq; ipsa, quibus voluit manifestavit, sciebat verò præ omnibus alijs, siquidem ad hoc mysterium electa est prę omnibus alijs.

15. Non disputo hic fuerit necne tunc extasim passa, Beatissima virgo, hoc est privata usu omnium tam internorum, quàm externorum sensuum. Etsi enim S. Thomas 2. 2. Q. 75. art. 4. in corp. ita sentiat de ijs, qui mortales adhuc viderunt Deum, eò quod tota intentio & vis animæ feratur tunc in Deum, nihil relinquendo virium sensibus (aliud, & ipse, & omnes alii tenent de Christo, etiam mortali adhuc, nimirum jam tunc comprehensore, sicut & de beatis hominibus, hi enim ex peculiari sui status beata conditione non debent privari usu sensuum) quia tamen S. Thomas Moysi, & Paulo, visionem hanc Dei tribuit, de quibus quod fuerint, á sensibus tunc alienati, si viderunt Deum, meritò ob rationem illius asseri potest; aliter certé videtur sentiendum de Beatissima virgine, ut de facto sentiunt multi Theologorum. Illa enim sicut jam dixi debuit prę alijs ornari privilegio simul, ergo intuendo Deum sensibus utebatur. Quanquam aliqui ex Theologis, ut Suares in opere de Religione. Thomo 20. lib. 2 cap. 16. asserunt sine novo privilegio posse videntem (etiam in vita mortali) Deum sensibus quibusvis uti; cum enim visio

visio Dei, viribus, & auxilio supernaturali adscribenda sit, anima ad illam elevata non impeditur in ijs quæ per vires naturales apta est peragere. Sed hæc ut subtiliora relinquantur Theologis, qui in hac re variè interpretantur S. Thomam.

Alter contemplationis gradus est, ferri in Deum per species & principia, ut dicunt Theologi, per se infusa, seu talia, qualibus puri spiritûs utuntur, atq; ita Angeli antequam Deum viderunt contemplabantur illum fide, & alijs supernaturalibus adjuti auxilijs. Hic gradus rarus est, & si cui, certe Virgini Gloriosissimæ fuit communicatus, & fortè familiaris, ut tenet idem Suares opere de Religione Tom. 2. libr. 2. cap. 14. 16.

An verò tunc sensus, & intellectus utens phantasmate, impediatur in sua operatione, relicta etiamhic subtiliore disputatione puto non impediri, propter similem præterito puncto allatam rationem, quòd cùm sint diversa agendi principia, & habitus, ac species per se infusæ sint supernaturales, nihil impedient operationem principiorum naturalium, quales sunt sensus, & phantasticus intellectus.

Tertius, & postremus contemplationis gradus est, frequentiorq; 17. cæteris, simplici intuitu, ex meditatione consequente, Deum, divina, & ejus opera speculari, affectusq; varios concipere, ex quibus præcipui sunt septem, Contemplando enim laudamus Deum, amamus, gratias agimus, speramus, petimus aliqua, placamus illum dolendo de peccatis, & perfectè pro ijs satisfacere optando, tandem variorum, & insignium, moralium virtutum sentimus desideria, ut sunt humilitas, obedientia, puritas animæ, & corporis, fortitudo, tolerantia, mansuetudo, & aliæ quibus maximè quis putat se egere. In hoc tertio gradu fides divina, & dona Spiritus Sancti adjuvant animam, ut illustrata abundantius, & inflammata ardentiùs feratur in Deum, ac divina: sic veró interdum fertur, ut etiam raptum, & extasim patiatur, hoc est sensuum externorum destituatur usu. Dico externorum, interni enim, naturali Sympatia cooperantur intellectui; nisi forté miraculosé cooperatio impediatur, ut docet Suarez loco proximè citato probans posse fieri contemplationem per solum intellectum, utentem speciebus à phantasia 18. abstractis, sine ulla cooperatione phantasiæ, ne dum externorum sensuum. Et tunc intellectus singulari Dei gratia elevatur ad contemplandum solitariè, sensibus quidem externis ex eo deficientibus, quód ille rapiatur vehementia sui objecti, & totus in eo hæreat; phantasia tamen deficit

singulari Dei operatione, per quam redditur impotens ad comitandum intellectum: ad hanc impotentiam concurrit partim altitudo objecti, partim totalis ad illud applicatio intellectûs. Istum etiam tertium contemplandi modum habuit in usu Deipara Virgo, raptu excluso, & defectu sensuum; nam impediri hunc usum, qui est alterius partis hominis nempe corporis, innuit quandam imperfectionem, quę non videtur tribuenda Beatissimæ virgini, sicut & beatis in cælo, & Christo, etiam adhuc mortali.

19. Hæc ratio contemplandi, quieta quidem est, non tamen ita, ut omnis absit animi motus; nam tamdiu anima pascitur simplici illo intuitu, quamdiu aut non satiatur, aut non inhibetur à fatigato corpore; ob hanc secundam causam cessat à contemplatione; ob priorem relicta una, resumit discursu mentis ut aliud reperiat; quod contempletur. Tantò igitur diutius sine transitu ab uno ad alterum quiescit, quantò, & corpus ad contemplandum aptius, & id quod menti objicitur altius, jucundiusq; fuerit.

20. Corporis aptitudo in duobus videtur sita, in temperamento, videlicet, & sanitate; Qui enim naturâ valde inquieti sunt, propter caloris, & humoris aerei copiam, difficiliùs in uno persistunt; rursus, qui corpore sunt ægro, avocantur doloris sensu, á contemplationis jucunditate, quanquam huic utriq; impedimento, tum consuetudo assidua, tùm imprimis gratia Dei remedium afferre solet, ut fiat divino nutu, crebroq; usu quòd aliunde impediretur.

Sectio. IV.

An raptus sit index perfectioris contemplationis.

21. DUo verò paucis explicanda restant, primum est, num semper raptus, & extasis sit index perfectioris contemplationis, ad quod videtur respondendum intellecto priùs raptus fundamento, & causa, quam duplicem assignant Theologi cum S. Thoma 2. 2. Q. 175. art. 1. una est interna, corporis scilicet, dispositio; qui enim ex habitu corporis sunt nimis apprehensivi, objecta re quapiam nova, & extraordinaria, facilè abalienantur á sensibus, sive ita, ut vix aliquid percipiant ijs, sive ut nihil prorsus. Ad hos revocantur homines minoris doctri-

doctrinæ, & experientiæ, nam tales visa re nova, & sibi aliàs ignota, mox rapiuntur in admirationem, privanturq; usu sensuum: Vnde feminæ Sanctæ plerumq; citius patiuntur raptum quám viri, & inter viros faciliùs doctrinâ minùs exculti, quàm doctiores. Alia causa raptus est externa, nempe excellentia, & altitudo rei cognitæ, magnaq; luminis divini, & amoris copia, tum enim anima relictis inferioribus, quę sensibus attinguntur, tota, & totaliter fertur in ea, quæ ad se rapiunt, & quasi ex infimis ad superna transferunt. Dico totaliter, quia qui toto nisu insistit contemplationi, modicè alijs attendit, juxta illud: pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Iam igitur raptus qui ex priori causa sequitur, non semper est excellentior contemplatione, quæ fit sine raptu; potest enim quis altissima speculari, interim tamen non urgeri ad raptum, partim quòd ad illum non sit disposito corpore, partim quód habeat mentem talibus illustrationibus assuetam, ut tanquam ab assuetis non patiatur, notabilem præsertim, & totalem sensuum alienationem.

Possunt etiam esse talia à Deo communicata lumina contemplanti, quæ referant similitudinem pręclaræ prudentiæ multorum simul capacis, ut nimirum, & alta speculetur, & nihilominus non sit incapax percipiendorum, quæ inferiora sunt. Ita credendum est contemplari solitam Beatissimam Virginem, quæ, ut testatur Lucas cap. 2. conservabat omnia verba de Filio suo mira sanè, & altissimorum plena mysteriorum; simul tamem attendebat ad omnia, quæ percipienda erant sensibus. Quòd si raptus sit ex altitudine luminum, & motionum divinarum, fatendum est talem, ut plurimùm excellentiorem esse contemplatione, quæ est sine raptu; nam tunc elevatur anima majori quadam vi, & efficaciâ, quàm est in ijs qui contemplantur sine raptu. Dixi talem raptum, ut plurimùm indicio esse perfectioris contemplationis; nam Sanctissima Virgo potentissima vi ad Deum elevabatur, nec tamen patiebatur raptus; non ergo semper etiam illa contemplatio, quæ alta, & insignis est cum raptu, superat aliam, quæ est sine raptu. 22.

Ex his autem non leve argumentum sumi potest, in quo sint perfectionis Christianæ gradu, qui gratiâ contemplationis pollent: etenim anima ipsi intenta, quieta esse debet, qualis imprimis purgata est à peccatis, peccatrix certè inquietatur conscientiæ stimulis, ut rectè dixerit de illa Isaias cap. 48. vel potius ipse Deus per illum: Non est pax impijs dicit Dominus: Adhæc peccatis dedita anima, non potest delectari 23.

Deo,

Deo, & divinis, ut fit in contemplatione; sed aliqua re infima seu inhonesta. Secundò, eadem anima quieta, impetus passionum (quæ solent turbare mentem unde & perturbationes vocantur,) tenet cohibitos, non quod nunquam insurgant, sed quod mox, ac se erexerint per acquisitas morales virtutes compescantur: Vnde rectè docet S. Thom, 2. 2. Q. 180. art. 2. in corp. Virtutes morales disponere ad contemplandum. Tertiò, talis anima, in notitiâ, atq; amore Dei semper promovet, nimirum, quæ divinis inhęret, neq; aliter hæc peragitur inhæsio, quàm magis, ac magis perspicaci Dei intelligentia, atq; ardentiore charitate, ut docet S. Thom. loco citato art. 1. & 4. in corpore, quæ omnia conferunt perfectionem, sanctitatemq; animæ. Cum igitur hæc ex contemplatione consequi soleant, qui ejus dono prǫditus est, habet non modicum perfectionis ac sanctitatis in se documentum, non tamen securus esse potest; nam summé contemplativi turpiter lapsi sunt, ut Lucifer, & angeli ejus, parentes nostri in paradiso, & alij nobis ignoti, de quibus ex his nominatis, facilé est judicium ferre, ut ne summè quidem contemplativi securi esse possint, Non ostendo hîc fusiús habuisse luciferum sociosq; ejus magnum contemplationis donum, vel illud Isaiæ cap. 14. *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris*, testatur Angelos illos excellentissima luxisse claritate cognitionis Dei, ardentissimaq; ejusdem caritate fuisse inflammatos, propterea; præcipuus eorum vocabatur Lucifer, quasi lucem in se, & consequentem ex ea flammam gestasse. De parente quoq; nostro Adam legimus Genesis 1. *Immisit Dominus Deus soporem in Adam*, per quem soporem intelligunt Doctores somnum Prophetarum, qui dormiente corpore alta Dei mysteria percipiebant; ita Adam sopitus in corpore contemplabatur altissima Dei mysteria, inter quæ erat illud quod S. Paulus ad Ephesios 5. describit; *Sacramentum hoc magnum in Christo, & Ecclesia*, id quod conjugium Adæ, cum conjuge sua præfigurabat. Si igitur si ad tantam Dei familiaritatem admissi, miserè ab ea deinde repulsi sunt, quis non timeat sibi, quemcunq; tandem ejusdem familiaritatis, & contemplationis gradum consecutus?

Sectio. V.

An in omni contemplatione meritum esse possit.

24. SEd jam alterum quod promisimus explicandum restat de merito scilicet contemplationis; cum enim ad hoc, ut docet S. Thomas 1. 2. Q. 114. art.

Q. 114. art. 4. & 6. In corp. requiratur libertas arbitrij (nam quod necessariò fit, non potest mereri mercedem tanquam spontaneum, & ex conventione exhibitum obsequium) in dictis autem contemplationis gradibus, non semper adsit libertas, sequitur, ut non semper illa sit meritoria. Ad hoc dicendum, in ea contemplatione, qua clarè videtur Deus, nullum esse meritum, quia talis neq; quoad specificationem, ut dicunt Theologi, neq; quoad exercitium libera est. Libertas specificationis dicitur ea, quæ potest eligere diversa specie, & natura, quorum singula habent suas distinctas causas, & rationes propter quas unum alteri præferatur, & inter multa bona unum eligatur, quod vel sit in se majus, vel per comparationem ad Deum, qui illud præ cæteris amat. Libertas exercitij est illa, quę potest ab incepto actu cessare ob aliquam rationem, vel non inchoare illum, Cum itaq; is, qui Deum videt, summum verum intuetur, & summo fruitur bono, non in se solùm, sed respectu etiam sui videntis; necessariò in illum fertur, intuendo, & amando neq; habet rationem desistendi, cùm summum, summo modo, ac proinde continuò tenendum sit. In secundo contemplationis gradu, quę habetur per principia per se infusa, est libertas plena, quali usi sunt angeli; sicut & in tertio per imaginarias species. Aliqui tamen putant in raptu deesse libertatem, proinde & meritum; sed idem de sic contemplantibus videtur dicendum, quod & somno Prophetarum, quando ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 174. art. 3. in corp. cognoscuntur aliqua dormientibus externis sensibus; quo in eventu cum libertate, revelata à Deo cognoscuntur; advertunt enim Prophetæ quid norunt, & unde sciant, quidve agere debeant, ut idem S. Thom. ibidem docet. Q. 173. art. 4. in corp. Atq; hoc ipsum tenet Suares opere de Religione, Thomo 2. lib. 2 cap. 19. & 20: Quia cùm illa, quę expenduntur contemplatione; sint varia, quorum unum alteri excellat; potest inter ea dari electio libera: cùm etiam tunc cessetur à contemplatione, vel propter fatigationem corporis, vel propter jucundam alternationem, id quoq; sine libertate fieri nequit, quare meritum tunc esse potest, cùm adsit libertas.

25. Dicunt quidem aliqui idcirco raptum non liberè contemplari, quia deest usus sensuum externorum, propter quam causam in somno, non liberè imaginamur, aut discurrimus; sed ad hoc respondetur facile; ideo enim in somno deest libertas, quia vapores caput petunt, obfuscantq; non solum externos sensus, sed & ipsam phantasiam, & tandem impe-

diunt intellectum, ut nequeat distinctè percipere, secumq; ea, quę tunc occurrunt tantùm conferre, quantùm requiritur, ut boni vel mali clara sit notitia, ratioq; perspecta eligendi. Cæterum in raptu non sunt tales vapores; cùm sensus jucundè quiescat ex eo solo, quòd anima denoget illi vires ad operandum; quare tunc intellectus una cum imaginatione perfectè ruminat, & confert sibi objecta.

26. Quòd si tamen talis fiat raptus, ut in uno hæreatur duntaxat, neq; alia, quibus cum fiat eligibilium collatio advertantur, fatendum est, tam diu abesse libertatem, & consequenter etiam meritum, quam diu ita se ad unum determinat, contemplans; nam tunc intuitus simplex in una re detentus, videtur esse persimilis primo motui, qui secundùm omnes non est liber; & cum primo initio raptûs, contemplationis intentio subitò fiat, á Deo singulari vi movente, & à sensibus abripiente; ea quoq; tam diu non est libera, quam diu est applicata ad unum, nec ad alia quæ circumstant, & varietatem prę seferunt, se extendit.

27. Ista de contemplatione sufficiant hoc loco; atq; ut fructus, qui in moralibus semper præ oculis habendus, & à corde humano expetendus est, in anima concipiatur, & progignatur, quisq; salutis cupidus, facilè videt, quanta sit orationis, præsertim mentalis excellentia, quę contemplatione terminatur duo secum afferente, notitiam scilicet summi veri, & aliorum ab illo suam veritatem sortientium, amorem item summi boni, cæterorumq;, quæ ex illo bona sunt, & ad illud tanquam ad mare, unde profluxerunt, redeunt. Hæc duo in cælo beati peragunt, neq; dantur his plura, vel si dantur, duobus hisce militant. Ista quoq; duo, nobis viatoribus (etsi non in cælesti perfectione) proponuntur usurpanda in terra, & si usurpamus sumus planè in via ducente ad terminum, qui est vita æterna; neq; enim hæc aliud est, testante ipsa vita Christo, quám nosse, & amare Deum: *Hac est, inquit salvator Ioannis 17. vita aterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: & infra: *Rogo pro eis, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te*, scilicet, amore summi boni, quo Pater in Filio, & Filius in Patre vivit. Tantò igitur feliciús, & compendiosiùs hanc viatorum viam quisq; conficit, quantò clariore fide Deum cognoscit, & majore amat charitate, quod utrumq; præstat oratio sua contemplatione.

CA-

CAPUT. XII.

Quæ sint vitia opposita Religioni, & eius actibus Orationi, Devotioni, ac Contemplationi.

CUm, ut ajunt Philosophi, opposita juxta se posita magis elucescant, quò Religio, ac ejus actus, orationis, devotionis, ac contemplationis clariores sint, de oppositis agendum, quæ hinc facilè deprehendi possunt. Quid ipsi religioni opponitur sc. 1. cùm enim Religio sit veri Dei cultus; quidquid aut cultui, aut ipsi Deo culto adversatur, erit vitium oppositum religioni; quod quidem caret uno nomine, neq; enim rectè dicitur irreligio, sicut vitium oppositum temperantiæ, dicitur intemperantia. Verùm si modi, quibus vitia solent moralibus virtutibus opponi per excessum, videlicet, & defectum expendantur, non deerunt nomina, quę exprimant vitia religioni contraria.

1. Et quod ad excessum attinet, is non potest esse in ipso cultu veri Dei; rectè enim monet Ecclesiasticus cap. 43. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantùm potestis; major enim est omni laude: bene tamen potest esse excessus in hoc, quòd vel cultus debitus respuat, tanquam indignum & repugnans sibi, vel loco veri Dei aliud quid colendum assumitur quasi ultra illum majus quid esse possit. Defectus solet intervenire in Religione, cùm ea negliguntur, quæ ad verum Dei cultum sunt necessaria.

2. Vitium ergo per excessum oppositum Religioni, vocatur à Theologis superstitio, fortè inter alias causas ideo, quòd excedens cultus, licentiosè velit dominari, & quasi stare supra illum cultum, cui subesse, & à quo in pium redigi debuit; sicut Deus verus dominatur, & omnibus superior est. Superstitio, quæ cultui indigna adjungit, in duas species dividitur, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 93. art. 1. & 2: Prima est, si aliquid cultui externo apponatur, quod falsum, & perniciosum contineat, & dicitur perniciosus fidei Christianæ cultus; ut si quis nunc Iudaicis sacrificiis uti velit, perniciosè id aget, & cum gravi culpa; quasi significando nondum esse id factum apud Christianos, neq; completum in Christo, quod illis ceremoniis significabatur. Altera species in excessu erit, cùm quid additur cultui divino superfluum, quod vel ad Deum colendum non confert, vel non excitat mentem ad ipsum, neq;

conducit ad virtutes morales, refrenandasq; carnis concupiſcentias; hoc modo ſuperfluum eſt quoq;, quidquid ſit contra ordinationes, & eccleſiaſticas conſuetudines. Non confert ad Dei cultum, neq; excitat ad ipſum mentem, nolle verbi cauſa orare, niſi lota facie: non juvat ad honeſtatem, aut ad refrænandam debito modo carnem, amputare ſibi aliquod membrum, ut non ſentiatur concupiſcentia: eſt item ſuperfluum, ſi quis non contentus ceremoniis in ſacrificio ab eccleſia inſtitutis, plures addat, & ita de ſimilibus intelligendum, in quibus interdum poteſt graviter errari, pro gravitate materiæ.

3. Iam exceſſus ſuperſtitionis qui circa ipſum Deum committitur, triplicem habet ſpecificam varietatem, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 92. art. 2. aut enim colitur aliud loco veri Dei numen, & ſic eſt idolatria: vel quęritur revelatio arcanorum, alio quam Deus inſtituit modo, contemptoq; illo ad dæmonem recurritur, & eſt divinatio: vel deniq; ab alio quam á vero Deo, & non juxta modum ab ipſo præſcriptum, expetitur auxilium, atq; ita eſt vana obſervantia. Quæ omnia gravia ſunt peccata, ut melius intelligetur cap. 15. ubi agetur de adorationis & ſacrificij oppoſitis vitiis.

4. Quod attinet ad vitium per defectum adverſans religioni, illud à Doctoribus vocatur irreligioſitas, qua docet S. Thom. 2. 2. Q. 97. 98. 99. & 100. quadrupliciter delinqui primò omittendo ea quæ ipſi Deo ſunt debita, & ſic tentatione Dei, & perjurio graviter peccatur; deinde omiſſione eorum, quę ad res cultui divino conſecratas referuntur, atq; ita Sacrilegium, & Simonia committitur, de quibus erit ſuus, tum hoc, tum ſequentibus capitibus agendi locus.

Sectio II.

Quæ ſunt vitia orationis, meditationis, & contemplationis per exceſſum.

5. Actibus orationis (cum qua ſumenda eſt devotio) meditationis, & contemplationis pręcedentibus capitibus expoſitis, per exceſſum opponi poſſunt enumerata ſuperſtitionis vitia, quando in cultu orandi aliqua pernicioſa, ſuperflua, & ſimilia admiſcentur; verbi cauſa poteſt committi idolatria, ſi colatur, petaturq; auxilium á falſo numine;

ne; tunc enim exhibetur honor alteri, á vero Deo, & sic de aliis vitiis. Invenitur quidem in oratione, & ille excessus, qui vires intendit cum offensa valetudinis; sed talis superflui ratio est extrinseca, & communis aliis vitiis, verbi causa, nimio jejunio, vigiliis, & cæteris, id genus, cum non servantur debitæ circumstantiæ, quis, quid possit; sicut etiam potest esse defectus orationis, in remissè orando, sed hic quoq; defectus communis est, & materialiter vitiosam reddit orationem. Cæterum agendo de illa vitii forma, ac ratione, quę orationem afficit, quatenus est operatio, & actus Religionis, illiq; ut tali opponitur certa ut dicunt Theologi specie deformitatis, ac inhonestatis, sic per excessum idolatria, & supra tacta vitia contrariantur orationi.

6. In quibus vitiis duplex ratio consideranda est nam ut continent in se cultum supremo Numini debitum, sic opponuntur adorationi, aut sacrificio: ut veró prę seferunt recursum, ad fontem omnium bonorum; sic contrariantur orationi, per quam recurritur ad Deum, quæ duplex considerandi ratio, diversas adfert specie vitiorum deformitates, sicut & virtutes ipsæ, aut actus earum, nempe oratio, adoratio, & sacrificium sunt diversæ.

7. Hoc ut clariùs percipiatur, propter eam, quam mox attingemus utilitatem; sciendum est ex communi Theologorum doctrina, quam tradit S. Thom. 1. 2. Q. 20. de actibus humanis, peccata esse duplicia, quędam interna, & voluntatis, ac rationis, alia externa, & corporis; non quòd corpus pręcisa libertate peccare possit. (Peccare enim est aliquid velle, vel nolle, contra quam ratio dictat, ut fusé probat S. Paulus: Romanos 2.) sed quòd malo interno consensui exterius cooperetur. Vtraq; hæc peccata tam specie, quam numero multiplicantur, externa tamen ab internis, sicut malitiam, ita & speciem, ac numerum sortiuntur. Et interna quidem tot sunt specie, quot habent objecta diversis, & peculiaribus distincta deformitatibus, verbi causa velle furari, occidere, męchari, erunt plura specie peccata interna, propter diversas formali ratione objecti deformitates. Quód si quis interrumpendo velit sæpius furari, & hanc voluntatem interrumpat, aliis voluntatibus, quę in furta non feruntur, erunt plura numero furta interna eó quod sint novæ, & plures, internæ voluntatis actiones, seu, ut dicunt Theologi volitiones; neq; ordinantur ad unam quasi totalem ex pluribus conflatam.

8. Non disputo hîc subtiliùs, an possint dari plures internæ operationes, quæ unam integram faciant, (sicut mox dicemus de externis) id e-

 nim

nim ad propositum morale nihil facit, sicut & illud, an quis possit una interna operatione, in plura specie, aut numero objecta simul ferri, verbi causa velle occidere, & furari; Satis est hic nosse, interna peccata multiplicari specie, pro objectorum formali diversitate, sive una, sive pluribus attingantur voluntatibus; numero autem multiplicari, per repetitionem discretam malæ voluntatis, circa idem formale objectum. Addo per repetitionem discretam: nam si quis malam continuet voluntatem quantumvis diu, unum erit numero peccatum.

9. Iam peccata externa, multiplicantur, tam specie quàm numero pro multitudine peccatorum internorum, quibus subordinantur, & quibus cooperantur; exempli causa: Occidere hominem, & surripere centum aureos, sunt externa duo specie peccata: quia velle occidere, & velle surripere, sunt quoq; duo interna specie peccata; Surripere autem semel, & una vice centum aureos, altera autem distincta vice surripere mille, erunt externa duo numero peccata, quia subordinantur duabus internis discretis, circa idem tamen specie furtum voluntatibus. Quod si eveniret, ut durante una interna mala voluntate, plura varientur externa opera, ab illa præcepta; in hoc casu, omnia illa externa opera facient, unum peccatum totale, ex pluribus partibus constans, eo quod uni subsint malæ voluntati. Ita qui præmissa voluntate occidendi aliquem, conscendit equum, proficiscitur, invadit, vulnerat, tandem interimit, unum homicidii facinus patrat; quia multiplicata illa opera externa, quorum unum alteri succedit, ad ultimam tandem complendam referuntur cędem: Secus esset si occisurus, non cędem tantum intendat, verum & rapinas bonorum occisi, & vim filiarum ejus, tunc enim erunt, tria specie & numero, tam interna, quam externa peccata, ita de aliis.

10. Hæc ex occasione paulò minutiùs dicta sint, de multitudine peccatorum ob hanc, neq; parvam utilitatem, ut nempe perspecta illa, & vitet quisq; facilem quidem, sed perniciosam eorum multitudinem, & contractâ, velut ære alieno sciat se expedire, memor judicis, qui non idololatrias tantùm: homicidia, rapinas, & adulteria sigillatim quævis promittit se discussurum, sed singula etiam verba otiosa, ita enim ipse Matthęi 12. *Dico vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo, in die judicii.* Neq; solùm ea numerat, quę ex ore procedunt; sed etiam illa, quæ ex corde, sic quippe legimus apud eundem Evangelistam cap. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, & reliqua.* Cùm itaq; numerat delicta

licta Iudex, ut puniat, videat reus, quid agere debeat, ne ab illo audiat sibi dictum, Apocalipsis, 18. *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum:* quantitas ista augmentum significat non intensionis tantùm, sive subjecti peccantis vehementem ad mala applicationem, sed extensionis etiam, quę sita est in multitudine actuum, & objectorum, circa quę illi versantur. Sed eò, unde digressi sumus, revertamur.

Ad prædicta vitia orationi per excessum opposita potest revocari, 11. & illud quod á viris rerum spiritualium, vocatur illusio, pręseferens quandam superfluam orandi rationem: Dæmon enim, ut testatur S. Paulus 2. ad Corinthios 11. transfigurans se in Angelum lucis, ab initio oblecundat animæ piis quibusdam votis, tandem incautam eò quò vult perducit, vel cum statûs, virtutis cujuspiam, vel etiam ipsius salutis detrimento. Nonnunquam ergo proponit sensibus externis ficta quędam objecta, aliquando in phantasia imagines & species rerum, ordinat ad suum propositum; Interdum sopit sensus externos, aut commovendo crassos in corpore humores, aut rara quędam mira, jucundaq; phantasię objiciendo & efficiendo, ut anima totis viribus in hæc feratur, destituaturq; attentione ad usum externorum sensuum opportuna. His & similibus persuadet callidus serpens decepto, imprimis quędam exotica, & periculosa in fide & pietate, qualia multa referuntur de hæreticis, inter quos erant Donatistæ, qui ut scribit S. August. Thom. 7. contra Epistolam Parmeniam, putabant esse matyrium, pro sua secta mortem sustinere. Erant, & tales teste eodem, in variis locis, qui etiam martyrium existimabant, inferre sibi violentas manus; quin reperti sunt, nonnulli etiam è servis Dei, qui Dæmonis suasu, relicto in quo Deo serviebant loco, miracula facturi in publicum prodiêre Talis fuit Secundellus Diaconus de quo scribit Surius in mensis Augusti die 1. ex Gregorio Turonensi, huic Diabolus in specie Christi oblatus, & Sanctum appellans, & in libro vitæ, jam scriptum hocq; unum deesse dixit, ut ab insula, in qua degebat, profectus, infirmos sanaret, quod & fecit, nam manus in nomine Christi eis imponens eos sanabat. Rediit deinde, ad S. Friardum, vitæ olim inchoatę comitem, eiq; sua miracula jactabundus narravit, verùm ab eo monitus, agnovit Dæmonis fraudem, & tandem resipuit.

Secundò idem orci magister excitat in illuso, quosdam ad speciem 12. pios devotionis sensus, lacrymasq;, quod facilè pręstat proponendo quędam

quędam grata, & simul alterando cor, adductis humoribus, ut appetitus, voluntasq; jam dolore, jam lætitia, jam aliis moveatur affectibus: Ita videmus hęreticos, & quosdam infideles, inter celebrandum suos ritus flere aut lætari, quasi ex vera devotione. Nonnunquam eò perducit deceptos cæca illusio, ut á falsa orsi devotione, gustuq; animi, in turpes corporis defluant voluptates.

Talis fuit una Neapoli in Italia famosa à pietate fæmina ante annos viginti & aliquot, Anno circiter 1605. quæ assiduè vacabat devotioni, plurimisq; dabat monita, commentationesq; spirituales, in quarum fine atq; exitu fædè nonnullis commiscebatur. Hâc eâdem turpis delectationis via trahit quosdam vafer Demon ad detestandam, incuborum, & succuborum consuetudinem, isto enim perverso duce, & magistro, quantumvis à principio spiritualis quęratur sensus, tandem in fine fit illud, quod scribit S. Paulus ad Galatas 6. *Qui cum Spiritu cæperint carne consummantur.*

13. Postremò idem technarum sitor elevat incautos ad contemplationes, & raptus, quod ideo facit, ut eo perniciosiora persuadeat mala. In omnibus his cum sit saltem indirecta invocatio dæmonis, vel suspicio ejus, grave committitur peccatum, quoties advertitur notabilis animæ noxa, aut periculum illius, facilem vero advertendi viam, ac methodum dat S. Petrus nimirum Ignatius, in regulis quibusdam de discernendis spiritibus libello exercitiorum insertis, quarum hic tres potissimè nostro serviunt proposito.

14. Prima, id moris est spiritui maligno, ut in lucis Angelum transfigurans sese, cognitis piis animę votis primùm obsecundet, mox inde ad perversa sua desideria illam alliciat; Simulat enim ab initio bonas sanctasq; hominis cogitationes sequi, & fovere, ac deinde in occultas fallaciarum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat. Secunda sedulò & accuratè excutiendę sunt cogitationes nostræ, circa principium, medium, & finem suum, quæ tria si rectè se habeant, Angeli boni argumentum est cogitationes illas suggerentis; hic autem per discursum mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet à bono, vel ad minùs bonum impellat, quam anima prius quærendo sequi decrevisset, vel animam ipsam defatiget, angat ac perturbet, sublata quæ prius aderat quiete, pace & tranquillitate, evidens tunc erit indicium auctorem esse cogitationis ejusmodi spiritum malignum, ut pote utilitati, & saluti nostrę semper adversantem. Tertia quoties contingit

tingit in aliqua suggestione deprehendi hostem ex cauda sua serpentina; id est fine malo, quem semper nobis insinuare studet; tunc plurimùm juvat revolvere discursum totum, & notare quid ab initio prætexuerit bonę cogitationis, & quomodo præcedentem spiritualis gustum suavitatem, animi serenitatem sensim amovere, ac venenum suum infundere tentarit, ut per hujusmodi experimentum cognitę illius fraudes faciliùs deinceps caveantur.

In omni igitur pietatis exercitatione, quęcunq; adsint elevationes, devotionisq; sensus, ac gustus videat ista sentiens diligenter, quid tandem remaneat in anima: Nam si illud fuerit contrarium, aut catholicæ fidei, aut moribus, ac consuetudini ab ecclesia approbatę; Si etiam tanta adsit judicii pertinacia, ut nec communicare illa, quæ sentit, illi velit, nec si vituperata à viris probis fuerint, tanquam mala vitare, aut deniq; elata, audaciâ; superbiâ stupendum se prædicare velit, hæc, & his similia manifesto sunt argumento Dæmonis illusione agi omnia, sicut è contra, in quo est orationis, meditationis ac contemplationis à Spiritu Sancto communicata gratia, terminatur ea humilitate, timore Dei, obedientia, spe, ac fiducia in Deo, cui soli tribuit omnia.

Sectio III.

Quæ sint vitia orationis, meditationis ac contemplationis per defectum. Vbi de tentatione Dei.

INter vitia quæ per defectum enumeratis actibus opponuntur, non videntur plura esse præter tentationem Dei; est autem (ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 97. art. 1, tentatio, experimentum quod quis de alternis sibi ignotis qualitatibus habere cupit; verbi causa, de virtute, de scientia, & similibus. Porro experimentum hoc sumitur tam verbis, si inquiratur, aut petatur ab aliquo notitia eorum, quæ in ipso sunt occulta; quàm factis si ea quæ fiunt, ad habendã ordinantur dictã notitiam. Rursus notitia illa, aut clarè & disertè inquiritur, quo pacto, inquit S. Thom. loco citato, Samson proposito problemate, tentavit sapientiam Philistinorum, ut habemus Iudicum 14. aut obscurè, fraudulenter, & ut usurpant Theologi interpretativè, aliudq; quasi agendo; hoc modo Iudæi tentantes, inquit S. Matthæus cap. 19. *Dominum dicebant, si licet homini dimittere uxorem suam.* 15.

16. Experimentum jam explicatum de alio sumere tum licebit, cum id utilitas, vel necessitas suadet; hac de causa magister licitè discipulum tentat, ut illi de doctrina hujus certè constet; vice versa discipulo nefas est tentare magistrum, debet enim supponere eum tantum habere scientiæ, (cum idcirco magistri sortiatur nomen, quasi ter magis habentis, id quod docet) ut possit tutò docere. Itaq; tentare magistrum, est dubitare de ipsius excellentia, qua dubitatione præsefertur defectus reverentiæ magistro debitę.

Ex quo constat, quid sit, & quantum nefas, tentare Deum; cùm enim quisq; fidelis certus esse debeat de Dei potestate, scientia, & voluntate; nam quidvis omnipotens potest, omnia quoq; scit infinita sapientia, vult deniq; bene suę creaturę ipsa bonitas, & misericordia: talem tentare, possit necne aliquid facere, num item sciat, & velit; est gravis injuria atq; irreverentia infinitę Dei excellentiæ. Quare qui oratione sua petit à Deo aliqua, eo expressè, vel interpretativè animo, ut discat, possit nec ne illud prȩstare, aut an sciat, velitne dare quod petitur bonum, eo modo, quo verè bonum sit, graviter peccat, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 97. art. 2. & 4. Quod si quis petat non experiendi causa, sed ob necessitatem vel utilitatem quampiam rem sibi conferentem, non petet tentando Deum, sed auxilium ab eo expectando, qui ad se in omni eventu vult recurri, tanquam ad omnia potentem, omnia scientem, & quæ vult, omnia bona præstantem.

17. Verùm sciendum hîc est, duplicem esse viam rationemq; quâ ad Deum recurritur citra tentationis periculum, ordinariam unam, alteram extra communem ordinem. Non tentatur Deus facto ab eo, qui semmen excultæ mandat terræ, ut fructum ferat; neq; ille tentat verbis, qui petit ex hujusmodi seminato agro expectatum fructum; est enim á Deo communi statutum lege, ut terra recepto semine germinet, & ut is, qui optat benedictionem de cęlo, oret illud: Panem nostrum quotidianum da nobis.

Iam si quis velit, ut terra inculta, & semine vacua proferat germen, hocq; à Deo petat, tentabit illum, cupiet enim experiri, velit necne otio torpenti submittere necessaria, quasi oblitus à se instituti ordinis Genesis 3. *In sudore vultus tui vesceris pane.*

18. Quanquam si fuerit aliqua necessitas, vel utilitas magna, extraordinaria etiam via, velle à Deo obtinere quippiam, potest fieri citra tentationem: Ita Dominus petiit à Patre, ut ante tempus communis omnium re-

rum resurrectionis Lazarus rediret ad vitam, fecit autem id propter fidem in Iudæis miraculo excitandam: Ego, inquit Lucæ 11. Christus, sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi ut credant, quia tu me misisti. Hac de causa sancti á Deo inspirati, petebant aliqua miracula ad commendandam infidelibus fidem, vel ob aliquem alium valde utilem, & laudabilem fidem, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 97. art. 1. in corp. ubi sic loquitur: Non est Deum tentare, quando propter aliquam necessitatem, & utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, dicitur enim 2. Paralipomenon 20. *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Quando verò hoc agitur absq; utilitate, & necessitate, hoc est interpretativè tentare Deum; unde Deuteron 6. Non tentabis Dominum Deum tuum, dicit Glossa: Deum tentat, qui habens, quod faciat, sine ratione committit se periculo, experiens utrum possit liberari á Deo. Hæc S. Thom.

Itaq; qui solus aggreditur hostes multos, extra necessitatem constitutus; qui sine sufficienti scientia agit medicum, judicem, juris peritum; qui ignarus natandi, in profundum fluvium se mergit, & id genus alia facit nulla urgente necessitate; tentat Deum, peccatq; graviter, potest tamen interdum levius delinquere, si necessitas saltem modica adsit, & aliqua facultas ad prestandum id, quod presumitur.

Agendum hic esset de vitiis orationis, aut meditationis, ex defectu attentionis, & intentionis? Sed hi defectus communes sunt aliis, aliarum virtutum vitiis, in quarum exercitio debet esse attentio, & intentio ut rectè operemur, ad hec supra cap 10. à numero 20. & à num. 32. aliisq; in locis dictum est de ijs defectibus.

CAPVT. XIII.

De adoratione, oblationibus & decimis.

EXplicati jam duo actus Religionis, Oratio, videlicet, tam vocalis, quàm mentalis interni vocantur, eó quód licet voce interdum exprimantur, possint tamen in sola contineri mente: Cæterum adoratio, & oblatio, (idemq;, judicium de sacrificio) externis omninò signis perficienda sunt, quanquam interno cultui, ac reverentiæ in Deum subordinari debent, tanquam ei, quæ in adoratione, & id genus

alijs externis actibus præcipua, & potior est, anima enim internis suis facultatibus, cognoscit Deum, & vult, ut ille externis colatur signis, & sicut anima potior est corpore, ita & ejus operationes præstant operationibus corporis.

1. Porro signa ista duplicem habent differentiam, quædam ex necessitate sunt Deo exhibenda, ut adoratio, oblatio, & sacrificium; ut enim hos actus infrà explicando, dicemus, homo conditione naturæ rationalis à Deo acceptæ ipso naturali instinctu, ac necessitate authorem suum colere debet, eiq; in signum subjectionis aliqua offerre. Alia sunt posita in libera potestate, ut votum, juramentum, laus Dei externa: libera hæc voco, quia non tenemur votis nos obligare, aut jurare, aut lingua ipsum colere, nisi cùm vel ita volumus, verbi causa, vovere religionem ordinis cujuspiam, laudare Deum cantu, jurare ut nobis credatur, vel cùm id nobis ab eo, qui præest imponitur: aut cùm aliunde occurrit necessitas ex aliqua commodi cujuspiam suppositione. Quanquam laus Dei externa, ratione sacrificij omnino necessaria est; nequit enim illud perfici, sine externis ceremonijs, ut hoc, & sequentibus capitibus ostendetur.

Sectio. I.

Quomodo adoratio, oblatio, & sacrificium distinguuntur.

2. Porro tres hi externi actus, etsi ad virtutem spectent religionis, omnibus enim colitur majestas divina, habent tamen inter se peculiarem, & formalem distinctionem; triplici siquidem modo colendus est à nobis externè Deus, primo ita ut opere externo cultus, & reverentia ei exhibeatur, verbi causa, genu flexione, capitis inclinatione, & similibus, quæ continent actum adorationis. Et licet posset quis dicere nos non obligari ad adorationem, absoluta illa, & naturali necessitate, satisq; esse, si internâ reverentiâ adoremus Deum, quis enim dicat facturum contra jus naturæ hominem, qui suum creatorem mente colat, præsertim si solus alicubi degat, semperq; sit ita æger, ac debilis ut nec caput declinare, nec manus levare, nec genua flectere possit? Id de ipso externæ adorationis actu potest dici; cùm tamen sacrificium nequaquam perfici queat, absq; aliquo externo cultu, dicendum omnino eum necessarium illa necessitate esse, qua & sacrificium; hoc est absoluta

ſlata & naturali, id quod etiam de laude Dei externa numero 1. aſſervimus. Secundus modus quo exteriùs colitur Deus, eſt, cùm illi aliqua ad ejus cultum offeruntur, ita quidem, ut ſimul ij, qui pro munere ſuo (quales ſunt Dei ſacerdotes) divina peragunt, habeant unde ſuſtententur; hujuſmodi externus Dei cultus eſt oblatio. Poſtremus item externus cultus eſt, quo offertur quidpiam Deo, ita ut vel totum in ejus quodammodo cedat uſum, vel ſaltem aliqua ex parte, & talis cultus eſt ſacrificium: qualis verò is Dei uſui ſit, cap. ſequenti explicabitur. Intesim de adoratione, & oblatione agendum.

Sectio II.

Quid, & Quotuplex ſit adoratio?

CVltus, & reverentia externa exhibetur, ad teſtandam excellentiam illius, qui honoratur; cùm verò excellentia duplex ſit, una ſuprema infinita, & à qua cæteræ omnes tanquam à fonte rivuli promanant, alia hæc ipſa, quam dicimus ex priore derivari, cultus etiam externus duplex ſit oportet, prior, & ſupremus, qui debetur Deo ſummæ excellentiæ, & quem Græci exprimunt nomine latriæ, ſeu obſequii Deo Domino debiti, alter, qui exhibetur excellentiæ à Deo derivatæ, vocaturq; græcè dulia, hoc eſt obſequium ſervo ſupremi Domini debitum. Et quia inter ſervos poſſunt eſſe gradus, ut quidam Domino ſint viciniores, & in majori gratia, & favoribus, remotiores alii, minusq; grati, honores quoq; duliæ diverſus gradus habere debent, è quibus unum præcipuum Doctores catholici illo græco exprimunt vocabulo hyperdulia, quo denotatur honor Deiparæ proprius, ut enim illa Matris dignitate ad Deum, omnium tam hominum, quàm Angelorum Dominum, acceſſit proximè, ita & honore omnium maximo colenda eſt. Simili de cauſa Chriſti quoq; humanitati, à divinitate (ratione quin & re) ſeclusæ, major hâc hyperduliâ debetur cultus, eò quod ille altiùs ipſa ſua Matre ad Deum aſcendit, de quo plura dicentur in cap. 21. de obſervantia. 3.

Ex quo deducendæ ſunt certæ, & catholicæ aliquot doctrinæ, quarum prima ſit, quod adorationis idem, unumq; externum ſignum, jam Deo, jam homini, vel Angelo exhiberi poſſit, citra idololatriæ crimen, 4.

 ſi mens

si mens illud præstet Deo, ut Domino, qui nulli pareat, Angelo, vel homini, ut servo, qui nunquam summus Dominus esse possit. Itaq; genuflexio Deo exhibita, est latria; homini, vel Angelo, dulia; sicut eadem genuflexio regi præstita, est cultus regius, aulico regis, est cultus inferior regio. Ita Abraham Genesis 18. adoravit Deum in tribus Angelis, qui unius Domini personam in se referebant, propterea vocavit eos unum Dominum: *Domine, inquit, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum*: adoravit etiam eos ut Angelos, nam tum planè ut tres compellavit: *Lavate*, inquiens, *pedes vestros, & requiescite sub arbore*: Idem adoravit homines Genesis 23. Moyses quoq; Exodi 18. Iethro suum socerum adoravit, & Exodi 14. adoravit Dominum. His testimoniis clarè patet adorationem externam tam Creatori, tam Creaturæ posse exhiberi, alia tamen atq; alia, ab eo subintellecta ratione, qui adorat.

Sectio. III.

Humanitas Christi Domini, crux & imago eius quomodo adoranda.

5 SEcunda doctrina catholica est, humanitatem Domini nostri, crucem, atq; imaginem ejus adorari debere: ut autem constet, qualinam cultu adoratio expedienda sit, sciendum est duobus modis tam humanitatem Christi, quam crucem, & imaginem ejus posse considerari, primo tanquam condistinctas quidem res á Deo, ad illum tamen relatas; humanitas ergo est quasi compars admirabilis illius totius, ex homine constantis, & Deo, quod Ioannes 1. definit his verbis: *Verbum caro factum est*, unus scilicet Christus.

Crux, & imago spectatur ut res inanimę, & proinde à Deo distinctę, ad illum tamen relatę tanquam quid requisitum ad perficienda, vel ad manifestanda opera, & mysteria ejus. Itaq; crux illa in qua mortuus est Christus refertur ad ipsum velut aliud conducens ad victoriam de diabolo sumptam: Vnde ad Colossenses 2. legimus: Chirographum affigens cruci, & expolians principatus, & potestates palám triumphans traduxit confidenter: aut certè ut conferens ad perficiendum opus redemptionis, sic scribit S. Paulus ad Hebræos 7. *Hostiam obtulit pro deli-*
cta

ilis populi; & quidem semel seipsum offerendo. Aliæ autem cruces, quę veram illam, & realem repręsentant, imaginesq; quæ Christum referunt, ordinantur, tum ad primam illam crucem, tum ad Christum tanquam signa ad rem signatam, & ad suum prototypon.

6. Alter modus quo hęc tria Deum concernunt, est per quandam cum illo unionem, secundum quam unum quid sint cum ipso; humanitas quidem, verè cum Deo unum est in una persona, crux illa realis, est unum sive ut instrumentum cum agente principali, sicut est unum ensis cum manu, sive altera cum re in ipso oblata, & in eo residente, sicut est unum, domus cum residente in illa, aut certe ut tribunal judicis Christi est unum quid cum illo in ipso sedente, quemadmodum docet S. Aug. in cap. 7. Ioannis, Tractatu 32. Crux deniq;, illam primam referens, & imago Christum repræsentans est unum cum illo similitudine ac repręsentatione, eo modo quo filius ersi sit distinctus à Patre, persona & individuo, unum tamen cum illo est similitudine naturæ.

7. Vtriusq; modi consideratio ostendit in humanitate Christi, cruce, ac imagine ejus excellentiam, prior quidem participatam, & creaturę propriam, siquidem consideratur vt distinctum quid à Deo, & excellentijs eius; posterior veró involuit excellentiam supremam, & propriam Dei, eó quod tam humanitas Salvatoris, quam crux, & imago ejus sumatur, ut unum quid cum Deo. Quia tamen crux, & imago sunt res rationis expertes, quibus propriè dicta nequit competere excellentia (ut ostendimus hac parte 2. cap. 1. à numero 2.) idcirco hîc quoq; asserendum, naturam quidem in Christo humanam, gaudere non solum increatâ excellentiâ, ob unionem hypostaticam cum Deo, sed creata etiam sibi propriè debita, & quidem valde excellenti propter illam ad Deum, compartis videlicet, relationem: In cruce autem, & imagine Christi residere increatam quidem propter unionem cum Deo numero 6. explicatam, creatam autem per quandam analogiam, & proportionem, ad naturam intellectualem eo modo, quo imago dicitur homo, minùs propriè, quam ipsa viva persona. Atq; ita tam naturę humanę, ut unitę Deo in una persona, quàm cruci, & imagini Christi consideratę, ut unitę, eo modo adscribenda est increata excellentia, quomodo in quovis toto, id quod tribuitur toti, partibus etiam in eo unitis tribuendū est: ut verò tam natura humana, quam crux, & imago sumuntur distinctè à Deo, sic natura humana habet propriam suam creatam excellentiam, crux autem & imago Christi, secundariò & analogicè eandem sortitur.

Et

8. Ex quibus tanquam certum in ecclesia, & fide catholica, infertur secundum illud dogma, humanitatem, scilicet, Redemptoris nostri ejusq; crucem, ac imaginem adorandam esse, tam cultu duliæ, quàm latriç, prout is qui adorat, alterutram in illis mente concipit excellentiam, cui semper suus debetur honor. Et de humanitate quidem Christi clarum est, nam ipse de se cultu duliæ honorando ita Ioan 8. loquitur ubi conquestus est de Iudæis: *Vos inhonorastis me*, quis verò iste honor fuerit illi negatus, sequentibus ostendit verbis: *Ego non quæro gloriam meam*. Profectò ut Deus quęrit gloriam tanquam propriam, à nullo emendicatam; Ita enim per Isaiam cap. 42. de se testatur: *Gloriam meam alteri non dabo*, ut vero homo, non quærit tanquam suam propriam, & à nullo datam, igitur loco hoc ægre tulit sibi non prçstitum honorem duliç, tanquam excellentissimæ creaturæ debitum. Quod autem Christus naturam suam humanam cultu latriæ voluerit adorari, clarum etiam est ex Lucæ 17. ubi ingratos illos à lepra sanatos novem sic reprehendit: *Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Dei*. Certè illi novem, habebant ibi, ubi erant, Deum, & poterant ibidem dare illi gloriam, sed non habebant Deum in humanitate Christi, cui volebat ille, ut darent gloriam divinam, nimirum tanquam unitæ Deo.

9. Iam quod attinet ad crucem, & imagines Christi, eas non solùm duliâ, sed etiam latriâ posse adorari, docent Theologi cum Sancto Thoma. 3. parte. Q. 25. art. 3. & 4. Si enim hæc duo, ut ostendimus, possunt jam summam, & Dei, jam inferiorem seu creatam continere in se excellentiam, possunt quoq; adorari, jam latriâ, jam duliâ; semper enim excellentiæ debetur honor. Et quòd hæc Theologorum doctrina conformis sit Dei voluntati, sacæsq; scripturæ ex sequentibus punctis clarè constabit. Contraria quidem illa est hæreticis, qui abducunt sibi similes à cultu crucis, & imaginum Christi apparenti quodam argumento, quòd nimirum sit idololatria colere hæc duo, & quod gentiles ob simulacrorum cultum idololatræ vocentur; sed miseri non advertunt differentiam inter idolum, & crucem, ac maginem Christi. Etenim idolum, vel habetur pro Deo, qui non est Deus, vel repræsentat Deum, qualis omnino non est, ac proinde idolum est falsitas, falsitas autem non est res aliqua, sed nihil, cùm sit opposita veritati rei, unde S. Paulus 1. ad Corinth. 8. scribit: *Scimus quia idolum, nihil est in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus*. Iam verò crux illa in qua Christus mortuus est, est vera res sanguine Christi decorata, aliæ item cruces, quæ illam referunt, imagi-

imagines quoq; Christi repræsentant rem veram, crucem, nimirum, il-
lam, quæ fuit, in monte calvariæ, & adhuc in variis mundi regionibus
honorificè in particulis conservatur: imagines quoq; Christi significant
illum verè, qui est Deus & homo in dexterâ sedens Patris. Itaq; qui i-
dolum colit, est idololatra stultus, colit enim id, quod non est; qui verò
veneratur crucem, atq; imaginem Christi, dat gloriam ei, propter
quem, crucem, & imaginem honorat: eo modo, quo imagines Regum,
& magnorum virorum, aut etiam suorum amicorum, ipsi quoq; hære-
tici venerantur, essetq; crimen læsæ majestatis severè de hæretico in
Anglia, verbi causa, vindicandum si imaginem despiceret Regis Angliæ,
aut aliud quid, quod ad ipsum quoquo modo referatur, verbi causa, ve-
stem, purpuram, sceptrum, equum, vel quid simile.

Solent quidem hæretici istas à terrenis ductas eludere similitudines, 10.
asseruntq; divina cum his non esse conferenda. Sed quam indoctè, &
insulsè id dicant, vel inde patet, quòd si ita esset, ut illi volunt, magna
pars veteris, & novæ scripturæ rejici deberet, in qua sunt innumeræ di-
vinorum, & cælestium à terrenis sumptæ analogiæ. Quin & ipsa Evan-
gelia à Christo prædicata, in quibus illa leguntur: *Simile est regnum calo-
rum grano sinapis, & fermento; Exiit, qui seminat, seminare semen suum*,
Matt. 13. *Arborem fici* habebat quidam Lucæ 13. & plurima talia;
quæ, nisi nos terreni, & in carne degentes adhuc carnales, audiremus,
nunquam perciperemus cælestia.

Accedit huc, quòd terrena ista à Spiritu Sancto in scriptura addu- 11.
cuntur, non ut similitudines tantum divinorum, sed simul ut quædam
participatio, & communicatio eorum, quò ex ijs cognoscamus, plus nos
debere fonti, quam rivulis. Itaq; quando dicit S. Paulus Rom. 13. *Non
est potestas nisi à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem re-
sistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*: Rursus quando ibidem addit: *Non si-
ne causa gladium portat, Dei enim minister est, reddite ergo omnibus debita, cui
tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*: quando in-
quam Apostolus precipit Reges timendos honorandosq;, neq; ipsos
tantum, sed & gladium, quem gestant, tanquam instrumentum justi-
tiæ, & signum ministerij, atq; nisi id à subditis fiat, censet puniendos,
nimirum debiti transgressores; profectò ex terrena à Deo communicata
potestate, vult ad divina nos conscendere, & multò excellentiore hono-
re, tum ipsum adorare Deum, supremam scilicet, & ut sic dicam, fonta-

lem potestatem; tum ea, quæ ad illum ita referuntur, ut ab ipso divina appellare; Crucem verbi causa divinam, imaginem divinam, & similia.

12. Sed missis hæreticorum ineptiis ipsum attendamus Deum, qui Creaturas suas ob aliquam excellentię, & sanctitatis notam, jubet honorare. Ad rubum illum Exodi. 3. in quo apparuit Moysi, nefas putavit sine peculiari reverentia, accedere: *Ne appropies, inquit Deus, huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas terra sancta est*; quam sanctitatem sortita est illa terra, à Deo in rubo loquente, & eum peculiari assistentia cohonestante, ita enim ibidem dicitur: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis.*

Exodi. quoq; 33. Iudęi adorabant columnam de cælo descendentem, per quam Deus cum Moyse loquebatur. Faciebat id laudabiliter, & citra periculum idolatriæ, ille populus (neq; enim ob id reprehensus est,) qui ad eam proclivis semper erat. Idem multò magis á Christianis faciendum esse prędixit Isaias cap. 17. *Et erit, inquit, sepulchrum ejus gloriosum*, propterea videlicet, quia Regem glorię mortuum in se tribus diebus contenturum erat; sepulchro adjungenda est, simili de causa crux gloriosa, quæ in se eundem morientem, & sanguinem fundentem, à 6. ad horam 5. tenuit: eritq; ultimum mundi tempus quo gloria crucis, universæ sub cælo creaturę proponetur conspicua, à malis, cum fletu, livore, & tremore; à bonis, cum gaudio, reverentia, & amore adoranda, ita id ipso Christo promittente Matthę, 24. *Tunc apparebit signum Filii hominis, tunc plangent tribus terræ.*

13. De hac crucis gloria S. Augustinus Thomo 8. in Psalm. 36. sic gloriosè scribit: Qui tantùm honorem tribuit supplicio suo, quid servat fidelibus suis? & Thomo 9. Tractatu 3. in caput 1. Ioannis, jubet ut Christiani pro antiquissima ecclesiæ catholicæ consuetudine tam honorificum, crucis symbolum in fronte gestent: Si homines, inquit, sumus Christiani, utiq; ipso nomine ad Christum pertinentes, hujus signum in fronte gestemus, de quo non erubescimus, etsi in corde gestamus. Et Tractatu 118. in caput 19. super illa verba scribens: Bajulans sibi crucem exivit: Grande, inquit, spectaculum! sed si spectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei munimentum; si spectet impietas, ridet Regem pro virga regni, lignum sui portare supplicii; si pietas, videt Regem bajulantem lignum, ad semetipsum figendum, quod fixurus erat etiam in frontibus Regum. Certum itaq; hoc secundum dogma est, Crucem & imaginem Christi coli posse, tanquam

quam res aliquando sanctas, id quod semper in ecclesia catholica receptum fuit, neq; est hujus loci pluribus id probare.

Sectio IV.

Sancti, & ipsorum reliquiæ, ac imagines, religiosè honorandæ.

Postremò & hoc non minùs certum dogma, Sanctos ipsorumq; reliquias, & imagines colendas esse; & de reliquiis quidem, ac imaginibus ex dictis, de cruce, ac imagine Christi manifestum est. 14. Si enim crux, & imago Domini potest honorari, quia ad illum refertur, ab eoq; morali quadam usurpatione accipit excellentiam, ac sanctitatem, idem à pari dicendum de reliquiis, & imaginibus sanctorum. Itaq; reliquiæ, cùm sint ossa, & compars sancti hominis, ita honorandæ sunt, ut honoratur corpus in homine, tanquam pars ejus, cui, beneficio totius, tribuitur excellentia, & honor. Cæterum imagines cùm participent excellentiam, ac sanctitatem per quandam similitudinem & analogiam ad hominem sanctum, colendæ erunt, ut signum ejus, & tam reliquiis quam imaginibus duliæ cultus debetur, eò quòd etiam ipsi Sancto talis exhibendus sit.

Et certè si manna miraculosè Dei beneficio Hebræis concessum, 15. jussu ejusdem debuit conservari, ut est Exodi 16. Sicut etiam duæ tabulæ lapideæ, reconditæ sunt in arca, Deutoronomi 10. & unà cum illa in magno habitæ cultu, ac reverentia perenni, ut testis est Oza. 2. Regum 6. Qui quod incautè illam tetigerit, subito expiravit: longe majus inde patet, nam cui Deus eam concedit, dat id, quod summum homini, impulsus divina sua charitate dare potest, testante ipso Christo est beneficium, & multò præclarius miraculū fides, & sanctitas. Quod vel Joan 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* In hac quoq; vita, idem unigenitus est omnis nostra sanctitas, & felicitas. Propter hoc miraculum, & beneficium fidei ac sanctitatis exhibitum sanctis, prædicatur à Davide *mirabilis Deus in sanctis suis*, Psalmo 67. Quare si manna, aut illæ tabulæ beneficii, & miraculi divini testimonium, in tanto honore, Dei mandato debuerunt esse; cur non ossa, & reliquiæ, atq; imagines sanctorum, quæ sunt argumenta, signaq; beneficiorum, ac miraculorum, Sanctis divinitus concessorum? Argumenta sunt reliquiæ,

ipse enim Deus reliquias ut magnum thesaurum, & singulare suum donum vult custodiri, Psal. 33. *Multa tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos, custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Signa quoq; sunt imagines, quia memoriam nobis renovant, magnorum Dei servorum, atq; amicorum, ut conspectis iis, Deo ipsos pro nobis supplices præsentemus; id quod solemne fuisse olim apud fideles, narrat sancta pagina: ita enim Exodi 32. *Moyses cupiens placare Deum populo iratum, orabat: Recordare Abraham, Isaac & Iacob servorum tuorum*, ita sæpissimè alibi.

16. Meritò itaq; reliquiæ, atq; imagines sanctorum colendæ sunt, ut clarè quisq; ex dictis cognoscere potest, nisi in meridie lucem quærat. Quod ad ipsos attinet sanctos, certum etiam est, eos cultu religioso posse, & debere coli, ad cujus majorem intelligentiam, afferenda est hic doctrina S. Thomæ 2. 2. Q. 103. art. 3. & 4. ubi dicit duliam strictè acceptam significare eum duntaxat honorem, atq; observantiam, quæ exhibetur excellentiæ potestatis à Deo communicatæ; interdum verò latiùs sumitur pro cultu debito, cuicunq; excellentiæ. Priori modo sumpta dulia dominis præstanda est, alia illis, qui aliquâ, etsi non dominii, pollent dignitate, qualis est virtus, & sanctitas.

17. Quod igitur ob excellentiam sanctitatis honorari possint, tam qui in cælo sunt, quàm qui in hac adhuc degunt vita, ratio ipsa à natura sumpta id docet. Nam honorare, aliud non est, quàm signo quopiam externo declarare internam æstimationem doni, divinitus concessi; quare cùm sanctis sit magnum donum divinitus præstitum ut numero 15. ostendi, quotquot illo insigniti sunt, colendi & honorandi sunt, eo cultu quem meretur excellentia sanctitatis à Deo donata: cum verò hæc sanctitas tam hominibus, quàm Angelis communis sit, quod de hominibus colendis dicitur, idem asserendum de Angelis. Et de Angelis quidem Exodi 23. habemus, ubi Deus præcipit eos honorare, ita locutus: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedet te, & custodiet in via, observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes.* De hominibus quoq; sanctis, dignè, & honorificè tractandis, scribit S. Paulus ad Rom. 16. ubi cùm commendasset Phæben Christianam addit; ut eam suscipiatis in Domino dignè sanctis; hoc est, non ut dominam, aut nobilem, ut divitem; sed ut dignum est excipere sanctum.

18. Solent quidem hæretici (ut est illis mos inconnexa, dissona, & secum pugnantia loqui, aut veriùs garrire) differentiam ponere inter san-

sanctos mortales, & beatos, assereréq; illos, qui nobiscum in periculis adhuc degunt, honorandos esse, rogandosq;, ut pro nobis orent, petantq; id, quod sua experientia, vident nobis esse necessarium; illos, qui jam cum Deo securi sunt, videntq; in ipso nostras egestates, & obsecrationes, nec esse honorandos, nec rogandos ut pro nobis orent. Talia, inquam, garriunt, & afferunt tanquam fundamenta, articulosq; suorum errorum; sed quisq;, non dico solidè doctus, verùm mediocriter rerum gnarus, & prudens agnoscit has garrulitates esse indignas, quibus à cordato viro respondeatur. Nam si sanctis non plus accedit excellentiæ, honorisq;, ex eo quòd beati sunt (quanquam honorabiliores eos Christus testatur. Matthæi 11. minimum beatum, maximo Ioanni Baptistæ tunc adhuc mortali præferens: *Qui, inquit, minor est in Regno cælorum, major est illo*) saltem tantundem ibi retinent, quantum hîc habuerunt, cur ergo non pari ibi dignandi honore? cur ad illos non perinde recurrendum? Certé si quis sectariorum fuisset Ierosolymis die veneris Sancto, & dominica post illum, quando Christus mortuus est, ac resurrexit, quo tempore (ut testatur. Matt. cap. 27.) *multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis*: Si igitur aliquis Lutheranus vel Calvinista, eos videret unà cum Apostolis, & his quidem caput discooperiret, genua flecteret, exhiberet signa honoris, peteret pro se ad Christum preces; Davidi, Ioanni Baptistæ, aut cuicunq; alii, qui tunc surrexit non item, eo solúm nomine, quod jam cum Christo beatus esset, quis tale factum non stultitiam, aut insaniam putaret? Si dicant beatos, qui tunc Ierosolymis revixerunt, meritò à se honorandos fuisse, quia perinde oculis se visendos offerrent, atq; Apostoli tunc adhuc viventes, & sicut hi sciebant nostra, ita & illi, nimirum, conversando nobiscum. Hæc si dicant, garriendo, tempus tantúm, non veritatem fallent: licet enim beati nunc se non præbeant nobis spectandos; verè tamen vivunt perinde, immo meliùs, quám mortales in hac vita, teste Christo Matthæi 22. *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob non est Deus mortuorum sed viventium*; & siquidem vivunt, sciunt profectò nostra in Deo, qui ubiq; est, & omnia novit, etsi nobis spectabiles non adsint. Quod si S. Paulus absentium pro se postulavit preces per literas ad Colossenses 4. *Oration. instate simul pro nobis*; multò certiùs Deus refert beatis nostra, quàm possint tabellarii aut literæ referre.

Alia est mens, alius sensus ecclesiæ catholicæ, quæ credit piè religiosèq; beatos colendos esse, & ad hoc præstandum erigit templa, ipso- 19.

 rum

rum insignita nominibus, non ut in illis sacrificetur sanctis; Sed ut ipsorum memoria retineatur, auxilium invocetur, imitationis virtutum, quibus claruerunt, excitetur desiderium.

Sufficiat hujus antiquissimi catholici dogmatis unus pro multis testis S. Augustinus qui Thomo 6. lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. scribens de hac ipsa re ita fidem propugnat catholicam: Calumniatur nobis Faustus, quòd Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertisse; ad quod respondet: Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atq; orationibus adjuvetur, ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offero tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione, major affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adjuvante possumus.

Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo, & in hac vita coluntur sancti homines Dei, sed illos tantò devotiùs quantò securiùs post incerta omnia superata; at illo cultu, qui græcè latria dicitur latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale quid offerimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctę animę, vel cuiquam Angelo. Huc usq; Augustinus. Testimonium hoc sancti Doctoris ostendit antiqua duo dogmata, unum catholicum, hæreticum aliud; catholicum, ut colamus sanctos in templis eorum, hæreticum calumnians cultum sanctorum idololatriam esse. Videant nostri temporis sectarii, quibus cum consentiant, cum Manichæis, scilicet, qui nomine Christiani erant, re, magna ex parte ethnici, solem pro Christo colentes. Istud sinæ pertinaciæ habent moderni hæretici elogium, ut prope in omnibus, in quibus à nobis dissident, conveniant cum antiquis ab ecclesia damnatis hæresiarchis; id quod facilè ostenderem, nisi brevitatis, & propositi mei essem memor.

Cæterùm idem S. Doctor inter alia fidei Christianę argumenta, urgebat hoc contra infideles, quod in ecclesia Christi vera, non Joves, non-

non Mercurij, aut similes colantur, sed sancti Dei, nec unquam ita honorabantur illi, ut honorantur isti, ita quippe Thomo 8. in Psalm. 44. scribit. Ostendatur mihi Romę in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri, in Petro quis honoratur? nisi ille defunctus pro nobis; Sumus enim Christiani, non Petriani. Et sermone 1. de Petro, & Paulo: Beatissimum, ait, Petrum piscatorem, modo genibus provolutis adorat gentium multitudo. Hęc ille, quę nos legentes, & condolentes errantibus, nostraq; certa, ac sancta tuentes, prosequamur id, quod est hujus loci, indagemusq; quonam modo cultus adorationis tum sanctis, tum imprimis capiti sanctorum Christo Deo dignè exhibendus sit; neq; tam agimus hîc de interna mentis compositione, quàm de externo cultu, conjuncto tamen internę dispositioni mentis. Nam sicut ad orationem vocalem prerequiritur interna supplex auxilii divini imploratio, ita ad adorationem externam prę supponendus est internus quoq; animi venerantis cultus, & honoratio; cùm externa, sine internis, sicut vitium, ita & virtutem non constituant.

Sectio. V.

Quæ ratio externi cultûs tenenda à fidelibus, præsertim in templis.

SEmper quidem, & ubiq; locorum cultus Deo, & beatis, qui illi assistunt Religiosè exhibendus est, maximè tamen hoc, post Christum natum, & in templis Christianorum, cùm, & major nunc Dei notitia, clariorq; illuxerit fides, & templa Deum in carne nostra continuò, stupendoq; , ut sequenti capite patebit, contineant miraculo. Quæ igitur fidelium cura debeat esse, quis conatus, quæ exterior decentia, ut debitè locis Deo consecratis præsentent se illi, ex uno domini nostri actu clarè intelligimus, quem refert Joannes cap. 2. *Ascendit*, inquit ille. *Iesus, Ierosolymam, & invenit in templo vendentes oves, & boves, & columbas, & nummularios sedentes, & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoq;, & boves, & nummulariorum effudit æs & mensas subvertit, & his, qui columbas vendebant dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* S. Matthęus cap. 21. addit dictum à Domino: *Scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* 20.

In

1. In hac Salvatoris actione tria potissimè mihi notanda videntur; primo ira ejus signis demonstrata externis, quæ nunquam aliàs legimus ab ipso in ea correptionis forma, ac modo usurpata, & nisi illa ipse usurpasset, sed alius etiam sanctorum, quispiam, facilè nobis occurreret suspicio, saltem leviter exorbitantis iracundiæ. Mirum enim videretur, personam magnæ auctoritatis castigare sua propria manu insequendo reos, & quidem in templo, spectantibus omnibus: effundere deinde nummos, quasi damni aliorum oblitum, cum abunde sufficiens pæna videbatur vapulasse corpore; postremò subuertere mensas, id quod sine magno strepitu, & gravi indignationis argumento fieri non potuit. Hęc ordinatissimæ iræ signa, nunquam aliàs à Domino demonstrata, clarè nobis ostendunt magnam, judicio ejus diuino, causam fuisse, quæ illum ad talia impulisset: atq; hoc est secundum quod noto in facto Domini, causam, nimirum tantæ commotionis. Et causa quidem si literam duntaxat attendamus, fuerunt vendentes, & ementes, boves, oves, & columbas, quę tria erant materia sacrificiorum, pecunias etiam in mensis numerantes: negotiatio igitur in templo habita displicuit Domino, ac meritò sanè, nam, & clamoribus implebat templum, & bestiis sanctum dedecorabat locum.

22. Sed pręter literam aliud in negotiatione illa reconditum videtur, quod adeo movit salvatorem, idq; illis significatur verbis: *Vos autem fecistis domum Patris mei, speluncam latronum.* Spelunca latrocinii, est locus insidiantium abditus, è quo erumpunt, qui spoliant, & mactant viatores: ægerrimè ergo tulit Dominus, suum templum speluncam factum. Nos omnes viatores esse, & ad cælestem peregrinari patriam testatur Christus Matthæi 5. ita adhortans ad id, quod in via omnino curandum est, Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via. Consensus iste, & concordia cum adversario omnium maximo, & terribilissimo, nempe cum offenso Deo, potissimè initur in templo, ibi quidquid est peregrinanti oneri, scilicet, peccatum abjicitur, assumuntur quæ conducunt bona, parta reconduntur, nimirum, virtus & gratia Dei, majorumq; bonorum fit accessio. Maximè igitur eò accurrunt latrones animarum dæmones, ut tantis nos spolient opibus; verùm in nostra est potestate facere illis è templo, & tutissima domo Dei, speluncam latrocinantium: Nam si non ideo imus ad templum, ut deponamus onera peccatorum, (quibus nos gravatos sentimus) aut per sacramentum penitentiæ, aut saltem per dolorem, quem humilis tunsio pectori testa

testatur; mactat sceleratus latro animam pertinacia mali, *ut qui in sordibus est, sordescat adhuc*, Apocalipsis 22.

23. Adhæc, si in loco sancto, non sanctè agamus, vendamus pingues boves, crassas oves, pernices columbas: hoc est, committamus magnas, & crassas culpas, aut leves, (qualibus facilè, & perniciter incauti libeq; non attenti delinquunt) hos quoq; deprædantur latrones, spoliantq; viatores per graviora peccata, gratia Dei, donisq; jam aliàs partis, vel saltem efficiunt, per veniales, scilicet, culpas, ut nova non accedant. Cùm itaq; in nobis sit, (à Deo adjutis) ne talia damna in templo fiant; Si fiunt; facimus speluncam latronum domum Dei, quę debet esse viatorum asylum, & in qua ab omnium bonorum datore Christo, accipienda ea, quę in æterna tabernacula sunt deferenda.

24. Et quid mirum si tantopere Dominus succenseat facientibus è templo speluncam latronum, quid enim est, vel miserabilius nobis, vel indignius ipsi, quàm in conspectu, & præsentia tantæ majestatis, atq; omnipotentis Dei, aut nudos comparere, aut denudari, spoliariq; vestibus, atq; ornamentis ex ejus thesauro acceptis, quin vitâ ipsa, & prorsus omnibus? Indignè fert majestas illa nuditatem, ita enim cuidam viatori modo è manibus latronum fugienti, & flumina voluptatum mundanarum transfuadanti, illam exprobravit Isaiæ 47. *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina.* Ab hac calamitate, & infortunio omnipotens Deus procul dubio defenderet nos; Sed quia nostra desidiâ aut temeritate prędę exponimur, summam potentiam in auxilium non invocamus, celsitudinem supremi Monarchæ in domo ejus, vilipendimus; meritò in nos vertitur ira illius, sumitur vindicta, flagella perstrepunt, agitur nobiscum, ignotis, sed tamen veris modis, quod actum est cum illis vendentibus, & ementibus. Nam sicut negotiatio illa, quia fuit in templo, etsi ad usum templi opportuna, displicuit Christo, ita quidvis, sive quod in templo duntaxat expediendum est, ut oratio, & sacrificium; sive quod alibi, offendat Christum; hoc, quia alibi faciendum est; illud, quia non dignè majestate ejus perficitur.

25. Qui leget hoc à me scriptum, duplicia videlicet in templo committi solere peccata, crassa, & levia, non credet fortasse de crassis, putabitq; per exaggerationem scriptum: Sed extraordinarium hoc Christi in templo factum adstruit fidem. Et ego quidem nolo hîc studiosiùs enumerare species peccatorum, quę in ecclesia committuntur, aspectu non curioso tantùm, sed & malitioso auditu, & loquela, non otiosa

duntaxat, jocosa, ac superflua; Sed & pernitiosa noxiaq; aliis: relinquo cogitationes, desideria, phantasias soli Deo notas. Duo hîc dico, primum, templa (utinam non crebrò) adire homines, maxim è è magnatibus ad negotiandum, & tractandum, de privatis, de publicis, de suis, de alienis, de se, de aliis, quæ vel domi expedienda essent, vel neq; domi, aut saltem cum minori culpa domi; de quibus bene S. Paulus 1. ad Corinthios 12. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis?*

26. Non disputo hic, an, & quænam opera externa, sive ex se mala, sive indifferentia contrahant singularem sacrilegii enormitatem, si in ecclesia exerceantur, ut est ex ordinatione ecclesię pollutio, & violatio templi, quæ fit per effusionem sanguinis vel seminis, per furtum, aut rapinam rerum templo dedicatarum, illud solùm assero Christi, & Apostoli ejus Pauli judicio, quædam non sine culpa, & crebrò crassa in templo fieri, quæ alibi citra eam expedirentur; hujusmodi est, negotiari publicè, manducare, bibere, convivari perinde ac domi. Alia, quæ mala sunt, sive gravia sive levia etsi non contrahant singularem, ex circumstantia loci, sacrilegii speciem, ut de violatione, & pollutione templi dixi, (quanquam de gravibus & externis peccatis quæ sanctitati ecclesiæ gravem irrogant notam, contrarium tenet Suar: opere de Religione lib. 3. c. de Reverentia locorum sacrorum) aggravantur tamen, & interdum non mediocriter. Quis enim leve putat, garrire, jocari, cachinnari in templo, tum, cùm peragitur venerandum missæ sacrificium, si præsertim attendatur persona, quæ tales exercet levitates, non vilis aliqua, sed opinione hominum prudens? Levitatem appello hos jocos, eam enim prȩseferunt; cȩterum, si expendatur loci, ut temporum, & adstantium circumstantię, potest esse gravis irreligiositas, & scandalum: Istud sanè Corinthiis objiciebat Paulus: Nunquid domos non habetis ad manducandum, aut ecclesiam Dei contemnitis? Ita similia facta, dictavè, si prȩter locum, & rem sacram, quę perficitur, sumantur cum habitudine ad alias circumstantias, possunt addere, augereq; malitiam, talis circumstantia sunt personæ ecclesiasticæ & religiosæ, vel sęculares, sed aliis eminentiores; quos populus spectat, tanquam numina, ut eorum sequatur exempla.

27. Atq; id primum est, quod dico de peccatis in templo committi solitis, conveniri, scilicet, ad templa, non ad ea, in iis perficienda, ad quę à Deo destinata sunt; aliud affero ex divinis pensandum judiciis: multa

multa enim apud nos videntur levia, quę aliter accipit Deus, cujus rei testis, est ille Pharisęus apud Lucam 18. cap. in templo orans, adorans Deum, gratesq; illi agens pro beneficiis, quę aliis, & inter eos publicano tum simul oranti negata erant. Quis hęc in Pharisęo damnet? Et tamen judicium Christi de illo tale est: Dico vobis descendit hic (nempe publicanus) justificatus in domum suam ab illo; Quia omnis, qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Angunt se interpretes scripturę, indagantes gravitatem culpę Pharisęi, ob quam justitiâ in templo spoliatus sit (hoc enim significant verba; Descendit hic justificatus ab illo, ut vult Maldonatus in hunc locum, aliiq;.) Cum verba ejus aut nihil mali continere, aut non plus videantur quam vanitatem quandam otiosam; Salvator tamen, & judex mundi gravem reperit pręsumptionem, dignam suę destitutione gratię. Ad hoc oculos mentis nostrę convertamus, hujus, dum sumus in templis, meminerimus, cauti ne vel levia, judicio nostro, committamus ibi, ut à gravioribus, judicio Christi simus immunes.

Sed cùm non satis sit cavere in templo mala, nisi etiam id fiat, quod 28.
bene in eo fieri debet, hoc in facto illo irati Christi tertium noto, qui ecclesiam suam orationis domum voluit nominare, omne illud per orationem indicans, quo cultus redditur Deo cantu, sacrificio, laudibus, divinorum prędicatione, & id genus obsequiis. Vult igitur Dominus, duo á nobis potissimè fieri in templo, non à singulis utraq; (neq; enim omnia possumus omnes) sed quędam ab his, alia ab aliis, pro cujusq; gradu, & munere: Quare sacerdotes debent, ut scribit S. Paulus, ad Hebręos 5. & 1. ad Timotheum. 4. colere Deum orando, sacrificandoq; pro se, & populo, adhæc Dei, divinorumq; notitiam plebi publicando; Cæteri, partim orando, partim prædicatores audiendo, id ipsum pręstare debent: qui pręter hęc duo aliud in templo agit, neq; necessitate excusante, (cogimur enim interdum obiter, aliquid quærere, respondere, aut facere) non veneretur templum, ut orationis domum, sed suo modo facit illam speluncam latronum, ut paulò superiùs dictum est.

Sectio VI.

Cur Christus templa, domum Patris sui appellat.

CVr autem Christus templum, domum orationis, hoc est talem in 29.

qua Deus Pater ejus conveniendus sit, appellaverit, facilè est assequi: Nam apud omnes potestate aliqua pręcellentes, est mos, & laudandus quidem, quem ipsa natura, etiam ethnicos cogit opinor, ubiq; gentium observare; ut qui cæteris singulari pręsunt eminentia, certis locis ædibus, ac temporibus ab iis, qui subsunt honorentur usitatis cultus, ac reverentię signis, quę denotent horum submissionem, excellentiam illorum, decoriq; sibi ducunt, qui primos talibus deferunt honores.

Ita vicarium Christi in terris, summum Pontificem, adorant statutis temporibus, primo Cardinales, tum Primates ecclesiarum; Patriarchę, Archiepiscopi & cęteri minores: Ita recepti in unoquoq; Regno cultus, atq; actus adorationis exhibentur Regibus, & pollentes dignitate, sunt ad adorandum primi. Quem natura subditis indidit laudabilem morem, in suos dominos servandum, eundem ipse Dominus majestatis sibi quoq; reliquit exhibendum: ac propterea Exodi 23. tale mandatum rudi adhuc Judæorum populo dedit: *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum, coram Domino Deo tuo*, & Deuteronomii 12. *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester, ut ponat nomen suum ibi, venietis.* Itaq; adorari vult, quemadmodum debet, à fidelibus supremus Dominus, ut nostram ei testemur subjectionem: tantoq; dignius quisq; id facit, & cęteris prius, quantò melius id unum agit, quod in domo orationis agendum est duntaxat.

30. Non sunt nobis designata pauca loca, rariusq; tempus, quo omne masculinum compareat coram Deo, (qua in re laudanda est singularis Dei in Christianum populum liberalitas, ac providentia.) Quia ut scribit S. Paulus ad Galatas. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*; hic autem de se testatur Joan. 12. *Ego cum exaltatus fuero omnia traham ad me ipsum*: Vbicunq; ergo, & quandocunq; ipse est, ad se omne tam masculinum, quam femininum trahit. Jam verò certum & indubitatum est, eum esse in omni basilica fidelium, & omni tempore, ubicunq;, & quocunq; tempore placuerit ei (cui dictum est: *Hoc facite, in meam commemorationem* Lucæ 22.) nimirum ritè ordinato sacerdoti illis utenti verbis: Hoc est corpus meum; Hic est calix in sanguine meo, advocare de cælo in ecclesiam, hominem Deum, ut verè advocari ostendemus capite sequenti. Ad illum igitur in domo sua præsentem, & ad se tanquam ad summum Pontificem (Hæbræos 4.) & Regem regum (Apocalipsis 17.) divina sua potestate trahentem, curramus oportet semper,& omnes, supremam adoraturi excellentiam.

Ibi

Ibi positi totos nos in latriæ cultum effundimus, corpore inprimis 31. in genus procidendo, caput detegendo, manus levando, oculos vel ad cælum, vel ad mysterium in altari propositum dirigendo, vel humi, indignitatem profitentes figendo, aures arrigendo ad laudes Dei, sermonemq; de illo percipiendum, linguâ proferendo, quæ tunc potest, aut insuper debet; totum deniq; corpus, ita pro cujusq; facultate, & devotione præsentando divinis oculis, ut appareat nos coram Deo stare, illudq; indubitatè credere, quod Christus Marci ultimo promisit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi*. Præter corpus expendenda est & mens in laudes Dei, & Domini nostri Jesu Christi; mente igitur ita in domo hac versandum nobis est, ut & corpus illa quæ dixi præstet, & ipsa caveat, ne scrutator cordis dicat; *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me*, Isaiæ 29.

Longè est cor (licet præsenti Christo in templo) illius hominis, qui 32. ipsi sacrilegè quadam superbia jugum excutit, non parendo divinis mandatis; ita quippe de talibus David Psal. 137. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit*.

Longè quoq; sunt à Christo alii (etsi non rebelles ipsi) vel saltem non valde vicini, eò quòd non præstent id Deo, quod exhibent hominibus illi, qui primos honores, & præcipuas cultûs ceremonias gratissimè omnium oculis solent mundanis deferre Principibus: talis fuit illa ceremonia, qualem recens factus fidelis Naaman Syrus, dubitabat se posse, citra Idololatriam regi suo præstare. 4. Regum 5: *Si dicebat ille, rege innitente super manum meam, adoravero in templo Remmon ignoscat mihi Dominus*: Fuit hic Naaman unus è primoribus regi acceptus, propterea ipsi vicinus in publico, & honorifico actu.

Dico igitur fideles Regi suo Christo in templo assistentes, non æquè omnes vicinos esse, honore, & ceremoniis ipsi gratis omniumq; cælestium spectatorum oculis. Et ceremoniis quidem externis sacerdotes sunt procul dubio propinquiores Christo, cum in altari locando, manibus gestando, aliis adorandum præbendo; Cæterum interna mentis, cordisq; latria, quam Deus per Isaiam à populo exigebat, etiam Sacerdotes possunt esse longè à Christo. Itaq; interna adoratione is longè est, qui non in Christo mente & affectu est; qui est in aliqua alia re, scilicet, in domo, in campo, in via, apud amicum, cum ludo, cum libris, cum negotiis, & aliis, quæ non sunt Christus: in his qui non ex fragili-

 tate.

tate, sed studiò moratur, tã longè est à Christo, quàm longè Deus á creatura, talis sibi dictum putet: Hic ore me glorificat, cor autem ejus longè est à me. Cùm verò ita remotus sit, non cum primis, sed cum posterioribus, posteriores honoris cultusq; exhibet Deo ceremonias, minus illi, Angelisq; ejus gratas: ille (Sacerdos, sive laicus sit) primus, & acceptissimus est in ceremoniis, qui tota mentis, affectusq; contentione hæret in Christo suo Rege, & Deo.

33. Porro unde proveniat, quòd nonnulli vicini Christo corpore, mente sint longè ab illo; S. Augustinus Tomo 9. lib. unico de convenientia decem præceptorum cap. 3. docet, asseritq; Deum inquietas mentis divagationes, permittere in pænam, vel malæ vitæ, vel saltem, non usq; adeo spiritualis: Illius enim mens quieta est, quæ ab operibus servilibus, hoc est à peccatis (*qui enim facit peccatum, servus est peccati*, inquit Christus Joannis 8.) cessat, Sabbathumq; celebrat. Spirituale, inquit Augustinus, Sabbathum non observat, nisi ille, qui se ita temperatè operibus terrenis accommodat, ut tam lectioni, quàm orationi, si non semper, certè frequenter insistat, secundum illud Apostoli 1. Thimotæi 4. *Attende lectioni &c.* Et infra, mentis inter colendum Deum inquietudines, muscis Ægyptiacis assimilat, quibus homines, nimium terrenis distenti à Deo puniuntur: Cyniphes, inquit, muscæ sunt in terra Ægypti de limo, muscæ minutissimæ, inquietissimæ, & inordinatè volantes, in oculos irruentes, non permittentes homines quiescere, dum abiguntur, iterum redeunt, quales sunt istæ muscæ, tales sunt homines, qui sabbathum spiritualiter observare, id est bonis operibus studere nolunt. Ex quibus S. Augustini verbis sequi necesse est, ut ille ad orandum, adorandumq; dignè Deum sit idoneus, ille cæteros in honorando ipso præcedat, qui terrenis modicè accommodat mentem, quàm sæpissimè eam ad Deum revocando, atq; hac ratione, quasi cogitabundus ad illum progrediendo, ut ubi ad ejus venerit domum, opus, ac debitum adorationis condignè tantæ reddat majestati.

Sectio. VII.

Quomodo oblationibus adorandus Deus.

34. NOmen oblationis tria significat in Sacra scriptura; ut videri potest in Genesi cap. 28. Exodi 25. Deutero. 25. & alibi. Primò

primitias, quas homines sive sua sponte, sive diuino jussu, aut hominis habentis jubendi potestatem, offerunt ex primis fructibus Deo, in ea quantitate, quam vel ipsi sibi præscribunt, vel lex determinat, id quod faciunt recognoscendo, & protestando suam fidem, gratitudinemq;, quod illa quæ habent, & quæ primò nascuntur, ab illo sunt. Secundò significat oblatio eam, (sive etiam sponte, sive ex præcepto) non fructum tantum, sed quarumcunq; rerum dationem, qua pariter Deum recognoscimus, omnium bonorum auctorem, eiq; pro benefactis agimus gratias. Tàm primitiis, quàm donorum exhibitione Deus imprimis honoratur, deinde servis ejus, qui divina peragunt officia necessaria subministrantur vitæ. Tertiò tandem oblatio significat decimas, quæ non ipsi Deo dantur, sed servis ejus, Dei tamen intuitu. Ad primitias, atq; oblationes munerum olim in vetere lege, obligabantur homines mandato Dei, ut patet legenti libros Exodi, Levitici, Numerorum, & Deuteronomii; nunc in lege gratiæ arbitrio cujusq; ea res committitur; nisi fortè sint necessariæ, ad sustentandos clericos, quo in eventu idem de iis dicendum, quod dicemus de decimis; aut nisi quis se ad eas obliget, vel testamento leget quidpiam offerendum. Potest etiam esse alicubi lex ab ecclesia lata, ut certi quidpiam servis cultui divino dicatis offeratur; deniq; potest esse receptum consuetudine, ut aliquando verbi causa, festis diebus, aliquid in usum templi donetur; quæ de oblationibus, & primitiis communis est Theologorum doctrina cum S. Thoma. 2. 2. Q. 86.

Quod ad decimas attinet, in his duo consideranda, primum certa quantitas, nempe decima pars, alterum quæcunq; Quantitas, modò sit sufficiens sustentationi ministrorum ecclesiæ; illud prius determinatum fuit apud Judæos ab ipso Deo Exodi 22. & alibi, qui prævidendo futurum, ut Levitæ, ministri divinorum, non essent habituri decentem, juxta suum statum, sustentationem. Si minùs, verbi gratia, quintam, vel octavam partem reliquæ tribus illis contulissent, hanc ob rem decimam assignavit partem. Posterius, nempe quamvis (modo sufficiens sit ad sustentandum) quantitatem relinqui arbitrio, vel ejus qui potest legem ferre, ut solvantur ministris Dei stipendia, vel cujuscunq;, qui citra legem scriptam ex pacto quopiam tenetur illa dare, constabit ex dicendis, ubi ostendemus operariis vineæ Domini deberi congruam mercedem. 35.

Quamobrem de decimis duo certa sunt apud omnes cum S. Thom. 22. Q. 86. Theologos, & Juristas tam canonicos quàm civiles: primum 36.

mum est jure naturæ obligari fideles ad stipendia danda operariis Christi in ecclesia, qui ex officio verbum Dei, & sacramenta administrant populo, pro qua administratione accipiunt sibi oblata, non vendendo exhibitionem rerum sacrarum, (id enim esset Simonia) sed accipiendo sustentationem vitæ, & compensationem laboris, qui insumitur in curanda aliorum salute.

37. Posset quidem dicere quispiam, aut potiùs quærere, cur ministri ecclesiæ se non suis sustentant? & cur non gratis omnino Deo in fidelibus serviunt? Ad hoc responderi debet, neminem ad id obligari, quia nemo tenetur alii prodesse in spiritualibus, nisi in necessitate. Necessitas hæc partim est ex indigentia proximi, qua ex causa tenetur quisq; ut potest, juvare illum instructione, scilicet & exemplo; partim ex Dei voluntate præcipientis, ut aliquis munus juvandi alios assumat; sicut præcepit Moysi, Aaron, & Apostolis ut essent sacerdotes: quo in casu eadem Dei voluntas ordinavit, ut qui se ad operandum in ecclesia, ad ejus nutum, offerent, non gratis id facerent, sed acciperent à reliquo populo mercedem laboris. Et in veteri quidem lege constat de hoc ex toto Levitico, & Deuteronomio: in novo autem Christus Lucæ 10. idem manifestè statuit, quando dixit: *Dignus est operarius mercede sua:* Quod ipsum S. Paulus 1. ad Corinthios 9. repetiit: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant:* ita & Dominus ordinavit iis, *qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Ordinationis hujus Christi, fortè inter alias fuit hæc causa, ut omnes scirent beatam vitam, summi esse faciendam, omnibus præponendam, omniaq; pro illa danda, quare & operarii salutis, non gratis debent illam offerre, sed pro mercede; præterquam quòd voluit Dominus, ut qui aliorum saluti vacarent, tanto & prorsus divino negotio, non distinerentur molesta temporalium curâ; quia tamen vitæ mortalis egerent sustentatione, eam à fidelibus promptè oblatam haberent.

38. Accedit huc quod si illi duntaxat essent in ecclesia operarii qui benè haberent, paucissimos videremus, ut, plurimùm enim pauperiores ad hoc munus se offerunt, nimirum quòd & multas habet annexas difficultates, & paucas felicitates sæculi, ut verum illud sit, quod scripsit Apostolus 1 Corinthios 1. *Non multi potentes, non multi nobiles, sed infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Talem se exhibuit Christus, teste eodem Paulo 2. Corinthios 8. *Egenus factus est, cùm esset dives*, tales pisca-

piscatores Apostoli, tales è clero plurimi, pauciores regum, principum, magnatumq; filii, & quando horum sunt aliqui, utinam non aliud quærant, quàm ministrare fidelibus, memores filii Dei, qui de se scriptum reliquit, Matthæi 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Cum ergo ex una parte nemo teneatur populo in spiritualibus servire gratis, ita præsertim ut faciunt clerici, ex alia autem valde fuit ad salutem hominum congruum, immo necessarium (supposita voluntate Christi) ut essent, qui rudes docerent, peccatoresq; (quemadmodum vult S. Paulus 2. ad Thim. 4.) arguerent, obsecrarent, increparent; item qui sacramenta administrarent, aliosq; sibi arduos, populo salutares subirent labores; quemadmodum in lege veteri Levitæ ad figuras, & umbras nostrorum destinati, conducebantur pretio à Deo instituto, (oblationum scilicet, primitiarum, & decimarum) ad peragenda sua munia: Ita, in nova lege ministri ecclesiæ pretio debent & invitari, & conduci ad exercenda, longe præstantiora munera, quàm erant illæ futurorum umbræ & figuræ, 1. ad Cor. 11. Atq; hæc stipendiorum ratio, est de jure naturæ, quod Apostolus de hac ipsa re tractans 1. Corinthios 9. declarat, cùm inquit: *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* quasi dicat: Etsi nulla lex scripta esset, hæ allatæ similitudines ex natura sumptæ, ostendunt deberi mercedem operariis. Si enim nemo tenetur suis stipendiis militare, etsi illi de patria agatur, nemo etiam tenebitur suis stipendiis aliis prodesse, etsi ipsis de salute agatur. Ac ne cui ista merces grave quid videatur addit ibidem S. Paulus: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus*.

Alterum quoq; in hac materia de decimis, non minùs est certum, 39.
ecclesiam, videlicet, Christi motam exemplo Dei qui Levitis decimam bonorum partem designavit, idem quoq; lege sancivisse, ut fideles solverent ministris decimas: atq; hæc certa & definita stipendii portio est de lege ecclesiastica, ab omnibus ubiq; terrarum Christianis recepta, quanquam in aliquibus regionibus decimæ ex prima ecclesiarum fundatione in prædia, & possessiones sunt mutatæ.

Ne verò alicui subeat dubitatio judaicum videri decimas exigere, 40.
neq; id licere, eò quòd Judæorum observationes tanquam futurorum umbræ jam cessarint: Sciendum est ex S. Thoma 2. 2. Q. 104. art. 3. & Q. 87. art. 1. triplicia fuisse data à Deo Judæis mandata, moralia, scilicet judicialia, & ceremonialia, quæ omnia honestatem quidem conce-

 cerne-

cernebant morum, diversa tamen ratione, & diverso fine. Moralia virtutem præcipiebant communi omnibus hominibus modo; talis fuit Decalogus ea continens quæ quisq; Deo, sibi, & proximo exhibere debet. Judicialia ex peculiari Dei voluntate determinata erant, pro exigentia pacis, & unionis in illo populo: Nam quod Exodi 23. statuit Deus, ut sex annis coleretur ager, & septimo vacaret, liceretq; cuiq; ea citra Domini præjudicium tollere, quæ sponte tunc nascerentur; hoc, & plurima talia pro Hebræis duntaxat ordinata erant, quibus aliæ gentes non subjacebant. Postremò ceremoniæ erant status veteris legis accommodatæ, quæ futura præsignificabant, omnia enim, ut scribit S. Paulus 1. ad Corinthios 10. in figura illis contingebant. Jam igitur moralia licitè possunt, quin & debent, à Christianis retineri; Judicialia, pro arbitrio cujusq;, qui communitatem regit, videtq; aliquid conferre ad majorem pacem, & concordiam suorum, jam retineri, jam omitti possunt. Ceremonialia nequaquam in usu esse debent; cum enim jam res successerit figuris, falsò hæ usurparentur, tanquam futurum quid significantes, ut si quis nunc phase Hebræorum usurparet, agnumq; sumeret paschalem, qui significabat Christum Agnum Dei peccata tollentem, perperam id faceret, siquidem jam illi umbratili agno successit verus. Atq; ex his fit dubitationi satis; decimarum enim lex, ut continet mercedem Dei servis debitam, est naturalis, & moralia spectat: ut verò certam determinat quantitatem, nimirum decimam bonorum partem, sic fuit olim judicialis, quę tamen visa est summis ecclesię pastoribus retinenda pro Christianis.

41. Porro non levis momenti causam habuêre Pontifices, ut secuti exemplum Dei decimam fructuum partem assignarent: Nam cùm longè pręstantius sit, ministrorum ecclesię nunc, quàm fuit olim Levitarum munus, ipsaq; conditionis dignitas majorem exigat decentię apparentiam non in templis tantum, & ornatu sacro, sed & in ipsis eorum personis; ea enim sive fragilitas hominum, sive natura est, ut maxima, & excellentissima quęq; nisi decora compareant, parvi ęstimetur, sanctè decreta est tanta stipendii quantitas ministrantibus divina, ut tum in templis, tum extra & decenter comparerent, & ab omnibus honori essent; ne sin secus fiat, non ipsi solum, sed & quę administrant vilescant populo. Hoc procul dubio Deus fine, ut legimus in Exodo à cap. 25. per multa, pręcepit Moysi, ut arca testimonii, propitiatorium, tabernaculum, altaria, apparatus Sacerdotales, omnia demum ritûs utensilia

ex pre-

ex pretiosissimis materiis sumptuosissimè fierent, quę deinde longè erant pręclariora in templo Salomonis. Hoc ergo eodem fine ecclesia Christi statuit tantam solutionis portionem, ut ministri divinorum, habeant quod suis decenter applicent necessitatibus, tum in templa, & pauperum, quod supereſt, expendant usus.

Plura de decimis, quia minuta sunt, & non serviunt nostro proposito, ut quisnam debeat illas solvere; Cui, unde, & quali jure: ad Theologos & Canonistas remitto paucisq; dico, cum S. Thoma 2. 2. Q. 87. art. 2. 3. 4. & communi Doctorum sensu, imprimis eos debere solvere decimas, quibus illę sunt impositę, nimirum, utentibus obsequio pastorum ecclesię: quare iis pendi illę debent qui pręstant officiorum ministeria; beneficium enim (ut ajunt Canonistę) datur propter officium. Quanquam fieri potest ut alii etiam servi Dei, etsi non sint animarum pastores, arbitrio summi Pontificis percipiant decimas, quales sunt, verbi causa, religiosi, quibus non intuitu obsequiorum, ex justitia pro salute hominum exhibitorum, sed intuitu cultûs divini possunt summi pastores illas applicare pro auctoritate, quam habent dispensandi patrimonium Christi. Id vero fit, sive initio statim fundationis alicujus ordinis, sive deinde, cum beneficiis jam pro pastoribus instituta ad Religiosos transferuntur, vel certè pro ęquivalente re commutantur, prout ad Dei gloriam, & obsequium magis expedire visum fuerit. Jam, unde debeant solvi decimę, res scitu facilis; certum enim est, ex fructibus eas dandas esse, sive prędiorum, sive pecorum, sive etiam personalium laborum, qualis est negotiatio, & similes; in qua re servanda consuetudo cujusq; patrię, & fundationum institutio. Cęterum prędia, vel pecora hęc non debent esse alicujus certę ecclesię; nam ecclesia una non solvit alteri decimas, nisi fortè aliqua possessio cum hoc onere detur loco uni, ut solvat decimas alteri, aut obligatio solvendi annexa possessioni ecclesiasticę censeatur: qua ratione Episcopi, & alii minores pastores debent decimas summo Pontifici, si eas aliquando exegerit; id enim postulat debita membrorum in caput suum reverentia, ut, ad bonum ejus, quando necesse est, concurrant. Simili de causa Pręlati, qui habent aliqua bona, sine titulo, & fundatione spirituali, obligantur ex iis solvere decimas; nam cùm talia bona laica sint, subsunt ejusmodi oneri. Quod ad religiosorum attinet bona, ea licet sint ecclesiastica, decimis tamen onerantur, per decreta summorum Pontificum ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 87. art. 4. ad 2. Et meritò; nam etiam illi, licet serviant Deo, de- 42.

bent concurrere ad promovendum ecclesiæ bonum, subministrando necessaria pastoribus; eximuntur tamen ab hoc debito Religiosi, vel per Privilegium, vel per curam animarum quam aliqui ex instituto habent. Postremò quod ad jus decimarum attinet illud prorsus est spirituale; Dei enim & divini cultûs intuitu, illę conferuntur; quare si aliquis Laicus exigat decimas, vel quia id á summo Pontifice ob merita in ecclesiam ei concessum est, vel quia illas emit, aut certè commutavit dato ęquivalenti prędio ecclesiæ: in hoc eventu non debentur Laico decimæ titulo juris spiritualis, sed alio, vel mercedis debitæ, vel emptionis fructuum, vel quopiam simili. Cæterum qui sibi usurpat decimas, nulla de hoc transactione facta, ita peccat, ut omnis qui ecclesiæ ipsiq; Christo aufert id, quod ad gloriam ejus est collatum: Vnde tenent Doctores ecclesiam habere jus stricti dominii in decimas, etiam antè quàm tradantur; sed quidquid sit de hoc, certum est earum retentione fieri injuriam ecclesiæ, & ipsi Christo, cujus intuitu piè, ac religiosè institutæ sunt.

43. Et hac quidem sæculi tempestate, mundo ad finem vergente, & in cultu ac charitate Dei deficiente, id quod prædixit Christus Matthęi 24. Quoniam abundavit iniquitas: refrigescet charitas multorum; non leves in quibusdam Christiani orbis partibus excitantur de decimis quæstiones, sumunturq; pro negandis iis argumenta ex mutatione temporum, bellorum frequentiâ, multitudine fundationum ecclesiasticarum; quæ omnia adeo molestè, & invidiosè conquiruntur, objiciunturq;, ut pastores ecclesiarum nesciant modum illa componendi. Quantum verò hæc solidi, piiq; habeant, divinis id relinquendum judiciis, eorumq; diligentiæ, quorum munus est præcavere, ne quid ut more Romanorum dicam, Respublica Christiana hoc est præcipua ejus, clericorum videlicet, pars detrimenti patiatur. Vnum tamen hîc non omittendum puto, quod omnibus mundi sæculis, omnibus locis, generi deniq; hominum universo quadrare debet; ita enim promulgatum est, ut nulla loci, temporisq; excipiatur particula, nullusq; hominum eximatur.

44. Ergo Deus, ostendendo quasi fontem, è quo manat egestas, ut non sit revera quod detur ad cultum ejus, & quod ex occasione egestatis succedant molestiæ, ac configentes animum querelæ lites, quæstionesq;; Deus, inquam, asserit per Malachiam cap. 3. ideo à se penuriam, tanquam maledictionem immitti, quòd ea non reddantur quæ debentur ipsi, servisq; ejus; *Si affiget, inquit, homo Deum, quia vos configitis me, &, dixistis, in quo configimus? in decimis & primitiis.* Mox subdit, unde deinde sit quod mole-

molestis querelis configant homines Deum: In penuria inquit, vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. Hîc causa, & fons aperitur penuriæ, & consequentium molestiarum, decimarum, videlicet, & eorum, quæ Deo, ejusq; ministris debentur detentio: Ibidem alterum monstrat bonorum fontem, è quo fluat & rerum, & pacis abundantia, ut & sit quod detur, & sine tot litium fastidiis detur: *Inferte, inquit, omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus; Si non apervero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usq; ad abundantiam; & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro dicit Dominus exercituum: & beatos vos dicent omnes gentes, eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus.* En quot benedictiones ex eo manant, quod reddantur sincerè quæ Dei sunt Deo: easdem prorsus Christus paucis, sed liberalissimè promittit Lucæ 6. cùm inquit: *Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.* Promissionem Christi penetrabant olim viva fide primi è Christianis, qui, & liberaliter ipsi sua offerebant, & fideliter oblata reddebant, neq; eos tenaciores efficiebant difficultatum pericula, quæ vel jam tum aderant (quando enim sine his mundus?) vel adfutura timebantur, unde & experiebantur, quàm verè veritas dixerit: Qua mensura mensi fueritis eadem remetietur vobis.

Testis est devotionis eorum S. Augustinus qui Tomo 10. libr. 50. Homiliarum, Homilia 48. ita de hac re scribit: Majores nostri ideo omnibus copiis abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modò autem, quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci; noluimus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur, hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Hæc Augustinus, cui ut viciniori illorum temporum credendum testanti, & ut Doctoris ecclesiæ tenenda doctrina, faciendumq; quod suadet, si volumus experiri id quod refert. Plura de elemosyna, ac liberalitate in Deum legi possunt hujus libri parte priore: Cap. 8. à num. 27. & cap. 9. à num. 6. & hac par. ea de liberalitate, & magnificentia; sequitur jam de Sacrificio. 45.

CAPVT. XIV.

Quid sit Sacrificium præsertim venerandæ Missæ & de Sacramentis.

PEr Sacrificium ut est, communis omnium Theologorum mens, vel po-

potius omnium ubiq; , & quocunq; tempore viventium consensus, illud intelligitur quod offertur Deo in honorem ejus cultumq; : in hoc autem
1. duo significantur, unum ex parte Dei cui sacrificatur, alterum ex parte sacrificantis, & eorum, quorum nomine offertur sacrificium. Dei igitur protestamur celsitudinem, à quo habemus omnia, & in quem tanquam in finem ultimò omnia referenda sunt, ac sicut pro acceptis donis grati esse, ita in eo, & in placito ipsius quiescere debemus.

Et certe si in quavis republica privati multum obligantur principi, rectoriq; suo, ut ei, qui cæteris præstat, & per quem proteguntur ab injuriis, conservanturq; in pace, in cujus rei gratitudinem, honorem illi, obsequiumq; externum exhibent; deniq; substantia suâ, vitâq; quando opus est, eundem tuentur; multò plus obligatur homo præstare Deo; nimirum qui omnibus suâ præeminet majestate & à quo longè majora, quàm ab ullo percipit beneficia. Quicquid igitur, & quacunq; optima, ac convenientissima ratione potest se, suaq; in ejus cultum obsequiumq; expendere debet. Et hoc quidem est primum quod per sacrificium in Deum protestamur; alterum nos spectat, ut fateamur conditionis nostræ vilitatem, quod ex nobis aliud non simus, quám subditi, & eo modo subditi, quo purum nihil, subditur puro enti: ut enim in homine ex ipso quidem nihil est rei, ita in Deo, tantum est res, & omnia.

2. Hanc ergo subjectionem testatur sacrificio homo offerendo sua in cultum ejus. Et cùm, ut jam dixi, teneantur interdum subditi, præter sua, vitam quoq; pro principe offerre, debet etiam in sacrificio, simile quid reperiri, non quidem re, sed significatione: Non re, neq; enim Deus exigit, ut quis se pro cultu ejus interimat, (quanquam id, ut supremus vitę Dominus posset jure suo imponere) satis ergo est, si sacrificium aliqua ratione præseferat intentum, seu mutationem quandam in re oblata. Sicut enim olim in signum gratitudinis, quòd primogenita Hebræorum à morte fuerint libera, tum cum Aegyptiorum primogenita cæsa erant, decrevit Deus ut animalia sibi offerrentur, quæ primò erant genita, hominum quoq; primogenita animalibus redimerentur, ut est Exodi 13. & alibi: ita in signum gratitudinis debitæ, à quovis mortalium Deo, debet aliquid ipsi offerri, quod sacrificatum cedat quasi in usum ejus hoc ipso, quia mutatur, & desinat quodammodo esse.

Hac ratione tam in lege naturæ, quàm in lege scripta semper intercedebat aliqua rei sacrificatæ mutatio: Si enim animal offerebatur, mactatum interiit; Si res aliqua solida, comburebatur; Si liquida, effunde-

fundebatur in terram, quem morem omnium nationum homines, etiam gentiles imitabantur.

Quapropter in lege scripta, in qua exactius sacrificii instituta est observatio, videmus (ut est in toto Levitico) omnium sacrificiorum fuisse triplicem divisionem, & in singulis aliquam reperimus mutationem; 3.
quædam enim vocabantur holocausta, in quibus animalia cæsa comburebantur, nihilq; cedebat in usum, sive sacrificantium sacerdotum, sive offerentium ad sacrificandum. Alia vocabantur sacrificia pro peccato, quæ comburebantur integra; aliquid tamen cedebat in usum sacerdotum: postremò erat hostia pacifica, quâ reddebantur Deo grates pro beneficiis, novaq; petebantur; talia quoq;, etsi non integra, igne absumebantur, reliquum dabatur in usum sacerdotum, & offerentium. Hæc erat ratio sacrificiorum ante Christum, ab illo, qualis fuerit deinceps, præscripta mox dicetur. Interim illud tanquam certum ex positis inferendum est, ipsum, videlicet, lumen naturæ exigere ab hominibus, ut sacrificia externa Deo offerant, (quibus illa duo supra numero 1. allata testentur) quemadmodum lumine naturæ quisq; agnoscit, se rectori, & capiti communitatis, debere aliquid offerre, quod cedat tum in honorem, tum in usum ejus; id quod sacrificiis suis testati sunt primi hominum Cain, & Abel; Gen. 4. Noe Genesis 9. Abraham Gen. 22. Melchisedech Gen. 14. tum alii, post legem scriptam.

Sectio I.

Hæretici perperam rejiciunt sacrificium quod in lege gratiæ peragitur per oblationem corporis ac sanguinis Christi.

Lumini ac instinctui naturæ contraeunt hæretici, qui concedunt sacrificia interna impropriè sic dicta, scilicet mentis Deo devotæ preces, & laudes; cæterum externa, negant nunc à Christianis esse offerenda; quibus cum fusius disceptare non est hujus loci, paucis tamen error, & deceptio eorum ostendenda. Ac inprimis mirum est eos, in luce media cœcutire; Si enim in lege naturæ, & scripta voluit Deus sacrificia sibi exhiberi externa, cur non in nova, cùm perinde nunc, atq; olim homines debeant testari Deum ut Dominum suum, & se ipsos ut subditos ejus. 4.

Dicent

Dicent fortè illa veterum sacrificia fuisse figuram ejus, quod Christus in cruce semel obtulit; ita quidem, sed sicut olim toto naturæ, & legis tempore durabant sacrificia, quæ significabant sacrificium legis novæ; ita nunc toto tempore gratiæ ad diem usq; judicii debet offerri sacrificium huic sæculo congruum. Neq; sufficit semel in cruce oblatum esse, id quod hæc evidens ostendit ratio, quæ nullis apparentibus potest superari argumentis. Nam supra numero 1. diximus duplicem esse sacrificandi causam, ut nimirum Dei excellentiam extollamus, & nostræ conditionis testemur vilitatem; cùm igitur hę causæ perpetuæ sint, in quovis hominum statu, & quovis tempore sæculorum, sequitur, ut perinde nunc in lege gratiæ, atq; olim in lege naturæ, & scripta debeant peragi sacrificia. Accedit huc, quòd homo corpore, & animâ constet; non ergo satis est, si interna duntaxat offerat mentis sacrificia, & non simul externa, & sensui subjecta; nisi mancum, & mutilum quid Deo demus, & non totum, quod continet homo, anima compositus & corpore.

5. Quinimo si tantum internam mentis devotionem offeramus, non poterit in eam salvari sacrificii ratio, mutatio, videlicet, de qua supra numero 2. diximus: neq; enim ideo mentem devotam Deo declaramus, ut ea mutetur, & desinat; sed potius ut semper duret firma, & stabilis. Fatendum quidem; in sacrificio, præcipuam esse mentis in Deum piam affectionem, sicut & in omnibus aliis operationibus honestis, quæ sensu, membris, & rebus externis perficiuntur, interna esse potiora nemo negat; illi tamen quod primarium est, adjungendum secundarium, ut ex utroq; plenè integretur totum, quod homo potest, & debet offerre Deo. Sicut exempli causa, non satis est compati miseriæ proximi corde, & affectu, nisi detur id, quo abigatur miseriâ; quanquam in opere eleemosyæ præcipuum, & principale est interna illa pietatis in proximum affectio.

6. Enimvero ut clarum sit, non ratione tantùm, sed & fide, necessarium esse in nova lege externum sacrificium, explicanda est paucis à Christo instituta sacrificandi ratio, quò & hæretici confundantur, & fideles magis se tanti beneficii gratos suo præbeant salvatori. Sanctus ergo Paulus in Epistola ad Hebræos, manifestam in ecclesia Christi declarat sacrificandi necessitatem, modumq;, id, quod probat primò ipsa naturæ humanæ conditione, sic enim cap. 5. loquitur: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat*

ferat dona, & sacrificia pro peccatis. Mox infert idem debere fieri in lege quoq; gratiæ, non quidem à quovis attribuente sibi hoc munus, sed ab eo, qui ad id certa ratione destinatur. *Neq; quisquam, inquit sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum. Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psalmo 2. quemadmodum & in alio loco dicit, Psalmo scil. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Quibus S. Pauli verbis duo præclara ostenduntur, primum est duplicem esse modum quo quis destinatur ad munus sacerdotale: inprimis dignitate, & authoritate naturæ, qua ratione Christus sacerdos fuit authoritate, & eminentia divinitatis, propterea à Patre dictum illi narrat Apostolus; *Filius meus es tu.* Hoc eodem modo olim in lege naturæ, aut primogeniti obibant id munus, aut caput, & præcipuus quisq; in sua familia. Secundò illi destinantur ad sacerdotalem honorem, qui singulari Dei ordinatione in tales eliguntur; ita olim Aaron cum filiis per Moysen jussu divino ad sacrificandum ordinatus erat; ita Christus secundum ordinem Melchisedech vocatus est; ita omnes in lege nova successores ejus ad idem munus destinantur, quibus ille in ultima cœna dixit, ut scribit de se aliisq; S. Paulus 1. Cor. 11. *Ego, inquit, accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; & statim subdit quid jussus sit tradere, afferens præceptum Christi: *Hoc facite in meam commemorationem.* 7.

Alterum quod in verbis S. Pauli continetur, est excellentia muneris clericalis; ipse enim Christus ideo sacerdotali pollet dignitate, quia est æqualis Patri Deus, & quia inter homines, (peculiari Dei dignatione) est primus homo; quod utrunq; in se tanquam in figura expressit Melchisedech, teste Sancto Paulo ad Hebreos 7. *Interpretatur, inquit, rex justitiæ, rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neq; finem vitæ habens assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Sicut ergo Christus propter naturæ divinæ excellentiam, & humanæ à divina glorificatæ, sacerdotis præstat munere, nec esset in lege nova sacerdos, nisi talis testante Paulo esset: ita qui Christo in eodem succedunt officio, magnam, & duplicem quidem debent in se suspicere præstantiam, naturæ scilicet rationalis, & singularis divinæ dignationis. Et in natura quidem in se accepta, par est omnium hominum dignitas; neq; enim unus magis est homo, quàm alter (nisi forte in eo, cæteris sacerdotes præferantur, quòd solum mares sint, non fæ- 8.

 mi-

minæ, & quòd doctiores esse debeant, quàm alii non sacerdotes) si tamen naturam spectemus ut est ad divina singulari Dei voluntate elevata; sic affirmandum omnino sacerdotes sortiri quædam alta dona, quibus præcellant aliis. Quare dignatio Dei, qua ad tale munus destinantur, est singularis quædam gratia, ac favor, ut immensas divinæ magnificentiæ grates semper nos debere putemus, quotquot eo gaudemus honore.

9. Equidem Ecclesia sancta tanti id munus facit, ut peculiarem instituerit ponderosis verbis precum formam, eamq; inserverit libro sacrificii ceremonias continenti, dicto Missali, ut eâ sacerdotes, Deum pro tanto beneficio debitè laudent. Forma orationis est talis: Omnipotens, & misericors Deus, humilitatis meæ preces benignus intende, & me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa clementiæ tuæ largitate cœlestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris altaribus fac ministrum, ut quod mea voce depromitur, tua sancificatione firmetur. Æquum est, ut matri nostræ, Ecclesiæ scilicet Christi judicio, conformemur, quod illa habet de muneris sacerdotalis dignitate, de qua plura diximus libri hujus parte priore. cap. X. à numero 2. per multos.

10. Sed ad Sanctum Paulum redeamus, qui probata necessitate, in nova lege sacrificii ex ipsa natura, quòd nimirum, ex hominibus debeat assumi Pontifex, ad sacrificandum, qualis fuit Christus, & reliqui post illum, quibus dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*; probat deinde idem ex figura duplici, prima quæ præcessit in lege naturæ exhibita per Melchisedech Altissimi sacerdotem, altera in lege scripta per Aaron. Aaronis victimæ sanguineæ, Christi sacrificium in cruce significabant cruentum, id quod sæpius S. Paulus docet ad Hebræos 7. & 1. Cor. 10. asserens in figura omnia illis contigisse, qui erant Israel secundum carnem. Melchisedech quoq; pane, & vino oblato, signabat sacrificium Christi, (teste eodem Apost. ad Hebræos 5. 7. & 8.) quòd in ultima cœna, accepto pane, & vino obtulit illis usus verbis, ut scribit Paulus 1. Corinthios 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: & Hic calix novi testamenti est in meo sanguine.* Jam igitur sacrificium figuratum per Aaron docet S. Paulus semel tantum fieri debuisse; ita enim dicit Hebræos. 7. *Non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel se ipsum offerendo:* Et cap. 9. dicit, non esse necesse, ut Christus sæpius san-

sanguine suo se cruentet, sicut cruentabat se Aaron sanguine alieno. Illud autem alterum sacrificium per Melchisedech figuratum in æternum (inquit S. Paulus ad Hebræos 7.) daturum erat, id est diutissimè, & prorsus ad finem mundi; nam per æternum, usitata in scriptura phrasi, diuturnum in scriptura denotatur. Ita quippe Exodi 28. sacrificaturus Aaron debuit in rationali portare nomina filiorum Israel: Memoriale coram Domino in æternum, loquitur ibi Moyses, hoc est diu usq; ad Christi tempora, quibus sacrificia illorum cessare, & in unum Christi mutari debebant. Quod ergo secundum ordinem Melchisedech oblaturus erat Christus per suos vicarios, quibus dixit: Hoc facite in meam commemorationem, æternum sacrificium, clarè scribit S. Paulus ad Hebræos 8. *Omnis, inquit Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur*, unde necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat.

11. Porro illud quod, & nunc ad offerendum habet Christus, est quod illem & Apostolus disertè fidelibus tradidit 1. Cor. 11. *Dominus, inquit Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, ac dixit: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; Similiter & Calicem:* Quæ verba clarissimè significant, Christum tunc secundum ordinem Melchisedech sacrificasse, verissimum corpus, & sanguinem suum; nimirum illud corpus, quod verissimè tradendum erat sequenti die, & illum sanguinem, qui verissime effundendus erat, sequenti die è corpore, & hoc jussisse, ut facerent sacerdotes in memoriam ejus. Quod vero post prolata hæc verba: *Hoc est corpus meum*; &. *Hic est calix*, adhuc videatur oculis idem durare panis, vinumq;, id nihil obest veritati, & præsentiæ corporis sanguinisq; Christi; signa enim remanent panis, & vini, corrupta substantia panis, & vini, (quæ olim in figura offerebatur à Melchisedech) virtute omnipotenti verborum Christi: sicut Lucæ 24. *Christus apparens duobus discipulis euntibus in Emaus*, signo externo præbuit se peregrinum ipsis ignotum, revera autem erat, verus in proprio corpore illorum magister. Itaq; heretici in hac orthodoxæ fidei clarissima, & fortissima doctrina, vel ignorantissimè, vel malitiosissimè asserunt duo, primum panem, duntaxat, vinumq; in Eucharistia esse, & spiritualiter tantum corpus, ac sanguinem Christi, non realiter, ut Calvinistæ tenent, vel ut Lutherani credunt panem unumq; cum corpore simul & sanguine. Perperam id dicunt; cùm Christus teste S. Paulo mandet hoc dandum, hoc accipiendum, quod in cruce traditum est; nequaquam autem panis, & vinum, sive sola, cum spi-

rituali, (ut Calvinus fingit) carne, & sanguine Christi; sive (ut Lutherus) cum carne, & sanguine Christi vero pro nobis sunt tradita. Secundum pari ignorantia, vel malitia asserunt, in Eucharistia non peragi sacrificium, cum S. Paulus clarè dicat, habere Christum quod nunc offerat, non effusione sanguinis, & cruentè (hoc enim semel fecit) sed secundum ordinem Melchisedech in æternum.

12. Possent hîc duo objicere hęretici, primum est, sacrificium à Christo sufficientissimè in cruce esse peractum, ut quid ergo repetitur? Ad hoc respondendum cum S. Paulo, qui ad Hebręos 7. dicit: non habere necessitatem Christum pro peccatis sæpius offerre, hoc enim semel fecit; & 1. Cor. 11. asserit eum jussisse, ut sępius facerent in memoriam ejus: quę duo ita inter se manifestè conveniunt. Semel quippe Christus morte reali, & cruenta satisfecit Deo pro peccatis, & infinities plùs, quàm erat opus satisfecit; voluit tamen memoriam satisfactionis illius sępius fieri sacrificio corporis & sanguinis sui incruento ut grati essemus & ut quod ibi nobis est meritus, lucratusq́;, id hîc sortiremur, & usurparemus, quantum quisq́; opus habet; ut infra dicetur, de fructibus hujus sacrificij.

13. Et quemadmodum in morte Christi, vera ratio sacrificij peracta est, scilicet cultus, & honor Dei, ad hunc enim se obtulit unigenitus Patris, (ut de se Joan. 3. testatur: Ego honorifico Patrem) fuit item mutatio rei oblatę; verè enim mortuus erat: ita in ultima cęna honor Deo exhibitus est, ut authori tanti beneficii in cruce collati, cujus memoria perennis erat peragenda. Adfuit etiam, adestq; nunc mutatio, sive per transsubstantiationem panis, & vini in Christi corpus, ac sanguinem; sive per consumptionem Eucharistię, sive per utrumq́;: licet enim Christus jam non moritur, nec mutatur in se; sistit se tamen pręsentem sub speciebus panis, & vini; desinit quoq; esse sub ijsdem, atq; ita intervenit aliqua saltem ratione specierum, & signorum vatiatio. Plura quæ de hac variatione subtilius disputari possunt, relinquo Theologis, ut minus hîc necessaria. Hic satis est ostendisse sacrificium missæ, esse memoriam Christi passi. Vnde quando instant hęretici, memoriam non esse rem cujus est memoria, si igitur missa est memoria Christi, non debet illum re ipsa continere, sed solum signa esse ipsius. Respondendum est sacrificium missę esse memoriam Christi passi & mortui in cruce, vera, & reali morte, cruentaq́; sanguinis effusione, quo pacto non est Christus in missa, scilicet, reipsa crucifixus; est tamen verè præsens & oblatione

tione sua incruenta, suam mortem significans cruentam. Sicut si moriturus pater relinquat aureum annulum filio in memoriam sui, annulus ille non est pater, est tamen verè aurum significans, & excitans memoriam patris. Ita Christus in missa, non est quidem pendens, & mortuus in cruce; est tamen verè, & realiter presens significans, & excitans memoriam mortis suę.

Secundò possunt objicere heretici, quòd cum ad sacrificium, secundum figuram premissam in Melchisedech, requiratur tam panis, quàm vinum, cur à quibusdam sub una duntaxat specie panis sumatur Eucharistia? maximè cum non tantùm edere corpus Christi debeamus, sed & bibere sanguinem, sub specie autem panis, quomodo potest bibi sanguis? Ad hoc quoq; dicendum Christum esse integrum cum corpore, & sanguine sub una specie (est enim utrobiq; verus, & unus homo, ita ut in cœlo;) quare qui eum sumit sub una, & edit corpus, & bibit sanguinem, utrumq; enim sumit. Quòd autem non singuli fideles sub distinctis id peragant speciebus, dicimus causam esse fidelium differentiam; quotquot enim Christo, à Melchisedech figurato in sacerdotali succedunt munere, sub utraq; specie, & sacrificant, & sumunt sanctam Eucharistiam, eò quòd utrumq; Melchisedech panem, scilicet, & vinum obtulit, in figura, cui debet res figurata respondere. Cęterum alii qui non sacrificando, sed ut cibo utendo communicant, sub una specie ex vetustissima ecclesię consuetudine (à Christo ut paulò inferius dicam concessa) integrum eundem sumunt; neq; enim sub specie panis corpus duntaxat accipiunt; nam sic mortuum sumerent; sed tale corpus, quale est nunc, cum sanguine, anima, & Deo; in illius quippe divina Persona profert sacerdos, vices ejus gerens illa verba: Hoc est corpus meum; Persona autem Christi, vivum habet corpus cum anima, sanguine & divinitate sua; totus ergo vivus Christus est sub specie panis, qui hęc verba profert per instrumentum suum vicarium. Unde S. Joan. c. 6. effectus Eucharistię uni speciei tribuit, calicis enim non meminit, sed solum carnis & sanguinis, id quod utrumq; sub una specie sumitur. Quanquam nec sanguinis interdum meminit sed omnis: Qui manducat, inquit me, & ipse vivet propter me: in ipso enim includitur sanguis. 14.

Et sane si scripturam sanctam consulamus, reperiemus in illa susceptionem Eucharistię sub specie duntaxat panis à Christo præceptam, usum autem sanguinis, sub separata specie vini, aut non preceptum, nisi sacrificantibus aut solum arbitrio pastorum ecclesię commissum. Tres 15.

enim

enim Evangelistæ, & quartus Apostolus Paulus scripserunt de institutione hujus sacramenti: Mattheus cap. 26. solùm institutionis meminit, de præcepto nihil scribit, sicut & Marcus cap 14. Lucas autem cap. 22 refert præceptum Eucharistiæ sub specie panis duntaxat, ita quippe in illo legimus: *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Accipite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, hoc facite in meam commemorationem:* hoc est præceptum Domini de specie panis duntaxat. De sanguine ita ibidem legimus: *Similiter & calicem postquam cænavit dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur:* ubi Dominus de sumendo calice nullum subnexuit præceptum; non quòd ad sacrificium sufficiat sola species panis, sed quòd postquam, sacrificium peractum est, per verba illa: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est calix*, (quæ jam tunc protulerat Christus) ad comunicandum sufficiat ex præcepto, unius sumptio speciei. Jam verò, Apostolus Paulus 1. Corinthios 11. similiter habet absolutum præceptum de sola specie panis, ita enim scribit: *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.* De calice non affert ibidem absolutum præceptum, sed voluntariam ejus sumptionem clarè insinuat, nimirum quando ita libuerit. Sic enim scribit: *Similiter & calicem postquam cænavit dicens: Hic calix novi testamenti est in meo sanguine, hoc facite quotiescumq; bibetis in meam commemorationem:* Ubi per hæc verba (quotiescumq; bibetis) libertatem sumendi Eucharistiam sub specie vini indicat, quasi dicere voluisset: Si quando libuerit sub specie vini sumere Eucharistiam, post peractum sacrificium id fieri non debet, nisi in memoriam mei: Sicut Mat. 10. Dominus absolutè præcipit servare mandata ad salutem necessaria: Si autem quis perfectus esse vult, id non assequitur si non omnia vendat, id quod nemo tenetur facere nisi libuerit. Meritò Dominus calicis usum liberum esse voluit, non in sacrificando, (id enim omnino secundum ordinem Melchisedech à paucis, scilicet, sacerdotibus debet compleri) sed in sumendo. Cum enim innumera sit fidelium multitudo percipientium Eucharistiam, si omnes sub specie etiam vini eam acciperent, plurima sequerentur incommoda, quę successu temporis advertit ecclesia, & ad vitanda illa, præscripsit usum sub una specie panis; aliquibus tamen, ut ecclesiæ orientali utramq; permisit.

Porro incommoda quę Ecclesia vidit, sunt alia atq; alia, & jam mino-

minora, jam gravia, pro varietate temporum, locorum, & personarum, initio enim primitivæ ecclesiæ, in qua pauci fideles erant, facilè omnes calice decenter uti poterant. Postea aucto eorum numero, ægrè, immo, nec ægrè potuit esse, ut tot millia, verbi causa, in solemnitate Paschatis catervatim ad altare accedentium, non aliquam admitterent indignitatem effusione sanguinis aut alia ratione, præsertim in tanta personarum diversitate, puerorum scilicet, senum, & decrepitorum, in quorum singulis, subest indecentiæ periculum. Et certe reperiuntur nonnulli pręsertim è fęminis, & delicatioribus ita nauseâ laborantes, ut nequaquam ex uno vase, cum aliis sumere possint, maximè quo priús usus quis sit fastidiosę, ut rudibus, senibus, & decrepitis mos est. Non expendo alia ex locis, & personis incommoda, illud solum dico alicubi vix tantum suppetere advecti vini, quod pro sacrificando paucis sit satis; nonnulli etiam adeo sunt abstemii, ut citra vomitus periculum, vel odorem vini ferre nequeant. Hæc & multa similia vitans mater Ecclesia, usa est Christi libera, & conditionali concessione per S. Paulum illis verbis declarata: *Quotiescunq́ bibetis*, id est, si quando bibetis. Quid ergo infelices hęretici obganniunt nobis, quasi aliquid sacramento detrahamus? nimirum, ut in aliis, ita & in hoc errorum magister, paterq́; mendaciorum (Joannis 8.) diabolus dementavit incautos, ut tanquam rem ad salutem necessariam exigentes, neq́; (per ecclesię catholicæ sancta statuta) obtinentes, justam ad speciem (præsertim apud imperitam plebeculam) habeant schismatis ansam, & ad separatas abeant Lutheranas, Calvinianas similesq́; in quibus dementati pereunt, sectas, ac synagogas.

Verùm proposita brevitas non permittit cum ijs pluribus agere; 17.
adducam tamen ex antiquissimis Patribus unum, ut Catholica veritas, præter scripturas jam allatas, ab ipsa etiam vetustate temporum, & consensione sanctorum, (quod enim hic unus dicit, idem prorsus sensêre omnes Doctores sancti) suum habeat pondus. Sanctus ergo Augustinus de Eucharistia duo docet; primum quòd in ea sit verum Christi reale, & corporeum corpus, quale nunc est in cœlo, sub una specie sumi; alterum quòd sacramentum illius nequeat confici, nisi per verum sacrificium. Et multis quidem in locis hæc docet, sed ego aliquot contentus ero; quorum prior est in Tomo 3. libro 4. de Trinitate cap. 14. ubi cùm ostendisset Christum verè nunc sacrificare, subdit: Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quám humana caro? & quid

quid tam gratè offerri, & suscipi posset, quàm caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri? & quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ, caro nata in utero ex utero virginali? Ubi simul ostendit unam sufficere speciem, unius enim meminit. Et quia sacrificans debet offerre rem quampiam de ea idem S. Pater Joan. 8. in Psal. 33. Conc. 1. explicat illa verba Psalmi: *Et ferebatur in manibus suis*, affirmat Christum in ultima cæna seipsum in manibus tulisse, id quod nunc efficit tanquã per instrumenta, per vicarios suos sacerdotes. Quomodo inquit Aug.: hoc intelligitur, quod Psalmus, dicat, ferebatur in manibus suis, in ipso David secundũ Literam non invenimus, in Christo autem invenimus: ferebatur eni n Christus in manibus suis quãdo commendans ipsum corpus suũ ait: Hoc est corpus meum, ferebat enim illud corpus suum in manibus suis. Calvinus 4. institut cap. 17. Par: 28. dicit Augustinum intellexisse corpus Christi spiritualiter in signo, scilicet, in pane, & vino fuisse: Sed hoc figmentum esse supra num. 11. ex S. Paulo ostendimus: Estq; manifestum contra mentem Augustini: nam ille dicit difficillimè intelligi posse, quomodo David seipsum portaverit: Profectò si de spirituali sensu, quem fingit Calvinus esset sermo, facilè id intelligeretur; David enim seipsum in signo portaret. Intellexit ergo August. verè seipsum Christum portasse sub speciebus panis, & vini, quod Deo tamen facilè est præstare.

18. Unde in Psal. 18. clarè fatetur Christum esse re ipsa in sacrosancta Eucharistia; nam in illa verba: *Adorate scabellum pedum ejus*, præmisso prius dubio, quomodo terra citra idololatriam adorari possit, ita scribit: Suscepit dè terra terram, quia caro de terra est & de carne Mariæ carnem suscepit: Et quia in ipsa carne hîc ambulavit, & ipsam carnẽ manducandam nobis ad salutem dedit; nemo autem illam carnẽ manducat, nisi priùs adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, ut non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Hæc Augustini testimonia clarè convincunt in Eucharistia esse verum Christi corpus, prorsus illud idem quod fuit acceptum ex Maria Virgine cum sanguine, & anima, unitum Divinitati: Simul etiam ostendunt Eucharistiæ sacramentum per sacrificium confici.

19. Sed hoc posterius clariùs affirmat Tom. 6. lib. 20. & 21. scribens contra Hæreticum Faustum, ubi refutat inprimis ejus contra Catholicos calumnias quasdã: Calumniatur nobis, inquit, Faustus, quod Martyrum memo-

memorias honoramus, in hos dicens nos idola convertisse, ad quod respondet Augustinus ita: Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consotietur, atq; omnibus adjuvetur; ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporũ, assistens altari aliquando dixit? offero tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane; sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit. Deinde infra ostendit quid illud sit quod Deo offertur, probatq; aliud non esse, quam vivum præsentemq; cum suo corpore sanguine, animâ, & Divinitate Salvatorem, qui seipsum olim cruentè in cruce sacrificavit, nunc autem in memoriam illius cruenti sacrificii incruentè idem sacrificari, offerriq; Deo voluit. Ad quod probandum adducit illud ex Psalmo 14. *Sacrificium laudis glorificabit me, & illic via est, ubi ostendam illi salutare meum*, sicq; dicit: Hujus sacrificii caro, & sanguis, ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in Passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi, per sacramentum memoriæ celebratur. Docet igitur S. Augustinus semper ab initio mundi fuisse sacrificium carnis & sanguinis Christi, sed in triplici differentia: ante Christum in figura, & similitudine; degente nobis cum Christo, in veritate mortis, quę figuris terminum imposuit; post obitũ Christi, in memoria, quæ tamen contineat veritatem corporis olim occisi, & sanguinis effusi ut supra num. 18. verba illius citavimus. Quod si ut hæretici dicunt hęc memoria sine veritate corporis, & sanguinis esse fingatur; iterum erit similitudo, & figura in hoc sacrificio qualis fuit ab initio mundi, id quod Psalm. 94. falsum ostendit illis verbis: *Ostendam illi salutare*, id est pręsentem Salvatorem. Hęretici nec sacrificium admittunt, nec pręsentem agnoscunt Christum, in figuris ergo antiquis hęrent adhuc cum Judæis miseri.

Sed illos magis coarguit Augustinus declarando modum, quo hoc sacrificium peragitur nempè adhibito cultu latriæ, non sancto alicui, verum soli Deo debito: Cùm enim in Eucharistia sit verus homo, & Deus Christus quà homo & Deus sacrificium est, qua tamen Deus, est illi cui sacrificatur & semper ei sive ut sacrificio, sive ut illi cui sacrificatur, cultus divinus exhibendus, id quod facimus, quoties in templis, aut quovis alio loco sacrosanctam adoramus hostiam. Colimus, inquit Augustinus Martyres, eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita co- 20.

luntur sancti homines Dei; sed illos tanto devotiús, quantò securiùs post incerta omnia superata: at illo cultu qui grecè latria dicitur, latinè uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cúm autem ad hunc cultũ pertineat oblatio sacrificii (unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent) nullo modo tale quid offerimus, vel cuiquam Martyrum, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo. Et infra: Quod, inquit, frequentissimè facimus illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari, novi testamenti manifestatione præcipit, quod pertinet ad illum cultum quæ latria dicitur, & uni Deo debetur.

Latria hæc ex mente Augustini, & Deo exhibetur, quia illi offertur sacrificium, & sacrificio, quia Christus Deus offertur, adoraturq;, ut supra, num. 18. idem Augustinus explicando illa verba Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, testatus est. Legant ista moderni hæretici, & Seposita pertinacia expendant, videbunt profectò se veteribus hæreticis, è quibus fuit Faustus Manichæorum princeps, subscribere in ijs, in quibus à nobis diffident; qualis est cultus sanctorum, & sacrificium, quod Christus suæ ecclesiæ per Apostolos tradidit, mandavitq; in vera, & reali corporis sui præsentia offerendum. Verum hæreticis relictis ad fideles convertamus stilum, agamusq; de fructu, quem ex tanto sacrificio Christi ordinatione percipere & possumus, & debemus.

Sectio II.

Quot fructus redundant in fideles ex sacrosancto corporis ac sanguinis Christi Sacrificio, tum per ipsum, tum per Sacramenta virtute ejus operantia.

21. SAcrificia veterum, quæ signabant unicum legis gratiæ sacrificium, triplicem præseferebant fructum, nempe remissionem, satisfactionemq; pro peccato, impetrationem ac meritum beneficiorum. Cum verò id scribit Sanctus Paulus ad Hebræos 9. Sacrificia,& Sacramenta, vel potius Sacramentorum umbræ ante Christum usurpatæ, non potuerint juxta conscientiam profectum facere servientem solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & justitiis carnis, usq; ad tempus correctionis impositis; propterea fructus illos, præseferebant, ut di-

ex dixi, sacrificia, & sacramenta veterum, hoc est significabant danda,
non autem dabant ex vi, & dignitate sua, seu ut dicunt Theologi ex o-
pere operato, ut confert sacrificium, & sacramenta à Christo instituta.
Quare sicut ipsa sacrificia, & sacramenta præterita, erant figuræ præ-
sentiam, ita & fructus eorum, significabant illos fructus, quos revera
nos percepturi eramus: verbi causa, dicebantur illa sacrificia dimittere
peccata, satisfacere pro illis, impetrare, & mereri veniam, ac benefi-
cia; hæc omnia ideo dicebantur præstare illa sacrificia, quia significa-
bant sacrificium nostrum, quod revera dimittit peccata, satisfacit pro
illis, meretur, impetratq; dona, & gratias.

Quia tamen erant apud veteres præcepta quædam legalia, quæ o- 22.
bligabant ad sui executionem etiam sub peccato, & qui illa prætermit-
tebat, aut sacrificia per ipsa imposita; præter inobedientiæ culpam,
contrahebat quendam legalem reatum, inhabilitatem, & immunditiam,
qua durante censebatur indignus tabernaculo Dei, aut templo, quin &
hominum consuetudine, aut attactu, ut in Levitico toto legimus; Quia
ergo hæc tunc erant præscripta, idcirco sacrificia, & sacramenta vete-
rum, tollebant has legales immunditias, & inhabilitates, quoad exter-
nam duntaxat veniæ obtentæ reputationem, ita ut peragentes illa cen-
serentur Deo, satisfacere, & á reatu absolui, impetrareq; ac mereri
gratiæ, sanctitatisq; signa, atq; umbras; eò quod tales reputarentur jam
sancti, & Deo grati. Itaq; re ipsa totum quod continebant aliud non
erat, quàm apparens quædam, & quasi in carne ut testatur, Paul Heb.
9. remanens munditia, sanctitatisq; color; neq; unquam à peccatis ani-
ma mundabatur, aut aliquid impetrabat merebaturq; vi sacrificiorum,
& sacramentorum, tanquam ex opere operato, seu ex sui institutione o-
perantium; Sed si quid in anima verè fiebat, id efficiebat fides in futu-
rum Christum, mentis dolor, amorq; & bonorum operum honestas, atq;
ut dicunt Theologi consequebantur id fideles, ex opere operantium.
Doctrina hæc est concors Theologorum cum S. Thoma 3. Part. Q. 62.
art. 6. cujus fundamentum clarum est in S. Paulo Epistolâ illa ad Hebr-
æos 9. ubi sic loquitur: *Si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ a-
spersus inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis, quantò magis sanguis
Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emun-
dabit, conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.*

Itaq; unum, teste Paulo, sacrificium emundat conscientiam à pec- 23.
cato, remittendo illa, & munditiem internę, verę; sanctitatis confe-

rendo, ad hæc reliquias peccatorum, id est reatum pœnæ tollendo per satisfactionem: tollendo, inquam, non solùm pœnam post mortem aliàs subeundam in inferno, vel purgatorio; sed etiam in hac vita. Postremò idem sacrificium confert ea, quæ conducunt ad serviendum Deo viventi, impetrando scilicet, ac merendo dona, ac beneficia, de quibus ordine jam dicendum, sive quæ ab ipso fiunt sacrificio, sive per sacramenta in virtute ejus operantia.

Sectio III.

Sacrificium Christi remittit in cruce peccata quoad culpam & pœnam, sanctificatq; animam, ubi & de sacramentis in communi.

24 Etsi fide catholica tenendum sit sacrificium Christi cruentum in cruce peractum, & idem sub speciebus panis, & vini perenni memoria celebrari solitum, (ut sup. docetur) esse causam unicam omnis nostræ sanctitatis & salutis, ut asserit S. Paulus loco superiùs citato ad Hebræos 9. & alibi, quod supra à numero 40. ostendimus, plenaq; est hac veritate vetus, & nova scriptura, quæ tam præsentia, quàm futura bona Christo Salvatori omnia tribuit, tanquam fonti in sacrificio contento: Voluit tamen Christus, non solo sacrificii usu, conferri nobis prædicta bona, sed etiam sacramentis, veluti canalibus quibusdam ab illo fonte ductis ad nos dimanare; itaq; quædam ipsum sacrificium, præstat, alia conferunt sacramenta.

25 Porro Sacramenta hæc 7. esse confitetur sancta ecclesia, quidquid varii varia fingant hæretici, quorum aliqui dicunt esse duo, alii plura vel pauciora, qui etiam putant Sacramenta esse solùm symbola Dei in nos favoris, & fœderis nobiscum initi, neq; tenent conferri per illa sanctitatem animæ; Sed eorum erroribus omissis ecclesia catholica (cujus doctrinam tradit S. Thomas ita parte Q. 6. art. 2. & 3. in corpus) tenet sacramentum esse rem sensibilem tria significantem, & ad tria relatam; quorum primum est passio, & sacrificium Christi, tanquam unica omnium bonorum causa; alterum sanctitas animæ, gratia, videlicet, Dei, & virtutes, quæ animabus suscipientium ea verè infunduntur; tertium est ultima sanctitas, quam post mortem expectamus, vita scilicet, æterna. Talem esse apud Christi fideles sacramenti germanam notionem,

nem,

num, vel unum probat Domini testimonium de baptismo datum Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: vere enim baptisma signis sensibilibus verborum, & ablutionis peractum, à Christi passione habet vim salvandi, id est vitam dandi æternam; ad quam quia requiritur sanctitas, & bonitas animæ (soli enim justi ibunt in vitam æternam Matth. 25.) ideo idem baptisma dat animæ sanctitatem. Et sicut vita gloriæ cælestis verè inerit nobis re ipsa, non per symbolum aliquod, & fœdus externum; ita nunc sanctitas gratiæ Dei, non debet nos afficere, velut externa quædam, & quasi Judaica cæremonia, ac carnis sanctitas, de qua dixi sup. numero 22. sed debet esse interna, ac realis animæ munditia, & pulchritudo per sacramentum collata; hoc quod de baptismo attulimus, quodvis ex reliquis sacramentum præstat, suo unumquodq; modo.

Quod verò ad numerum sacramentorum attinet, ea septem ex sacra scriptura, sancta agnoscit ecclesia, præsertim accedente vetustissima, ab ipsis Apostolorum temporibus traditione, quæ in hac re (ut & in multis aliis) plurimum apud fideles valere debet, ita præcipiente S. Paulo Secunda ad Tessal. c. 2. *Fratres tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, id est, oretenus, sive per Epistolam nostram*, hoc est per scripturam, Et certè si solam scripturam expresè denunciantem attendere velimus in hac sacramentorum materia, solum matrimonium censendum esset sacramentum, nam de hoc tantùm expresè loquitur Paulus Ephes. 5. *Erunt duo in carne una, sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & ecclesia*, & tamen Calvinistæ, & Lutherani, aliiq; Sectarii, non credunt tam claris verbis, matrimonium esse sacramentum. Verum ecclesia cum Apostolo ita de matrimonio tenet; idem sentit de baptismo, de quo Marci 16. *Qui baptizatus fuerit, salvus erit*: tertium asserit esse confirmationem, de qua Actorum 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum*: quartum est pænitentia, quam Dominus expressit Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. quintum ordinis sacramentum, de quo habemus 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*. Sextum est Eucharistia, de qua plusquam clara sunt testimonia, quod suo sensibili usu, det vitam animæ, ut apud Joan. cap. 6. testatur Salvator inter alia ita loquens: *Ego sum panis vitæ, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: Septimum tandem est extrema unctio de qua Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ*

& orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.

27. Sapientissimè, nimirum ipsa sapientia Christi, tot neq; plura instituit ad salutem sacramenta, istis enim cuivis, in quovis statu, & necessitate constituto abunde consulitur homini. Recenter quippe natus, mundandus est ab originali peccato, id quod consequitur per baptismum: ubi deinde ad usum rationis venerit, eget robore, ne tentatione dæmonis, & carnis illecebrâ facilè ea, quam in baptismo accepit, privetur sanctitate, hoc præbet confirmatio.

28. Sentiunt autem, & optimè Catholici Doctores per sacramenta, non solùm conferri gratiam sanctificantem, sed & alias actuales sacramentalesq;, gratias, per lumina, & motiones spiritûs sancti cuiq; sacramento congruas: tales confirmato gratiæ dantur, notitia, scilicet, veræ fidei, & constantia mentis, ne á veritate facilè deviet, & ita de cæteris tenendum sacramentis. Jam ultra in vita hominis progrediendo, cúm facilis sit in peccatum lapsus, necessaria est pænitentia, quâ culpæ tollantur; cùm verò varia sint hominum vivendi genera, è quibus nonnulli debent alios regere, cæteri subesse; qui regunt, ducesq; sunt aliorum, ordinantur ad varios clericorum gradus, Episcoporum, scilicet, presbyterorum, & cæteros, id quod fit per sacramentum ordinis; sicut illi, qui privatam & quæ regi debet, degunt vitam per sacramentum matrimonii in ea constituuntur; adhæc ut omnes hactenus enumerati in gratia Dei crescant, augeanturq;, ad hoc instituta est sacra Eucharistia. Postremò sicut qui recens nascuntur, egent baptismi gratiâ, ne ante acceptam decedant ex hâc vita; ita qui ultimò vivunt, in agone multum exponuntur tentationum periculis, summas tunc, quas habet, exerente dæmone vires: ne igitur succumbendo malo priventur gratiâ Dei, extrema unctione ad felicem armantur pugnam, ut victores in alteram transeant vitam. Ista est divinæ sapientiæ sapientissima, juxta & saluberrima ordinatio de omnibus hominibus per sacramenta juvandis. Plura ad integritatem doctrinæ de sacramentis dicenda essent; sed subtilioribus, & ad mores formandos minùs conducentibus ad Theologos remissis, duo ad nostrum propositum affero.

29. Alterum est, sacramenta non conferre effectus gratiarum nisi accedentibus prȩviis dispositionibus: baptizandus enim, verbi causa, si infans sit, etsi nequeat se ullo proprio prȩparare ad baptismum actu; fides tamen matris ecclesiȩ, defectum supplet infantis; adultus autem ipse sua

pro-

propriâ fide, dolore aliquo de peccatis, & voluntate suscipiendi baptismum disponere se debet ad sanctè, & cum effectu usurpandum sacramentum. Vnde si adultus baptizaretur invitus, aut dormiens, qui ante somnum non expetisset baptismum, nihil perciperet sanctitatis; idem suaproportione de aliis sentiendum sacramentis.

30. Alterum quod assero est, sacramenta dare gratiam sanctitatis ex opere operato, hoc est rectè usurpatum, semper & infallibiliter efficit id, ad quod unumquodq; est à Christo institutum, qualiscunq; sit, qui confert, aut suscipit illud, sive sanctus, sive peccator; ideo enim dicitur ex opere operato conferre divina dona, quia non attenditur operantis dignitas, sed operis à Christo instituti pondus, & valor; quod enim conceditur alicui, intuitu ejus dignitatis, id datur ex opere operantis Theologi, ut sequenti numero explicabitur. Et nonnulla quidem sacramenta ad hoc sunt ordinata, ut tollant peccata, vocanturq; sacramenta mortuorum, ut est baptismus, & pœnitentia, reliqua sunt vivorum, quę vitam divinę gratię pręsuppositam augent, neq; delent peccata; nisi fortè per accidens, ut docent Theologi cum S. Thoma. 3. parte art. 3. in corp. Quæstionis 79. de Eucharistia; nam qui exempli causa sumit illam oblitus culpę mortalis, aut ignorans se illam habere, mundatur ab illa per pręsentiam gratię, quę suscipienti Eucharistiam bona fide (propter illam ignorantiam vel oblivionem culpę) non denegatur; datâ autem gratiâ repente inimicam sibi tollit culpam. Ex his quę diximus de sacramentis constat ea ex sacrificio Christi, velut è divinitatis fonte accipere aquam vivam, ut testatur ipse Joan. 4. *Aqua, inquiens, quam ego dabo, fiet fons aquæ salientis in vitam æternam*; quę aqua abluit per gratiam peccata quoad culpam, & pęnam, (si illa fuit letalis) ęternam, & quoad pęnam etiam temporalem, hîc, aut in purgatorio luendam; sed in eâ quantitate, quę cuiq; sacramento à Christo definita est, & pro qualitate dispositionis in suscipiente illud; sicut etiam gratię, cęterorumq; divinorum donorum, quę per sacramenta conferuntur, certus assignatus est gradus, & perfectio.

31. Atq; hæc jam recensita, consequitur recipiens sacramenta, ex opere operato, ut explicui, & simul potest dici etiam de condigno scilicet propter respectum ad merita Christi quibus illa, ut effectus, plenissimè de condigno debentur. Vt verò hic intelligatur dicendi modus, aliiq; ad hanc materiam spectantes, scilicet meritum de congruo & de condigno satisfactio, & impetratio; simul etiam agnoscatur, quotnam ex bo-

nis

nis operibus proveniant fructus, afferenda est doctrina S. Thom. 1. de merito duplici ex 1. 2. Q. 114. art. 1. & 2. ubi docet, omne meritum, fundari in operantis dignitate, quæ in homine duplex est; una ex libertate, adjuta tamen à Deo tum universali, & naturali concursu, tum supernaturali & pia motione; loquimur enim hîc de merito supernaturali, non de aliquo alio. Altera dignitas fundatur in gratiæ sanctitate, quam Deus supra naturam homini largitur, ut operando bene consequatur promissam vitam æternam; utriq; etiam huic dignitati, adjungitur operis præstantia major, vel minor, prout est operatio magis, vel minùs præstantis virtutis. Prior dignitas præbet meritum congrui, congruum enim, & æquum est, ut Deus bene utenti libero arbitrio supernaturaliter adjuto, conferat sua divina dona & ipsam salutem; altera dignitas dat meritum de condigno, qui enim jam sanctus, & filius Dei est, meretur promissam salutem, tanquam mercedem condignam operi à filio Dei præstito. Inter hæc duo merita clara est differentia; nam in primò, id quod pro opere datur; in secundo ex justitia, & quodam debito, ad quod se Deus obligavit, promisitq; se daturum tanquam correspondentem labori mercedem.

32. Secunda doctrina S. Thomæ est tertia parte Q. 46. art. 6. ad 2. & 6. & Q. 68. art 6. ubi docet satisfactionem esse duplicem, unam pro culpę, alteram pro pænæ reatu: prior potissimè fundatur in excellentia personæ pro culpa satisfacientis; posterior in doloris sensu, patientis pro pæna: quantò enim quisq; dignior est, tantò uberius offensam compensat, sicut, & qui plura patitur, sufficientiùs pęnam luit. Quapropter Christus Dominus, & pro reatu culpæ, & pro reatu pænæ abundantissimè satisfecit, nimirum tantæ majestatis persona, & tanta passus: Vnde utramq; hanc satisfactionem meritis sacrificii Christi consequimur; & aliquando quidem totaliter, ita ut omnis culpa, & pæna tollatur, quemadmodum in baptismo, in quo soli Christo innititur salus, ut testatur S. Paulus Rom. 6. *Quicunq;, inquit, baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus ei per baptismum in mortem*: quasi dicat, mors Christi mortificat, & quasi enecat omnia inimica, impedimentaq; *salutis*. Cæterum in aliis sacramentis, in quibus requiritur peculiaris cooperatio suscipientis datur quidem gratia mundans, fitq; satisfactio totalis, pro culpa letali si quæ tunc debetur; non tamen pro pæna ejus totali, aut pro aliarum venialium culparum pœna, ad quam sua pœnali dispositione concurrere debet is, qui sacramentum suscipit.

Vnde

Vnde si concurrat magna contritione, & afflictione animæ, tota tollitur pæna: Sicut & culpę veniales tolluntur omnes, si omnes displiceant, & de omnibus aliqua ratione doleatur. Quod ad impetrationem attinet, ea in quo fundetur, & quæ efficax sit, dictum est hac 2. parte libri primi, cap. 3. num. 71. & 72. & cap. 10. num. 17. ubi ostendimus ad pondus, & efficacitatem orationis, requiri tum dignitatem orantis, tum pręstantiam orationis, nempe ut sancta, & perseveranter petantur.

Ex prænotata jam communi Theologorum doctrinâ, illud certum est, quòd cùm omnia opera bona habeant annexam operantis aliquam dignitatem, operis præstantiam, & sensum quempiam molestiæ, qui ferè semper in operando admisceri solet; dicendum est omnia opera bona tres nobis adferre fructus, meritum videlicet, impetrationem, & satisfactionem, alia tamen atq; alia ratione. Nam sacramenti, usus ut supra dixi, confert animæ gratiam sanctificantem, virtutes item infusas, gratiasq; sacramentales ex opere operato, & ex merito ut num. 3. innui de condigno; satisfacit etiam similiter pro culpa, & pęna, impetratq; dona, ac beneficia, quia innititur dignitati, altissimis operibus, & passioni Christi. Cùm verò eadem sacramenta, sint quoq; opera bona, scilicet cultus, & religionis divinæ, habent etiam (sicut & alii virtutum actus) adjunctum meritum de condigno vel congruo, & satisfactionem parem, impetrationemq; beneficiorum, sive purè spiritualium, ut sunt virtutes, dona, & fructus Spiritus sancti, gratiæq; divinę augmentum; sive temporalium, quæ tamen ad spiritualia, & salutem referantur, ut est sanitas corporis, longa vita, & hujusmodi. Dico debere hęc temporalia ad salutem referri: Christus enim, quæcunq; egit, & passus est, ad æternam retulit salutem, non ad naturalem aliquam commoditatem. Vnde quæ per ipsius merita, & passionem obtinenda sunt, ad æternam vitam debent ordinari. 33.

Quæ omnia non ex opere operato, sed ex opere operantis, hoc est ex merito, & honestate piæ operationis, ac dispositionis animæ consequimur, tantòq; abundantiùs, quantò illa fuerit melior, dignior, & frequentior. Et quod de sacramentis dicimus, ut sunt quædam bona opera, idem tenendum de aliis virtutum operationibus, maximè quæ supernaturali aliqua exercentur ratione, nimirum eas habere fructus illos, meriti, satisfactionis, & impetrationis. Atq;, si is qui operatur bene, sit in Dei gratia, non de congruo tantùm, sed de condigno, quædam mereri potest, gratię scilicet divinæ augmentum, & salutem ęternam, satisface- 34.

facere etiam de condigno pro culpa veniali, pœnisq; remanentibus post dimissas culpas; deniq; pari modo, & impetrare infallibiliter, multo citiùs, quàm si non sit in gratia. Hæc omnia jure tribuuntur operanti in gratia constituto; quia sic operans innititur dignitati Christi, ejusq; passioni, cùm sit per gratiam divinitus communicatam filius Dei, dignissimaq; (merito Christi) persona: quod si, sive cum gratia, adjungatur pia, & fervens animi devotio, sive sine ea, multò copiosiús prædicti fructus percipiuntur, jam de condigno, jam de congruo præsertim ex sacramentorum usu. Nam qui omni, qua potest diligentia, devotione, ac puritate mentis sacrosanctam percipit synaxim, amplissima refert dona, majoraq; quàm referunt alii, qui non ita benè ad eam se disponunt teste S. Paulo, qui prima Cor. 11. ideo multos debiles spiritu, tepidos, & semimortuos asserit, ab hac mensa redire, quòd non cum ea qua par est, conscientiæ puritate, ad illam accedant: *Qui, inquit, manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini, ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.*

Sectio. IV.

Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ creber, & devotus usus quam sit utilis.

35. QVo nomine, reprehensione sunt digni, qui non solùm exigua adhibita curâ, sed etiam raro admodum frequentant ea sacramenta, quæ ideo sunt instituta, ut sæpius iterentur, ad magnum gratiæ divinæ, & salutis incrementum; cujusmodi est pænitentia, & Eucharistia. Suntq; nonnulli in tam crasso errore, ac ignorantia, ut sentiant non esse confitenda, nisi peccata mortalia: Eucharistiam etiam non esse sumendam, nisi raro propter ipsius magnam excellentiam, & sanctitatem. Sed his sciendum est, quid de hac re teneat ecclesia catholica; quemadmodum de pænitentia inprimis refert S. Thomas 3 par. Q. 87. art. 1. & 2. in corp. ubi ostendit sola venialia saluberrimè subdi sacramento penitentiæ, quod quoties fit, semper nova amplior q; infunditur gratia, dona item & virtutes, gratiæq; sacramento huic propriæ, communicantur, per quas magis, ac magis roboratur mens ad resistendum diabolo, & ad tentationes peccatorum superandas.

Illud etiam ijdem ſcire debent, quòd ſi tantùm mortalia velint confiteri, peractaq; una, verbi cauſa, pro paſchate exomologeſi, quo tempore omnes eccleſię præcepto, qui conſcij ſunt mortalis culpæ, obligantur ad confitendum, ſicut & in periculo mortis, ne in malo ſtatu decedant, ut ſcilicet ſanctè communicent, putent, non repetendam aliam confeſſionem, niſi priùs admiſſis mortalibus, & admittant ideo, ut habeant neceſſitatem confitendi; Si, inquam, ita ſentiant, inprimis indignos ſe ſacramento penitentiæ, & fructu ejus reddunt: nam qui non habet propoſitum vitandi deinceps quęvis mortalia, non poteſt licitè,& validè abſolui in conſcientię ſacramentali, & divino foro; ſicut certè neq; in foro humani judicii cenſeretur dignus veniâ, exempli gratia, fur, aut graſſator, qui publicè fateretur ſe velle iterum furari, aut cædere homines. Quod ſi quis non habeat quidem deliberatum propoſitum, mortalia iterum committendi, redeat tamen, & non ſemel ad eadem prorſus peccata; neq; is dignus erit abſolutione tanquam recidiuus, & in eadem divina offenſa ultro permanens. Vt ergo ab hac indignitate, & ab aliis multis liberi ſimus ſalutis periculis, minora quæ vocamus venialia ſæpius clavibus, & poteſtati ſubdenda ſunt, quam Chriſtus idcirco paſtoribus eccleſiæ commiſit illis verbis Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, ut non ſolum ſceleratos, perfidos, & turpiſſimorum criminum ſordibus contaminatos mundent, Deoq; reconcilient; Sed ut etiam leves maculas, rugasq́, de facie animæ detergant, quò efficiant tales, quales vult habere auctor hujuſce poteſtatis teſte S. Pau. ad Epheſ 5. *Chriſtus inquit, ſe ipſum tradidit, pro eccleſia, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* 36.

Hæc ſunt certa in eccleſia de ſacramento Penitentię: quod ad ſacroſanctam attinet Euchariſtiam, de ea idem S. Thom. 3. parte. Q. 80. art. 10. communem eccleſię affert doctrinam, nempe laudatiſſimum eſſe, quàm ſæpiſſimè ſumere divinum hunc panem, modo ſemper debita; & condigna adſit præparatio, quæ in duobus ſita eſt. Primò in puritate animæ, ut non ſit ſubdita alicui mortali culpæ; indigniſſimum enim eſt, & prorſus nefandum peccatum (quæ ſola apud Deum eſt fæditas) tale præſertim, admiſcere velle fonti omnis puritatis, execrandum quoq; os, pectusq; hoſtile, quod præſumat ſumere venerandam buccellam comite Sathanâ, ut de Juda teſtatur Joan. cap. 13. *Poſt buccellam* 37.

 introi-

introivit, in eum Satanas: Alterum quod ad dignam confert præparationem, est studium devotionis, nimirum, pia tantę rei consideratio, desiderium quàm dignissimè eam sumendi & maximè charitas Christi, ideo se ipsum in viscera nostra intromittentis, ut illi strictissimo amoris vinculo cohæreamus; tandem oratio à Deo suppliciter postulans vires, & gratiam rem tantam dignè usurpandi. Aliqui etiam præmittunt vel jejunium, si rariùs communicant, vel aliquam (saltem vesperi pridie communionis) abstinentiam rei cujuspiam, ut faciunt qui sæpius hac cœlesti reficiuntur mensa.

38. Beatus Aloysius Gonzaga è nostra societate juvenis sanctitate clarus, inter alia devotionis erga sanctissimum hoc sacramentum exercitia, hoc quoq; adhibuit, ut in ejus vita refert P. Ceparius. Ante sumptionem singulas sacrosanctæ Trinitatis adibat Personas, petendo ut dignè illud susciperet corpus, in quo Trinitas cum tota sua divinitatis inest plenitudine, ut scribit S. Paulus ad Colos. 2. Idem faciebat post sumptionem, ijsdem Personis gratias agendo. Exercitium hoc potest vel in tres partiri dies, si communicetur rariùs vel in stata unius diei tempora, si quotidie fiat communio, ut faciunt pleriq; sacerdotes: multumq; addet momenti, devotio ad Deiparam quoq;, tanquam ad eam, è qua corpus illud acceptum est, nobisq; in cibum relictum, ut illa apud singulas divinas personas, id quod cupimus sua nobis conciliet, & auctoritate tantæ Matris, & charitate piæ in nos clementiæ.

39. Quæ dico de frequentia pro cujusq; statu, ac dispositione, & de devotione in sacramentum hoc, nulli videbitur aut nimium, aut operosum, si meminerit hanc esse inter omnia sacramenta differentiam, ut in isto uno sit ipse fons bonorum Deus, in aliis sex rivi de fonte decurrentes. Cæteris mundamur à peccatis, contra tentationes munimur, & ad quædam operanda instruimur, simul etiam divinæ gratiæ sortimur supernam amicitiam; in hoc adest, qui & illa dat, & seipsum in vitalia insinuat viscerum, ut Deo vivamus, Deo nutriamur, Deo crescamus, ex Deo operemur, ex Deo resistamus, ex Deo vincamus, in Deo maneamus, & Deus in nobis, ut ipse Joan. 6. affirmat. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*, ut tandem ita invicem uniti, in æternum non separemur ab invicem.

40. Hac de causa tanta fuit in sacrosanctam Eucharistiam primitivæ ecclesiæ pietas, fervorq; charitatis, ut, quemadmodum cibo communi quotidie vescimur, ne deficiant corpora; ita & hac divinissima escâ

quo-

quotidie se reficere consueverint fideles: id quod pręter historias ecclesiasticas constat ex Actorum 2. *Erant, inquit Lucas, perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Mox deinde subdit, quàm crebra fuerit illa fractio: *Quotidie perseverantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem.* Non deerant quoq; permulti, qui, ut refert S. Thom. 3. par. Q. 80. art. 9. ad 3. infantibus prębebant Eucharistiam, nolentes tenellam etiam illam ætatem divina fraudari vitâ, ut ne infantię quidem tempus, vacuum esset ab incremento ejus.

Quod ad nostra tempora attinet, cujusq; in animam suam pietati, & charitati in Christum est hoc committendum, neq; aliud puto dicendum, quàm quod olim dicebat S. Augustinus sermone 28. de verbis Domini: Accipe, quod quotidie tibi prosit: Vt verò sciamus, cui hoc dicat, subdit; sic vive, ut quotidie merearis accipere: Itaq; etiam frequentia Eucharistię consulenda, sed simul vitę suadenda bonitas, quam sup. num. 37. & 38. descripsimus, ut ea nos tanto mysterio dignos reddat. De aliorum sacramentorum frequentia nihil dicimus, cùm vel semel, vel certis temporibus sint usurpanda.

Sectio V.

Qui sint fructus venerandi Sacrificij Missæ & primio ex opere operato.

HVcusq; diximus de bonis quę nobis sacrificium Jesu Christi tum 41.
in cruce cruentum, tum in cœna ultima, & quotidiana apud nos memoria per sacramentorum usum, amplissima largitur; restat, ut de ipsius sacrificii agamus fructibus. Et illud quidem, sacrificium crucis meruit nobis omnia suâ pręstantiâ, & dignitate; sufficientissimè etiam satisfecit pro culpis, & pœnis, deniq; impetravit omnia; & tam meritum, quàm satisfactio, impetratioq; excellentissimè omnia nobis pręstitit, nempe summè de condigno; non ita tamen, ut nihil operando illa consequeremur; id quod demonstratum est in ipsis latronibus cum Christo pendentibus, quorum unus consecutus est salutem, quia ad illam se fide, & pęnitentia comparavit, alter, qui nihil fecit, damnatus est Itaq; voluntas est Salvatoris, ut virtutem illius sacrificii nobis appli-

cemus, nunc quidem post consumationem ejus, per usum tum sacrificii memoriæ perennis, quemadmodum ipse præcepit: *Hoc facite in mei memoriam*, 1. Cor. 11. tum per usum sacramentorum. Et de sacramentis jam diximus, superest aliquid de sacrificio quotidiano dicere, quod ex vetustissima ecclesiæ consuetudine missam vocamus, ut refert S. Augustinus qui serm. 9. de temp. ejus meminit: In lectione, inquit, quę nobis ad missas legenda est, cujus nominis non alia est notio, quám quod significet missionem, seu dimissionem populi, post peractum sacrificium.

42. Vt autem intelligantur præstantissima, quæ nobis sacrificii hujus beneficio conceduntur bona, tria sunt in eo distinguenda, ut communiter docent Theologi cum S. Thoma. Q. 83. præsertim Suarez, in hunc locum Tom. 3. disp. 79. paulò enucleatiùs, & minutius ea referemus, ut bonorum, & quàm ferax sit hoc divinum mysterium, constet quod. quod in quotidiano (& utinam sancto) est fidelium usu, ac frequentia.

Primum igitur est id, ad quod vi ac instituto suo ordinatum est, ut nobis conferat ex opere operato, sicut conferunt sacramenta: id autem quod sic sacrificium confert explicat S. Paulus ad Hebræos 5. cum inquit: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, quę sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*. Quo loco planè probat Christum sacrificare, quod fusius ostendit cap. 7. Itaq; sacrificium hoc pro peccatis offertur. Porro in peccato quovis duo sunt, culpa, videlicet, & debitum pęnę pro illa; hoc sacrificium non est institutum, ut remittat ex opere operato culpam, sicut, verbi causa dimittit baptismus, aut pænitentia, sed ut satisfaciat pro pæna ut tenent omnes Theologi cum S. Thoma 3. parte Q. 79. art. 5. Licet enim infiniti sit valoris, & dignissimum, quod omnia nobis præstet, culpas tollendo, gratiam, & gloriam conferendo, & quidvis prorsus dando, minimè etiam nobis cooperantibus; tamen ad ordinatissimam divinę sapientię providentiam spectabat, modum, & rationem imponere, qua nobis hoc divinum prodesset mysterium, reliqua, sua etiam certa ratione, sacramentis committendo. Itaq; non remittit hoc sacrificium, ex vi operis peccata, infundendo gratiam, quæ illa deleat; alioquin frustra esset baptismus, & pęnitentia; sed reatum pęnę duntaxat peccatis debitum: Sicut enim ipsum sacrificium cruentum non dimisit peccata latroni bono, absq; ejus dispositione, ita hoc sacrificium incruentum, quod est memoria prioris, non dimittit peccata, nisi per sacramenta, & piam peccatoris dispositionem.

Quia

Quia tamen missa pro peccatis offertur, ut scribit S. Paulus ad Hebręos 5. pęnam illis debitam aufert, & hanc in certa aliqua, à divina providentia definita quantitate, id enim ad debitum pertinet ordinem.

Sectio VI.

Cur pæna debeatur peccatis.

NOn prius hic primus fructus venerandi sacrificii bene innotescet, 43.
quàm intellectum fuerit, quæ sit necessitas luendę post peccata pænæ, quam S. Augustinus tom. 9. Tractatu 124. in cap. 21. Joannis altè, ut solet, exponit his verbis: Nunquid non tentatio est vita humana super terram, in qua quotidie clamamus ad Dominum: Libera nos à malo, cogitur homo tolerare, etiam remissis peccatis; productior est enim pœna, quàm culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pæna. Ac per hoc, vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. Duas causas assignat Sanctus Pater pænæ pro peccatis etiam dimissis, tertia servit exercendæ virtuti, quæ interdum potest separari ab omni culpa, quanquam prima ut mox videbimus in illis quoq; assignanda est, quibus non est dimissa culpa. Prima igitur ex dictis causa pœnæ est, demonstratio debitæ miseriæ, id quod non minùs altè explicat S. Thomas 1. 2. Q. 87. art. 1. 6. & 7. ubi docet res omnes ita constitutas esse, ut omne contrarium patiatur à suo contrario, tantoq; magis, quantò magis unum adversatur alteri; unde, inquit, calida aqua citiùs congelatur, eò quod magis frigori adversetur circumstanti. Jam verò cúm is qui peccat adversetur Deo, invertendo ordinem debitæ supremo Domino subjectionis, tum conscientiæ, repugnando dictamini ejus, postremò legibus, si quando prescribuntur, positivis obsistendo: sequitur, ut omnis peccans ab his tribus debeat pati, à Deo, à conscientia, & à conditoribus legum. Atq; hoc est quod dicit S. Augustinus peccantem debere puniri, sive remissa jam, sive nondum culpâ, ob demonstrationem debitæ miserię; debitum enim est, ut qui oppugnat rectum à divina sapientia institutum rationis ordinem, per miseriam culpæ, subjaceat alteri miseriæ pænæ. Rectè autem

tam

tam culpa, quàm pœna appellatur miseria, & malum; miseria enim est defectus cujuspiam rei, unde miseremur non habentibus necessaria; malum quoq; est defectus boni ac entis, ut docet S. Thom. 1. par. Q. 14. art. 10. in corp. & cum eo omnes: quare culpa est miseria, & malum, quia privat bono honesto; pœna etiam est miseria, & malum; quia privat bono jucundo. Vtraq; hęc miseria, inter alia per hoc ab invicem differt, quòd culpa sit voluntaria; nemo enim involuntariè peccat (imò tamdiu abest peccatum, quamdiu abest libera voluntas) pœna autem involuntaria, eò quod peccans cogatur illam sustinere, etsi nolit.

44. Itaq; peccata tum Deus, tum conscientia, tum legum latores puniunt; & hi quidem puniunt caducorum privatione bonorum, sensu doloris, ac morte corporis, istis enim principes politici dominantur, & qui legibus eorum præjudicat, in his non permittit se ab illis regi. Conscientia punit remorsu crucïantis dictaminis, eò quòd peccans non sequatur dictamen rationi favens. Postremò Deus punit tum in bonis externis, tum in bonis corporis, tum in anima, & tam in hac vita, quàm in futura, neq; ad tempus solùm sed & in ęternum, cùm leges solùm in hac vita puniant, conscientia etiam non nisi tum, cùm peccatum nondum dimissum est. Hanc talem pœnarum diversitatem, optimè declarat S. Thomas citata illa parte. 1. 2. Q. 87. art. 2. in corp. nam defectus in principio, solet esse irreparabilis, ut patet si quis amittat oculum, principium videndi, nequit jam videre nisi Divina vi adjutus, quod si catarrho impediatur à videndo, facilè redit videndi facultas. Quoniam verò Deus est principium omnium, cætera ab illo, ut à fonte rivi, quoniam etiam ille est finis ultimus omnis creaturæ rationalis, in quem illa tendere debeat per amorem, & ei cohærere, omnesq; suas operationes illo moderari, tanquam regula, & primo principio (finis enim in moralibus, principium est operationum, ut docent Philosophi) quoniam, inquam, hæc ita se habent, sequi oportet, ut Deus, cui tanquam principio repugnat peccans, maximè omnium debeat punire & nisi illius singularis vis, ac divina succurrat potentia, miseria sive culpæ, sive pœnæ, nunquam essent reparabiles; hoc est, nunquam culpa, pœnaq; illi debita esset dimittenda. Hoc tamen potissimùm de culpa mortali, & de pœna illam consequente intelligendum, nam peccans mortaliter directè contra suum principium Deum agit; peccans autem venialiter, solùm deviat nonnihil, non omnino rectè ad ultimum collimando finem, ut ibidem docet S. Tom. art. 5. in corp.

Atq;

Atq; hæc est causa, ob quam illi, qui in mortali peccato ex hac vita decedunt, neq; dum vivunt recurrunt ad divinam potentiam, ac misericordiam (in sacramentis, sacrificioq; quodammodo latentem) in æternum puniuntur; quia, scilicet, principio omnis boni, ac felicitatis Deo privati, in alterum migrant mundum, qui immutabili Deo decreto servit, non reparando eo, quod amissum est; sed puniendis miseris, quia amissum est, quemadmodum testatur præco Judicis Christi Sanctus Paulus ad Hebræos 9. Statutum est hominibus semel mori post hoc autem judicium. 45.

Quod igitur Deus in futuro mundo pro culpa gravi puniat in æternum plus quàm certum est, & ipse Christus testatur de Epulone Luc. 16. De omnibus quoq; in fine mundi damnandis Matthæi 25. 46.

Quod item puniat in futuro mundo ad tempus in purgatorio, hoc quoq; perinde est certum apud Orthodoxos, & supra ostensum est hac parte cap. 10. á numero 60. Quod deniq; in hoc mundo ad tempus puniat, compertum etiam est; atq; omissis ex sacra scriptura innumeris testimoniis, unum hic sufficiat Christi, qui ut scribit Joan. cap. 5. Sanato à se ægro ab infirmitate, qua 38. annos detinebatur, sic dixit: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.

Ex quo testimonio duo catholica inferuntur dogmata, prius, quòd Deus hîc etiam pro peccatis puniat, ut punivit hunc ægrotantem 38. annis: posterius, quòd unusquisq; peccans, pro quantitate culpæ, puniatur à Deo, tum in hoc sæculo (nam iste æger monebatur à Christo ne plus peccaret, alioquin si id faceret, gravius hîc, puniendus) tum in futuro, nam & hoc idem æger potuit sibi timere minante Christo graviores scilicet, futuræ vitæ pænas, si ampliùs peccaret. Quanquam sunt alia clara testimonia, quæ in futura vita ostendunt pænas, & tormenta æquari peccatis; ita enim testatur sapiens cap. 6. Judicium durissimum his, qui præsunt fiet, potentes potenter tormenta patientur: & Apocalyp. 18. Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantùm date ei tormentum, & luctum. 47.

Et quoniam horrendum est incidere in manus Dei viventis, inquit Paulus ad Hebręos 10. scilicet, puniri ab illo in alia vita, prętertim quamdiu ille vivit, id est in ęternum; potius sancti eligunt, & petunt, ut hîc ad tempus castigentur, quod bene probat S. Augustinus Tom. 4. lib. 2. Q. supra Exodum Quęstione 150. expendens illud responsum Exodi 33. datum petenti Moysi, ut Deus comitaretur populum in terram 48.

promissionis pergentem: Non ascendam, inquit Deus, tecum, quia populus duræ cervicis es, sed mittam Angelum meum. In quæ verba sic Augustinus: Magna sacramenti, & mira profunditas, tanquam misericordiam majorem posset Angelus habere, quàm Deus, qui populo duræ cervicis parceret, cui Deus si cum illis esset, ipse non parceret, & post pauca addit: Esse Deum, cum duræ cervicis hominibus, nihil est aliud, quàm vindicando adesse, atq; puniendo; unde cum eo modo malis non adest, parcendo facit quod pertinet ad illud quod dicitur Psal. 50. Averte faciem à peccatis meis, quia nisi advertit, avertit. Quibus verbis ostendit S. Augustinus Deum eos post mortem graviùs pro sceleribus puniturum, quibus hîc parcit; unde Moyses instabat, ut comitaretur populum, hîc potiùs, quàm ibi puniendo; & David petebat, ut Deus averteret oculos in futura vita à peccatis, quibus æterna deberetur pœna, satius autem converteret ad eadem in hac, puniendo, & corrigendo illa.

49. Quanta vero sit, & quæ divinæ justitiæ severitas, rigorq; in exigenda pœnę quantitate, sive in hoc, sive in futuro sęculo, tum à priori, tum à posteriori, ut cum Philosophis dicam, facilè demonstro. A priori quidem, seu ex natura rei inde patet, quòd in peccato ut docet S. Tom. 1. 2. Q. 87. art. 4. in corpore: Sint duo, aversio scilicet à Deo infinito bono, & conversio ad bonum creatum, finitum, quæ conversio finita quoq; est, quia creatura est, omnis enim res creata, ut ibidem docet S. Thomas, definita, & limitata est in sua perfectione. Hæc igitur cùm certa sint, sequitur ut Deus, pro proportione culpæ, conversionem finita castiget pœna, aversionem infinita; illa vocatur pœna sensus, seu doloris ab igne cruciante, hæc, pœna damni, privatio videlicet Dei, qui est infinitum bonum: in quo autem sita sit hæc privatio, intelligetur ex libro 3. cum agetur de possessione ejusdem. Quantus tamen sit dolor ille sensus, & quàm acerba tristitia ex illa privatione consequens, (etsi nec dolor, nec tristitia in se infinita sint, quia creaturæ sunt) ipse novit, qui omnia in mensura, & numero & pondere disposuit, Sap. 11. gravissimas certè, & acerbissimas eas esse, pœnas constat ex sapientia divina, infinita perspicacitate culpas trutinante, modumq; castigandi adinveniente, quem par, id est infinita potentia, efficaciter exequitur. Deniq; eandem mętitię acerbitatem ipsa tanti, nempe infiniti boni privatio indicat; quo enim est majus bonum, eò amissio ejus magis cruciat. Et quod dicitur de æterna pœna, idem suo modo de temporanea, pręsertim

tim

tim in futura vita intelligendum est, eam quoq; valde acerbam esse, ob similes causas.

Jam quod ad alterum genus demonstrandi gravitatem Divinæ pœnæ attinet, à posteriori scilicet, & ab effectu, in quo se Dei manifestavit justitia; in hac quidem vita plurima sunt divinæ scripturę exempla, nobis mira, & quæ vix concipi possunt, propterea quòd Deus levia aliàs peccata, vel graviora, sed jam dimissa, & quidem magnis suis quondam amicis, satis acerbè flagellârit. Quantùm fuit primos duos homines Deo carissimos, atq; innocentissimos, semel comedisse pomum in paradiso vetitum, Gen 3. illud tamen etiam condonatum jam, in fæmina quidem parturiente, graui dolore partûs, in mare verò, simul & fæmina, tot castigatur duris flagellis, quot à condito genere humano, hucusq; miseri sustinuêre mortales, & usq; ad finem mundi sustinebunt post nos victuri, famem, videlicet, morbos, pestilentias, bella, frigora, incendia, pluvias, diluvia, deniq; (quis enim reperietur singulorum memor?) ipsam mortem. Qualis fuit illa culpa Num. 20 hæsisse nonnihil in educenda de petra aqua? & tamen tantus amicus Dei, S. Moyses, cum fratre suo etiam pio Aaron, propter illam, à terra promissionis exclusus est, ad quam 40. annis, multo suo labore profectus erat, totamq; Hebræorum duxit multitudinem. Relinquo talia in scriptura sine numero, quę graves continent pœnas hujus vitę: in futura quoq; non desunt plurimæ historiæ ab Ecclesia receptæ, quę probant acerbissimè puniri animas in purgatorio ob leves etiam (nostro judicio) culpas. Vnum hîc adduco evidentissimum incomparabilis gravitatis, à posteriori argumentum, quòd quivis in letali culpa decedens damnetur in inferno, sine ulla unquam evadendi spe; id quod cum angelis malis jam factum testatur Joannes Apocal 12. cum Juda, Dominus Matt. 26. & S. Petrus Act. 5. cum Epulone item Dominus Luc. 16. Idem cum reliquis malis factum, & faciendum legimus Matt. 25. 50.

Itaq; gravissime à Deo peccantes puniri, nemo non scit, qui hæc scit, & id quidem totum ob illam primam causam à S. Augustino supra allatam, ad manifestandam scilicet debitam hominum miseriam. Alteram ibidem assignat idem Pater, propter quam delinquentes puniuntur, esse emendationem labilis vitæ. Hujus quoq; causæ optima explicatio potest accipi ex S. Thoma 1.2. Q. 87. a. 6. 7. 8. in corp. ubi advertit in pœna triplicem notari considerationem, Primò quòd sit purè pœnalis, hoc est molesta, & contra voluntatem sustinentis. Secundo quòd sit satis- 51.

satisfaciens, pro peccato, & voluntariè suscepta, etsi ex ea parte, quæ est molesta, sit contraria naturæ, & voluntati etiam naturæ se conformanti, unde solet dici, secundùm quid sustinenti contraria: Tertiò quod sit medicinalis, instruens hominem, reddensq; cautum, ne consentiat culpæ, quæ pœnæ inducit reatum. Pœnam igitur, ut est purè pœnalis, exigit debita peccantis miseria; ut autem est satisfaciens & medicinalis, ea tum injungitur sponte suscipienti, tum ultro acceptatur ad emendationem labilis vitæ, ut & pro pręteritis fiat satis, & in futurum tanquam pharmaco quodam, seu medicina præservante caveatur à lapsu. Itaq; tam satisfacientes, quàm medicinales pœnæ sunt eæ, quas quisq; sibi pro peccatis imponit, jejunando, corpus castigando, animam meditatione mortis, judicii, & inferni affligendo. Tales etiam sunt pœnæ, quas quisq; assumit impositas à confessario, post susceptum pœnitentiæ sacramentum. Deniq; hujusmodi sunt, omnes pœnalitates inductæ in genus humanum, per peccatum in paradiso primorum parentum: quas qui pœnitenti, piaq; acceptat voluntate, non solùm fert ut purè affligentem pœnam, sed etiam ut medicinam, imò & satisfactionem pro culpis à se admissis, in quibus cupit emendari.

52. Has easdem pœnas, ut continent vim satisfaciendi, & medendi, non solùm pro se quisq; potest ferre, sed etiam pro alio, per modum suffragii, ut dicunt Theologi, applicando aliis fructum satisfactionis, & hac applicatione suffragando eorum commodo: omnes enim, quemadmodum docet S. Thom. loco supra citato, a. 8. in corp. sunt invicem unum, non tam naturæ unione, quàm charitatis Christi, quę unio efficit, ut unus alteri possit suffragari, præstareq; quidpiam, quo illum à debito satisfaciendi liberet, & simul illud idem in ipsius sumat medicinam, nempe ut sit cautior.

53. Postremò tertiam causam pœnæ assignat S. Augustinus, exercitationem necessariæ patientiæ; cùm enim vitio primorum parentum in exilium è paradisi patria, ablegati simus, multa nobis ferenda sunt in terra aliena; & quibusdam duplici titulo ferenda, aliis uno duntaxat. Nam qui parentum culpæ originali necessitate obnoxii sumus, propriasq; nostra voluntate, & novas superaddimus culpas; non solùm propter patientiam exercendam pœnas sustinemus, tanquam exules; sed etiam propter illas duas causas, miseriam scilicet, & emendationem, tanquam pręvaricatores. Alii qui nullius culpę sunt conscii, quales duo sunt tantùm tulêre Christus, & Mater ejus, uno duntaxat titulo pænas, nimi-

nimirum propter exercendam patientiam. Quanquam ad hos, quidam magnorum sanctorum accedunt interdum nonnihil; ubi enim pro suis culpis ita satisfecerint, ut nihil pro illis in hac, vel futura vita lugendum habeant, quidquid patiuntur, propter patientiam patiuntur, & si volunt, possunt illud idem simul offerre ad satisfaciendum pro aliis.

Sectio VII.

Quæ sit origo & necessitas indulgentiarum.

ATq; hinc evidenter deducuntur duo. Primo maximam esse & utilitatem, & necessitatem, sacrosancti sacrificii à Christo in Ecclesia instituti: cùm enim pœna debeatur peccatis jam dimissis, & quidem tanta, quantam videmus; ægrè homo satisfacere posset exactissimæ divinæ justitiæ, cogereturq; plurimas, gravissimas, & tota pene vita malorum sustinere clades, ac nihilominus rarus (nimirum qui sępius, & non leviter Deum offendit) satisfaceret plenè, sed ad futuram vitam differendus esset, ut in purgatorio non tam satisfaceret, quam satispateretur, adæquata culpæ pœna. Vbi enim non est merendi locus, sed forum justitiæ, non potest offerri benigna, promptè acceptata satisfactio, sed sufferenda est imposita, pro quantitate culpę pœna, seu satispassio. Quapropter ut peccatores liberi sint ab hoc tanto pœnarum reatu, juvantur venerandi sacrificii applicanda, ex opere operato, satisfactione. 54.

Cùm vero ut jam dixi excrescant debita luendarum pœnarum, quas neq; sacrificium tollit, non quod non possit, (infiniti enim valoris est) sed quod ut supra num. 42. notavi, ad ordinatissimam divinæ sapientiæ providentiam spectet, determinare rationem certam, & definitam, qua illud tribueret satisfactionis quantitatem. Cùm ergo multa crebrò incurramus ejusmodi debita, à quibus neq; sacrificio, neq; aliorum piorum operum exercitatione possimus liberari, recurrendum est ultimò ad indulgentias, quarum in Ecclesia catholica esse sanctum, & utilem usum, certum, & indubitatum est, quidquid, ut variè solent, garriant hæretici. Etenim Christus promittendo claves regni cœlorum Petro Matth. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum, & eas conferendo Joan. 21. illis verbis: Pasce oves meas, scilicet, clavium potestate; aliis etiam 55.

tiam Apostolis, & in iis, ac per eos, quibusvis Episcopis, ac sacerdotibus concedendo jus absolvendi à peccatis per sacramentum pœnitentiæ Joan. 20. quando dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur, plenam dedit potestatem, tum à culpa, tum à pœna liberandi. Cùm igitur in sacramento pœnitentiæ non semper tota dimittatur temporalis pœna, ut vidimus sup. num. 32. illi qui habent claves aperiendi cœlum, habent potestatem totam sive culpam, sive pœnam dimittendi; quia nisi utrumq; hoc tollant, nullus ingreditur cœlum (beneficio clavium à Christo concessarum, & potestatis) nimirum in quo nulli sunt, culpæ aut pœnę rei, sed omnes asserti in libertatem gloriæ filiorum Dei, ut testatur Paulus Rom. 8. Itaq; plenitudo potestatis aperiendi cœlum exigit, ut pastores Ecclesiæ sicut possunt omnem culpam auferre, ita possint & omnem pœnam. Verum tamen est, potestatem hanc in supremo residere Ecclesiæ capite vicario Christi, & ab eo in cæteros, pro ejus arbitrio derivari, ut omnes in Ecclesia catholica docent: Significat enim consummatam ejus plenitudinem, quę debetur plenam habenti & supra alios potestatem) indulgentia igitur nihil aliud est, quam concessio pastorum Ecclesiæ ut quis liberetur à pœna temporali, in foro conscientiæ, & coram Deo debita.

56. Usus indulgentiarum, nunc est crebrior, quàm fuit olim; ante enim fervente Christi in fidelibus charitate, graves injungebantur pro peccatis pœnitentiæ, quibus fiebat satis pro illis; unde pro uno mortali peccato septem aut plures etiam anni, cum varia afflictione carnis imponebantur. Jam nunc refrigescente charitate, modicas ægrè acceptant, magni etiam peccatores pœnitentias, cui ægritudini indulgentiæ afferunt remedium, ita tamen ut pro consequendis iis, aliquid agendum sit, ne prorsus in abusum deveniant, & assuescant fideles omnes non omnino abjicere pœnitentiarum satisfactiones.

57. Illud autem hîc prius advertendum ut meliùs intelligatur vis indulgentiæ, quod ea concedatur ad tollendas temporales pœnas duplices, hujus scilicet, & futuræ in purgatorio vitæ, quæ tamen non possunt esse sibi pares. Nam post mortem rigor divinæ justitiæ exactissimè punit, & anima extra corpus posita apta est (nimirum immortalis) gravissima pati; hîc verò est misericordiæ locus, & anima in mortali corpore adhuc degens, nequit nimis dura ferre, alioquìn illud mox deserit. Itaq; purgatorii pœna, verbi causa, decem annorum, multò est acrior, quàm hîc totidem, vel plurium; nisi fortè illa sit valde levis, & hæc acerrima, qualem

lem toleravit Christus, Mater ejus, & nonnulli sancti, sed quod ordinarium est, dicimus futuræ vitæ graviores esse pœnas. Indulgentia ergo tum hujus, tum futuræ vitæ remittit pœnas duplici ratione, interdum omnes planè, cùm datur plenaria; aliquando partem, cùm ad certos pœnarum annos, hujus, aut futuræ vitæ determinatur.

Vt verò consecuturus eam sit certus, duo adesse debent, digna scilicet ipsius dispositio, & sufficiens piaq; causa, quæ moveat potestatem habentem ad concedendum illam. Dispositio est duplex, una quæ semper adesse debet, & talis est dimissio peccati, statusq; gratiæ: nam, ut alias dixi, nemo est dignus condonatione pœnæ, nisi qui jam offensæ obtinuit veniam. Alia dispositio, quæ interdum requiritur, est operatio quæpiam à concedente indulgentiam injuncta, ut est oratio, templi visitatio, & similes sanctæ actiones, quæ non semper requiruntur; interdum enim, ut morienti, verbi causa, sine ullo tali opere datur indulgentia. Jam causa pia in concedente requiritur ex eo, quia cùm pastores ecclesiæ debeant esse teste S. Petro 1. Petri 4. boni dispensatores gratiæ Dei, ut ministrent tanquam ex virtute, quam administrat Deus quo in omnibus honorificetur; non pro libito suo, aut cujuspiam alterius hac potestate uti debent: Sed ad honorem Dei, nempe quando, vel publica necessitas postulat, ut toti per orbem concedatur ecclesiæ indulgentia; vel cuipiam regno in necessitate constituto, vel personæ insigni bene de ecclesia, aut de republica meritæ, vel ob similem rationem. Porro tanta est causæ piæ necessitas, secundùm omnium Theologorum, (quos citat Suarez Thom. 4. in 3. part. Divi Thom. Disp. 54. sec. 2.) sententiam, ut si ea defuerit, vel non tanta sit, quanta prudenti arbitrio sufficiens esse possit; irrita sit indulgentiæ concessio, nullumq; sortiatur effectum. 58.

Concessio, seu dispensatio jam explicata indulgentiarum, datur ex thesauro in ecclesia recondito: Salvator enim vitâ, & passione sua, triplicia nobis comparavit bona; merita scilicet, impetrationem, & satisfactionem, quæ reliquit in usum suæ sponsæ ecclesiæ sanctæ, filiorumq; ejus, ut pro cujusq; necessitate, ac supplici recursu, dispensatores illa partiantur. Eidem thesauro accedunt sanctorum quoq; merita, impetratio, & satisfactiones, quæ vel vivi adhuc obtulerunt pro aliis, sed non sunt certas ob causas consecuta effectum; vel tanta fuerunt, ut ipsi eis non eguerint; verbi causa, plùs satisfecerunt, quàm merebantur eorum peccata: vel deniq; dignitas eorum tanta est, apud majestatem Divinam, 59.

ut

ut plurima per illos mereri, & impetrare possimus. In his omnibus elucet Gloriosissima Virgo, quæ multa passa est, neq; egebat ulla satisfactione, nimirum, ab omni culpa immunis; tanta quoq; est ejus personæ dignitas, atq; excellentia, ut per eam innumera mereri, & impetrare facilè possimus, meritoq; de illa canit ex Sancto Augustino serm. 18. de sanctis Ecclesia: sentiant omnes tuum juvamen, quicunq; celebrant tuam sanctam commemorationem. His ergo tantis bonis in immensum excrescit thesaurus opum ecclesiæ, quibus ditamur, ut inquit S. Petrus Epist. illa 1. c. 1. Communicantes passionibus Christi, & aliorum sanctorum, scilicet, fundatis in passionibus Christi.

60. Et communicatio quidem hæc duplici peragitur via, prima est per usum potestatis, ac virtutis dispensatoribus à Christo concessæ: hac ratione pastores Ecclesiæ, dant indulgentias juridiciali prolata sententia, qua absolvunt nos à pœnis, sicut absolvunt, & à peccatis. Eadem virtus extenditur quoq; ad defunctos: nam cùm hi nequeant sibi prodesse per satisfactionem (sunt enim in foro justitiæ Divinæ, in quo satis pati, & injunctas pœnas luere debent) juvantur ab ecclesia usu completæ illius, ut supra dixi, potestatis, ut nimirum reatu pœnæ liberati, per eos, qui in foro misericordiæ adhuc constituti, succurrere illis possunt, cœlum ingrediantur. Et licet defuncti non absolvantur per sententiam à pœnis, ita ut vivi, eò quòd jam sint extra jurisdictionem pastorum Ecclesiæ, nihilominus tamen, per easdem potestate illa plenâ, & completâ, vindicantur à pœnis per modum suffragii, quod, ut explicat Suarez. 1. 4. in 3. part. Disp. Sec. 3. non in hoc est, quod pastores offerant solutionem pœnæ, relinquentes arbitrio Divino, ut eam acceptet, vel non: siquidem universalis est certa, ac infallibilis Christi promissio Ecclesiæ pastoribus data, ut quibusvis possint prodesse, sive vivis, sive defunctis, pœnarum solutione, hoc quippe sonant verba illa Christi; Pasce oves meas. Joan. 21. & alia supra citata. Neq; in hoc ratio suffragii consistit, quod indulgentia vivis, propter eorum pia opera concedatur, & per illos defunctis: etsi enim ita communiter fiat, tamen sicut uni vivo, potest concedi indulgentia per alium item vivum, operantem quidpiam boni, & non per modum suffragii, sed per sententiam pastoralem: ita posset etiam concedi defunctis, nisi ob hanc solam causam impedimentum esset, quia defuncti sunt incapaces solutionis pœnæ, per sententiam Ecclesiæ eò quòd sint exempti jam à potestate ejus. Quapropter, quando mortui juvantur indulgentiis à pastoribus concessis, ideò solùm dicun-

dicuntur juvari per modum suffragii, quia non per sententiam à pęnis liberantur, sed per oblatam sufficientem solutionem, promptam de thesauro ecclesię, & illis in certa quantitate applicatam, pro voluntate pastorum, & exigentia causę pię, quæ illos ad dandam indulgentiam movet: Sive hęc applicatio fiat per vivos, aliqua pia opera ad hunc effectum offerentes ut fit communiter; sive ipsis immediatè defunctis. Semper tamen certa, & infallibilis est illa applicatio; sed ex ea non licet inferre posse pro libito suo pastores ecclesię, quoties volunt, omnes defunctos à pœnis liberare purgatorii: ut enim supra dixi, ad concedendam indulgentiam, sive vivis, sive defunctis, requiritur sufficiens causa pia, pro cujus valore, ac quantitate, metienda est indulgentiarum quantitas, ut jam his, jam illis, jam pluribus, jam paucioribus prosit.

Secundò, fit illa communicatio satisfactionum, ex passionibus Christi, per vinculum charitatis, quo unita suo Salvatori, tanquam capiti membra, & ab illo participantia per dispensationem thesaurum, aliis, ut sic dicam commembris, sive vivis, sive defunctis, per modum suffragii (quanquam hoc potissimè defunctis servit, vivi enim vivis, ut plurimùm per sententiam lucrantur indulgentias) eundem applicant; quando vel ipsi illo non egent, vel licet egeant, charitate moti, aliis potiùs, quàm sibi succurrere malunt. Sicut enim potest unusquisq; fidelium orare pro aliis, ac satisfacere privatâ suâ voluntate, amoreq; in proximum, piè suffragando illi; ita potest accepta per dispensatores è thesauro Christi bona, quę sibi aliàs applicanda essent, aliis donare. Sed de his, atq; adeo de remissione per sacrificium pœnę, sit satis; cęteros ejusdem sacrificii fructus prosequamur. 61.

Sectio. VIII.

Qui sint reliqui fructus Missæ sacrificij.

PRæter hunc primum fructum ex opere operato sunt alii, qui operantem concernunt; cum enim sacrificiis actus sit infinitæ præstantiæ, tum in se, eò quòd offertur Christus Deus, tum in offerente principali, qui est etiam Christus Deus (alii offerentes minus sunt digni) sequi necesse est, ut sicut in aliis piis actibus tria includuntur bona; meritum, scilicet impetratio, & satisfactio, ita à fortiori, in hoc 62.

tam excellenti; atq; hoc est secundum quod in sacrificio isto considerandum est, nempe fructus, qui conceduntur utentibus illo, pro cujusq; tamen dispositione.

63. Porro dispositio est duplex, una quasi substantialis, qua absente, non omnia jam enumerata consequimur bona, neq; excellenti modo, id est de condigno, sed vel nullo modo, vel de congruo; & talis dispositio, est baptismus, fides, & charitas. Cùm enim hoc sacrificium sit memoria Christi in cruce pro nobis mortui, nullus autem grato, & amanti animo recordatur ejus, quem non novit; nec potest post mortem in aliquid relictum ab eo succedere, si ad illum non pertineat peculiari quapiam ratione, hoc est sanguinis affinitate, aut voluntate mortui; sequitur, ut qui non refertur ad Christum baptismo, fide, & quod præcipuum est charitate (per quæ sibi ille homines, tanquam ad cognationem pertinentes jungit, & copulat) non sit dignus bonis, in hoc sacrificio contentis, tanquam in instrumento quodam pacti, & fœderis, ultimęq; voluntatis testimonio. Quapropter Christus peragendo hoc sacrificium, usus est illis verbis Lucæ 22. Hic est calix novum testamentum in sanguine meo; quasi voluisset dicere: Nullus se quicquam ex bonis in tanto mysterio reclusis speret accepturum, qui non ad me, singulari ratione pertinuerit, fide, scilicet, baptismi regeneratione, & unione charitatis, tanquam verus meus hæres, & successor in hoc testamento comprehensus.

64. Itaq; infideles non baptizati, nihil bonorum ex hoc sacrificio percipiunt. Quia nimirum non pertinent ad Christum. Hæretici, etsi sint baptizati, cùm tamen fide vera careant, non noscunt illum tanquam suum, ad quem pertineant jure successionis, maximè cùm amittant omnia, quæ per baptismum fuerunt lucrati; nempe fidem, spem, & charitatem; ideo non percipiunt dictos fructus. Accedit huc, quòd pœnis, & censuris ecclesiasticis arceantur, ne intersint admirando illi actui; quod si permittantur adesse, & vel humana fide (divinâ enim carent) ac opinione putent se illo opere colere Deum; possunt sibi impetrare & mereri de congruo aliquid temporalis commodi, sicut quia tamen retinent baptismi characterem, possunt aliqua congruentia, mereri sibi etiam pœnitentiam conversionis, vel quid simile super naturale impetrant, merenturve per eleemosynas, aut alia bona opera naturalia. Quod ad catholicos attinet, hi, si carent charitate, eò quòd sint in mortalibus peccatis, non percipiunt remissionem pœnę, quæ datur à peccato jam

mun-

mundatis, & grato, ut dixi, atq; amanti animo peragentibus passi Christi memoriam, quales non sunt peccatores, qui teste Paulo, ad Hebræos 6. rursus crucifigunt sibimetipsis filium Dei. Quia tamen ijdem baptismi, fideiq; gaudent privilegio, possunt, & mereri, & impetrare de congruo, non solùm caduca bona, sed etiam spiritualia, ut sunt pœnitentia, castitas, & similia. Cæterum fideles, & grati Deo, omnes supra enumeratos percipiunt fructus: merentur igitur de condigno sibi gratiam, & gloriam, & insigni quidem gradu, ac copiâ, cùm tam insigne sit sacrificii opus; pari modo de condigno, satisfaciunt, pro pœnis, & pro culpis venialibus; deniq; de condigno impetrant varia beneficia spiritualia, ut sunt virtutes, auxilia, ad sanctè vivendum opportuna, & bona alia caduca ad salutem relata. Adhæc aliis quoq; possunt, saltem de congruo mereri, ac impetrare, tum spiritualia, tum alia beneficia; satisfacere item pro pœnis aliis debitis: dixi saltem de congruo; communiter enim Theologi docent, de condigno aliis prodesse soli competere Christo, qui venit, ut alios salvet. Atq; hæc nobis conferuntur per sacrificium, si simus, ut sup. num. 44. dixi, rectè quoad substantiam dispositi: est alia dispositio accidentalis, quę eadem bona cumulatiùs auget, fidei, nimirum, claritas, qua attenditur ad tantum opus cum stupore, & admiratione mentis; magna devotio religionis, amoris fervor, & similes, quò enim quisq; magis his præditus est, plura ex sacrificio percipit.

Postremum quod in venerando hoc sacrificio expendi debet, sunt offerentes, & hi quidem in triplici differentia, principalis est Christus teste S. Paulo ad Hebręos 5. citans Psalm. 109. Tu es sacerdos in æternum, ad Hebræos 9. ubi sic ait. Omnis pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur, unde necesse est, & hunc habere aliquid quod offerat. Alter offerens, minister, & instrumentum Christi, est quivis ritè ordinatus sacerdos; huic enim dictum 1. Cor: 11 Hoc facite in meam commemorationem. Sunt deniq; qui offerant, reliqui omnes, (etsi non sacerdotes) vtriusque sexus fideles, qui licet non offerant, vt ministri, tamen offerunt vt membra eius ad hoc ordinata, scilicet per ministros ejus, offert hoc sacrificium; ita singuli fidelium, ad idem aliqua ratione concurrunt in Ecclesia. Atq; id exprimit S. Paulus ad Hebręos 5. dum inquit: Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum; ad hanc constitutionem tota Ecclesia, & singuli concurrunt, Christus ut principalis, & sacrifi- 65.

cando, & ordinando alios ad sacrificandum, ministri, ut instrumenta tum ordinando alios, tum sacrificando; reliqui omnes è medio sui eos, qui sacrificent offerendo, deniq; concurrendo etiam ad ipsum sacrificium, cùm illi intersunt, & ut pro ipsis fiat, curant.

66. Et Christus quidem nullâ jam re eget, per sacrificium sibi applicandâ, cùm sit in statu plenitudinis, & copiæ omnium bonorum, verùm reliquis offerentibus applicat fructus sacrificij, pro cujusq; exigentia, & dispositione, id quod diversâ fit ratione. Nam sacerdotes qui sunt, & privati homines, & publici Christi ministri, duplicem referunt fructum; ut privati, unum, sibi debitum tanquam proprium; ut ministri, habent alterum, quem à Christo accepta potestate, possunt cui volunt applicare, pro quo sacrificium offerunt. Cæteri privati offerentes, uno duntaxat gaudent fructu sibi proprio, quem tamen si ex charitate volunt, possunt concedere proximo, sicut possunt orare, & piis actibus mereri de congruo, & satisfacere pro alio: qua etiam ratione, & sacerdotes, si ita volunt, possunt non solùm, ut ministri, ei pro quo offerunt, publicum communicare fructum, sed etiam ut privati, cum in hoc, par sit omnium privatorum ratio. Et fructus quidam hi offerentium, tum pro se, tum pro aliis, hac ratione cujusq; applicantur. Inprimis satisfactionem sortitur quisq; pro se, ex opere operato; sacerdos etiam, ut publicus minister, ex opere operato, aliis eam tribuit; meritum verò, & impetrationem de condigno, solùm sibi unusquisq; obtinere potest. Atq; tam satisfactio ex opere operato, quàm meritum, & impetratio de condigno, ijs datur duntaxat, qui sunt in gratia Dei; hi enim tanquam filij digni sunt, qui hoc, condigni jure, fructus illos percipiant, ut supra diximus, quòd si non sint in gratia, solùm de congruo impetrant, merenturq;, sive sibi, sive alijs. Posset quis dicere satisfactionem, ex opere operato item meritum, & impetrationem de condigno, non quidem dari tunc, cùm quis est in peccato mortali, sed differri, & quasi suspendi, ad illud usq; tempus, quo in gratiam cum Deo redeat, quemadmodum Theologi docent de effectu baptismi, in fictè sacramentum suscipientibus donec tollatur fictio. Verùm id incertum est, & ad scholas subtiliùs discutiendum remitto; tutiùs & certiùs illud quod dixi; nempe sacrificium ijs, qui sunt in peccato mortali de congruo prodesse. Quod verò ad eos attinet, pro quibus offertur sacrificium, de satisfactione jam dixi, eam à ministro Christi ex opere operato posse aliis applicari; reliqui fructus à quovis privato offerente, solùm de congruo alijs prosunt ut supra dictum est.

Quæ

Quæ autem sit quantitas & portio præfatorum fructuum qui debentur cuiq; offerenti, & ei pro quo offertur sacrificium. Num verbi gratia unum sacrum satisfaciat pro pœna in hac vita centum aut mille annorum, vel in altera pro pœna in purgatorio deceni aut centum annorum: Num impetret, & mereatur conversionem ad Deum, aut valetudinem corporis, vel negotij cujuspiam successum, & ita de cæteris, ille scit, qui tantum bonum in sua sancta Ecclesia instituere, ac relinquere voluit. Hoc solùm hîc certum habere possumus: quòd si de fructibus aliorum bonorum operum, ut de eleemosyna, jejunio & similibus tam multa, & præclara sint in sacra scriptura promissa, percipienda ab illis qui eis vacant; quid sperandum est ex hoc sacrificii opere, quod non solum est bonum, sed ipsum fontem omnium bonorum continet Deum? quid, inquam separandum sive offerenti, sive iis pro quibus offertur, quicunq; capaces sunt, ut pro illis offeratur? Sunt autem omnes capaces, qui nondum sunt in termino aut salutis, (hi enim nullo jam egent) aut damnationis, qui nequeunt jam juvari. Itaq; pro vivis adhuc, sive sanctis & piis, sive peccatoribus, fidelibus tamen, offerendum est hoc sacrificium, ut quisq; pro sua dispositione, de qua supra à num. 29. participet de bonis; quin & pro infidelibus, ac hæreticis potest idem offerri, privata intentione ut resipiscant, & caduca obtineant bona, qualis est victoria in bello sanitas, aut quid tale. Dixi, privata intentione id faciendum; nam publicè scandalum esset eos nominare, sicut nominamus fideles, reges, imperatores aliosq;. Ecclesia etiam prohibet pro hæreticis excomunicatis, & non toleratis in Missa supplicare. Tandem pro defunctis quoq; qui nondum sunt in termino salutis, sed purgantur, adhuc potest, & debet sacrificari. 67.

Ex his jam hactenus de tanto sacrificio dictis, aliquot velut corollaria deducenda; primò maximum esse opus, unicum in Ecclesia, & impar angelicæ dignitati, sacrificium Missę, nimirum, in quo idem prorsus peragitur in altari, & ab eodem planè, quod actum est in cruce: nam Christus Deus se Christum Deum offert pro hominibus ad Dei cultum & gloriam. Ne verò putet quis minùs nunc esse, quàm erat tunc, ex eo quòd nunc sit memoria Christi occisi: recolendum est, & præ oculis semper habendum, istam memoriam, non esse (ut sic dicam) mentalem, aut verbalem, ut nos solemus meminisse eorum, qui mortui sunt; sed esse realem: nam re ipsa corpus, sanguis, & totus Christus sistitur hîc, (ut apertè testatur S. Paulus 1. Cor. 11. aliiq; Evangelistæ) solùm in- 68.

 cru-

cruentè, & insensibili ratione. Quanta igitur tam ministrorum, quàm reliquorum qui adsunt sacrificio, requiritur reverentia! quantus stupor & admiratio! nam si cùm coronatur Rex, aut Imperator, aut Pontifex summus, attoniti homines stupent rei magnitudinem, mirumq; est, ac jucundum tale spectaculum; quàm magnum hic, quando Deus Deum Deo offert! quàm mirum, quándo offert tantus tantum pro vermiculis, quos uno fiat creavit! quàm jucundum, quando offert ideo, ut nobis id cedat, ad omnem præsentem utilitatem, & felicitatem æternam! Cœlorum incolę Angeli, quibus non est data, quemadmodum sacerdotibus, mysterium hoc peragendi potestas, turmatim descendunt de thronis suis, visuri in terris, hæc stupenda, & gratulaturi generi humano; id quod nonnullis sanctis revelatum est, qui tales spectatores inter sacrificandum viderunt, ut refert S. Chrisostomus lib. 6. de sacerd. aliiq;. Et certè videtur hoc significasse Deus figurâ veteris legis; jussit enim Cherubinos supra arcam testimonii, ad latera propitiatorii statuere, ut assisterent divino oraculo, ex quo dabantur responsa, & ante quod fiebant sacrificia, nostri unici, umbræ, & figuræ. Quot jam Cherubini, aliiq; ex aliis Choris spiritus adsunt, cùm vident non arcam, non oraculum, non propitiatorium ex lignis, auro, serico; non boves, & oves; sed ipsum horum, & suum Creatorem?

89. Hæc profectò qui studiosè perpendit, nunquam committet, ut dum tanta res peragitur, aliud faciat, aliudq; cogitet, quàm id unum, quod tunc fit. Non perpendunt ista, qui inter divina mysteria garriunt, vident negotia prophana, & politica tractant; forte etiam talia committunt, quæ neq: alibi agere expediret. Sacrificium quidem ipsum semper summè est Deo gratum, à quocunq; quomodocunq;, & quibuscunq; offeratur præsentibus; quomodo enim non gratus Deus Deo? hanc ob causam sacrificia quoq; veteris legis, grata sibi testatus est persæpe Deus, quia, scilicet, hoc unum referebant. Sicut tamen illa vetera dicebat se interdum non acceptare Deus, non quidem in ipsis, sed in iis, & propter eos, qui offerebant; ita prorsus etiam nunc crebro evenit, ut rem oblatam acceptet gratissimè, ingratissimis tamen oculis offerentes respiciat, dicatq; illud Isaiæ: cap. 1. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? ne offeratis ultra sacrificium frustra, iniqui sunt cętus vestri, solemnitates vestras odivit anima mea: & cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sangui-

guine (id est, ut omnes interpretantur) variis peccatis plenæ sunt. Tanti Deus fecit irreverentiam, quæ in sacrificiis vitulorum, caprorum, & boum committebatur; quanti jam faciet in se admissam?

Quod cùm verissimum sit, alterum, quod infero ex dictis corollarium est, ut sequamur Dei consilium per eundem Isaiam eodem capite datum omnibus sacrificantibus: Lavamini, inquit, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere; quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, & quæ sequuntur. Itaq; oblaturus hoc sacrificium ad duo debet advertere mentem, primò, quid habeat malorum, sive in corde, ac cogitatione, sive in ore ac perverso opere; deinde quid pro suo statu bonorum agere debeat: illud priùs auferendum, hoc ut deinceps agat, statuendum: Sic comparatus veniat ad fontem, ut inde hauriat immensa bona, pro se, suis, & quibusvis. Et sacerdotes quidem cùm duo agant, scilicet, sacrificent, & communicent; debent, maximè intuitu communionis (sicut, & quivis alius communicaturus) si sit conscius culpæ mortalis, confessionem præmittere, aut in defectu confessarii contritionem quam possunt; id nisi faciant, novam gravis sacrilegii culpam committunt. Alii offerentes seu audientes sacrum, etsi ad idem sub peccato non obligantur, consultissimum tamen, & optimum est, ut faciant quod suadet per Isaiam Deus, si dignè, & utilissimè tantæ rei interesse cupiunt. Hanc ob rem principio sacræ Missæ præmittit sacerdos confessionem, clara voce ter dicens, & ter pectus tundens: Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: hac ceremoniâ, se aliosq; monens ut & ipse, & omnes à Deo petant peccatorum veniam; subjungit deinde: Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris; perducat vos ad vitam æternam, quibus verbis sibi, reliquisq; omnibus optat, quò quisq; sanctè deinceps, itaq; se gerat, ut vitâ sit dignus æternâ. 70.

Tertium Corollarium, cum tanta res sit interesse divino huic sacrificio, sanctè agunt inprimis sacerdotes, qui illud quàm creberrimè celebrant, neq; privant fideles tantis in eo contentis bonis. Et aliqui quidem tenentur id, sub gravi peccato per se, aut alium facere, qui, scilicet, ad hoc conducuntur aut beneficio, ut Parochi in festis; aut Salario, ut qui se ad id obligant stipendio: aliorum non ita obligatorum devotioni relinquitur frequentia celebrandi. Nolo hîc anxiùs inquirere (quod Theologorum est) quoties ex præcepto illo Christi: Hoc facite in me- 71.

am commemorationem 1. Cor. 11. quisq; sacerdos teneatur dicere Missam: illud solùm affirmo, neminem debere esse ita incurium, itaq; divini muneris, quod in sacerdotio nactus est immemorem, ut non sæpius velit offerre, quàm urgeatur precepto.

72. Quòd de Sacerdotibus dicitur, idem sua proportione intelligendum de alijs fidelibus vsu rationis pollentibus, qui non sunt in sacris, aut sunt ob aliquam tamen causam sacris non operantur: Ei omnes ex præcepto Ecclesiæ, debent singulis festis, quibus á seruilibus operibus feriantur audire Sacrum: & audire quidem non ita decet, vt singula exaudiant, aut (quod difficiliùs est) intelligant, sed vt tanquam Sacro, & valde religioso operi assistant morali presentia, cum externa compositione, quam illud exigit. Quòd si quis hanc præsentiam impediat colloquendo, aut negotia tractando, non satisfacit precepto Ecclesię, vel si exteriús sit religiosè compositus, velitque colere Deum, postea tamen distrahatur in attentione mentis, præceptum quidem Ecclesiæ implebit, peccabit tamen venialiter ob defectum attentionis quod probaui supra cap. 10. loco mox citando. Si verò non animo colendi Deum interfit, sed aliquo alio malo, & prophano modo, ut faciunt hæretici, aut alij petulci, & scandalosi, defectus attentionis, vel intentionis religiosæ erit peccatum mortale, & quidem varium pro varietate conceptæ rationis, juxta dicta. capite 10. de Oratione num. 32.; potest enim esse jam blasphemia, jam aliquod aliud peccatum. Porro integrum sacrum quisq; die festo audire debet, non omittendo notabilem ejus partem, qualis, ut dicunt communiter auctores esset pars tertia: cæterum studiosus amator salutis suæ, totq; bonorum, quæ ex divino hoc mysterio derivantur cupidus, non negligit, si commodè potest, etiam quotidiè semel, aut pluries ei interesse, id quod olim sanctè servabatur. Sanctus certè Augu: Thom. 2. Epist. 118. c. 5. & alibi narrat fuisse in hoc tantam fidelium devotionem, ut ultima quadragesimæ hebdomada præsertim feriâ quinta bis in die soliti fuerint sacerdotes Missas celebrare, neq; intererat tantùm populus illis, sed communicabat etiam quotidiè; sic enim inter alia dicit: Si tanta est plaga peccati, ut medicamenta talia differenda sint, authoritate reconciliari: cæterum si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus homo judicetur, non debet se separare à quotidiana dominici corporis medicinâ.

73. Devotionem in audiendo quotidie sacro, sæpiùs etiam miraculis Deus approbavit: ego hîc unum ponam ex Ænea Syluro relatum ab Antonio

tonio Dauroultio in floribus exemplorum cap. 5. Titulo 32. exemplo 1. quod ita se habet: Nobilis quidam Illyricus gravissima vexabatur tentatione, nec adhibitis pluribus remediis liber esse potuit, donec consilio cujusdam religiosi Capellanum nactus, ejus quotidie Missam audiret, quo facto, à tentatione liberatus est. Accidit, ut absente illo Capellano pergeret audiendi sacri gratia ad vicinum templum; proficiscenti occurrit quidam rusticus, eumq; de finita jam Missa certum fecit; hoc nuntio, mirum in modum contristatus nobilis, ad pedes se illius abjecit, quasi medelam sui mæroris ab eo exposcens, quòd eo die tanta re privatus esset. Subridens rusticus spondit donaturum se omne suum, quod audiendo sacro addeptus esset meritum, modo vicissim pallium ab illo quo utebatur obtineret. Lætus suscipit nobilis conditionem, commutatione facta pergit ad templum. Interdum prophanum venditorem adeo molestæ, & quę prius cruciabant emptorem, aggressæ sunt tentationes, ut earum vim sustinere non valens, repente laqueo ademerit sibi vitam. Reversus è templo eques, vidit, & doluit pendentem, cui ridenti (nihil tale futurum suspicans) egerat pro dono grates; solvit, ut erat rogatus mercem, magisq; hoc terrifico eventu, in devotione audiendi quotidie divina, confirmatus est. Licet quidem, ut supra diximus, aliis fructus ex hoc communicare sacrificio, sed in jocos tanta convertere mysteria, & pluris æstimare bona terrena, quàm cœlestia in hoc plenitudinis fonte reclusa; hoc est, quod Deus fæda morte in ingrato castigandum censuit. Itaq; & operari quotidie sacris, & interesse illis, saluberrimum, qui facit, periculosum, vel saltem supinæ nota negligentiæ, qui cùm possit, etsi de lege non debeat, omittit.

Sectio IX.

Modus utiliter celebrandi, & audiendi Missæ sacrificium.

HOc postremum sit corollarium in quo ostendenda ratio, debitè 74. mysterium hoc tractandi: & ea quidem multiplex à varijs hactenus proposita est, proponiturq; in dies alia, atq; alia. Ipse quoq; spiritus sanctus, cujus munus est suggerere, & docere dignum majestate sua cultum, non prætermittit quæ opportuna sunt, & maximè utilia, ijs præsertim instillare, qui id avidissimè ab eo expetunt: quia tamen ea

de re est sermo, & quia de eadem re nunquam satis dici potest, dicam id, quod occurrit. Porro hęc ratio negotii tanti rectè expediendi, duo videtur complecti tempora, primum est, quod antecedit Missæ sacrificium, deinde id, quo illud peragitur. Sacerdos igitur mundus inprimis à peccato mortali esse debet, ut paulo supra dixi, tum optimè faciet, si aliquid, sive pridie, sive manè ante sacrificium, sive utroq; tempore, præmiserit, quo se ad tantum opus paret, ut hoc capite de omnibus communicaturis dixi à num. 36. hoc enim studium constituet animam in attenta quadam, & pia tantæ rei expectatione, ac solicitudine, ut alijs (quantùm fieri potest per humanam imbecillitatem) exclusis, unum sibi agendum putet, quasi nihil aliud supersit. Vnde & ethnicos sacrificulos sacris operantes præco officii monebat, ut scribit Plutarchus in Coriol: alta clamans voce: Age hoc: 'adhæc ut refert Alexander ab Alexandro lib 2. genitalium dierum cap. 22. sacrificabant iidem capite velato, & vestem ad aures usq; attollebant, ut nihil oculis, auribusq; rei, quam agebant admitterent contrarij.

7 Aggressurus jam ipsa divina sacerdos, meminerit tria in illo agi, tresq; esse præcipuas partes, prima quę ab initio sacri usq; ad canonem durat; secunda quæ à canone peragitur, usq; ad consumptionem sacrosanctæ hostiæ; tertia à consumptione usq; ad finem. In toto hoc opere tam verba, quàm orationes, & ceremoniæ integrè sunt tenendæ, nec omittenda, quæ sunt præscripta ab Ecclesia, neq; addenda, mutandave, aut immiscenda alia; omnia enim maximâ prudentiâ, & pietatis sensu sunt inventa, singulaq; habent suum pondus ac mysterium, quæ longum esset minutim expendere. Quare omissio vel orationis alicujus, vel ceremoniæ notabilis, est grave peccatum, id quod etiam dixi de horis canonicis cap. 10. num. 31.; & aliqui quidem è Theologis censent etiam unum verbum, vel unam ceremoniam, in canone ultro prætermittere, esse mortalem culpam. Sed alij, inter quos est Suares tom. 3. in 3tiam partem D. Thomæ: Q. 83. disp. 83. Sectione 3. putant nimis id rigidè dici, nisi fortè omittatur verbum formam consecrationis continens, aut ceremonia aliqua substantialis: ut si quis ex negligentia in aqua consecret; vel licet non sit substantialis, gravis tamen, ut si consecret non affusa ad vinum aqua. In aliis autem tum verbis, tum ceremoniis spectanda est materiæ quantitas; &, si minor fuerit, venialis erit culpa, si major, mortalis. Quod dicitur de omissione, idem intelligendum de additione, aut mutatione, tum precum, aut ceremoniarum;

nam

nam & in his jam minor, jam major potest esse culpa; neq; putent se excusari, si ex devotione privata nova excogitent; in re enim totius Ecclesię publica, ijs qui ipsi præsunt incumbit servanda ordinare, privati, privatim suas expediant devotiones.

Nulli id mirum videri debet, hæc adeo accuratè servanda esse; 76.
nam Pius 5. in initio missalis severum in omnes sacerdotes tulit, (ut in re tanta dignum erat) pręceptum, quod sic sonat: Mandantes, & strictè omnibus, & singulis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, ut Missam juxta ritum, modum, ac normam quę per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent, ac legant.

Itaq; complenda sunt exteriùs omnia integrè, quę tribus illis sacri 77.
partibus continentur, ad externam porro obsservantiam, (præmissa sacerdotis intentione, pro quo velit offerre sacrificium, pro se, an pro aliquo alio) apprime conducet inter celebrandum addere hæc; primo cogitare in ejus prima parte ante hymnum: Gloria in excelsis; vel si hic absit, ante collectas per Christum terminari solitas, esse memoriam sacrificiorum legis naturę, & veteris, quæ nostrum signabant sacrificium; propterea ibi, ut plurimum aliquid ex veteri scriptura affertur, ad refricanda desideria sanctorum Patrum, ut mitteretur mittendus: breviter hęc memoria peragitur, ad ostendendam umbram pręteritorum, quę citò præterit. Secundo deinde succedit memoria vita Christi, à nativitate ejus usq; ad passionem, unde dicitur hymnus: Gloria in excelsis, qui fuit cantatus ab Angelis super stabulum recens nati; adduntur collectæ seu Orationes ad Patrem, quę terminantur per Christum; ita enim ille jubebat in nomine suo supplicari, Joan. 16. tum legitur Evangelium, quod ipsemet prædicabat: pręparatur deinde panis, & vinum ad sacrificium, sicut & ipse, tota sua vita parabat se ad idem, dicebatq; Baptismo habeo baptizari Luc. 12. tandem personat sanctus, Hosanna in excelsis, in memoriam ingressus ejus Jerosolymam, ubi sacrificium sui consummavit, hæc piè cogitari possunt in parte prima.

In secunda parte sciat sacerdos se memoriam facere sacrificij in calvarię monte à Christo perfecti, & memoriam, ut supra dixi, non mentalem, aut verbalem tantùm, sed etiam realem, hoc est, totum illud habendo ante se, & in suis manibus, quod erat in cruce, etsi incruento modo, & sine sensibili Christi cæde, ac effusione sanguinis, id quod ipse Christus certissimè credendum, & faciendum præcipit illis verbis; Hoc est corpus meum, & cętera, Luc. 22. & 1. Cor. 11. Sicut autem 78.

 quan-

quando in cruce, ad sensum patenti modo, Christus se ipsum Patri offerebat, tota creatura admirata est edendo, qualia quæq; potuit signa stuporis; sol enim obscuratus est, petræ scissæ, aliaq; facta in terris: Deus & Angeli de cœlo rem tantam intuebantur: MARIA quæ sola inter mortales mysterij hujus erat conscia, dignè illud expendebat. Idem nunc putandum fieri, si non à rebus mutis (neq; enim talia miracula semper sunt necessaria) à Deo certè, Deipara, & beatis in cœlo, ac in terra à piis fidelibus: videat ergo sacerdos, quot se exponit in hoc opere spectandum.

79. In tertia tandem parte meminerit se sacerdos idem prorsus facere, quod fecit Christus in ultima cæna, nempe se sumere verum Christi corpus, & sanguinem ejus in memoriam sacrificii in cruce peracti, ageréq; gratias precibus in fine sacri præscriptis, sicut & Christus hymnum in fine dixit. Talis pia cogitatio, aut alia quæpiam, quam quisq; in se excitare poterit, efficiet dubio procul, ut & summa animi, viriumq; applicatione rem tantam sacrificans peragat, & se reputet, non quemcunq; vulgarem hominem, sed eum dignatione divina, qui supremi Dei secretorum sit conscius, & quodammodo socius, eò quòd stupendum opus, & soli divinæ par potentiæ unà cum eo agat, ex quo & illud sequetur, ut ad tanta à Deo destinatus semper se conetur exhibere dignum, & munere, & executione ejus, semperq; ampliora referat dona, ac beneficia.

80. Jam reliqui qui audiunt sacrum priore ante illud tempore, debent alia seponere negotia hoc quod in præsentia geritur, anteponendo omnibus: deinde ipsum sacrum audiant, sive attendendo ad singula, & expendendo illa, sive orando, prout quisq; suæ devotioni magis viderit expedire: Optimè autem faciet, si in prima sacri parte meminerit vitæ Salvatoris usq; ad passionem, in secunda verò dum consecratur, & adoranda populo ostenditur hostia, sciat illum eundem adesse, qui fuit in cruce, & ut poterit agat pro hoc beneficio gratias, adoretq; quàm reverentissimè præsentem Deum, quo eodem tempore commendet Deo suas, & suorum necessitates, tum enim per Christum præsentem oblatæ, maximi sunt ponderis preces nostræ.

81. Tandem in tertia sacri parte si non communicabit re ipsa sacramentaliter, faciat id spirituali devotione, hoc vel simili modo utendo, dicendoq; mente: Credo te Jesu Christe hîc esse Deum meum, cupio tibi uniri, accepta piam voluntatem; quod dum dicit, videat ne sit in peccato mor-

mortali: cupere enim Christum suscipere in animam peccatis sordidatam est non levis irreverentia; priùs igitur doleat de peccato, & tum, spiritualiter, ut dixi, communicet. Breve & facile hoc exercitium ingentia afferet bona, sive celebrantibus, sive audientibus Missæ sacrum, ut quisq; sua experientia discere poterit: facienti enim quod in se est, & sic solicitè accenditi ad fontem omnium bonorum, non deerit Deus, quò minùs fluenta derivet ex se gratiarum, sed jam de hac re sit satis.

CAPUT. XV.

De Vitiis Adorationi, Oblationi & Sacrificio oppositis.

EXplicatis jam adorationis, oblationis, & sacrificij actibus, de vitiis, ac peccatis ipsis contrariis paucis agendum, & quia prædicti actus, triplici ratione ad Deum ordinantur: vel enim ipsum colimus, scilicet, adoratione, & sacrificio; vel aliquid ad ipsius cultum offerimus, nempe oblationes, & munera, pro templis usibusq; sacris; vel deniq; sunt quæ dantur servis Dei intuitu ejus, ut sunt decimę, & oblationes, debitę ministris Ecclesiæ; cùm inquam triplex sit ratio, dictorum actuum, vitia quoq; triplicia esse possunt. 1.

Sectio. I.

Quale sit peccatum auferre ministris Ecclesiæ necessaria.

QVædam sunt, quę tollunt ministris Dei necessaria, suntq; opposita justitiæ commutativę, eò quòd negantur illa, quæ sunt debita, ut merces operarii, vel quæ auferuntur tanquam propria, si jam ab Ecclesia, vel Ecclesiasticis erant possessa, ut sunt bona Ecclesiastica.

Præter injustitiam, est quoq; alia vitii species, etsi careat uno nomine: nam cùm hęc bona, qualiacunq; sint, dentur Ecclesiæ, ejusq; ministris intuitu divini cultus, si auferantur, fit præjudicium virtuti religionis, committiturq; quædam irreligiositas, quam S. Thom. 2. 2. Q. 99. art. 3. in corp. dicit esse speciem quandam sacrilegii. Porro hoc peccato quantum offendatur divina Christi majestas, uno illo exemplo, in 2.

plo, in primordio fundatæ suæ Ecclesiæ satis demonstravit, ut refertur Actorum 5. his verbis: Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua. Fraudasse dicitur de pretio, non quia abstulit rem Deo oblatam, aut non reddidit ministris ejus debitum salarium, sed quia non totum dedit, quod mente dandum priùs conceperat, & quod fatebatur se coram S. Petro dare; fortè etiam ex voto concepto offerebat, quod violando fraudabat de pretio. Vterq; ob id morte subitanea interiit, illâ Principis Ecclesiæ prolatâ sententiâ: Non es mentitus hominibus, sed Deo: quale erit, quamq; perniciosum Christo, Ecclesiæ, & ministris ejus mendacium, debita illis ex justitia negare, quin, & propria ac possessa auferre? Solent quidem pastores Ecclesiæ eadem Principis Apostolorum authoritate, ferre censurarum sententias, contra injuriosos sibi: sed eæ iniquè accipiuntur, & jam ferè parum etiam curantur; cæterum qui confert excommunicationem cum morte subita; advertet secum ab Ecclesia tanquam cum filio à matre agi, nempe ut corrigatur, non ut pereat: neq; expectandum, ut Deus agat severiùs, puniendo injustitiam, & irreligiositatem. Sequuntur alia peccata quibus auferuntur Deo in usus sacros ipsi dicata, talia sunt templa, & utensilia eorum, calices, vestes, & cætera.

Sectio II.

Quomodo Sacrilegium & Simonia in rebus Deo dicatis, committitur.

3. TRipliciter autem hæc dicuntur auferri Deo, primò re ipsa, ut cùm furto subtrahitur calix, aut clam, seu palàm comburitur templum: secundò per abusum profanum, ut cùm in templo fiunt convivia, ducuntur choreæ, stabulantur equi, aliaq; indigna peraguntur: tertio cùm ea, quæ sunt juris divini, & spiritualis, pretio emuntur, venduntur ue; primo & secundo modo committitur sacrilegium, tertio Simonia, quę breviter sunt exponenda.

4. Sacrilegium definit S. Thomas 2. 2. Q. 99. art. 1. & 2. esse sacræ rei violationem, quæ fit cùm res Deo consecrata, & per ipsam consecrationem effecta sancta, patitur aliquid suæ sanctitati contrarium.

Meri-

Meritò hac ratione committitur ſacrilegii culpa; tantus quippe eſt, & eſſe debet Deus apud omnes homines, ut non ſolùm ipſe ſanctus, & omni cultu dignus cenſendus, ſed etiam illa in honore habenda, quæ ad ipſius referuntur ſanctitatem, vel ut illam participent, ſicut homines, vel ut eam conferant, quemadmodum Sacramenta, vel quacunq; ratione ei præſeferendę, & hominibus manifeſtandę deſerviunt, ut templa, vaſa ſacra, & ſimilia. Quæ omnia cùm diverſa ratione ſancta dicantur, ſacrilegia quoq; non ſolum diverſa erunt gravitate, ſed etiam forma, & ſpecie.

Sancta igitur hæc ſunt: Primo perſonę Deo voto conſecratæ, ut ſunt Religioſi, & ſanctimoniales, clerici quoq; in ſacris conſtituti, qui ſi committant aliquid contrarium ſuis votis ſacrilegium perpetrant, exempli cauſa, ſi contra caſtitatem peccent, & luxurię culpam, & ſacrilegii alteram admittunt: quale tamen ſit hoc ſacrilegium, dicetur cap. 17. de votis. Secundò ſunt quoq; ſacra omnia ſacramenta, inter quæ, quia eſt maximum Euchariſtia, nimirū, ipſum Deum in ſe continens, graviſſimum eſt ſacrilegium illam indecorè tractare, ſive ſumendo in peccato mortali, ſive dejiciendo ex contemptu quodam in terram, ſive alia ratione deſpiciendo. Tertiò pro ſacris ſunt habenda templa, quorum ſacrilega eſt violatio, per combuſtionem, & violentam effractionem, per ſanguinis injurioſam effuſionem, per ſeminis voluntariam prǫſertim illicitam maculam, & per prophanum quempiam uſum, ut faciunt, qui templis tanquam communi domo utuntur, & qui confugientes ad illa, velut ad fidelium aſylum, inde vi abſtrahunt. Quartò ſunt vaſa, & utenſilia templi, hæc ſi vi, aut clàm auferantur, ultra rapinam, vel furtum, ſacrilegium committitur; Sicut etiam eſt ſacrilegium, ſi uſibus prophanis addicantur: Item ſe res aliàs prophanæ auferantur è templo, quæ illius ſacræ immunitati traditæ ſunt cuſtodiendæ. Poſtremò illa quoq; ſunt ſacra, quę ad ſanctitatem Dei quoquo modo referuntur; horum quoq; indigna tractatio, ſacrilega eſt, ut ſi imagines Chriſti, & ſanctorum, ex contemptu quodam religionis, abjiciantur, confringantur, ſordidentur, ſi reliquię ſanctę, pari tiue in aquis ſubmergantur, ſi dies feſti operibus prohibitis violentur, ſi ſacra ſcriptura ad ſenſus pravos, ut ſunt, verbi cauſa, amatorii, detorqueantur, ſi gratia miraculorum ad oſtentationem exerceatur. Hac etiam ſpectant ad uſus ſacros homines deſtinati ut ſunt Clerici, & Religioſi, qui ſacrilegè poſſunt tractari, ſi in eos violentæ manus injiciantur, ſi ad forum prophanum trahantur, ſi cogan-

cogantur ad tributa, & sic de similibus. Omnia hęc & sunt gravia sacrilegia, & distinctæ speciei, quoties mente advertente, & modo tali committuntur, qualis notabilem præsefert Dei contemptum in re, quæ ipsi dedicata est.

6. Obiter tamen hîc annoto aliqua in prędictis citra peccatum fieri posse. Primò prohibita quidem sunt diebus festis opera servilia, ut sunt mechanica, nonnulla tamen consuetudine permittuntur, talis est piscatio, & venatio, modò sine scandalo & magno labore peragatur. Secundò, opera quędam libera interdicuntur ab Ecclesia ijsdem diebus ut est mercatura, placitum seu strepitus forensis, judicium ad mortem vel ad gravem pœnam,& juramentum cum publica solennitate: ita tenet cum aliis Suar: Opere de Reli: lib. 2. cap. 29. de diebus festis. Hęc tamen ita intelligenda sunt, ut per contrariam consuetudinem receptam non censeantur alicubi abrogata. Porro in celebratione festorum potest fieri dispensatio etiam à Parocho in defectu ordinarii, si adfuerit sufficiens causa, qua absente irritè & cum culpa datur, siquidem in lege superioris dispensatur nam superior in lege à se lata potest dispensare sine causa,et si tum peccet, ut idem Suares eodem loco cap. 3. docet. Tertium noto dari eventus aliquot in quibus citra violationemEcclesiæ possunt ex illa extrahi malefactores quidam, ut sunt publici latrones nocturni depopulatores agrorum, fures rerum Ecclesiæ, aut in ea servatarum & si non sint Ecclesiæ, homicidę per insidias, tandem raptores Virginum ut probat idem Suar: opere de Relig. lib. 3. cap. 11. ex jure Ecclesiastico.

7. Quoad Simoniam attinet, eam S Thom. 2. 2. Q. 100. art. 1. in corp. describit esse voluntatem emendi, vel vendendi spirituali annexum. Rectè primò ponit hoc vitium situm esse in voluntate; tripliciter enim contrahitur, primò pacto inito, & consummato externis verborum, & hujusmodi signis, talisq; dicitur Simonia realis: secundò solùm inito pacto,& hæc vocatur conventionalis Simonia: tertiò ipsa voluntate pacti, ex qua sequitur aliqua de spiritualibus dispositio, etsi non exprimatur illa voluntas, & hęc nuncupatur Simonia mentalis, quę à sola voluntate committitur, & eam S. Thom. primo loco ponit, à qua ordinariè reliquę duæ initium sumunt. Jam per spirituale,quod emitur, vel venditur simoniacè intelligunt cum S. Thoma Theologi, omne illud, quod ad supernaturalem finem, Deiq; cultum referri potest, & propterea sacrum nominatur, numero quarto suprà explicatum, ut sunt primò dona & virtutes supernaturales, secundò actus earum, tertiò potestas

testas ad illos exequendos, nempe celebrandi missam concionandi, cantandi in templo, & similia prestandi: quanto ea quæ ad spiritualia ejusmodi concurrunt, qualia sunt sacramenta: postremò illa omnia, quæ dictis jam spiritualibus, afficiuntur, & condecorantur, ut personæ Deo consecratæ, vasa sacra, & id genus alia. Deniq; spirituali annexum illud vocatur, quod aliquomodo ad spirituale jam enumeratum reducitur, ut est jus beneficii, quod spectat ad officium, cultumq; Dei cujus intuitu instituitur; Jus patronatûs, quod refertur ad beneficium cum officio sumptum, jus conferendi beneficia, & si quid est aliud. Itaq, qui hæc emerit, vel vendiderit, aut ad utrumlibet horum concurrerit, grave peccatum simoniæ committit, (nisi fortè inconsideratio, vel levior remotave ratio sanctitatis excuset à gravitate: & sicut sunt diversæ res sacræ, ac spirituales, unaq; alterâ major; ita & simonia varias peccatorum continet gravitates forma, & specie distinctas, quemadmodum supra numero 4 dictum est de sacrilegio.

Porro simoniæ deformitas in hoc est, quod ea vendantur, quæ suapte dignitate, & supra naturam elevatione superant omnem pecuniam, aut rem pretio æstimabilem: magna igitur committitur in Deum irreverentia, si ea, quæ ipsum concernunt; in sua supra omnem naturam excellentia constitutum illi, & terreno metallo, aut simili re æstimentur. Et certè, si quis honestatem cujuspiam virtutis naturalis emeret, verbi causa amicitiam in alterum; injustitiam quandam ut nonnulli tenent doctores vel etiam simoniam naturalem committeret, non enim, æquali solveret pretio id, cui nullum potest adæquari pretium: Solum enim utilia, ad corpoream, caducamq; vitam, & eidem jucunda pretio æstimantur. Vnde aliqui è Theologis nec scientiam naturalem putant posse vendi, aut emi, eò quod sit res spiritualis; quanquam alii veriùs contrarium tenent, cum sit, ad hanc vitam caducam necessaria, & jucunda, ac indifferens ad bonum, & malum. Si ergo honestas naturalis nequit citra injustitiam quandam vendi, emivè; multo major est injustitia, dicta simonia, quæ vendit, emitq; rem superantem omnia bona corporea, ipsa quoq; honesta naturalia. 8.

Addo hîc obiter, occasione mentionis factæ de honestate naturali, asseroq; religionem ad cultum D. naturalem relatum, non posse citra simoniam in contractum deduci, eò quòd ejusmodi honestas sit spirituale bonum, & sua excellentiâ superet omne terrenum pretium. Quanquam quia hæc multò inferior est bono spirituali supernaturali; idcirco 9.

simonia talis, est inferioris rationis, minusq; gravis, ut tenet Suar opere de religione lib. 4. de simonia cap. 8: De aliis autem virtutibus naturalibus, etsi Suarez contrarium teneat, idem asserendum puto, quod & de Religione Dei naturali, id quod multi Theologi sentiunt citati ibidem à Suarez. Sicut enim simonia est, vendere, vel emere spiritualia supernaturalia, non solum illa, quæ ad religionem supernaturalem referuntur, sed etiam quæcunq; alia, modo sint spiritualia, eò quòd talia indigna negotiatione tractantur, cùm superent omne pretium; ita cùm omnis honesta, naturalis, sit vere spirituale quid, eò quòd contineat in se virtutem, ac proinde superet omne pretium, erit simonia, circa illam negotiari. Fatendum tamen est, ut supra dixi hanc simoniam non esse ita gravem, ut eam quę negotiatur circa spiritualia supernaturalia, & fortè ut plurimùm, esse venialem culpam, vendere, verbi causa, honestatem amicitiæ humanæ, temperantiæ, justitiæ, & similes virtutes. Et quod aliquæ actiones honestæ sine peccato vendantur, ut munus rectè dandi consilium, misericordię opera, & id genus reliqua, dicendum est non ipsam tunc vendi honestatem, sed laborem ei annexum. Quòdsi vendatur ipsa honestas, dixi supra ut plurimùm venialiter peccari, interdum tamen potest esse magna culpa pro magnitudine rei quæ venditur; Ita videtur peccasse Esau, qui primogenita sua vendidit Gen. 25. quæ sacrum, & spirituale quid continebant (unde à S. Paulo: Hebræos 12. vocatur prophanus) spectans ad pietatem parentibus debitam, in obtinendaq; ab eis benedictione. Cæterùm hæc subtiliùs discutienda relinquo Theologis, unum hic explicandum restat, num res aliqua spiritualis vendi aut emi possit.

10. Quod ut intelligatur notanda est communis Theologorum doctrina ex S. Thoma 2. 2. Q. 10. art. 2. 3. & 4. spiritualem rem bifariam sumi posse; aut pro eo, quod purè est diciturq; spirituale, aut pro eo, quod ab ipso distinguitur, etsi annectatur eidem: Verbi causa, in calice est ratio sanctitatis per consecrationem, & per moralem deputationem, velut illi impressa (calix enim consecratus, quasi proprietate quadam sibi immanente ad cultum Dei deputatus est)est etiam in eodem calice, materia, aurum nimirum, vel argentum, quæ duo distincta sunt ut patet. Pari modo in sacramentorum administratione est gratia, quam illa conferunt, est præterea labor, qui adhibetur ab administrante, deniq; adjungitur, & sustentatio, eidem danda; hac ratione reliquæ sacræ res considerandæ, & distinguendæ sunt. Ex quo clara est doctrina quę ser-

vit

vit ad humanum usum, & ad tractandum spiritualia citra simoniam; tam id, quod purè sacrum, & spirituale est, ut gratia Dei per sacramentum danda, aut cum spirituali sumptum, ut calix consecratus, nequaquam vendi emive potest; quod autem est distinctum à spirituali, nihil prohibet vendi, aut emi. Calicis igitur materia potest vendi, & ut absit vel species simonię, solet priùs contundi, atq; ita correpta forma, seu vasis sacri figura, ad usus tradi prophanos. Pari modo pastoribus Ecclesię sacramenta administrantibus, Missas celebrantibus, mortuos Christiana pompa sepelientibus, & similes spirituales actus exhibentibus datur pretium, non pro rebus vel actibus, ut spirituales sunt; sed ut laborem continent pretio æstimabilem, ut eo accepto vita sustentetur. Itaq; quoties ea quę spiritualia dicuntur pretio, aut obsequio, aut muneribus conducuntur expendenda est intentio, modusq; quo id fit, ut feratur judicium, rectè necnè, & citra simoniam id fiat.

Explicata jam ratio simoniæ est de jure divino, & naturali, nempe 12. à Deo, spectata ipsa rei natura prohibita, ne videlicet spirituale ullum vendatur, ematurvè. Præter jus divinum est etiam jus positivum ecclesiasticum, quod prohibet quędam vendi emive, aut commutari, ne quidem ratione ejus, quod distinctum est à purè spirituali; ita beneficia ecclesiastica etiam ratione temporalis commodi in illis spectati, nequeunt sine summi Pontificis aut Episcopi in sua diœcesi consensu, vendi aut commutari, officia item œconomi, vel advocati Ecclesię & similia, de quibus tractant auctores, ut videri posset in manuali Pileti lib. 5. cap. 85. & 86. Lessio de justitia lib. 2. cap. 35. dubitatione 4. Suares opere de Religione lib. 4. de simonia cap. 24. & aliis, ad quos hæc, & cętera in ista materia minutiora remitto.

Sectio. III.

Graviter Deus offenditur, si ea quæ ipsi semel data sunt sacrilegè, vel simoniacè auferantur.

Nobis explicandum superest, quàm graviter ferat Deus, si vel sacrilegio, vel simonia offendatur, id quòd uno & altero ex scriptura sacra constabit exemplo: Danielis igitur cap. 5. de Balthazare Chaldęorum Rege ita legimus: *Balthasar Rex fecit grande convivium* Opti- 12

Optimatibus suis mille; pracepit ergo jam temulentus, ut afferentur, vasa aurea, & argentea, qua asportaverat Nabuchodonosor Pater ejus de templo, quod fuit in Ierusalem, ut biberent in eis. In hoc convivio duo facta narrantur, apparuit inprimis in pariete manus cum scriptura, quæ prænunciavit interitum Regi; deinde eadem nocte interfectus est Rex, cui Darius Medus successit in Regnum. Mira sanè divinæ providentiæ ratio, ut Balthasar hosti suo fortiter usq; ad illud tempus restiterit; statum verò atq; vasa cultui divino consecrata, temerare prophano usu præsumpsit, & sibi mortem, & Regno meruit servitutem, æquissima nimirum divinæ justitiæ lance; nam qui Deo abstulit, quę ipsi dicata fuerunt, jure privatus est iis, quę ab illo nactus erat; & qui contra honorem supremæ majestatis sacrilego ausu se extulit, de throno regali dejectus sempiternum factus est orci mancipium. Ponant sibi ob oculos hoc infelicitatis paradigma, quicunq; Deo semel oblata, & consecrata, quacunq; ratione sibi vendicant, violant, contaminantue. Atq; ne putent in homine solùm ethnico, qualis fuit ille Balthasar, vitiosum hoc extitisse, legant 1. Reg. 2. & 4. quid fecerit Deus similem ob causam de Heli summo Pontifice ejusq; filiis, cui inter alia hęc dixit Deus: *Abjecistis munera mea, qua pracepi ut offerrentur in templo, ecce dies veniunt, & pracidam brachium tuum, & brachium patris tui*, & quæ sequuntur. Ratio quidem sanctitatis sacrificiorum, & ceremoniarum veteris legis, multò fuit inferior, quàm nunc est in re, num ut prędicat S. Leo Serm. 8. de passione Domini; Nunc & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior est unctio sacerdotum; nunc etiam Carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis, & sanguinis Christi implet oblatio, ita S. Leo. Si igitur sacrilega contra Deum temeritas, adeo tunc exosa illi fuit, quàm longè nunc magis erit odiosa? & si tam severè olim animadversum est in sacrilegos, quid jam nunc timere debeant ijdem? Atq; ut timor prudentiæ definiatur regulis, quot gradibus sacrilegium crescit, totidem & timor augendus, ut verum sit illud Apocalipsis 18. *Quantùm glorificavit se, tantùm date illi tormentum.* Piaculum est calicem prophanare, è quo Christi sanguis sumitur, timendaq; pro hoc Balthasaris pœna; majus certè est corpus Deo per votum Castitatis consecratum fędare, nimirum templum Dei vivum, de quo S. Paulus 1. Cor. 3. *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, majorq; expectanda pœna; maximum verò, & nefandum est facinus in sacrosanctam Eucharistiam, in qua est ipse Deus & homo,

homo, aliquid indignum tali majestate committere, quod horrendè puniendum sit, ita de reliquis.

Quod de sacrilegio dixi intelligendùm de simonia vicina illi, quam in eo, à quo hoc vitium, (ante carens simili nomine) appellationem sortitum est in Simone videlicet mago S. Petrus vehementer est detestatus, addita ni resipisceret maledictione æternæ damnationis. Cùm enim ut scribit S. Lucas Actor. 8. obtulisset Simon pecuniam, & hæc postulasset: *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunq; imposuero manus, accipiat spiritum sanctum*, audivit à Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri, in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Tam acre judicium supremi post Christum pastoris Petri, alii ejus vicarii secuti varias imposuerè Ecclesiasticas pœnas simoniacis, (sicut & sacrilegii) rati hac via, eos quibus præsunt, & à talibus peccatis faciliùs deterrendos, & si quando deliquerint revocandos, Deiq; ultimo subtrahendos judicio. 15.

Sectio IV.

Quæ vitia adorationi, & sacrificio sunt opposita.

Explicatis contra oblationes, quæ fiunt in cultum Dei peccatis, superest ut de vitiis, adorationi, & sacrificio oppositis postremò dicamus; hæc autem ad superstitionem pertinent, ut constat ex dictis sup. cap. 12. à num. 1. in duasq; dividuntur classes; quędam enim continent indebitum Dei veri cultum, alia quæ loco Dei aliud pro ipso colunt. Priora ideo vitia dicuntur, quia ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 93. art. 1. & 2. aliquid perniciosum, vel superfluum habent; si quis enim nunc uteretur sacrificiis Judaicis, perniciosè id, (& valde quidem) faceret religioni Christianæ, quæ jam non futurum expectat, ut olim Judæi, sed fruitur vero, & uno sacrificio per illa figurato. Similiter, qui in adorando, & sacrificio exhibendo vero Deo, adhiberet modos, ceremoniasq; ab Ecclesia non receptas, neq; usu, aut lege præscriptas, superfluum in vero cultu admisceret, non sine peccato etiam gravi, si quid notabile interponeretur. Eodem referuntur defectus oppositi superfluo, si omittantur in sacrificio ea, quę ab Ecclesia pręscripta sunt; neq; id fieret citra grave peccatum, quando ultro omittitur aliqua notabilis ce- 16.

remonia, aut precatio. Jam alia superstitionis classis est, quæ non vero Deo exhibet cultum, & triplici quidem ratione, tripliciaq; parit vitia, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 93. art. 2. aut enim aliud pro vero Deo colit, & sic est idololatria; aut ab aliquo alio, quàm à vero Deo, de quibusdam occultis habere notitiam cupit, & est divinatio; aut quærit opem ab alio, quàm à vero Deo (& quidem tam notitiam, quàm opem, quęrit viâ, & ratione inordinata) & sic est vana observatio: magna ad posteriora duo revocanda, siquidem tam scientiam, quàm auxilium per Dæmones inquirit. Idololatriam describit S. Paulus 1. Cor. 8: *Scimus*, inquit, *quia nihil est idolum in mundo*; rectè id quidem, est enim imago ejus rei, quę vel non fuit, nec est, ut idolum sphyngis aut monstri cujuspiam ficti, vel si fuit, aut est, non tamen verus Deus, ut sunt idola Jovis, Mercurii, vituli Ægyptii, dęmonum, aut apparentium interdum, aut in idolis responsa dantium. Cum itaq; idolum nihil sit, falsum quippe, & non ens refert, rectè idololatria secundum sanctum Paulum dicitur cultus ejus, quod nihil est, in quo committitur gravis in Deum injuria, eò quòd nihil locò veri colitur numinis, sive id fiat adoratione falsi numinis sive sacrificio illi oblato.

15. Ex hac idololatriæ vero ethymo colligitur error crassus hæreticorum, qui afferunt Catholicos esse idololatras, eò quòd venerentur imagines Christi, & Sanctorum: nam cum imagines repræsentent res veras, quæ fuerunt, & futuræ sunt in æternum, nempe Christum, Matrem ejus, Angelos, & Sanctos, perperam ab illis dicuntur idola, sed sunt verę imagines; quales etiam ipsi hæretici suorum mortuorum, vel vivorum depingunt. Has ergo imagines colimus, non tanquam Deum aut Sanctos; Sed tanquam signa Dei, & sanctorum, ut supra hac parte capite 13. à num. 5. ostendimus. Quod ad idololatriam attinet, certum est eam esse detestandam, & aut gravissimum omnium, aut inter gravissima fœdum peccatum: Constat enim vel ex eo, quod sicut ille qui regiam potestatem alteri, qui non est verè Dominus tribuit, grave perduellionis committit crimen, ita in Deum est perduellis, qui cuicunq; alteri, præter illum solum tribuit divinitatem. Luerunt debitas easq; gravissimas pænas Judæi, quoties hoc scelus nefandum perpetrarunt, ut refert, non semel sacra Regum historia, quas pœnas severè minatus erat illis Deus ante Levitici 26. ubi sic loquitur: *Ego Dominus Deus vester, non facietis vobis Idolum, & Sculptile, nec insignem lapidem, ut adoretis eum: Quod si non audieritis me, ego quoq; hæc faciam vobis: Visitabo vos velo-*

loci-

lociter in egestate. & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras: Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, Et infra: *Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea, disperdamq; terram vestram, & stupebunt super eam inimici vestri, vos autem dispergam in gentes, & evaginabo post vos gladium*, & multa quæ ibi sunt posita.

Ad idololatriam revocat S. Paulus, peccata luxuriæ: Philip 3. 16.
dum, inquit: *Quorum Deus venter est*; & avaritiæ Ephes. 3. *Avarus, quod est idolorum servitus*: id ideò facit, quia qui Deo, & ejus mandato præfert creaturam, ut luxuriosi voluptatem, avari opes, interpretativa quadam, & æquivalenti ratione pro Deo creaturas habent, his potiùs adhærendo, quàm illi: ea tamen idololatriæ notio communis est omni letali culpæ, (etsi S. Paulus propter crassam quandam, & stupidam foeditatem luxuriæ, avaritiæq; id potissimè tribuit) neq; opponitur religionis virtuti, quemadmodum illa prior, sed ei, contra quam peccatum omittitur.

Sectio V.

Blasphemia quid sit & quomodo adorationi Dei opposita.

CÆterum blasphemia vicinior est idololatriæ, quanquam ab illa distincta est, contrariaq; religioni: sicut enim tribuere creaturę divinitatem, est idololatria; ita adscribere Deo, quod illi non competit, est fingere sibi Deum qualis non est. Porro dupliciter illa committitur, aut errore infidelitatis, cum aliquid de Deo creditur contra veritatem fidei, & sic est opposita fidei, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 13. art. 1. in corp. aut ex affectu convitiandi Deum ulciscendo se de eo, sine errore infidelitatis, atq; ita opponitur religioni, quanquam & in hac secundo modo accepta blasphemia sinistra quædam de Deo apprehensio præcedit, ut bene explicat S. Thomam citatum Cajetanus; qui enim blasphemat Deum, quod illum non juverit in quopiam eventu, vel non det aliquid, perinde facit, ac si non crederet eum esse misericordem, aut liberalem; propterea supra diximus, blasphemiam istam esse affinem, & interpretativam, ut dicitur in schola quandam idololatriam. 17.

Itaq; blasphemia, ex infidelitate orta est contra fidem, quo pacto 18.
blas-

blaſphemant Deum Judæi, Arriani, Anabaptiſtæ & ſimiles, negantes eum eſſe trinum & unum: blaſphemia autem, ex perverſo ulciſcendi profecta animo, privandiq; Deum eo, quod illius eſt, opponitur religioni, qui enim tribuit Deo id, quod illius excellentię & honori repugnat, aufert quod ipſi eſt proprium, perinde ac maledictio, aufert aliquid humano honori ut ſupra hac parte cap. 7. à num. 20. diximus; & contumeliâ de qua ibidem à num. 1. Quapropter duplici etiam modo committitur blaſphemia, ſicut maledictio, & contumelia, primò verbis, cùm pronunciatur aliquid de Deo indignum, ut Deus non eſt juſtus, qui talia non punit, vel ei optatur quidpiam pariter indignum, ut: non ſit Deus ſi hoc non faciet; vel dicitur aliquid ad contemptum ejus, ut: maneat cum ſuis ſanctis in cœlo. Secundò committitur blaſphemia ſignis externis, quemadmodum fecerunt Judæi, coronando Chriſtum tanquam ambitioſum, ſpuendo in faciem ejus, velut indignam honore, aut exoſam omnibus, & ſimilia patrando indigniſſima ejus majeſtate.

19. Nec verò tunc tantùm delinquitur blaſphemiâ, cùm aliquid de ipſo Deo dicitur, aut fit contra honorem ejus, ſed etiam cùm ſancti, & quævis creatura ad contemptum Dei vilipenditur; ita damnati blaſphemant cum dicunt; Pereat infernus, & qui illum fecit; Sancti non regnent cum Chriſto, & ſimilia. Et iſta quidem dicunt damnati, non ſolùm animo nocendi, & auferendi Deo id, quod ejus eſt proprium; ſed etiam ex odio ejuſdem; quod ſi quis in hac vita adhuc degens, ex eodem, aut alio quopiam perverſo affectu blaſphemet, pluribus involuitur peccatis, nempe contra religionem, amorem Dei, & aliis, pro quibus (niſi graviſſimè damnari velit,) debet ſatisfacere condignâ pœnitentiâ, & pœnâ.

20. Ac ne cui dura videatur ſacramentalis ſatisfactio, à judice conſcientię major injuncta, revocet ſibi in mentem id, quod legimus Levitici 24. de quodam qui blaſphemaverat Deum, decretum is tale, ab ipſo, in quem prævaricatus erat tulit: Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt manus ſupra caput ejus, & lapidet eum populus univerſus. Hoc peracto, ejuſmodi legem tulit Deus; Homo qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo: & ne relinqueretur locus acceptioni perſonarum additum eſt ibidem: Sive ille civis, ſive peregrinus fuerit. Talis à Deo pœna conſtituta erat in blaſphemos, tum, cùm adhuc minor fuit in mundo excellentiæ divinæ fides & notitia: plura, ſe debere agnovit antiqua Chri-

Christi fidelium pietas, & religio; proptereaq; strenuè obviam ivit omnibus, sive ex infidelitate, & hæresi, sive aliunde nascentibus blasphemiis, varièq; erant assignatę pœnæ, ut refert Julius Clarus paragrafo. Blasphemia num. 3. Pietatem fidelium confirmat ipsa Christi authoritas; multa enim leguntur in historiis, à fide dignis conscriptis, de terribilibus pœnis, miraculosè de blasphemis sumptis, quas ego hic ob brevitatem non recenseo; merito certè ita iis cum actum est. Nam si quisq; honorem suum famamq; acriter defendit; Si filii parentum, quemadmodum ex pietate debent propulsant omne dedecus; Si subditi dominorum, regumq; tuentur nomen, & gloriam, & pro his non rarò mors oppetitur: quis non videt quo Deus zelo, suæ defendat celsitudinis excellentiam, nosq; plura debere ipsi, qui omnes hos & eminentissima superat dignitate, & officij nostri debito? Cæterum fidei claræ, & calenti, primitivi quondam spiritus, supervenit jam quædam frigida obscuritas, quæ & spiritum illum in plerisq; extinxit, & levibus de causis, ac respectibus in desuetudinem vertit, olim saluberrimas contra blasphemos, latas leges, & ideo fortè Deus, eosdem horrendè castigat, quia leges silent. Id ita futurum prædixit Salvator Matthei 24. Quoniam abundavit, inquit, iniquitas, refrigescet charitas multorum. Tale frigus ex modico fidei lumine nasci solitum, Dominus quoq; testatur Lucæ. 16. *Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis*, ut nempe plura se homines putent debere suo, suorumq;, quàm Dei honori, quemadmodum faciunt filii sæculi hujus: Sed reliqua, quæ adorationem, & sacrificium impugnant, prosequamur vitia.

Sectio VI.

Divinatio adorationi & sacrificio opponitur.

Præter idololatriam, & blasphemiam, est quoq; divinatio adorationi, ac debito, veri Dei sacrificio inimica, hanc S. Thom. 2. 2. Q. 95. art. & 2. dicit esse prænunciationem quandam futurorum. 21.
Porro futura sunt triplicia, quędam habent causas sui determinatas, ex quibus effectus semper consequitur; talis causa diei, est solis supra hæmisphęrium elevatio, ejusmodi quoq; causa eclypsis solis, est interpositio Lunæ inter nostrum aspectum, & ipsum solem; ut enim sol statum

suũ semper peragit cursum, ita & hi effectus semper conspici solent. Alia futura sunt, quæ habent quoq; determinatas causas, ex quibus perinde, ac ex prioribus quædam sequuntur; non tamen semper à nobis concursus & societas earum cognoscitur, ex quibus pendent varii rerum eventus, quales sunt pluviæ, serenitas, & similes, qui cœlo, terra, ventis & id genus aliis concurrentibus causis nasci solent. Postremò sunt illa, quæ fiunt à libero arbitrio Dei, angelorum, & hominum: & cùm libera voluntas non sit determinata ad suas operationes, sed eas pro suo eligat placito, non possunt illæ præcognosci in causarum determinatione; verùm à solo Deo, qui ex plenitudine perfectæ undequaq; sapientiæ omnia scientis, videt futura, non in causa, (nimirum quæ non est determinata ad certum quid) sed in se, quasi præsentia jam essent, ea intuitu suo percipiens. Alia quævis intelligens creatura, cùm nequeat esse omni ex parte perfecta, neq; habeat omnimodè perfectam omnium comprehensionem, nequit ejusmodi futura scire, nisi quid à Deo reveletur. Atq; id clarum est ex scripturę plurimis locis, inter quę, est ille 3. Reg. 8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Et 1. Paralipom 28. *Omnia corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit*, scilicet prǽsentes, præteritas, & futuras: & Matth. 24 *De die autem illa, & hora, nemo scit, neq; Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Idem demonstrant Theologi cum S. Thoma 1. parte. Q. 14. art. 13.

22. Jam ergo priora illa futura possunt certò prędici, qui enim scit, ut facilè potest, quâ horâ cras oritur sol, potest futurum certò diem prænunciare determinato tempore visendum; hoc pacto à mathematicis prædicuntur eclypses Solis, & Lunæ ex consueto, ac ordinario cœlestium sphærarum concursu, astrorumq; oppositione. Quanquam hæc certitudo non est ab omni formidine exempta; *quis enim*, ut inquit Apostolus Rom. 11. *cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* ut, nempe sciat Deum velle semper statis temporibus solem, cæteraq; ordinari astra & dies, eclypsesq; facere, cùm id aliquando mutatum esse legamus, Josue enim 10. stetit sol spatio unius diei, quo tempore occasus, & ortus mutati sunt, cæteraq; quę inde sequuntur, mutanda omnino erant. Futura secundi generis possunt etiam prędici ex suis causis, ut prędicunt astrologi pluvias, nives, serenitatem pestilentiam aëris, & similia purè naturalia; multò tamen majori cum formidine, & minori probabilitate, quàm priora, hęc prænoscuntur, eò quòd minus notitię pateat concursus causarum. Cùm enim præter solem, plurima

alia

alia accedere debeant, astra videlicet, terrę dispositio, varietas ventorum, & super hæc omnia, Dei providentia, quæ vel in pœnam peccatorum, vel ad preces servorum suorum moderatur harum causarum concursum, & consequentes effectus, ut vel pluviam, vel siccitatem, vel frigus, caloremq; nimium, aut moderatum in his efficiat inferioribus: cùm, inquam, hæc omnia in considerationem veniant, nequeunt dicti eventus etiam à peritissimis astrologiæ, nisi valde dubiè prædici.

Atq; hinc evidenter inferri debet futura libera nullo modo ab homine, vel ab aliquo alio creato intelligente pręnosci posse, eò quod à causis naturalibus, ac determinatis, qualia sunt astra, elementa, & similia, non pendeant, sed à libero arbitrio. Et licet homo utatur corpore ad suas liberas actiones, & juxta materiales dispositiones multa operetur; biliosus enim verbi causa, facilè altereatur, phlegmaticus torpet, & sic de aliis humoribus sentiendum, cùm tamen corpori præsit libertas, eoq; pro arbitrio suo utatur, non potest certo sciri, quid ab illa futurum sit. 23.

Quod de futuris hactenus dictum est, idem tenendum de præsentibus occultis, aut præteritis, quorum non sunt ita determinatę causæ, ut iis positis sequatur quidpiam occultum, aut factum esse aliquid cognoscatur. Quapropter qui pręnunciant futura, secùs quàm jam ostensum est, qui item præsentia, aut præterita manifestant occulta, quę non pendent ex causis determinatis; si id non faciant ex Dei, (de qua constet,) revelatione à dęmone id fieri putandum est per divinationis scelus, magno cum præjudicio honoris, & excellentiæ Dei, qui solus novit omnia, & à quo solo notitia rerum expectanda, sive per ordinatas jam ab eo causas, naturalesq;, sive extraordinariâ ipsius revelatione, quam ministerio Angelorum, aut aliter quibusdam communicat. Notitia ergo quę neq; ex causis naturalibus haberi potest, neq; à Deo supernaturaliter communicata est, eo modo, quem Ecclesia Christi approbat, semper à dæmone esse censeri debet; hic enim inter alias, hac etiam ratione á Deo abducit incautos, ut ad illum velut ad numen recurrant, discantq;, quæ nec ipse scit. Et quanquam naturalia possit scire, nimirum, intellectu subtilissimo, & naturalia intuente præditus, tamen ab eo nunquam licet notitiam ullam petere, eò quod sit hostis Dei nosterq;, unde quidquid hominibus præstat, in ipsius facit contemptum, nostramq; perniciem. Qui igitur ad illum Deo contempto recurrunt, ipsum loco Dei colunt, ipsiq; ac sua offerunt, ab eo sperantes id, quod à solo 24.

à solo Deo expectandum est. Solent quidem homines, à se, & ex se, ejusmodi vanam disseminare notitiam; sed tunc nihil faciunt contra Religionem, eò quod non utantur modis, qui sapiant commercium cum dæmone, verùm ut mendaces, vel levès incerta pro certis spargunt.

Sectio VII.

Vitia adorationi & vero sacrificio opposita ex claro cum dæmone pacto.

25. CÆterum modus quo ad dæmonem divinatione recurritur duplex est, ut docent Theologi cum S. Thom. 2. 2. Q. 95. art. 3. aut enim clarè, & disertè notitia ab illo, requiritur, aut obscurè, hoc est adhibentur ea, quæ suapte naturâ, vel peculiari Dei nutu, non sunt ordinata ad dandam occultam rerum cognitionem; sed dęmonis aliquo astuto instinctu, qui vel uni cuipiam instillatur, à quo alii docentur eadem adhibere, vel multis, & toties quoties eorum usus est. Clarè invocatur dæmon, tum imprimis, cùm ipse in forma aliqua apparet, aut putatur apparere, & nunciare quædam, id quod fit pręstigio, & magia. Secundo cùm per homines vivos, qui cum illo agunt consulitur, tales sunt pythones: Tertio per mortuos quasi revera à morte excitatos, ut fit per necromanticos: Quarto consulitur in somniis: Quinto per signa, in rebus inanimatis apparentia, nempe in annulis, in vitris, in aëre, & cæteris.

Sectio VIII.

Magia opponitur ueræ adorationi, & sacrificio.

26. EX quibus omnibus Magiæ ratio, & somniorum paucis hîc aperienda, cætera enim clara sunt, pręsertim ex his duobus intellectis. Itaq; magia, est ars operandi mira, quę si per causas á Deo ordinatas fiat, dicitur esse magia naturalis, in qua nihil subest mali; per hanc quidam partim innatâ corporis levitate, partim exercitio, in funibus ambulant, saltantq;: Si vero illa mira sint talia, quę causarum (hactenus hominibus solidè doctis notarum,) vires superant, neq; etiam con-

ftet miraculosè à Deo fieri; censentur à dæmone, per magiam superstitiosam, ex pacto vel claro, vel obscuro, & aut ad nocendum hominibus, ut fit per maleficia, aut ad curiositatem explendam, per notitiam occultorum. Pacta cum dæmone clara sunt, cum se magus, vel saga obligat ei; cùm fidem in Deum & cultum Deiparæ, vel sanctorum abnegat; cùm dæmoni aliquid sacrificat aut cùm simile quid facit. Obscura pacta sunt, cùm quis utitur signis quibusdam, characteribus, imaginibus siderum, & id genus aliis, quæ nullam habent cum re, quæ fit, veræ causæ connexionem, & vel re ipsa exhibentur, quæ ostenduntur, vel putantur exhiberi, etsi nihil sit in re, sed præstigiis, dementantur oculi, auresq;: Signa ejusmodi, ut plurimùm sunt vana, & ridicula, interdum verò adhibentur sacra, ut crucis figura, nomina item, & verba ex bibliis, quæ ideo usurpat dæmon ut specie, & forma boni, faciliùs decipiat: permittit autem Deus sacra ab illo usurpari justo, & occulto suo judicio, cùm jejunasset in deserto, ut refert Matth. 9. cap. 4.

Magiæ crimine triplex hominum genus plerumq; involvitur; nam 27.
vani & elati. qui mira de se dici, plurisq; æstimari cupiunt, quàm merentur, à dæmone concedi sibi ea postulant quibus aliis sint stupori. Sunt quoq; eidem periculo expositi pauperes, qui adeo gravatè ferunt suam sortem, ut miseri fortunam ab eo quærant, cum tamen, ipse infortunatissimus & miserrimus sit. Postremò qui nocendi aliis flagrant desiderio, itaq; sunt in eo obstinati, ut omnino, obesse velint, & cum non possint propriis, à dæmone implorant vires.

Neq; tamen is semper, quoties vult nocet, aut cum imploratur a- 28.
dest, id quod Dominus Luc. 22. indicavit Petro, usus cum energia verbis, quibus significaret magnos satanæ conatus, nocendi, quâ per se, quâ per alios, Apostolis, ab his enim jam sibi is cæperat timere; dixit ergo Dominus: *Simon Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Omnium fidei prædicationem, & constantiam funditùs evertere voluit salutis hostis; sed Christus solum Petrum defendit, nimirum, eum cui ante, ut scribit S. Matth. cap. 16. promisit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Itaq; cum defendit, ut fides in Cathedra, & successoribus Petri, nunquam deficeret, cum aliorum Apostolorum, permissu ejus defecerit in locis, in quibus ipsi eam fundarunt.

Atq; hinc intelligimus etiamnum in eos vel maximè Satanam odio 29.

 ferri,

Digitized by Google

ferri, qui Apostolorum fidem, probitatemq; secuti, aliis doctrinâ, & exemplo ad salutem plurimùm conferunt. Discimus quoq; nonnunquam occulto Dei judicio permitti, ut aliquibus noceat dæmon, sive per se, sive per maleficos; rariùs tamen etiam corpora, (multò minùs animas) eorum lædit, qui pii sunt. Hujus rei habemus in S. Job documentum, neq; enim omnia, quæ diabolus expetiit in eum permisit, sed primò bonorum jacturam; Ecce, inquiens, universa quæ habet in manu tua sunt; tamen in eum non extendas manum tuam: Deinde instanti Diabolo, in corpus dedit potestatem: Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serva; neq; ultra processit permissio, ut vel privaretur vitâ, vel detrimentum salutis pateretur. Quamobrem pietas, & sanctorum operum frequens usus, qualia potissimè apud Christi fideles sunt sacramenta, exhomologesis, & Eucharistia, eleemosyna, crucis Christi signum, nominis Jesu, & Mariæ invocatio, reliquiæ sanctorum, aqua lustralis, & id genus permulta, quibus divina vi assistente, ligantur dæmonum, & maleficorum manus.

30. Quod si nihilominus noceat maleficium; adhiberi possunt remedia, primò naturalia, ut medicinæ, quibus malum per naturales causas, herbas. v g. venenatas optimè à dæmone perspectas inductum depelli possit. Et si hoc non sufficit, ad usitatos in Ecclesia recurrendum exorcismos, præsertim ab iis peragendos, qui peculiari Dei, dato ad hunc effectum dono, sunt præditi, & velut medicorum ad corpora sananda gerunt in Ecclesia munus. Nunquam verò licebit uti novo dæmonis maleficio ad tollendum prius; hoc enim esset ipsius invocare opem, cum injuria Creatoris: quanquam ut communiter tenent, Sylvester verbo maleficium, num. 2. Dominus solus dist: 34. Q. unica, art. 3. aliiq; Theologi, licet maleficium demoliri; exempli causa, si clavus parieti infixus est à malefico, ut tamdiu quis capite vehementer laboret, quamdiu clavus parieti adhæserit, licebit illum extrahere, aut cogere maleficum, ad extrahendum. Ista si non profuerint, aliud non restat Christiano, quàm ut toleret magna cum longanimitate, & constantiâ, fide adhæc, & fiducia in Deum erecta, qui quævis mala commutabit, in bonum eo, quod ab æterno definivit tempore. Ita videtur fecisse illa mulier, quam Christus ob has fortè virtutes laudavit Luc. 13. *Hanc*, inquiens, *filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die Sabbathi?* Ea certe est fidei divinæ vis, fiduciæq;, ac charitatis in Deum, ut quidvis quantumvis enorme, & horridum à quo-

vis etiam vilissimo, quales sunt damnati spiritus, & ejus instrumenta sagæ, malefici, perfidi homines: quidvis, inquam, ab his inflictum, modò in Deum referatur non careat præstanti sua mercede. Talia à talibus Salvator passus horâ illâ, quam ipse vocat *potestatem tenebrarum*, Luc. 22. jam nunc fruitur mercerde in gloria Dei Patris, à qua nemo excludetur, *si tamen*, ut S. Paulus ad Romanos 8. scribit, *compatimur, ut conglorificemur*.

Et sicut qui patiuntur maleficia hac se debent spe solari, ita malefici, & magi certi sint, tantò se magis à dæmonibus, & cum dæmonibus cruciandos, quantò in Deum, & in se sceleratiores sunt, vel hoc ipso, quòd antequam audiant omnis miseriæ plena illa Judicis verba Matth. 25.; *Discedite à me maledicti in ignem aternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*, recedunt à suo Conditore, diaboloq; se mancipant, etiam in hoc mundo (ut creber usus docet) miserè tractandus, brevi deinde miserrimè, ac crudelissimè torquendus. 31.

Sectio IX.

Somnia veræ adorationi Dei interdum opponuntur.

SEd jam de somniis aliquid dicendum, quæ à triplici causa solent provenire, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 91. cap. 6. prima est naturalis, & partim in homine residet, partim in eo, quod ipsum circumdat; ex his secuta somnia naturalia, aut animalia vocantur. Naturale somnium est, si quis, verbi causa, plenus pituita & in loco, atq; aëre ambiente nimium humido diu manens, somniet se submergi ac suffocari aquis: humoris enim abundantia similia sibi, nempe humida phantasiæ dormientis repræsentat, ut apprehendat talia, qualia plerumq; fiunt à re multùm humida. Animale somnium est, cùm quis ea per quietem apprehendit, quæ in vigilia solicitè, & cum effectu versabat, species enim recentes, facilè se iterum offerunt dormienti. 32.

Secunda somniorum causa est Deus, qui movet interdum phantasiam ad cognoscenda aliqua, tum verò censendus est id facere, cum aliquid pii dormientes mente volvimus, ex quo deinde devotionis sensus, ac gustus sequitur, excitando cor ad rectè agendum, divinaq; amanda, mentem quoq; ita illuminando, ut peculiaris quædam divinorum intelligen- 33.

ligentia, & lux, quasi ante oculos versetur. Tale somnium fuit, quod vidit Patriarcha Jacob, ut habemus Genesis 28.; adeo enim motus fuit illo, ut quasi Deum intuitus, & tantam reveritus majestatem, evigilans dixerit: *Verè Dominus est, in loco isto, & ego nesciebam, quam terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Neq; solùm mens huius sancti hoc modo fuit ad diuina affecta, sed simul etiam ex peculiari instinctu Spiritus sancti, credidit omnino futurum id, quod illi dictum fuerat à Deo in somnijs: *Benedicentur in te, & in semine tuo, cunctæ tribus terræ; terram in qua dormis dabo tibi, & semini tuo.*

34. Tertia somniorum causa est dæmon, qui ideo illa efficit, vt occultum quidpiam manifestet, siue presens, siue preteritum, siue futurum, idque facit præcedente pacto expresso, vel tacito. Expressum est, si dormiturus vtatur à demone edoctus, aliquibus characteribus, aut herbis, eo fine, quò optata veniant somnia: tacitum est signum, si quis ex somnijs colligat illa, quæ nullam cum illis habent naturalem, animalem, aut ex Dei reuelatione connexionem, tunc enim Deo relicto & naturalibus causis ab ipso ordinatis ad dæmonis recurritur fraudes. Ejusmodi somnio credit, qui non vult. verbi causa domo egredi, ne quidem ad templum die festo, ob timorem mortis, eò quòd somniaverit se in foveam incidisse.

35. Itaq; ex prima & secunda causa somnia orta possunt acceptari, & futurum aliquid denotare, ex somno, exempli gratia, pituoso præsertim sæpius habito, potest timeri gravis catarrhus, paralysis, aut quid simile conijci. Pari de causa qui in somnis videt Christum severum, reprehendentem, minantemq; & evigilans pavore sancto concutitur, potest piè credere, eum velle ut in posterum vitam corrigat, timeatq; ipsum Judicem. Ita Angelus apparuit in somniis sancto Joseph eumq; terrefecit, ut refert S. Matthæus cap. 2. ac monuit, ut fugeret cum puero Jesu, ejusq; matre in Ægyptum, evasurus infantis periculum. Similiter qui somniat blandè Dominum secum agentem, præmia pollicentem, aut dantem, experiturq; ubi evigilaverit, pium serviendi illi desiderium; potest de voluntate ipsius conjecturam facere, ut sanctiùs deinde vivat, mereaturq; divinos favores, & præmia. Tale fuit somnium quod habuit Salomon ut est 3. Regum 3. quando audivit Deum sibi dicentem: *Postula quod vis, ut dem tibi.* Alia quęcunq; somnia, & conjectura ex illis ignotorum, est superstitiosa, in qua recurritur ad dæmonem cum quadam ejus adoratione, & honore, nec sine peccato gravi, si pertina-

tinaciter, & seriò illis credatur: dico seriò; nam si joci, & animi gratiâ somniorum afferatur interpretatio, vel nihil erit vitii, vel narratio quædam otiosa.

Sectio. X.

Astrologia genethliaca veræ adorationi, & sacrificio opponitur.

HActenus diximus de divinatione, quæ fundatur in expressa invocatione dæmonis, & communi nomine necromantia appellatur; cùm tamen magia, & somniorum interpretatio possint etiam esse ex pacto cum dæmone tacito, ut ostendimus, facilè est cognoscere reliquas divinationis species, quæ continent tacitum pactum; quarum duplex est genus teste S. Thom. 2. 2. Q. 95. art. 3. in corpore: aut enim notitia occultorum petitur ex rerum quarundam dispositione, situ, & motu, aut fit aliquid ab hominibus, ex quo dicta sumitur notitia. Ad primum genus spectat astrologia genethliacorum, quę ex motu, & situ siderum, aliqua conjicit; non illa quæ cum ipsis sunt suapte natura connexa, ut pluvias, siccitates, corporum temperamenta; sed quæ ab illis nequaquam pendent, quales sunt liberi eventus. Ita prædicunt isti eum, qui natus est sub certo sidere & constellatione, fore Regem, gesturum certo tempore bellum, victurum, aut vincendum. Eodem pertinent illa quæ ex viscerum inspectione conjiciuntur prȩsertim avium, aut ex garritu earum, & qui id agunt vocantur aruspices, vel augures; sicut qui ex lineamentis manus prædicunt futura, dicuntur Chiromantici. Alii ex aliis lineis, & figuris sive in homine, sive in bestiis conjectant. Postremò sunt, qui ex verbis hominum casu, & ad alium finem, quàm ad futura cognoscenda prolatis, omen accipiunt. 36.

In his quoties aliquid conjicitur, quod non habet naturalem cum eo, ex quo cognoscitur, causæ, & effectus vel signi connexionem, aut ad quæ divinitus (de quo tamen certa ratione constet) non sit instituta relatio inter unum, velut causam, & aliud tanquam effectum, aut inter signum, & rem signatam; semper putandum est subesse tacitum pactum cum dæmone, & tacitam quandam ejus adorationem, ac sacrificium: recurritur enim ad ipsum, tanquam ad aliquod numen, eiq; offertur cultus; imo interdum, etiam res quædam externæ instar sacrificii, 37.

ut cum mactantur aves, visceraq; earum inspiciuntur, & projiciuntur veluti dæmoni offerenda, indigna quibus vescatur homo. Quodsi vera advertat ratio præsertim docti, & pii viri, aliquam naturalem, vel ex Dei ordinatione, inter unum & alterum connexionem, fas erit occultum quid ex positis quibusdam cognoscere: ita ex stellis, & constitutione aëris, ac natura loci potest conjici, quale sit habiturus temperamentum corporis qui sub certo sidere natus sit; sic enim sole fervente in leone, aut cancro ordinariè cholerici, & sicci nascuntur. Dico ordinariè, nam & hoc fallit interdum; possunt enim parentes, aliam nimirum similem sibi communicare complexionem, qui in hoc sideribus prævalent, tanquam viciniores proli: quodsi ab his non impediatur influxus cœlorum, & aëris, potest ex causis naturalibus futurus prænosci effectus naturalis. Cæterùm quòd ita natus, hoc vel illud vivendi genus sit electurus, sic vel sic victurus, & cætera ejusmodi libera facturus, nullo modo id potest, nisi dæmonis (qui nec ipse hæc certò scit) fraude prædici: etsi enim ad aliqua ex corporis dispositione sit homo propensus, imperio tamen rationis, & libertatis vi potest resistere innatę propensioni, & quid de facto acturus sit, ille solus novit, qui omnia scit, Deus.

38. Quod diximus de causis ex quibus potest prænosci effectus, idem asserendum de signis, & de eo, quod ex illis conjicitur: hoc modo colligunt ruricolę futuram serenitatem, si domesticæ aves, vt sunt galli Indici, vel pavones sub dio noctu maneant: Si autem sub tecto, pluviam prædicunt. Nam qvia aër hvmidior præcedens pluviam, laxat carnis poros plumas continentes, sagaci phantasia, & instinctu naturali, pręcavendo majorem laxationem, sub tecta, vbi siccior est aura, se abdunt ante pluvias, id, quod non faciunt, si aër siccior fuerit, & serenus. Eadem connexione signi, & rei signatæ peculiari, & extraordinaria Dei lege, velum in templo Jerosolymorum scissum, terrę motus, petrarum fissio, monumenta aperta, tenebræ, in vniverso mundo sol obscuratus; omnia hæc scribit Matth. cap. 27. & Lucas 23. facta eo fine, vt essent signum occultissimi mysterii, quod videlicet Auctor mundi pro homine lueret morte sua pœnas. Atq; ex his aliquot exemplis, de aliis simile ferendum judicium, quando liceat ex corporum dispositione, citra culpam futura cognoscere; aut certe, non nisi ex divinatione tacita id fieri dicendum.

Sectio XI.

Sortes quædam contrariæ sunt Dei adorationi, ac sacrificio.

IAm alterum divinationis tacitę genus est, non ex dispositione corporum, sed cùm fiunt aliqua ab homine eo fine, ut occultum agnosci possit; id, exempli causa agunt, qui fundunt ceram, vel plumbum liquatum in aquam, ut ex figuræ situ cognoscant aliquid; ita jaciuntur in urnam schedulæ, cum certis nominibus, & extrahuntur à variis, atq; ex extractis conjiciuntur occulta, quæ & similia sortes appellantur, quarum est partitio triplex, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 95. art. 8. Sunt quędam sortes divisorię, quæ jaciuntur, ut definiri possit, quid cuiq; bonorum, officii, vel dignitatis cedere debeat: aliæ dicuntur consultoriæ, quibus inquiritur aliquid occultum, ut manifestetur, sive illud sit præsens, sive præteritum, sive futurum; sunt deniq; divinatoriæ. De his omnibus communis est Theologorum cum S. Thom. loco citato sententia asserens licita esse duo priora sortium genera, non item tertium. Nam sortium usus est, aut ad aliquid liberè faciendum, de quo dubitatur expediat nêc ne fieri, aut ad aliquod occultum cognoscendum; Si igitur assumuntur in sortibus ea, quæ sunt divinitus ordinata ad effectum, vel ad dandam scientiam, honestus erit earum usus; si autem alia sumantur, erit illicitus, & aut ex pacto expresso cum dæmone, aut ex tacito. Qua in re graviter delinquitur; recurritur enim relicto Deo ad dęmonem, tanquam ad gubernatorem mundi, cui honor defertur, & quodammodo offertur id, quod assumitur in signum divinationis. 39.

Et inprimis quod ad effectum liberum ex sortibus divisoriis consequentem attinet, ejus potest esse causa, jam Deus, jam homo, jam dæmon, alia autem, ut sydera, nihil influunt in effectus liberos, ut est jam supra dictum, sicut nec casus aut fortuna, quę ut docent Philosophi est causa per accidens, hoc est nihil dans operi. Sed tantùm fortuito eventu res una cum alia conjungitur, ut quando aliquo ridente, hospes ignotus, domum ingreditur; risus fortuitò est conjunctus, cum alterius adventu. Itaq; si sors jacitur divisoria, & à Dei providentia, ordinaria, aut (de qua tamen constet) extraordinaria expectatur directio, concurrente simul hominum voluntate, qui consentiunt, ut divisio fiat sorti- 40.

bus, sors hujusmodi erit licita. Quod si à dæmone quęritur auxilium, ut aliquis sortiatur quidpiam, erit sors divinatoria ex pacto expresso; si vero ab influxu cœlorum quæritur directio, vel ab aliqua re naturali, quæ nihil agit in hominum libertatem, erit sors divinatoria ex pacto tacito: ita paciscitur is, qui putat certas lineas, & characteres habere vim ostendendi ignotum. Si deniq; fortunæ totum tribuatur, erit quædam vanitas, & otiosus actus, nimirum ei se, quæ nihil operatur, & non potius divinæ providentiæ, ac voluntati hominum committere.

41. Quanquam & ad divinam providentiam sorte divisoria recurrere, non semper licitum erit, sed tum cùm necessitas aliqua, prudensq; suadet ratio, ut si, verbi causa duo non possint alium concordiæ modum habere de bonis, aut de officio, laboreve quopiam subeundo. In distributione tamen beneficiorum, ac officiorum ecclesiasticorum, cautum est ne illa sortibus committantur, ut est in cap. Ecclesia Extra: de sortilegiis; quod autem S. Matth. per sortes electus sit in Apostolum, ut legimus Actorum 1. id singulari Dei instinctu factum est, qui omni dominatur legi, quanquam hæc nondum fuit ab Ecclesia lata.

42. Quod attinet ad eas sortes, quibus inquiritur notitia occulta, per has si quæratur scientia à dæmone, vel re quapiam à Deo ad dandam hujusmodi notitiam non ordinata, ut ab astris, vel à jactu certo, aut characteribus, & similibus, erit divinatio ex pacto cum dæmone expresso, vel tacito, juxta dicta. Quod si à Deo quæratur cognitio, id quidem ordinariè non licet, nisi constet, de peculiari motione divina, quæ communiter non solet communicari, pręterquam instante gravi aliqua necessitate, extra quam, velle nosse per sortes occulta á Deo, erit tentare ipsum. Ejusmodi necessitate coactus Josue, ut habemus Josue 7. sorte invenit Acham furem; ita Elizæus quoq; 4. Reg. 13. singulari, & occulto nobis Dei judicio prędixit totam Syriam ad consumptionem delendam fuisse; Si Joas rex Israel quinquies, aut sexies, aut septies terram jaculo percussisset.

43. Quotiescunq; ergo huic consultorię usus fuerit sortis, pręmissâ necessitatis trutinâ, adjungenda est oratio, ut illud fiat, quod Proverbiorum 16. legimus: sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur; idemq; consultu n est servare, in sorte divisoria, ut potiùs divinæ dispositioni, quàm eventui innitamur. Quapropter graviter ab illis erratur, qui ex quadam levitate, & profana consuetudine vtuntur consultoriis sortibus, & nonnunquam quidem cum gravi nocumento pro-

xim

ximi, vt faciunt, qui hac via indagant, quisnam ex pluribus reus sit, vt is, in quem sors ceciderit, puniatur; cùm tamen alii in humanis suppetant modi investigandi reos. Quod porro signum sit ex quo colligi possit, divina voluntas, ac motio, vt sortibus vtamur consultoriis, aliud dici hîc non potest, quàm quòd ipse Deus, qui aliquando (& quidem raró) vult hac ratione, manifestari occulta, ita mentem illuminet, moveatq; cor, ut nullum restet dubium de voluntate ejus. Itaq; divisoria sorte licet vti ob necessitatem quampiam, etsi non adeo gravem: consultoria valde raró, idq; Dei accedente instinctu; divinatoriâ nunquam, nimirum, superstitiosâ, sive ea adhibeatur in divisione, sive in consultatione.

Sectio XII.

Vana observatio opposita est adorationi Dei.

HOc ultimum est peccati genus, quo homines deserto Deo recurrunt ad dæmonem, eiq; reddunt honorem, recurrunt inquam in actionibus, & negotiis in quibus ejus fulciuntur ope. Tria vero enumerat S. Thom. 2. 2. Q. 96. negotia hæc, atq; opera, videlicet, scientiæ consecutionem, corporum immutationem, sive humanorum, sive belluinorum per sanitatem, vel ægritudinem, quò etiam pertinent commoda vel dispendia in rebus temporalibus, ut accessio divitiarum, fertilitas, vel sterilitas: postremò est eventuum variorum præcognitio, sive adversorum, sive prosperorum. In quibus quo pacto ad dæmonem recurratur, facilè ex dictis præsertim de magia intelligi potest; quę cùm sit ars, quæ mirabilia operatur, magnam habet affinitatem, & ferè in nonnullis coincidit cum observatione vana; nam & hæc insolito modo parit scientiam, operaturq; quosdam præter opinionem effectus: quanquam magia latiùs patet, & extendat se ad varia mira opera, vt quod mortuos redivivos ostendat, & multa ludicra, & curiosa exhibeat. Eadem observatio eventuum futurorum magnam quoq; habet cum divinatione similitudinem; nisi quòd hæc adhibeat quædam ad notitiam futurorum, sive expresè dæmonem invocando, vt necromantici, sive tacitè, ut astrologi, augures, & sortilegi; vani autem observatores, ex ijs quæ casu occurrunt futura conjiciunt, persimiles ijs, qui ex homine ta- 44.

Digitized by Google

lia colligunt; etsi omen ex voce humana sumitur duntaxat, observatio autem hæc ex variis quæ coincidunt.

45. De quacunq; ex tribus dictis jam observationibus, illa regula est tenenda, quę ostendat vanitatem, & superstitionem; si enim sive ad scientiam comparandam, sive ad faciendam mutationem aliquam corporum, sive ad futura prospera, vel adversa cognoscenda, ea sumantur, quę ex natura sua sunt ordinata, ad hæc efficienda, aut significanda; vel certè peculiari Dei institutione, (de qua tamen nobis, ex scriptura aut alia via constet) licitè possunt assumi, ut intentus expectetur eventus. Si verò nec de natura, nec de Dei extraordinaria voluntate compertum sit, censenda est vana observatio, qua graviter potest Deus offendi, si vel expressè dæmon invocetur ad hosce præstandos effectus, vel tacitè, quando iis utimur, de quibus constat, nullam ea habere vim ad conferendum id, quod intendimus consequi, quo in eventu cultus, & adoratio exhibetur dæmoni, velut rectori, & gubernatori humanorum actuum.

46. Ne verò in dando judicio, de iis quæ assumuntur ad præfatos consequendos effectus error committatur, magna prudentia, scientiaq; requiritur in iis qui judicant, ne vel damnentur, tanquam mala ea, quæ à natura, & à Deo fiunt: vel è contra, naturæ, aut divinæ ordinationi tribuantur, quę dæmonis arte, doloq; patrantur.

47. Itaq; qui ex rudi repente evadit doctus, ac sapiens, si id assequitur nulla re adhibita, prçterquam humili oratione, quam pia præcesserit vita, is à Deo putandus est scientiam adeptus infusam: Vt legimus 3. Reg. 3. de Salomone, cujus vitæ tale encomium præcessit: Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, tum de ejus supplici oratione ibidem scribitur: Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium, nocte dicens: Postula quod vis, ut dem tibi, & ait Salomon: Tu fecisti cum sermo tuo David patre meo misericordiam magnam; & nunc Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo, ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum, & introitum meum, dabis ergo servo cor docile. Posthæc duo adhibita, nactus est Salomon infusam à Deo scientiam, neq; enim legitur usus fuisse ullo alio medio ad eandem acquirendam Jam si quis reperiatur cujus & vita sit vitiis obnoxia, & supplex oratio desit, aut certè licet nihil in vita appareat reprehendendum, adhibeanturq; aliquę preces; tamen simul adsint quædam exotica, quæ nihil ad scientiam conferunt; vt si liber capiti supponatur, si verba quędam scripta comedantur, & simi-

similia fiant: Scientia his comparata erit à dæmone, non à natura, quia jam dicta nullam habent vim pariendi doctrinam: neq; ab arte, quia hęc longo eget studio; neq; à Deo, de quo nihil habemus, quòd talia ad consequendam ordinet scientiam.

Pari ratione, si ex præsentia, aut attactu alicujus viri sancti, vel ejus de quo clara sit fama, quòd gratia polleat sanitatum, etsi de sanctitate non ita constet; si inquam, ab his (adjuncta præsertim oratione, aqua lustrali, signo crucis, & aliis quę in Ecclesia usurpantur) fiant aliquę repente sanitates corporum, credendum est à Deo id factum, quemadmodum sanabant Prophetæ, & Apostoli. Idem dicendum de eo, quod Deus ordinat ad medelam, & curationem, quo pacto serpens æneus sanabat omnes, qui icti ab ignito serpente, currebant ad æneum, eumq; conspiciebant, ut est num. 21. Quod si quis nihil tale habeat, & insuper utatur insuetis modis, signisq;, neq; adhibeat pharmaca, & medicinas; aut adhibeat quidem, sed brevissimo tempore sanet, id semper suspectum debet esse. 48.

Postremò si futura prospera, aut adversa conjiciantur ex iis, quę instinctu naturali præsagiunt aliquid, in corporeis rebus secuturum; ut in partibus septentrionalibus gruum & anserum silvestrum præsentia significat adfore brevi vernos & æstiuos calores, recessus, brevi futura frigora. Item si aliquid peculiari, ordinatione Dei futurum quidpiam prędnotet, quo pacto asina Balaam, num. 22. tergiversatione, & casu suo præsagiit fore, ut Balaam occideretur ab Angelo, si perrexisset in via: hęc talia acceptanda sunt tanquam vera signa futurorum. Si verò quis natura, & Dei ordinatione postposita, ex iis speret prospera, aut timeat contraria, quæ nullam habent cum illis connexionem, sed vel casu cum eventibus conjunguntur, vel dæmonis expressè aut tacitè invocati ope, in ejusmodi est superstitio observantię vanæ. Ita quidam nolunt certis diebus iter aggredi, eò quòd timeant infortunia, alii si fœminam in via offendant, aut aliquam bestiam, adversa expectant. Ista, & istis similia sunt vana, nihilq; pręsagiunt veri: fit quidem interdum, ut accidat id quod expectatum sed vel casu id evenit vel Dei permissu, in pœnam credulæ vanitatis. Et qui ex simplici ignorantia ita credunt, edocti traditione majorum, leviter, aut nihil delinquunt, quod si advertendo illud reprehendi à viris doctis, sint nihilominus in ceptis pertinaces, possunt graviùs peccare, cessante, videlicet, in iis bona fide, per quam priùs excusabantur à culpa. 49.

Expli-

50. Explicata hoc capite vitia, veri Dei adorationi, sacrificio, & oblationibus in ejus cultum contraria, ostendunt, quàm sit hostilis in nos, & in salutem nostram Satanę malitia, qui non est contentus avertere homines, à Deo illis peccatis, ad quæ natura propendent corrupta, & quæ per carnem, atq; appetitum illecebrarum, ad se alliciunt; contra ipsum quoq; Deum, mortales concitat, ut eo impiissimè deserto, à quo omnia bona habent, & quem nosse, ac debitè colere, est summa bona expectare, ut illo, inquam, impiissimè, atq; stultissimè deserto ad ipsum confugiant, & cum ipso jam perdito, decepti in æternum pereant. Verùm ne pereant unum præ omnibus, cordi habere debent infixum, quod Christus à suis relictus sibi retinuit, quando iturus ad mortem dixit: *Ecce venit hora ut dispergamini, & me solum relinquatis, & non sum solus, quia Pater mecum est*, Joan. 16. Quæcunq; igitur sors fuerit Deo Patri, vero, & sincero pietatis cultu assistamus, adhæreamusq; efficiet profectò ille, nimirum, solus potens, & beatus. 1. Tim. 6. ut neq; ea quæ in nobis sunt malorum incentiva, neq; capitalis noster hostis dæmon, inducere nos possit, ut pereamus.

CAPVT. XVI.

De Iuramento, & oppositis ei peccatis.

PRæter actus religionis hactenus enumeratos, est quoq; juramentum cùm affine sibi adjuratione, de quo, quantum ad practicam morum honestatem attinet, tria hìc explicanda erunt, quid, ac quotuplex sit juramentum, quæ ejus obligatio; & quæ illi opposita peccata: reliqua partim meram continentia speculationem, partim practica quidem, sed in minutioribus quæstionum sita difficultatibus ad scholarum doctores remittenda.

Sectio I.

Quid sit Iuramentum, & quæ requiruntur ad illud debite usurpandum.

1. A primo igitur sumpto initio, juramentum, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 89. art. 1. & cum eo omnes Theologi, est talis hominis actio,

Digitized by Google

ctio, per quam confirmatur veritas testimonio invocati Dei. Nam veritas, ut declarat ibidem S. Thom. est duplex, una necessariorum, altera contingentium, tam præsentium, quàm præteritorum, & futurorum, quę ab hominibus fiunt, & quæ probantur relatione, assertione, ac testimonio fide dignorum. Prior veritas cognoscitur per suas causas, sive quas vocant Philosophi à priori, res, scilicet, à quibus res dependet; sive à posteriori, & ab effectu: atq; hęc veritas speculativa est, neq; huc spectat, ubi agimus de operibus virtutum, ac vitiorum. Posterior requirit authoritatem notitiamq; referentis, quorum utrumq; in humanis incertum, & dubium est. Incerta inprimis est humana notitia; plurima enim occultè fiunt, quæ proinde ab hominibus nequeunt sciri; alia palàm quidem, sed vel ita, ut vix aliquis, aut pauci sint præsentes, vel plures quidem, verùm non rectè norunt factum, aut sensu fallente, aut impediente affectu, aut alia de causa. Authoritas etiam crebrò vacillat ob multa, quæ in hominibus levibus notari solent, quæq; minuunt iurantis fidem. Quoniam ergo ob dicta jam nequeat crebrò haberi veritas, certa relatione, aut testimonio hominum, recurrendum est ad Deum, illeq; in testem vocandus, non ut apparenti quopiam signo, manifestet dubia, atq; occulta, (id enim esset tentare ipsum, & miracula præter solitum exigere) sed ut litibus finis imponatur, & negotia quæ inter homines necesse est agitari, suum obtineant robur, securitatemq;, quoties is in testem assumitur, qui novit omnia, quiq; vel statim, (ut aliquando facit) vel (quod indubitatè facturus est) in judicio suo, omnem operationum nostrarum manifestabit veritatem, aut falsitatem.

Atq; hinc clara est tum necessitas, tam utilitas juramenti; necessi- 2°
tas ex quadam suppositione; quia enim non suppetit alia commodior ratio, in hac quidem vita indagandæ veritatis, ad eum recurrendum, qui omnia (ut dixi) novit, & definito tempore nota faciet, quando illuminabit abscondita tenebrarum 1. Cor. 4. Est quoq; clara utilitas; jurans enim fidem in Deum testatur, quam habet de ejus summa, id est, nihil ignorante, & nunquam fallente veritate: quod dum facit cultum, & reverentiam ipsi exhibet, tanti & apud se illum æstimando, & aliis divulgando.

Hinc jam facile est agnoscere juramentum, quod ita possumus de- 3°
scribere: Est actus religionis, quo invocamus Deum supremam veritatem, in testimonium pronunciati nostri, vel quomodocunq; manifestatæ veritatis; quod ideo addo, nam interdum non verbis, sed nutu aut a-

Digitized by Google

liquo signo juratur. Invocatio hæc Dei fit mente, & intellectu, sicut & oratio; dicere enim: Testor Deum; est asserere: Tu Deus veritatem comproba, sicut orando dicimus: adsis mihi Deus ope: ad hunc tamen mentis actum, accedit voluntas appetens illam invocationem. Descriptio juramenti jam allata evidentior erit, cùm expenderimus conditiones, & quasi comites ejus, quas afferunt Theologi cum S. Thom. 2.2. Q. 89. art. 3. ex Jeremia cap. 4. ad hoc ut juramenta verè, & sanctè usurpentur: Jurabis, inquit Propheta, Vivit Dominus, in veritate,& in judicio, & in justitia.

4. Primo adesse debet veritas, ut ita sit quemadmodum asseritur, cùm enim in confirmationem nostræ veritatis divina adducatur veracitas, si falsum dicimus, Deum in testem falsi assumimus, tanquam socium mendacii nostri, quo magna in ipsum committitur irreverentia, propterea quod immutabili vero, falsitatis adscribatur nefandum scelus. Secundò debet comitari juramentum justitia, ut id cui illud opponitur sit justum, hoc est honestum, si enim fuerit illicitæ rei adjunctum, quantumvis non desit veritas, semper committitur in Deum irreverentia, eò quod sanctum, quale est testimonium primę veritatis inhonestè profanetur. Hac ratione peccat, qui jurat se homicidium perpetraturum, aut juramento comprobat se perpetrasse rem aliquam nefandam.

5. Postrema conditio juramenti est, judicium, in quo duo includuntur, primum quod ad substantiam pertinet jurandi, ut, nimirum, prudentia censeat habendam voluntati intentionem invocandi Deum in testem, & re ipsa invocetur; si enim alterum horum desit non erit actus juramenti, sed vel sola voluntas, animusq; jurandi sine actu, vel actus exterior duntaxat sine interno, qui internum, ut docent Theologi formet, & in specie honestatis, aut inhonestatis reponat. Alterum quod nomine judicii intelligitur est prudens mentis advertentia, qua cognoscitur necessitas, utilitasq; jurandi: etsi enim adsit veritas, & justitia, non semper tamen jurandum, sed tum, scilicet, cùm hoc actu necessitas, utilitasq; utendum suadet. Etenim juramentum est ad succurrendum infirmitati humanę tanquam medicina quædam, ut cum S. August. docet S. Thom. 2. 2. Q. 89. art. 2. ad 2.: Si igitur homines sibi crederent, neq; se fallerent, ut solent, non esset opus adhibere testem Deum: quare sicut medicina tum utimur, cùm necessitatis urget, & sanitatis movet vtilitas, ita & juramentum ob necessitatem, & vtilitatem supra numero 2. explicatam est adhibendũ, ad quod requiritur prudẽs iudicium.

6. Ita expositæ dictæ tres conditiones, aliter atq; aliter ad juramentum

referuntur,

referuntur; judicium priori modo sumptum, est substantia actus, posteriori ad perfectionem eius spectat, vt nulla in vsu eius, vel leuis admisceatur culpa. Ueritas ad sanctè jurandum requiritur, vt eâ absente jusiurandum quidem præstetur, profanè tamen, & vt infra dicetur periurè: denique justitia ad sanctitatem quoque juramenti est necessaria; illicita quippe verè quidem possunt confirmari juramento, malè tamen & profanè, id quod etiam infra explicabitur.

Hæc tria iam explicata si adfuerint, rectè invocatur Deus in testem: 7. cum vero Matthęi 5, præcipiat Dominus: *Dico vobis non jurare omnino neque per cœlum, quia thronus Dei est, neq; per terram quia scabellum est pedum eius, neq; per Ierosolimam, quia ciuitas est magni Regis. neq; per caput tuum iuraueris; quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum:* Cùm inquam ita Dominus mandet, prohibeatq; non juramenti vsum, sed abvsũ eius, indicat simul per Creaturas quoq; posse iurari, id quod vt cum S. Thoma 2. 2. Q. 59. art: 6 in corpore docent Theologi, duobus potest fieri modis. Primò fit cùm quis inuocat Deum, vt in suis creaturis residentem, suamq; veritatem manifestantem; talis quippe res quælibet est, qualem habet sui in Dei veritate formam ac ideam. Ita per cœlum iuratur, quod est iuxta ideam diuinam suprema inter corpora machina, quasi sedes, & thronus Dei, quemadmodum terra est infima, tanquam scabellum pedum eius; sic per Ierosolimam iurabatur olim, vt per ciuitatem, quâm prouidentia suâ magnus Rex, Deus gubernabat, per caput etiam jurari potest, tanquam per membrum corporis humani, cujus etiam capillos numerat omnia vidēs Deus, & jam nigros, iam albos procreat pro dispositione suæ prouidentię. Secundò possunt fieri iuramenta per creaturas sine tali ad Deum respectu, sed ad ipsasmet, quo pacto creaturæ intellectu duntaxat præditę possunt in testimonium vocari; hæ enim solæ inter omnes alias, dignæ sunt honore & cultu, vt hac parte Cap: 2. à numero 2. ostendimus: hæ igitur, nimirum, intelligentes possunt esse testes, quę autem ratione carent, non nisi ridiculè, & vanè in testimonium vocantur. Et quoniam intelligenti creaturę alius sit debitus cultus, ab eo qui est proprius Dei, juramentum quoq; per illam, alterius, & inferioris est ordinis: ita creditur iurasse Ioseph Genesis 42. per salutem Pharaonis, nimirum tanquam per personam regio dignam honore, & de cuius fide, ac veracitate nihil ambigendum erat, quanquam potuit etiam jurare S. Ioseph juramento diuino per Regem, vt per personam in cuius regimine elucebat diuina prouidentia.

Sectio. II.

Quotuplex est Iuramentum.

8. QVacunq; ratione quis jurat, siue per Deum, siue per Creaturam, varijs id modis facere potest; quapropter multiplex ab authoribꝰ assignari solet juramentum. Cœterùm S. Thomas 2. 2. Q. 89. art: 6 & 7. & Q. 90. ponit aliquot membra, ad quæ facile revocantur alia. Primum est juramenti quasi solitarij, seu simplicis contestationis & assertionis, per Deum, aut eius creaturam, quale iam explicatum est, siue id fiat priuata cuiuspiam voluntate, siue publica authoritate, adhibitis quibusdam solennitatibus, vt cùm Iudex indicit juramentum posita manu super Euangelia vel flectendo ante crucifixum, vel manus pectori admovendo aut alia vsurpando, pro consuetudine cuiusq; gentis, siue inter fideles, sive infideles; nam etiam hi iurant per suos Deos à se pro vero numine habitos propriumq; prestant juramentum, etsi ex erroneo de falsis Dijs profectum judicio.

9. Alterum juramentum fit per execrationem, quando inuocatur Deus, vt vindex malè jurantis, ita olim fideles solebant jurare: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.* 1. Regum 14. Ita nunc solemnibus iuramentis vltimò solet addi: sic me Deus adiuvet, quorum verborum sensus est, non me juvet, nec seruet, sed perdat Deus, si mentior. Jta nonnulli jurant cum varijs execrationibus, & detestationibus, in se, in suos, suaq; prolatis hac vel simili forma: Puniat me Deus, in corpore, in anima, in bonis, in patre, matre, filijs, si non verum dico. Qui jurandi modus est valde periculosus, eò quòd vltio diuina expetatur in pœnam mendacii, & quasi insultetur Deo, si non puniat statim, tanquam non sciat quomodo juretur, vel non possit castigare peccantem. Tali fortè iurandi forma vsus est S. Petrus teste S. Mattheo Cap: 26. *Tunc inquit cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem.*

Tertia est iuramenti species, adiuratio, qua aliquid ab alio exigitur vel imperando, si subditus est, vel petendo, si par aut maior, per invocationem rei aut persone cuiuspiam cultu & honore dignæ. Et is quidem qui adiuratur potest esse Deus, beati, homines adhuc mortales, demones, & res intellectu carentes. Deus, & Sancti in cœlo adiurantur petitione homi-

homines iam precibus, si sunt pares, vel maiores eo, qui adiurat, iam iussu, si subsint adiuranti; dæmones imperio, & authoritate Dei compelluntur ad aliquid, ut faciunt exorcistæ, vel aliis quibus Deus hanc concedit gratiam: Creaturæ rationis expertes adjurantur non in se spectatę, (cùm nequeant percipere, aut moveri reverentià ejus, per quem adjurantur) sed ut subsunt divino imperio, ad cujus nutum, jam prosunt, jam nocent hominibus; talem adjurandi potestatem dedit Christus suis in initio fidelibus: *Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Mar. 16.*

Jam res per quam fit adjuratio debet esse talis, quæ cultum, & reverentiam excitet, qualis est Deus, beati, sancti adhuc mortales, imò etiam non sancti, demum res rationis expertes, sed certo modo spectatę. Nam quando adjuramus per aliud quid, non per Deum, duplici ratione id facimus, aut ita, ut in illo includatur respectus ad Deum, qui in creatura sua glorificandus est, & sic adjuratio spectabit ad religionem divinam, cultumq; latrię; quo pacto adjuramus per cœlum, per terram, aliasq; res, inquantum in illis relucet divina majestas & gloria: aut ita id facimus, ut illud per quod fit adjuratio in se spectetur, atq; sic potest quidem fieri adjuratio, per beatos, sanctos, aut homines in terra, qui omnes sunt digni honore; sicut tamen hic inferioris est ordinis, nempe duliæ, ita & adjuratio inferior est illa quæ fit per Deum. Per creaturas ratione carentes, nequit fieri adjuratio, quia nullo cultu, aut honore sunt dignę. 11.

Ex his facile est nosse, quis, per quid; quemnam, & qua honestatis, virtutisq; specie possit adjurare: primò enim Deus seipsum non potest adjurare, quia neq; petere, nec sibi imperare potest; & idem dicendum de quocunq; hominum, aut Angelorum, siquidem & hi neq; à se petunt, nec sibi propriè loquendo imperant. Secundò Deus potest adjurare aliquam creatam personam per se, vel alium cui debetur honor, quia proprium est Deo imperare suæ creaturę, movendo eam ad præstandum obsequium, cultum, & reverentiam sui, aut cujuspiam alterius. Ita potest intelligi quod legimus Canticorum 2., ubi adjurat sponsus Christus animas pias, per capreas, cervosq; camporum, per sanctos videlicet, qui in beatitudinis campis felices discurrunt. Tertiò possumus Deum adjurare per ipsummet, ejusq; divinas excellentias, aut etiam per sanctos, ut olim faciebant fideles per Abraham, Isaac & Jacob, à Deo beneficia petendo Exodi 32. Deutorono. 9. & sępius alibi. 12.

13. Atq; hanc adjurationis rationem, qua petimus aliquid per quidpiam, nonnulli è Theologis nominetenus ad juramentum revocant, revera autem asserunt esse actum orationis dictum observationem, de qua egimus supra cap. 10. num. 16. propterea quod adjurare, verbi causa, Deum per ipsius misericordiam, per Christum, & sanctos, nihil sit aliud, quàm petere, movendo ad dandum per aliquid. Sed fortè potest hîc reperiri vera adjuratio, diversa ab oratione, si duo in illa distinguamus, duplici enim ratione adjuratur Deus, primò, ut fons, & principium, è quo nostræ succurritur egestati; & illa, per quæ adjuratur, possunt considerari ut sunt ea, quibus proprium est derivare ex se, tanquam ex fonte, dona in nos, & beneficia, qualis est divina misericordia, & bonitas. Sancti quoq; per quos ad Deum recurrimus, possunt esse nobis auxilio, ad hauriendum ex illo fonte, atq; ita adjuratio, nominetenus ad juramentũ spectat, re autem ipsa est obsecratio, per quam recurrimus ad Deum, ut nobis opituletur. Secundò potest adjurari Deus, ut moveatur ad præstandum quidpiam nobis excellentiâ suæ immobilitatis, & immutabilitatis, cui omnia quæ fiunt tanquam primę regulæ, formæ & ideæ conformantur, & sic adjuratio propriè ad juramentum spectat, nimirum, qua exigimus quidpiam à Deo per ipsius perfectiones, quæ sunt idea, & veritas, cui omnia confirmantur: & quando ad hoc sanctos adhibemus, per illosq; adjuramus Deum, assumimus eos, ut sunt primę ideæ, formæ quædam, & expressiones: atq; hoc modo adjuratio ad cultum Dei spectat, in specie juramenti, eò quòd fundetur in immutabili divina veritate. Quarto demum possumus adjurare beatos, aut mortales adhuc, dæmones item, & res carentes ratione, sive per Deum, sive per aliquid ipso inferius: ita adjuravit Caiphas Christum: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus:* Matt. 26. ita quidam imitando Apostolos adjurabant dæmones, dicebantq; *Adjuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat*, Actorum 19.: Sic S. Paulus adjuravit fideles: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola, hæc* 1. ad Thessalo. 5. Postremò adjurantur in Ecclesia tum dæmones, tum res mutę non petendo aliquid beneficii (irrationalia enim non percipiunt preces, dæmonum autem invocare opem, est impia superstitio) sed Dei authoritate imperando, ut ad ejus manifestandam gloriam, aliquid præstent, quod vel commodum adferat hominibus, vel incommodum depellat.

14. Præter enumeratas tres jurandi formas, est quarta juramenti promissorii, quod assertorio, seu simplici assertioni aliquid addit; nam in hoc

hoc attenditur veritas dicti affirmantis, vel negantis quidpiam præcessisse, aut adesse in præsenti; futurum enim propriè non asseritur; nisi fortè cùm quis juramento confirmat facturum quempiam, vel non facturum aliquid; quanquam tunc etiam, non tam futurum respicit assertio jurata, quàm præsentem, vel præteritam notitiam alieni propositi: etenim qui jurat Petrum, verbi gratiâ, velle insidiari Paulo, jurat se scire, vel intellexisse Petrum habere in animo, ut insidietur Paulo. Sed de promissorio juramento agendo sciri debet triplicem illud requirere veritatem, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 79. art. 7. in corp.; prima est assertionis de præsenti, ut id quod promittitur, sit verè in animo, quare qui dicit: Juro me cras daturum eleemosynam, verè jurat promissorio juramento, si cùm hoc dicit habeat animum, intentionemq; jurandi, & obligandi se in futurum. Secunda veritas est concernens futurum: cùm enim ita jurans velit aliquid libere deinceps facere; omnia autem quæ liberè ab homine fiunt, à voluntate ejus pendent; sequitur ut is, qui jurat se aliquid facturum, inducat in se obligationem habendi voluntatem, à qua pendet id, quod facturum se jurat: Tenetur inquit S. Thom. loco citato, ut faciat verum esse id, quod juravit. Nam sicut qui præsentia teste Deo confirmat, veritatem præsentem Deo teste exhibere debet; sic qui futura invocato Deo astruit, accipit illum in comprobatorem, ita futuræ rei, ut astruit. Atq; hinc cognoscitur tertia veritas pariter futuri, non jam voluntate tantùm, sed ipsa etiam executione ponendi, quod sub juramento facturum se recepit quispiam; nam qui jurat se cras, verbi causâ, daturum eleemosynam, ad duo futura quasi comitem Deum vocat, & ad voluntatem futuram dandi eleemosynam, & ad ipsam eleemosynę exhibitionem, utrumq; enim hoc juramento stabilivit.

Hæc de juramenti promissorii sponsione, hucusq; dicta, non ita 15.
sunt intelligenda, quasi semper vera promissio in illo reperiatur, potest enim quis ita jurare: Propono sub juramento, me velle cras confiteri, talis iurandi forma est promissoria, cùm sit de futuro, non tamen continet veram promissionem, sed propositum duntaxat. Itaq; duplici ratione potest quis futurum jurare: primò promittendo Deo (quod fit per votum, ut cap. sequenti dicemus) vel homini quidpiam ita, ut aut prius promittat, & confirmet promissum adjuncto iuramento, aut simul promittendo iuret, & tale iuramentum vocatur ab authoribus confirmans; confirmat enim promissionem, cui annectitur. Secundò potest quis iurare, nulla facta promissione, sed solo iuramento, ad faciendum quidpiam

Digitized by Google

piam se obligando, quare iuramentum dicitur per se stans; non enim innititur promissioni, sed sua propria iuramenti fulcitur obligatione, quę in hoc est sita, ut qui invocat Deum ad comprobandum futurum, inducendamq; obligationem, ob solam purè reverentiam immutabilis eius veritatis, præcisa omni obligatione promissionis teneatur id exequi, ad quod iuramento se adstrinxit. Hæc porro obligatio nata ex divina invocata veritate, etsi non sit propria promissionis; quia tamen est de futuro, imitatur illam perinde enim obligatur facere is qui iurat se facturum quidpiam, atq; is qui promittit.

16. Quapropter duobus modis censendus est Deus assistere promissorio iuramento, ut rectè docet Suarez Tomo de religione lib. 3. de iuramento cap. 16. primò tanquam testis veritatis illius triplicis supra explicatæ: Secundò tanquam approbans, & dans assistentiâ suâ vim obligationis de futuro, nisi enim invocetur Deus ad futuri exhibitionem, non esset obligatio religionis, quare si deest veritas illa triplex, committitur irreverentia contra Deum, eò quod invocetur in testem mendacii: Si autem non fiat id, quod iuramento promissorio statutum est, fit irreverentia Deo, ut approbanti obligationem, & danti authoritatem assertioni de futuro. Et quemadmodum is, qui verè promittit, si non stet promissis, non mentitur, sed contra fidelitatem peccat, ita qui verè iurat se aliquid facturum, si non faciat, non mentitur, committit tamen quandam irreverentiam in Deum, quasi abutendo divina authoritate approbante, & confirmante assertionem de futuro.

17. Ex quo Theologi inferunt, violationem promissorii iuramenti, si desit veritas esse grave periurium, ob irreverentiam divinæ veracitatis, quæ in testimonium invocatur: Si autem non fiat id, quod ex iuramento promissorio erat exhibendum, asserunt iidem, iam esse grave, iam leve peccatum, pro ratione materiæ. Si enim res magna omittatur, grave erit periurium ob gravem divinæ authoritatis vilipensionem; si autem levis, leve, idq; ideo, quia hęc obligatio iuramenti promissorii, est persimilis obligationi natæ ex promissione Deo, vel homini factæ: itaq; sicut promissionis etiam Deo factæ violatio in levi materia, est leve peccatum, ut dicemus capite sequenti, ita & de violatione hac iuramenti tenendum est, quoties illa committitur in levi materia.

18. Posset hîc quispiam dubitare, an explicata hæc futuri exhibendi obligatio, in iuramento promissorio inclusa, proprie ad iuramentum spectet, quandoquidem concernit Deum, non ut est verus testis, sed ut appro-

approbat sua assistentia futurum. Ad quam dubitationem respondendum est, omnino hanc obligationem ad juramentum spectare, & ejus violationem esse perjurium: etsi enim non respiciat Deum, ut testem scientem veritatem futuri; tamen respicit Deum verum tanquam fundamentum, quo supposito, futuri nascitur obligatio; nam ideo debet aliquid in posterum fieri, quia Deus testis verus illud approbavit, tanquam futurum, obligatio ergo illa ad juramentum spectat.

Ad explicatum jam juramentum promissorium revocari debet comminatorium, quod ita appellatur à pœna, quam jurans promittit se cuipiam inflicturum: quo pacto Deus Psal. 94. comminatus est jure jurando Judæis: Quibus, inquit, *juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Revocatur etiam eodem abjuratio, sic dicta, quod qui jurat se aliquid non facturum, cum quodam horrore, & detestatione facti, dicitur abjurare: ita qui convertuntur ad fidem catholicam, abjurant hęreses. 19.

Hæ sunt variæ juramentorum formæ, ac species, ex quibus facilè intelligi potest id, quod quis ad pleniorem huius materiæ cognitionem hîc requireret, quibus scilicet verbis actus jurandi expediendus sit, his ne? Juro; Deum testem invoco, aut conscientiam meam; per animam, vel fidem meam dico; peream, si non est ita, an aliis verbis. & quænam sint illa? Verùm in hac re ad duo advertendus est animus, ad intentionem videlicet jurantis, & ad usum in quavis, cuiusvis nationis lingua, signisq; quibus jurandi completur actio: quacunq; enim forma, & modo loquendi aut nutu quis utatur, si vult jurare, partim ex privata sua intentione, partim ex communi, & publica aliorum consuetudine, verè jurat. Quod si hæc duo absint, præsertim intentio, non jurameutum, sed asseveratio, & certioratio quędam erit, aut aliud quid, iuramenti prę-ferens similitudinem. 20.

Sectio. III.

Quod debitum, quæve sit juramenti obligatio.

QVid in rectè jurando tenendum sit, secundo decalogi præcepto expressum est, atq; ut hoc in quavis juramenti specie debitè observetur, paucis hîc expendendum; ac primò in simplici assertione juramento firmata (& idem dicendum de juramento promissorio, qua- 21.

tenus in eo Deus, ut testis invocatur) ut quisq; sciat, qua se debeat gerere ratione; quoties supremum numen adit, illudq; inducit, ut sibi adstipuletur ipsemet Deus. Itaq; præcepti illius sui: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, dat Deus interpretationem per Jeremiam Prophetam cap. 4. ubi sic legimus: *Iurabis vivit Dominus, in veritate & in judicio, & in justitia.*

22. Per quorum verborum illa duo: *Vivit Dominus*, se, cùm in testem vocatur, assumi viventem ea vitâ, quæ est inter omnes vivendi gradus summa, nempe intelligente, superante vegetantem, & sentientem vitam, & tali præterea, quæ in Deo est à se, & ex se, habens omnem bene, & feliciter vivendi perfectionem: neq; enim accepta est in aliquo limitato gradu, qualem sortitur à suo creatore homo, Angelus, & quævis, quæ condi potest rationalis creatura. Itaq; juranti proponit inprimis Deus factum, quod peragit, ut sciat se adhiberi in testimonium, summam in rerum natura excellentiam: inculcat prçterea debitum, atq; obligationem, ut caveat tantam vilipendere altitudinem.

23. Est & aliud, quod iisdem insinuatur verbis: etenim vita hæc Dei intelligens, nec crescit, nec minuitur notitiâ rerum, cùm simul omnia habeat sibi perspecta, itaq; scit, ut quodvis est, vel non est: quare qui jurat attendere debet, ne audeat, quantùm in se est efficere, ut hçc vita mutetur, quasi mutata intelligentiæ veritate, quod fit cùm Deus adducitur in testem eius quod est, acsi non esset, vel eius quod non est, acsi esset. Qua re vehementer offendi necesse est, omnia intelligentem Deum, quod jurans, quantùm in ipso est, velit privare eum vera cognitione rerum: sicut offenderetur graviter, & meritò quidem Monarcha terrestris, si quis conaretur (etsi id non efficeret) mutare statum, & conditionem eius vitæ, ut, scilicet, à regnandi dejiciatur culmine.

24. Postremò illis verbis: *Vivit Dominus*, hoc quoq; indicatur, ut noverit jurans à se vocari Deum, ad proferendum eadem verba, eosdemq; internos cordis habendos conceptus, quos habet ipse: nam sicut in humanis ridiculum, & stultum esset, adducere ad testandum, rem mutam, lapidem, verbi gratia, aut ferrum, quod nihil capiat, nullumq; proferat verbum, cum testis idem prorsus dicere, sentireve debet, quod sentit, ac dicit is, qui illo veritatem confirmat; pro illo enim debet testari, non contra illum. Ad eum planè modum, qui Deum invocat in testem falsi, risui eum, & execrandæ exponit ignominiæ, faciendo, nimirum, quasi mutum, & non intelligentem; cùm repugnet illi proferre, aut con-

concipere falsa. Atq; ut tantæ ignominiæ notam non audeat jurans Deo inurere, meminisse debet illum esse testem vivum, qui eadem prorsus dicere, ac sentire velit, quæ & is, qui ipsum in testem adducit; proindè vera illa esse oportet, neq; enim falsa potest testari Deus.

Quia tamen in hac quidem vita, non semper manifestat Deus periuria, censeturq; tunc consentire ei, qui ipsum invocat in testem, etsi falsè adstruat; ideo de talibus graviter queritur per Isaiam cap. 43. ita loquens: *Servire me fecisti in peccatis tuis præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*, quod quidem omnibus servit sceleribus, videtur tamen, periuriis valde accommodari: Nam qui peierat, quasi cogit Deum, ut serviat mendaciis, & quasi præbet Deo laborem in iniquitatibus, qui ipso approbat futurum malum à se jurejurando promissum, ad quod Deus, ut universalis causa præbebit suum concursum. Quare ne tanta peccata, tantæq; iniquitates in viventem committantur Deum, tria ipsemet servanda mandat juranti, jurabis, inquit, in veritate, & in judicio, & in justitia, & hæc est, quam dat interpretationem illarum duarum dictionum (in vanum) in Decalogi præcepto positarum. Itaq; vult Deus, ut nullus audeat jurare simplici attestatione, aut promissorio modo, nisi in veris, honestisq; factis, idq; tum, cùm judicium dictat subesse causam, & necessitatem jurandi, ut supra à num. 4. tres hæ boni juramenti conditiones explicatæ sunt. 25.

Sanctissima certè est hæc, sapientissimaq; voluntas Dei nostri; etsi enim recursus ad illum, ipsi gloriam, nobis pariat utilitatem, & hac ex causa, quàm creberrimè conveniendus omnium bonorum Auctor; quia tamen juraturus non recurrit ad Deum, ut ipsum glorificet, colatue duntaxat neq; ut petat suppliciter aliquid beneficii, sed ut id quod habet retineat, aut ablata recuperet, id quod faciendo periculo, (urgente sui præpostero amore) se exponit, ne injustè quædam retineat, & ne, ut hoc assequatur, Deum ut auxiliatorem impiè invocet: ideo mandatum habemus, ut cautè, & rarò in tam periculosa operatione expetamus commercium Dei. Ex hoc verò commercio imprudenter usurpato tria, & magna sequuntur detrimenta à Spiritu Sancto Ecclesiastici 23. recensita: ubi sic legimus. 26.

Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa: Enumerat deinde hos casus, asseritq; esse tres, consuetudinem, videlicet, jurandi, periuria, & vindictam periurorum. Prin[c]ipium tali declarat similitudine: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum non admis-* 27.

ceäris; quoniam non eris immunis ab eis: Sicut enim servus interrogatus assiduè à livore non minuitur, sic omnis iurans, & nominans in toto à peccato non purgabitur.

28. Hoc primum ex incauto consequitur iuramento, scilicet, consuetudo iurandi, quę initium potest habere pium, impium deinde finem: neq; enim iurandi frequentia perinde se habet atq; nonnullę virtutes: quarum creber usus semper expetendus est; verbi causa, fidei, orationis, amoris Dei, & similium, quæ quantò sæpius exercentur, tantò magis in honestate confirmant, & roborant, quia in illis nihil est, quod ad abusum alliciat, potius est id, quod excitet ad bonum, nempe cognitio, amor Dei, aliorumq; honestorum bonorum: unde qui sæpius amat Deum, crescit in eius amore, qui frequentius orat, faciliùs vacat orationi. Cęterùm iuramentum est ex earum numero virtutum, quę de necessitate usurpantur, ut est, verbi causa, temperantia cibi, potusuè, castitas matrimonialis, & similes, harum quippe materiam, qui crebrò, & sine necessitate usurpat, facilè à moderatione deflectit, eò quod sit quod ad excessum trahat, atq; alliciat: Quapropter periti rerum spiritualium docent, facilius esse ieiunare, quàm temperatè vesci. Cùm ergo in iuramentis sit quod ad excessum trahat nimirum amor retinendi, vel acquirendi quidpiam; si illud crebrò, & sine urgente necessitate usurpetur, facilis est ad labendum gradus, ut rectè dixerit spiritus Sanctus, servum si toties increpetur in iram prorupturum, pertæsum scilicet molestiæ; perinde & illum, qui toties iurat, deviaturum tandem à rectè iurando, nimirum lucrandi cupiditate, aut defendendi sui invitatum studio. Atq; hæc est una causa propter quam consuetudo iurandi vitanda est, fragilitas scilicet, periculumq; peierandi ex innata nobis ad malum propensione: quanquam hoc periculum remotum est, quapropter non omnes qui crebrò, bene tamen iurant, aut saltem cum veniali aliqua culpa, tandem enormiter peierant, unde etiam à tali consuetudine abstinere non tam est præceptum quàm consilium.

29. Est verò alia consuetudo perniciosa, & periculum afferens peierandi proximum, quę multis actibus comparatur, & in eo statu reponit assvetum, vt is, vel oblata occasione peieret, vel se peierandi exponat probabili periculo. Duplex est autem talis consuetudo, sive habitus, (idem enim significat vtrumq;, nisi quod consuetudo insinuet actus ad habitum comparandum directos, habitus autem significat id, quod post actus remanet) vnus, qui ex crebris peierandi actibus consequitur, ita

reddens assuefactum pronum ad malè jurandum, ut certò malè juret, (quoties cunq; offertur jurandi necessitas, vel occasio) ea morali certitudine, qua qui assuevit inebriari, semper se inebriat, quoties vel desiderium potandi, vel occasio adfuerit Hæc consuetudo ponit assuetum in statu peccati mortalis, & in periculo de quo Ecclesiastici cap. 3. legimus: *Qui amat periculum, in illo peribit*; sicut enim qui appendit ingens saxum filo, ita illud ponit, vt pondere suo perrumpat filum, ita cùm habitus, & consuetudo, sit instar ponderis, si talis sit, & tam potens vt ejus impetus nequeant moraliter sustineri, necesse est vnumquemq; ruere, qui sic fuerit assuetus.

Hęc est prima jurandi periculosa consuetudo, datur & alia, cùm quis non quidem assuevit peierare, assuevit tamen inconsideratè juramento uti, hoc est non advertendo, cùm tamen possit, ac proinde debeat advertere num verum sit, vel falsum id quod jurat, justum an injustum, & hoc in levi aut gravi materia; item sit necne juramentum quod usurpat, an aliqua humana asseveratio: qui sic assuetus est, manifesto se exponit pejerandi periculo, graviterq; in jurando delinquit. Nam qui sic assuevit non considerare, verum necne, justum an iniustum sit id quod jurat, facilis est ad falsum vel iniustum, modò detur occasio testandi Deo. & sic graviter peccat, propter illam animi sui ad malum propensionem: qui etiam assuevit, non expendere, sit necne iuramentum quod usurpat, facilè iurat, poteſtq; fieri ut iuret etiam tum, cùm absit veritas, aut iustitia. Neq; refert quod nonnunquam non iuret falsum, aut iniustum, vel quia non advertit, sed ex primo motu iurat: hoc inquam nihil refert, non enim consuetudo talis ideo est mala, quia ex ea quis malè jurat, & novum periurii admittit scelus; sed quia ponit in statu periculoso malè jurandi, vocaturq; hoc peccatum periculum peierandi, virtute in se continens mala iuramenta. Sicut qui proiicit incautè lapidem in plateam hominibus frequentem, non ideo peccat, quia aliquem læsit (quandoquidem casu evenit, ut nullum tangat) sed quia incautè proiicit, quæ incauta proiectio virtute continet læsionem proximi: ac quemadmodum incauta proiectio, est peccatum læsionis tantæ, quanta potest consequi, ut proiiciatur ingens lapis, committitur virtute homicidium, ita incauta iurandi in gravi materia consuetudo, erit virtute grave periurium. 30.

Cùm igitur hæc consuetudo in tam periculoso statu ponat iurantem, tenetur ille gravi præcepto ad tollendam eam: sicut enim qui conscius est, se quoties agit cum aliqua persona, peccare, inhonestate carnali, 31.

debet tollere conversandi occasionem, ita qui scit se illam consuetudinem habere, qua moraliter ad malè iurandum provocatur, debet illam omnino auferre. Id verò potest facere, vel concipiendo tot contrarios habitus quot sunt necessarii ad tollendam malam consuetudinem, vel saltem semel habendo firmum propositum, nolle ampliùs incautè iurare, ita enim ponit se in statu bono, contrario illi malo. Hanc obligationem imponit ipsemet Christus, ut explicat S. Augustinus de hac ipsa re scribens Tom. 4 lib. de mendacio cap. 11. Scriptum, inquit, est: *Ego dico vobis non iurare omnino:* (Matth. 5.) iuravit autem ipse Apostolus in Epistolis suis, & sic ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est: Dico vobis, non iurare; ne scilicet, iurando, ad facilitatem iurandi veniatur, & ex facilitate ad consuetudinem, atq; ita ex consuetudine in periurium decidatur: & ideo non invenitur iurasse nisi scribens, ubi consideratio cautior, non habet linguam præcipitem.

32. Atq; hoc est primum incommodum incauti iuramenti, scilicet, mala consuetudo, secundum quoq; ibidem affertur: Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet á domo illius plaga. Quæ, & quanta iniquitas committitur à perperam jurantibus, infra dicetur, cùm agemus de peccatis juramento oppositis, de plagis quibus periuros Deus etiam in hac vita castigat, non est propositi mei agere, plurimæ eæq; terrificæ ab historicis referuntur. Non levis est illa ex Gregorio Turonensi lib 8. Hist. Franc. cap. 16. cùm enim quidam accusatus esset patrati à se incendii, cupiens se purgare, intuendo S. Martini templum elevatis manibus ita juravit: Per omnipotentem Deum, & virtutem S. Martini Antistitis ejus, juro quia hoc incendium non admisi. Juramentum hoc falsum fuisse, non solùm publica vicinorum notitia, sed & terribili comprobatum est eventu, nam mox corruens in terram clamare cœpit, se à Sancto Antistite vehementer exuri, & dum hæc diceret, spiritum exhalavit. Multa talia divinę vindictæ, passim cernuntur, & audiuntur paradigmata: quin & jure humano, tam canonico, quàm civili institutæ sunt in perjuros graves pœnę, de quibus scribunt Authores, caveant hæc, qui vel asserunt, vel promittunt aliquid periurè.

33. Quod attinet ad aliud juramenti genus per execrationem, maior est obligatio servandi illas tres juramenti boni conditiones, veritatem, scilicet, justitiam & judicium, nam in eo non solum veritas divina, vel authoritas approbans promissum invocatur, sed insuper expetitur vindicta irreverentię in maiestatem Dei commissæ. Non levem esse hanc irre-

irreverentiam humana quoq; declarant, nam Esther. 1. scriptum legimus, Reginam Vasthi eam ob causam, quòd vocata à Rege non comparuerit in præsentia convivantium, regali solio, & diademate privatam, divortio quoq; & separatione thori esse punitam, nimirum, non potuit Rex ferre irreverentiam personæ suæ, à pari, hoc est á consorte illatam. Quomodo jam putamus laturum regum Regem Deum, irreverentiam suę divinę maiestatis, quæ à creatura, & mancipio suo vocatur ut adsit, licentiosè insanienti? Dico licentiosè insanienti, nam, quæ audacior licentia, & stultior insania esse potest, quàm falsum, fœdum, ac impium, quodammodo Deo imponere, & simul eum provocare, ut se vindicet: de hoc si pollet eâ potentiâ, ut possit omne quod vult, & eâ justitiâ ut nihil inultum relinquat? Quàm impium est tale juramentum: puniat me Deus, si non in partes secuero, non me vindicavero, non fecero, non dixero, quęcunq; potuero!

Non venit ita vocatus Deus ad testandum mendacium, aut ad comprobandam rem iniquam, neq; enim si veniret, esset talis testis, qui est verax, & sanctus. Veniet certè, & utinam non citò, aut etiam statim ad demonstrandam justitiam, atq; potentiam, & si non veniret, non esset is, qui est justus, & omnipotens: Ita se facturum promittit Exodi 20. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Fugiet execranda per execrationem juramenta, quicunq; memor fuerit quem in societatem suæ execrationis vocat. 34.

Tertium juramenti genus supra num. 10. explicatum, est adjuratio, in qua non invocatur Deus in testimonium, sed propter reverentiam immobilis eius veritatis exigitur aliquid, unde duplex in eum sic invocatum vitari debet irreverentia, ne, scilicet, sine judicio, & sine justitia fiat adjuratio: Judicium deest, cùm postulatur ab aliquo res futilis, verbi causa, lusus alearum, vel quid simile per Deum, aut Christi viscera: justitia abest, cùm adjuratur quispiam, ut sit socius mali operis, exempli gratiâ, ebrietatis. In seriis ergo duntaxat iisq; magnis, & justis, utendum esse hac juramenti forma, ipse suo facto docuit Christus, cum, ut narrat Matth. cap. 26. adjuratus sic à principe sacerdotum: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei vivi*, responsum, (aliàs apud Caipham semper tacendo) dedit, ob reverentiam Dei per quem adjurabatur & quidem in re magni momenti, ut fateretur se esse illum qui erat. Quo facto reliquit fidelibus documentum, ut neq; adjuran- 35.

jurandum, neq; adiurationi sit mos gerendus, nisi cum judicium urget, suadet justitia.

36. Vltimus jurandi modus sup. num. 14. explicatus, est juramenti promissorii, cuius, ut assertorium in se continet, supra à num. 21. tradita est obligatio, ut verò futurum concernit, ea sita est in exequenda re, Deo invocato firmata, ut à num. 14. traditum est, estq; gravis, & magni momenti, cuius vim, ac sanctitatem testantur omnes, quæ in humanis contractibus adhibentur solemnitates. Sancta, & immutabilia habentur judicum decreta, quæ feruntur à constitutis in potestate, & autoritate; creditur authenticis tabulis, eò quòd in publicis contineantur libris, & à notariis ad hoc destinatis conscribantur: matrimonia rata sunt, quando mutuo consentientibus adest proprius pastor, & testis. Si hæc innumeraq; alia fidem, atq; robur inviolatum obtinent, eò quod præscripta firmentur solemnitate, & si illa quis irritare velit, punitur tanquam injurius in eos, qui sua assistentia vim, roburq; conferunt actibus humanis: quę tandem fides, quodve debiti robur putandum est conferri illi promisso, vel assertioni de actu quopiam exequendo, qui divinæ majestatis assistentiâ comprobatur toties, quoties quis hoc, vel simili modo jurat; Testor Deum, quod id facturus sum, aut non facturus?

37. Nihil ambigendum est, enormem divinis Personis irrogari injuriam, ab eo, qui non facit, quod ipsis approbantibus facturus erat, quidquid sit, quod mortales ob usitatam malè jurandi consuetudinem parvi hanc injuriam æstiment; & cum timeant ne solennitatibus humanis, contraire audeant, huic quæ per invocationem Dei adhibetur, jam ferè nihil magni subesse putent, ut non mirer, quod lege Zachariæ 5. de volumine pœnas judicis continente, à furibus, & mendaciter jurantibus luendas. Rectè ibi fur cum perjuro jungitur; perjurus enim, & veritatem Deo surripit, mendacium illi adscribendo, & surripit id, quod facturus erat ob sanctitatem juramenti: ita ergo contra tales fulminat ibi Deus: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur*, sicut ibi scriptum est, *judicabitur, & omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur, & ducam illud* (scilicet volumen, quod ostenderat Prophetæ) *& veniet ad domum furis & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.* Putant se plerumq; tutos, perjurii abscondendo mendacia, & fallacias perjuriorum, intra domum cordis: Sed volumini divinæ justitiæ, debent illa omnia patere. Cùm igitur inviserit hoc volumen dolosam domum, omnia quibus se tales defendunt, con-

consumet, sive illa putentur robusta, ut ligna, sive ita dura, ut lapides; falsitates, doli, fraudes, fictiones, abusus, & perversæ consuetudines patebunt; judicabuntur, damnabuntur, castigabuntur, quia scilicet hæc in nomine Dei mendaciter acta sunt: noscet juramenti promissorii debitum, qui hęc considerabit. Quod dixi de obligatione juramenti promissorii, id totum applicandum est juramento comminatorio, in quo servari debet, & veritas assertionis, & judicium neçessitatis (neq. enim semper licet, quando libet minari) & justitia, ut id, quod minando promittitur, nihil contineat iniquitatis. Hæc eadem servanda in abjuratione.

Sectio IV.

An & qua ratione obligatio juramentorum tolli possit.

Obligatio juramentorum de qua hactenus egimus, duplici ratione considerari potest, primò ita, ut continet jurandi honestatem, & sic intellecta nunquam tolli debet, omnis enim jurans, ita jurare debet, ut exigit religionis virtus, nempe cum justitia, judicio, & veritate: quare qui se ab hac eximit obligatione, à virtute ad vitium peierandi degenerat. Secundò considerari potest eadem obligatio, ut supponit rectè factum juramentum, post quod remanet deb tum præstandi quidpiam vi illius, atq; hoc debitum, sive obligatio aliqua de causa auferri potest; sicut qui aliquid promisit, peractâ promissione subest debito præstandi promissum, quod tamen interdum potest non prestari. Et quoniam ex solo promissorio juramento consequitur obligatio faciendi quidpiam, de hoc solo queritur, an, & quâ viâ tolli possit, omnesq; Theologi affirmant cum S. Thom. 2. 2. Q. 89. art. 9. & 10. posse variis modis auferri, primò per ipsum juramentum & jurantem, id quod fit dupliciter. Aut enim jurans fecit satis ei, cui juravit, ita ut juravit & ut ille contentus merito debeat esse cui juravit, & sic posita satisfactione, cessat obligatio: aut non fecit satis, quia scilicet in peracto juramento advertitur, non esse adhibitum aliquid, ad substantiam eius necessarium; ut cum quis jurat, sine vera jurandi intentione, sed vel ex subito motu sine debita advertentia, vel alia de causa, an autem aliqua non habendi intentionem causa esse possit, infra num. 42. dicetur. Cum igitur 38.

gitur in hoc casu, nullum sit juramentum, nulla quoq; eius erit obligatio, & sic merito juramentum per ipsum juramentum sublatum censebitur.

39. Tale quoq; juramentum est, quod se ipso tollitur, si aliqua conditio desit, quæ omninò intelligenda erat in juramento, dico omninò, sunt enim aliquæ conditiones, quæ licet distinctæ non apponantur, semper tamen, & omnino subintelliguntur, vocanturq; communes, & generales humanarum obligationum conditiones, tales sunt illæ: Si vixero, si potero, & similes. Itaq; qui jurat se daturum eleemosynam, verbi causa frumenti, si hoc igne consumatur, cessat obligatio, quia deest conditio, quę debuit omninò subintelligi, nempe, si potero. Aliud est dicendum de illis conditionibus quæ nisi expresse ponantur, non censentur subintelligi, ut si quis, verbi causa, juret se donaturum debitum creditori, si ab illo fuerit rogatus, non tenebitur donare, nisi rogatus fuerit, siquidem hæc conditio expresse fuit apposita, propter quam juramentum, etiam fuit conditionatum, cum tamen priores illæ conditiones generales, non conditionatum sed absolutum faciunt juramentum, eò quòd in omni absolutè includuntur.

40. Tollitur quoq; juramentum per se ipsum, quando inhonestum quid promittitur, nulla enim obligatio esse potest, faciendi opus etiam venialiter malum, cum potiùs obligemur omnem vitare culpam. Qui igitur jurat se occisurum quempiam, iniuriam facturum, mentiturum, aut quid simile, nihil horum aut potest, aut debet facere. Huc etiam spectat juramentum rei cuiuspiam impossibilis factu, cum nequeat esse obligatio eius faciendi, quod vires, & facultatem superat humanam, & qui talia spondet levis est, neq; culpa, cuiusdam abusus iuramenti vacare potest: ut si dicat, iuro me volaturum. Pari modo qui aliquid iurat se Deo oblaturum, quod maius impediat bonum, ad nihil obligatur, siquidem pręcludit sibi viam faciendi maiora, inconsiderata quadam animi levitate.

41. Adhæc tollitur per se iuramentum, cum quis sincera, & bona fide dubitat iuraverit necne, etsi enim magna sit habenda ratio, & reverentia religionis in Deum, cum tamen obligatio libera debet esse illa potissimè, quam sibi homo ultro imponit, censendum est nolle Deum exigere ut debitum ab eo, cui non constat, voluerit necne obligari. Quapropter communis est Theologorum sententia, ut in dubio iuramento melior sit conditio possidentis, jurans quippe possidet libertatem suam, ita

ita sibi à Deo datam, ut ea non censeatur ligata, nisi cum illi constat de voluntate ac intentione se obligandi.

Rursus tollitur juramentum etiam per se ipsum, cùm quis amphibologicis utitur jurando verbis, ita ea accipiendo, ut ipse vult, non ita ut cupit alter, cui jurat; in quo eventu non est obligatus ad explendum juramentum, nisi in sensu à se intento, quia quisq; juxta propriam intentionem se obligat. Etsi quis jurat amphibologicè, timens aliquam deceptionem, vim, vel iniuriam, ab eo cui iurat, sine ulla culpa id agit; habet enim ius, & potestatem suæ libertatis, ut per eam sibi provideat, utendo verbis, pro suo commodo. Quòd si utatur amphibologiâ, dolo, & alteri nocendi gratiâ, peccabit tum, etsi, ut dixi non obligabitur ex vi iuramenti nisi iuxta sensum à se intentum. 42.

Licere autem uti amphibologiâ dicemus infra num. 62. huc revocandum est & illud iuramentum, quod fit alieno, vel proprio errore, atq; ignorantia; si enim error rei, quę iuratur substantiam afficit, iuramentum non obligat, quia ubi deest sufficiens notitia rei, abest quoq; libera voluntas, atq; intentio, sine qua nullum est iuramentum, sicut nec ulla virtus. Hac ratione non tenebatur S. Jacob ducere in uxorem Liam errore sibi ignoranti oblatam, si (ut est nunc apud fideles mos, addere juramentum sponsioni matrimoniali) juravit se Rachelem ducturum, de quo est Gen. 29. Nam cùm persona Rachelis, & Liæ fuerint substantialiter diversæ, juramenti quoq; error circa illas fuit substantialis; non ergo tenebatur accipere Liam, cum Rachelem spoponderit se accepturum. 43.

Secus dicendum de juramento vi, seu metu extorto, sive is justè, sive iniustè incussus sit, sive sit levis, sive magnus, & ut dicunt Theologi cadens in constantem virum, sive sit adhibitus ad extorquendum juramentum, sive occasione eius, juramentum pręstetur, ut cum quis periclitatur in mari, timendoq; naufragium jurat se daturum mille aureos, si fuerit salvus. Justè dicitur vis inferri ad extorquendum juramentum, cum quis cogitur iurare se id facturum, quod tenetur facere: verbi causa, si quis seduxit virginem promittens coniugium, potest à parentibus cogi ad juramentum, quo se obliget ad futurum matrimonium. Iniustè incutitur vis ad extorquendum juramentum, cùm quis cogitur jurare se id facturum, quod non tenetur, ut quando invasor cogit spoliatum à se bonis ad juramentum, quo promittat se id non delaturum ad judices. Quocunq; modo vis inferatur, modo adsit vera jurandi intentio tenet juramentum, quia liberè concipitur, quidquid sit quod non omnino 44.

 spon-

sponte, & ultroneè, id quod non requirit virtutis opus; multa enim impulsi aliquo molesto facimus motivo, & tamen honestè, ritè, validèq; facimus. Quanquam fieri potest ut aliqui humani actus, eorumq; obligatio, ob bonum publicum, lege positiva irritetur, nullaq; censeatur, quo pacto professio sollennis vi extorta, irrita est, ut dicetur de voto. Hac quoq; ratione supra hac parte 2. cap. 6. num. 16. ostendi contractus emptionis, & venditionis vi factos validos esse sua naturâ, etsi ob illatam vim facilè rescindi possunt si id ad judices referatur, sicut etiam juramenta vi extorta facilè relaxari possunt.

45. Hucusq; de primo modo tollendi juramentorum obligationem dicta ostendunt, qua ratione cesset eorum debitum per ipsummet juramentum: est verò alius modus tollendi hanc obligationem per alterum ab eo, qui præstat juramentum, & sic imprimis aufert illam quicunq; condonat id, quod alter ipsi se facturum jureiurando spopondit. Cum enim, ut supponitur in gratiam eius facta sit iurata sponsio, per quam ille jus adeptus est, ut jurans teneatur prȩstare quod spopondit, sicut sponsio mandata executioni tollit obligationem, nihil enim jam amplius restat faciendum, ita tollit, cum executio condonatur, quo in eventu idem est, ac si esset facta.

46. Secundò aufertur obligatio per relaxationem juramenti, quæ similis est condonationi, ab eo enim cui facta est jurata sponsio, fieri debet remissio debiti, accedente justa aliqua causâ, propter quam est relaxatio facienda. Hoc ergo differt relaxatio à condonatione, quòd hȩc sponte, & pro libito donantis fiat, illa ex aliqua necessitate, & justâ causâ, propter quam potest aliquis cogi ad remittendum debitum, ab eo, qui ad id habet potestatem, ut tandem fiat relaxatio. Hac ratione potest à Iudice cogi usurarius ad dimittendum debitum solvendi usuras, quia invitum induxit ad juramentum de solutione, quando noluit mutuò dare indigenti, nisi juraret se soluturum usurus. Talis inviti coactio est justa causa, ac necessitas relaxandi juramentum quod ut supra diximus num. 45. ratum validumq; fuit, etsi coactum.

47. Ob hanc igitur, vel similem causam, ac necessitatem relaxatio juramenti fieri solet, quapropter docent Theologi, quos citat Suarez opere de Religione lib. 2. cap. 41. duo requiri ad relaxationem, primò causam, necessitatemq;, quando, videlicet, cum iniuria aliqua prȩstat quis juramentum; Secundò potestatem, & hæc in eo est, qui habet jurisdictionem, sive in jurantem, sive in eum cui juramento aliquid est promissum

Digitized by Google

sum. Neq; verò spiritualis tantùm jurisdictio ad hoc requiritur, cùm & temporalis sufficiat; potest enim judex civilis, cogere, verbi causa, invasorem, ut remittat debitum à se coacto, quodsi nolit, vel invito eo licebit id facere judici in pœnam cogentis, posita autem remissione, relaxat in juramento idem judex. Quod cùm fit à laica potestate, non ipsum in se solvitur juramentum, in quod (nimirum in rem sacram) nihil illa habet jurisdictionis, sed aufertur tantùm conditio, & materia obligationis: Juramentum enim tamdiu obligat, quamdiu non fit remissio, hac data cadit obligatio, solviturq; debitum, quæ solutio dicitur relaxatio.

Tertiò solet obligatio tolli per irritationem eius, sine cuius consensu, nequit fieri jurata sponsio præstandi quidpiam, sive hoc sit res aliqua, verbi causa, donatio pecuniæ, sive operatio, qualis est obsequium, labor, & similes. Ex quo sumitur differentia inter relaxationem, & irritationem, ad illam enim requiritur justa, ut supra dixi causa, ad hanc nihil aliud, quàm potestas & jus in jurantem. Quanquam docent Theologi hoc jus duplex esse, primò amplum, quale est dominativum, aut simile illi, Secundò, strictius, ut est curę & administrationis, in priori non requiritur causa, sed sufficit ipsum jus, ac potestas, in posteriore debet aliqua adesse ratio, ut sit honesta, & pia irritatio. Quicunq; ergo habet in sua potestate res, eæ si juramento sunt cuipiam promissæ, non possunt tradi nisi accedat consensus illius, cuius sunt res, quo præstito juramentum solvendum, negato, tollitur eius obligatio, eò quòd conditio, & materia juramenti subtrahitur, ut numero præcedenti dixi, juramenta enim talia obligant, si adfuerit consensus eius, qui habet jus in rem. Hac de causa dispensator nequit dare eleemosynam, quam iureiurando promisit, nisi iusiurandum approbetur á Domino: ita coniuges nequeunt iurare peregrinationes, prę sertim longiores, sine mutuo consensu, quia quisq; eorum dedit in se ius alteri, ad exigendum mutuum convictum. Hoc etiam modo religiosus non est obligatus ad præstandum laborem, aut obsequium quodpiam etiam pium iuramento promissum, nisi Prælatus re cognita illud approbet, habet enim in illum ius quoddam regiminis per votum obedientię acquisitum, cui præiudicium fieret, si absq; consensu regentis subtrahat religiosus subditus suam personam & actus suos, ex his exemplis idem iudicium de similibus ferendum. 48.

Quartò tollitur obligatio iuramenti per dispensationem, seu per 49.

 con-

condonationem datam non ab eo, cui præstatur iuramentum, (quo pacto condonationem, & relaxationem fieri ostendimus) sed ab eo, qui est interpres voluntatis divinæ, quales sunt soli pastores Ecclesię. Nam hi in sui ordinis, & iurisdictionis authoritate duo habent inclusa; primò potestatem interpretandi Dei mentem in iis, quæ concernunt salutem; sicut enim rectores politici habent potestatem in caducis, & huius vitæ negotiis, interpretandi divinam mentem, conformando se ei in ferendis legibus, & in regimine subditorum, ita rectores ovium Christi, id est Ecclesię eius, habent potestatem in æternis, & futuræ vitæ negotiis divinam explicandi voluntatem.

70. Huius potestatis umbram descripsit, & iussu Dei servari iussit Moyses Deutero. 21. ubi statutum erat, ut si quando cadaver hominis occisi inventum esset foris, nec sciretur homicida, seniores vicinioris civitatis vitulam in valle saxosa cæderent, lavarentq; manus super illam. Quia tamen hæc ceremonia saltem in ritu externo conscientiam spectabat, non priùs liberi censebantur à reatu illi seniores, quàm adessent sacerdotes, qui liberos suo decreto pronunciarent, & quasi dispensarent in obligatione pœnę & reatûs, nimirum, utentes sua potestate in iudicando de occultis, in commutandis pœnis, & in exequendis aliis, quæ Deum concernebant, sic enim ibi scribitur: Accedentq; sacerdotes, quos elegerit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei, & benedicant in nomine eius, & ad verbum eorum omne negotium, (scilicet, salutis) & quidquid mundum, vel immundum est iudicetur. Quod in umbra, & figura apud veteres fideles gestum est, hoc revera nunc fit in Ecclesia Christi, per potestatem ab illo datam, de qua Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum, quæcunq; ligaveris super terram erunt ligata & in cœlo, quæcunq; solveris, erunt soluta.* Itaq; potestas hæc tunc data Petro, per illum descendit ac successorem eius, supremum, videlicet, fidelium pastorem & per hunc derivatur ad reliquos minores ordinarios pastores, à quibus deinde solet crebrò aliis delegari clericis, ut quisq; dispenset in iuramento cum eo, qui sibi subditus est. Debet tamen semper iusta intervenire dispensandi causa, nimirum, quæ mutet, tollatq; materiam, & conditionem iuramenti, qua sublata censetur iuxta mentem Dei cessare obligatio, accedente cessationis declaratione per superiorem dispensantem. Pręter iustam causam, abesse quoq; debet præiudicium tertii, nam si quis iuret se redditurum alteri debitum, non potest à iuramento liberari per dispensationem, nisi accedat creditoris consensus, & meritò quidem

dem hic exigitur, ne aliàs potestas Ecclesiæ sit occasio, causaq; damnorum proximi, & ut scribit S. Paulus 2. Corinth. 10. *sit in destructionem, & non in ædificationem.*

Porro rectè advertit Suarez opere de religione Thom. 2. lib. 2. cap. 40. cum aliis Theologis, potestatem dispensandi in iuramento distinctam esse à potestate dispensandi in voto, eò quòd votum, & iuramentum sint distincti speciei actus religionis. Quapropter qui habet delegatam sibi potestatem in voto dispensandi, non habebit potestatem dispensandi in iuramento, & idem dicendum vice versa. Rectè quoq; idem ibidem docet, quod cùm iuramentum promissorium, sit simile promissioni, seu voto Deo facto, hinc fit ut per consuetudinem in Ecclesia usurpatam, utrumq; in hoc æquiparetur: quare quæ vota sunt reservata alicui, ut est reservatum Pontifici, verbi causa votum castitatis perpetuæ, iuramenta quoq; si in eadem materia concipiantur, sint reservata iisdem, quibus & vota, sed de hoc plura Theologi. 51.

Vltimò tollitur obligatio iuramentorum per comutationem, ut non fiat id, quod est promissum, sed aliquid aliud; hanc verò commutationem is potest facere, qui potest dispensare, irritare, relaxare, & condonare, qui enim totum debitum tollit, habet quoq; potestatem modificandi illud, ut vel æquivalens fiat, vel minus, vel quid simile. 52.

Quę sunt allata de variis modis tollendi obligationem iuramentorum, duo nobis commendant, primum ut cauti simus, nec faciles ad contrahendum hoc debitum, ad quod abrogandum tot vias necesse est quęrere, ut tuta conscientia esse possit. Salomon certè de eo, qui homini pro amico spondet, ita scribit Proverb 5. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis tuis.* Dat deinde consilium, quid tali sit opus facto: *fac quod dico tibi fili mi, & teme: ipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, eruere quasi damula è manu*, hęc ille: Quæ nostro serviunt proposito, qui enim iurat, spondet Deo pro intimo suo amico, scilicet pro anima, idem illaqueat se verbis suis, inciditq; in manum omnipotentis, à qua ut se liberet, discurrere, festinare, suscitare debet animam, ut in re tanta non dormitet. Aut ergo faciat satis iuramento, aut quærat ex tot modis iam enumeratis, quo ab omnipotente verè, & sincerè, (neq; enim apud illum fraudes prosunt) erui possit: liber autem factus, tardior deinceps sit ad similia accersenda debita, ad quorum solutionem tanta exiguntur, nec semper sufficiunt ob aliquod impedimentum. 53.

Eadem

54\. Eadem hactenus dicta, aliud quoq; commendant iis quorum inter est vinculum auferre iuramenti, ut in hoc sanctè se gerant, advertantq; ad duo animum, quando vel debent tollere hanc obligationem, & non faciunt, vel non debent, neq; possint, & nihilominus faciunt. Qui igitur dispensant, & causam habeant perspectam, neq; levis momenti, & putent se tum Dei vices obire, debereq; facere, quod faceret ipse Christus, si presens dispensaret, id si aliter egerint, audiant sibi dici id, quod audivit ille, abusus potestate sibi accepta: Redde rationem villicationis tuæ. Hoc ipsum fervent, qui non nisi ex causa irritare possunt iuramenta, quanquam & alii quibus datur etiam sine causa irritandi potestas, prudenter, sanctèq; faciunt, non utentes illâ, nisi cùm ratio, & honestas aliqua utendum suadent, ut ita iuramenta, quantùm necesse est, vigorem pietatis, religionisq; obtineant semper. Cui relaxandi necessitas incumbit, facere debent, quod illa suadet, alioquin qui in hoc durum se prebet, & charitatis, & iustitiæ est immemor, mancipiumq; suarum cupiditatum. Qui condonando iuramenta solvit, id faciet, quod pia monet prudentia, ut vel suo serviat, non condonando, commodo, vel alieno, condonando. Ista de obligationibus iuramentorum.

Sectio V.

Quæ sint vitia, & peccata iuramento opposita, & primò ratione veritatis.

55\. OMnes qui de hac agunt materia, vitium, ac peccatum iuramento oppositum assignant periurium, sed sicut iuramentorum sunt variæ formæ, & modi ut supra vidimus à num. 8., ita & periuriorum; quorum aliqua sunt letalia, alia venialia peccata, pro maiori, vel minori defectu, in illis tribus ad bonum iuramentum requisitis comitibus, veritate, scilicet, iustitiâ, & iudicio. Quanquam rigidè sumptum periurium illud communiter intelligitur, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 89. art. 1. in corpore, in quo deest veritas: Quare periurium ex defectu veritatis, sive sit assertorium sive execratorium, sive promissorium, & est peccatum, & mortale peccatum, ut omnes Theologi sentiunt cum S. Thom. 2. 2. Q. 89. art 3. ad 2. Peccatum est, quia caret debitâ honestate ad hunc religionis actum necessariâ: mortale, quia ut sup. num 17. osten-

ostendimus, magnam in Deum committit irreverentiam, qui eum adducit in testem, & socium mendacii, quod de quovis etiam jocoso, & levissimo asserendum est mendacio, cum quovis grandis divinæ veritati infertur iniuria. Quanquam si desit veritas in juramento solemni, ad quod adhibentur quædam ceremoniæ ad deterrendos homines à peierando, potest tunc esse maius peccatum, quam in jocoso, vel levi privato mendacio; maius, inquam, non in ipso mortali periurio, (quod semper ex defectu veritatis æquale est sibi) sed in scandalo consequente tale periurium apud eos, qui adsunt, & sciunt falsum confirmari.

Jam veritas dicta aliquot ex causis potest deesse juramento, primò 57.
cùm quis ex proposito falsò jurat; etsi id facit cupiditate lucri, aut cuiuspiam commodi, vel timore damni unum erit periurii duntaxat peccatum: Si verò falsò juret, putando Deum nescire cordis intima, aut ex contemptu maiestatis eius, aut ex alio quopiam perverso affectu, adiunguntur alia peccata, nimirum, infidelitas, blasphemia, & cætera.

Secundò potest abesse veritas, cùm quis exponit se periculo ex con- 58.
suetudine sup. à num. 28. explicata falsè jurandi, talis enim non veritatem in juramento intendit, sed suam agendi libidinem sequitur, quidquid sit quod veritas absit, vel adsit.

Tertiò deest in jurando veritas, cùm quis exteriùs se gerit ut verè 59.
jurans, & præfert animum, intentionemq; Deum testandi, revera autem non habet illam: & si exterius hoc juramentum falso applicatur pronunciato docent Theologi, ut Caietanus in 2. 2. Q. 89. in art: 7. responsione ad 4. aliiq; committi tunc peccatum mortale, eò quòd exterior actus religionis divinæ applicetur rei falsæ, & planè contrariæ Deo, qui in testem invocatur, cum magna eius irreverentia: Sicut, inquit Caietanus, peccat mortaliter is, qui exteriore cultu adorat idolum, etsi sine intentione adorandi, quia scilicet externum actum adorationis divinę, seriò applicat idolo contrariò externæ Dei veri adorationi. Rigida hæc videtur Caietani, aliorumq; sententia, sed ratio urget sumpta à falsitate juramento confirmata, implicata quadam, & interpretativa ratione; qui enim seriò exteriùs mendacium astruit, & firmat jureiurando, quasi ex intentione illud firmat, cum aperta, & magna divinæ veritatis maiestatisq; irreverentiâ, cum Deo enim exteriùs sanctè, & piè agendum, neq; committendum quidpiam, quod sit contrarium maiestati, aut alicui attributo divino, quemadmodum mendacium contrariatur veritati. Præter hanc rationem, urget etiam illa Caietani sumpta ab i-

Digitized by Google

dolo exteriùs duntaxat adorato, ipsa enim adoratio exterior præcisa intentione adorandi, scandalo, & aliis peccatis, est gravis culpa, eò quòd idolo, ut vero Deo exterior exhibeatur cultus.

60. Aliud censent authores dicendum de eo, qui sine intentione iurandi, asserit in iuramento verum, is enim venialiter peccat propter abusum actus religionis exterioris in materia quidem bona, hoc est in veritate, variè tamen, & sine necessitate iuramentum assumendo, sic tenet Suarez cum toto opere de Religione lib. 3. de iuramento cap. 17. etsi Caietanus putet, etiam tum esse mortale, quod videtur à vero alienum, maximè cùm possit, nullum etiam esse peccatum, si quis iniuriosè coactus iuret absq; intentione, ut dicemus infra de amphibologia.

Sectio. VI

Quæ excusant à perjurio falsitatis,

61. A peccatis jam enumeratis in jurando potest excusare inadvertentia, ut vel nulla sit, vel saltem non mortalis culpa, repente jurare, quemadmodū etiam eadem ex causa alia quoq; excusantur peccata. Jocus quoq; liberat jurantem à delicto, cùm abest jurandi intentio, quia tamen talis jocus vanè, & valde otiosè adhibetur ad externam jurandi formam, ac speciem, non erit immunis à crassissimo veniali peccato. Quòd si jocus, & consuetudo jurandi sit sine intentione veri juramenti, exterior etiam forma, ac modus non tam juramentum, quàm humanam quandam, & civilem præseferat asseverationem, vel nullum erit peccatum, vel ad summum levitas venialis, eò quòd aliqua videatur similitudo jurandi, præsertim si otiosè usurpetur.

62. Præter dicta excusat quoq; à periurio amphibologia, id quod supra num 43. attigimus, quando, scilicet, justa est causa utendi verbis variè varium habentibus sensum, vel plus concipiendo mente, quàm continent verba. Cum enim non semper, nec cuicunq; teneamur aperire secreta cordis, ut dicetur cap. 23. à num 6. ne, scilicet, libertate privemur nostrarum operationum: Sequitur ut liceat uti verbis in eo sensu, quem usurpamus, non in eo, quem intendit alter, modo, ut dixi adsit justa causa. Possunt vero esse multæ huiusmodi causæ, verbi gratia, commodum aliquod non leve sive animæ, sive corporis, bona item fortunæ,

tunæ, & huiusmodi alia. Hac ratione, si virgo cogatur à parentibus ad spondendum cum juramento matrimonium, potest dicere: Juro me consensuram; intelligendo consensum in rem quampiam à matrimonio aliam, vel in matrimonium quidem, si tamen voluerit, & citra suum præiudicium potuerit id præstare, & ita de similibus. Quod dixi de eo qui ambiguis utitur in jurando verbis, idem asserendum de illo, qui jurat verum, sine intentione jurandi, utrumq; enim excusat à peccato justa, sic jurandi, causa, cùm par sit utrobiq; ratio.

Ad amphibologiam revocanda est consuetudo jurandi civilis, inter 63. amicos & aulicos recepta, qui se mutuò prævenire cupiunt honore, vel quopiam commodo; sic ingressuri domum, post mutuam salutationem, jurant se non præcessuros, vel non priùs sessuros, aut comesturos, quàm id agant amici, quos invitant. In his enim licet contrarium crebro fiat, est amphibologia, (ob justam amicitiæ declarandæ causam) subintellecta, nempe si potero, non præcedam; Si non offendam, non priùs comedam, aut quid simile, vel certè, ut quidam dicunt, talia juramenta sub tacitis conditionibus fiunt, ut: Juro me non priùs comesturum, nisi, videlicet, amicus, invitatus, nolit omnino priùs vesci.

Jam vero si non sit justa, amphibologiâ utendi, causa, communis 64. est Theologorum sententia, quos citat Suarez de Religione Tom. 2. lib. 3. cap. 10. venialiter tunc peccari, propter levem Dei irreverentiam, quod sine necessitate, ac proinde indebitè tractetur hoc modo, juramentum. Quanquam potest interdum esse letalis culpa, quando huiusmodi juramento committitur aliqua notabilis in proximum iniustitia; ita peccat, qui simulatè jurat se certo tempore debitum redditurum, & postea non reddendo, graviter alteri nocet.

Postremò liber quoq; est is à periurio, qui jurat deceptus fraude, 65. aut errore, ac ignorantia, cùm enim ad actum humanum requiratur plena libertas, ad quam præcedens cognitio necessaria est; sequi oportet, ut juramentum, in quo deest necessaria cognitio, nullum sit: nisi fortè error, & ignorantia sit in re ad substantiam juramenti prorsus impertinente, & ut dicunt Theologi, accidentaliter se habente. Hoc modo, qui jurat se redditurum debitum certo die, non excusabitur à juramento, aut à solvendo per ignorantiam, quòd non sciverit illum diem esse natalem suum, aut talem quo prognostici prohibent inire contractus, nam id impertinens est ad reddendum debitum. Secus tenendum de illa re, quæ ad substantiam juramenti spectat; hæc enim ignorata irritat jura-

Digitized by Google

mentum: ut si quis accepto novo, de fratre suo è bello vivo redeunte, juret se daturum eleemosynam, si alius è consanguineis, & non frater redeat vivus non tenebitur juramento, eò quòd juramenti materia, & substantia fuerit fratris, non verò alicuius alterius propinqui vita. Atq; ex hoc facilè intelligitur, quid dicendum sit de illo juramento, ab Israelitis præstito, de quo habemus Josue 6. quæ deceptio in accidentali re fuit, ac proinde juramentum Israelitarum ratum, validumq; erat. Nam ut explicant hunc locum Lyranus, & alii scripturę interpretes, Dei voluntas fuit, ut omnes qui Hèbręis peregrinantibus obsisterent, trucidarentur, sive illi procul, sive vicini essent: Cùm ergo Gabaonitæ non obstiterunt, merebantur misericordiam, quam illis Josue & cæteri jureiurando promiserunt, atq; ita impertinens erat ad juramenti substantiam, quòd decepti à Gabaonitis, (qui se simulabant de longinquo venire) putaverint Judæi eos verè fuisse longinquos. Cæterùm substantiale fuit, quòd non obstiterint, & ut talibus prestitum est juramentum meritoq; servatum, etsi in pœnam illius fictionis, impositum fuerit illis ibidem descriptum onus atq; obsequium.

Sectio VII.

Quæ sint contra juramentum peccata ratione justitiæ & judicii.

66. Tot jam enumeratis modis committitur periurium ob prę̨iudicium, quod fit divinę veritati, verùm est aliud periurii genus cum præiudicio alterius ad bene jurandum requisitę conditionis, nempe justitię quod etiam variè patrari potest. Primò si invocetur Deus in testimonium veræ quidem assertionis, in re tamen mala, ut si quis detrahat alteri, juramento, id quod verè est confirmando, sic verbi causa: Testor Deum hunc tale scelus commisisse; quo jurandi modo irreverentia committitur in divinam veritatem, eò quòd illa iniquæ locutioni adjungitur. Levis tamen hęc, & venialis est irreverentia, ut docent Theologi apud Suarez opere de Religione Tom. 2. lib. 3. cap. 12. eò quòd nihil admittatur contra Dei veritatem, cùm vera res per illam probetur, illud solùm culpam affert, quòd non cum omni pietatis circumstantia, Dei invocetur veritas, quæ esset, si & vera, & honesta res divino comprobaretur testimonio.

Rectè tamen notat ibidem Suarez posse committi peccatum mortale tali jurandi modo, quando assumitur juramentum tanquam medium, & instrumentum ad committendum peccatum: Si enim, verbi causa, quis juret, ut detrahenti sibi fides detur, in eo casu, rem sacram, ad turpem ordinat finem, & quantùm in illo est, ipso vult eam fædare. Neq; hęc posterior jurandi ratio, est idem, quod testari fœdam rem Deo, nam hîc solùm veritas attenditur, quæ si est, quanquam in re mala, divina maiestas generali quadam ratione, & communi ceteris peccatis ostenditur, eò quòd adsit rei inhonestæ, sicut generali concursu, ut causa prima adest omni peccanti. Cęterùm cùm quis jurat eo fine, ut res mala comprobetur, ordinatur juramentum, & cultus Dei ad rem malam, ut ab ea inficiatur, quemadmodum semper finis afficit medium: atq; in hoc est peculiaris quædam iniquitas, rem sacram ad malum ordinare, quod si fuerit grave & mortale, ipsum quoq; juramentum, graue quoddam erit periurium. 67.

Secundò peccatur contra justitiam in jurando, si non fiat id, quod jureiurando spondetur; & peccatum quidem hoc jam est mortale, jam veniale pro gravitate, vel levitate rei, quę sub juramento pręstanda est, id quod sup. num. 17. fusiùs explicatur. 68.

Tertiò læditur in jurando justitia, si spondetur futurum aliquid, quod sine culpa nequit exhiberi, & si culpa est mortalis, periurium quoq; mortale erit, quia ut num. 67. dictum est, ordinatur tunc juramentum ad malum grave; qui enim jurat se occisurum, verbi causa, aliquem iniustè vult ut divinæ veritatis attestatio, obliget illum ad cędem, in quo est magna Dei irreverentia. Quodsi culpa promittatur levis, leve erit periurium, quia ordinatur juramentum ad minus malum, hac ratione peccat, qui jurat se indifferens quidpiam facturum, non relatum ad aliquem honestum finem, ut verbi causa, piscaturum, venaturum, aut exhibiturum aliquid futile, & inane: actio enim indifferens, ut docent Theologi, est venialis noxa, sicut & futile, ac vanum quid, est otiosus actus, parvaq; Dei offensa. 69.

Aliud est sentiendum de impossibili quod juratur: Hoc enim potest esse, jam grave, jam leve peccatum; impossibile autem duplex est; aut secundùm facultatem naturalem, quod dicitur impossibile physicum, aut secundùm rectam agendi rationem, quod vocatur morale impossibile. Prioris sit exemplum, si quis juret se daturum centum millia ducatorum eleemosynę, qui nec centum ducatos habet, aut habere potest: 70.

Posterioris si quis juret se nunquam daturum ex liberalitate eleemosynam, sed tunc duntaxat cùm sub peccato tenetur, cùm enim talis, præcludat in corde suo aditum consiliis SpiritusSancti, ponit se in statu moraliter impossibili, seu in eo, qui secundùm rectam rationem nec debet, nec potest sustineri. Itaq; qui talia jurat, & quidem joco, idem dicendum quod dixi sup. num. 61. de Jocoso juramento; Si verò seriò sed subintelligendo conditionem, nullum erit peccatum: ut si dicat, juro me daturum centum millia eleemosynæ, tacitè intelligendo, si illa aliqua ratione habuero. Quodsi seriò, & sine conditione, impossibile juretur, tenet Suarez opere de religione, lib. 3. de juramento cap. 18. cum aliis, quos citat, posse graviter delinqui, quod tunc puto esse, cùm id quod juratur est naturaliter impossibile, ut si quis dicat: Juro me volaturum, talis enim abutitur juramenti obligatione cum quadam irrisione rei sacræ, applicando illam ad impossibile factu, in quod nulla potest cadere obligatio. Itaq; dicere, juro me volaturum, est quasi dicere, juro me nugari, irridere sacram rem, & nihil religiosi, ac obligatorii facere velle, id, quod magnam Deo, qui in testem vocatur, irrogat irreverentiæ notam. Tandem si juretur impossibile morale, videtur tunc tale esse periurii peccatum, quale & ipsum est impossibile; quare si quis juret se mentiturum jocosè, erit veniale pe iurium, quia mendacium jocosum est veniale. Et cùm nemo obligetur ad peccandum, qui jurat se jocosè mentiturum, ponit se in statu moraliter (id est, secundùm rectam rationem) impossibili: Nemo enim debet, aut potest obligari ad aliquid faciendum malum; venialiter ergo peccabit, quia impossibile quod jurat, est veniale. Secus dicendum, si sit grave quid, moraliter impossibile, verbi causa nunquam velle eleemosynam dare, nisi urgeat peccatum; sic enim jurans ponit se in eo statu, ut velit respuere consilia Spiritus Sancti.

71. Ad hanc impossibilem jurandi speciem, spectat indebita adiuratio, in qua læditur justitia, quoties vel in vana, & futili re usurpatur, vel ad gravē Dei offensam ordinatur patrandam: ut si quis ad iniquam cędem, adiurando alterum instiget; abutitur profectò talis sacrâ, & religiosâ re, cum gravi Dei iniuria, levior autem erit periurii culpa, si in leviori materia fiat adiuratio.

72. Hæc de peccatis contra justitiam juramentorum; tandem sunt periuria ex defectu iudicii, in quo communiter venialiter peccatur, cùm videlicet sine debitâ necessitate, vel utilitate, justa aliàs, & vera præstantur

tur juramenta: tanta enim debet esse divini nominis cura, & reverentia apud omnes, ut non solùm sanctè tractandum sit, nec ullo gravi piaculo contaminandum; sed etiam temporum, occasionum, & minimarum circumstantiarum habenda ratio, ut debitè invocetur. Quocirca S. Thom. 2. 2. Q. 89. art. 10. docet: pueris, hominibus levibus, & periuris non esse deferenda juramenta, eò quòd tales non soleant cum judicio expendere, sit necne jurandi, necessitas, aut utilitas. Quemadmodum etiam viris magnæ authoritatis, ut sunt Prælati, sacerdotes, & similes, non facilè jurandum censet idem doctor, propterea quod eiusmodi ut plurimùm veritatis sint amantes, neq; egent divino testimonio, sed ipsi sibi sunt graves, & sufficientes testes; aliàs vanè, & sine judicio Deum invocarent. Quare à magnis viris, non nisi magna, & publica aliqua necessitate, exquirendum est juramentum.

Sectio. VIII.

Vtrum liceat exigere juramentum ab eo, qui malè est juraturus.

S. Thomas 2. 2. Q. 98. art. 4. hanc quoq; circumstantiam judicio expendendam docet, an scilicet liceat exigere juramentum ab eo, qui certò est peieraturus, vel per falsos juraturus Deos: quam dubitationem sic ipse resolvit, ut nunquam liceat inducere ad peierandum, vel ad jurandum per falsos Deos, committendamq; idololatriam, sicut nunquam licet inducere, aut suadere ullum peccatum. Quia tamen jurandi actus non est ex illis, qui tantùm bene, aut malè exercentur, sicut est purus amor Dei, qui nunquam potest esse malus, vel blasphemia, quę nunquam est bona, sed est talis actus, qui bene usurpatur, si adsunt tres illi comites, veritas, justitia, & judicium, malè si aliquis eorum absit, ideo docet loco citato S. Thomas, & cum eo Theologi, posse interdum exigi juramentum à peieraturo, vel per falsos juraturo Deos non quidem ita, ut qui exigit, intendat malum juramentum; sed ita, ut velit bonum, quidquid sit, quod culpâ jurantis, malè quis eo utatur. Hac ratione communiter docent Theologi, multa à duobus fieri posse, quibus unus ex illis abutatur ex sua malitia; ita enim licet vendere gladium alteri, qui eo ad iniquam cædem usurus est; ita licet vendere carnes, quibus jejunium emptor est violaturus; sic unus petit mutuum, quod alter 73

non

linguæ conspirarunt in frequentissimam jurandi frequentiam, jam seriò, jam joco, nunc ut placeant, & persuadeant, nunc ut decipiant, & lucrentur, irati, mœrentesve minantur cum juramento, læti, & convivantes promittunt cum eodem, narrant, jurant, audiunt, cogunt jurare, petunt, adiurant, rogantur, negant cum execrationibus. Omnino (quis enim consuetudinis huius recenseat omnia?) non est hac sæculi tempestate scire loqui, nisi cum juramento, à quo & gratia, & authoritas sumitur dicendi.

79. Et hęc quidem fiunt privatis in negotiis, jam verò publica quoq; judicia (quæ ut juramento sanctè terminentur, legibus cautum est) quantùm periuriis innodentur, vel illud, ex malo usu, argumento est, non bonum dicterium, quod forte à multis variarum gentium usurpatur populis: Jurabis, nihil dabis: quasi ad hoc sint in judiciis juramenta, ut evadere tantùm liceat, non testari innocentiam.

80. Consuetudinis huius originem, causamq; varii variam assignant, mihi interim videtur eadem esse, quæ & quomodovis peccandi. Cùm enim omne peccatum sit mendacium, ut docet S. Augustinus de Genesi contra Manichæos lib. 2. cap. 16. & meritò quidem; quia peccatum est difformis operatio divinæ veritati, regulæ omnium nostrarum actionum, peccantisq; conscientiæ, quę aliter dictat faciendum, quàm fiat à peccatore; unde mendaces, iidem sunt in scriptura, qui & iniqui, ita enim David Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium: Cùm igitur peccata sint mendacia, & homines crebrò peccent, nolint tamen peccatores videri; quis enim æquo animo ferat se iniquum, & nequam appellari? ideo assumunt Dei testimonium ut innocentes appareant. Hinc ut supra notavi num. 72. levis, & inconstantis ingenii hominibus prohibita sunt iuramenta, tanquam iis, qui facilè à recta ratione se patiuntur abduci, & quod, quasi non abducantur, facilè mentiuntur. Quapropter cùm tanta sit malè jurandi gravitas, & facilitas tanta; illa timenda, hęc vitanda, ne in gravitatem peccandi inducat, tractandumq; sanctè nomen Dei sanctum, id quod fiet, si nunquam assumatur in vanum, sive privatim, sive publicè; siquidem privatum & publicum juramentum idem est prorsus, solùmq; accidentali quadam formâ, & ceremoniâ differt, proinde utriusq; non temerè usurpandi, eadem est ratio, & necessitas.

CAPVT. XVII.

De Voto & Oppositis ei Vitiis.

EX enumeratis religionis actibus cap. 10. num. 7. ultimus restat voti explicandus; de quo ea duntaxat spectando, quæ ad eius honestatem rectè percipiendam, & opere implendam conferunt, quinq; dicentur: quid, quotuplex sit votum, quæ eius obligatio, & quęnam ipsi opposita peccata? Et cùm votorum usus non sit præceptus divino, aut alio quopiam jure, ratio etiam idem ostendat, quia nullus tenetur obligare se ad id, quod sponte, & ex quadam cordis abundantia agit, (quemadmodum facit qui aliquid vovet) unde in sacra scriptura, non votum exigitur, sed(si jam sponte factum est) adimpletio eius, ut legimus Proverb. 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: cùm, inquam, vota libera esse debeant, sequitur ut eorum usus sit perfectionis, & supererogationis opus. Quapropter quintum, & ultimum ad hanc de voto materiam addendum erit, de perfectione Christiana; sed jam propositum ordine prosequamur. 1.

Sectio I.

In quo sita sit ratio voti?

SVbstantiam voti explicaturus S. Thomas secundâ secundę Q. 88. tria supponit necessaria, quædam ex parte voventis, alia ex parte Dei, cui fit votum, postremò materiam explicat, seu id quod voto promittitur. In vovente rursus tria requirit, a. 10. primum est deliberatio, cùm enim ut dixi libertati nostræ vota sint commissa, voturus expendere debet expediat necne obligare se, & ultro imponere sibi necessitatem præstandi quidpiam. Alterum quod requirit S. Thomas in eodem, est intentio, & propositum vovendi, quod nisi accedat, quantumvis cognoscatur utilitas aliqua, & religio voti, nullum tamen erit; quia sine voluntatis consensu, ac proposito, nulla potest induci obligatio ad faciendum aliquid. Quanquam neq; hoc propositum inducit obligationem, multa enim proponimus, quę aliquo casu non implemus. Tertium 2.

54. Eadem hactenus dicta, aliud quoq; commendant iis quorum interest vinculum auferre iuramenti, ut in hoc sanctè se gerant, advertantq; ad duo animum, quando vel debent tollere hanc obligationem, & non faciunt, vel non debent, neq; possint, & nihilominus faciunt. Qui igitur dispensant, & causam habeant perspectam, neq; levis momenti, & putent se tum Dei vices obire, debereq; facere, quod faceret ipse Christus, si presens dispensaret, id si aliter egerint, audiant sibi dici id, quod audivit ille, abusus potestate sibi accepta: Redde rationem villicationis tuæ. Hoc ipsum fervent, qui non nisi ex causa irritare possunt iuramenta, quanquam & alii quibus datur etiam sine causa irritandi potestas, prudenter, sanctèq; faciunt, non utentes illâ, nisi cùm ratio, & honestas aliqua utendum suadent, ut ita juramenta, quantùm necesse est, vigorem pietatis, religionisq; obtineant semper. Cui relaxandi necessitas incumbit, facere debent, quod illa suadet, alioquin qui in hoc durum se prebet, & charitatis, & justitiæ est immemor, mancipiumq; suarum cupiditatum. Qui condonando juramenta solvit, id faciet, quod pia monet prudentia, ut vel suo serviat, non condonando, commodo, vel alieno, condonando. Ista de obligationibus juramentorum.

Sectio V.

Quæ sint vitia, & peccata juramento opposita, & primò ratione veritatis.

55. OMnes qui de hac agunt materia, vitium, ac peccatum juramento oppositum assignant periurium, sed sicut juramentorum sunt variæ formæ, & modi ut supra vidimus à num. 8., ita & periuriorum; quorum aliqua sunt letalia, alia venialia peccata, pro maiori, vel minori defectu, in illis tribus ad bonum juramentum requisitis comitibus, veritate, scilicet, justitiâ, & judicio. Quanquam rigidè sumptum periurium illud communiter intelligitur, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 89. art. 1. in corpore, in quo deest veritas: Quare periurium ex defectu veritatis, sive sit assertorium sive execratorium, sive promissorium, & est peccatum, & mortale peccatum, ut omnes Theologi sentiunt cum S. Thom. 2. 2. Q. 89. art 3. ad 2. Peccatum est, quia caret debitâ honestate ad hunc religionis actum necessariâ: mortale, quia ut sup. num 17. osten-

ostendimus, magnam in Deum committit irreverentiam, qui eum adducit in testem, & socium mendacii, quod de quovis etiam jocoso, & levissimo asserendum est mendacio, cum quovis grandis divinæ veritati infertur iniuria. Quanquam si desit veritas in juramento solemni, ad quod adhibentur quædam ceremoniæ ad deterrendos homines à peierando, potest tunc esse maius peccatum, quam in jocoso, vel levi privato mendacio; maius, inquam, non in ipso mortali periurio, (quod semper ex defectu veritatis æquale est sibi) sed in scandalo consequente tale periurium apud eos, qui adsunt, & sciunt falsum confirmari.

Jam veritas dicta aliquot ex causis potest deesse juramento, primò 57.
cùm quis ex proposito falsò jurat; etsi id facit cupiditate lucri, aut cuiuspiam commodi, vel timore damni unum erit periurii duntaxat peccatum: Si verò falsò juret, putando Deum nescire cordis intima, aut ex contemptu maiestatis eius, aut ex alio quopiam perverso affectu, adiunguntur alia peccata, nimirum, infidelitas, blasphemia, & cætera.

Secundò potest abesse veritas,cùm quis exponit se periculo ex con- 58.
suetudine sup. à num. 28. explicata fallè jurandi, talis enim non veritatem in juramento intendit, sed suam agendi libidinem sequitur, quidquid sit quod veritas absit, vel adsit.

Tertiò deest in jurando veritas, cùm quis exteriùs se gerit ut verè 59.
jurans, & præfefert animum, intentionemq; Deum testandi, revera autem non habet illam: & si exterius hoc juramentum falso applicatur pronunciato docent Theologi, ut Caietanus in 2. 2. Q. 89. in art: 7. responsione ad 4. aliiq; committi tunc peccatum mortale, eò quòd exterior actus religionis divinæ applicetur rei falsæ, & planè contrariæ Deo, qui in testem invocatur, cum magna eius irreverentia: Sicut, inquit Caietanus, peccat mortaliter is, qui exteriore cultu adorat idolum, etsi sine intentione adorandi, quia scilicet externum actum adorationis divinę, seriò applicat idolo contrario externæ Dei veri adorationi. Rigida hæc videtur Caietani, aliorumq; sententia, sed ratio urget sumpta à falsitate juramento confirmata, implicata quadam, & interpretativa ratione; qui enim seriò exteriùs mendacium astruit, & firmat jureiurando,quasi ex intentione illud firmat, cum aperta, & magna divinæ veritatis maiestatisq; irreverentiâ, cum Deo enim exteriùs sanctè, & piè agendum, neq; committendum quidpiam, quod sit contrarium maiestati, aut alicui attributo divino, quemadmodum mendacium contrariatur veritati. Præter hanc rationem, urget etiam illa Caietani sumpta ab i-

dolo exterius duntaxat adorato, ipsa enim adoratio exterior præcisa intentione adorandi, scandalo, & aliis peccatis, est gravis culpa, eò quòd idolo, ut vero Deo exterior exhibeatur cultus.

60. Aliud censent authores dicendum de eo, qui sine intentione jurandi, asserit in juramento verum, is enim venialiter peccat propter abusum actus religionis exterioris in materia quidem bona, hoc est in veritate, variè tamen, & sine necessitate juramentum assumendo, sic tenet Suarez cum toto opere de Religione lib. 3. de juramento cap. 17. etsi Caietanus putet, etiam tum esse mortale, quod videtur à vero alienum, maximè cùm possit, nullum etiam esse peccatum, si quis iniuriosè coactus juret absq; intentione, ut dicemus infra de amphibologia.

Sectio. VI

Quæ excusant à perjurio falsitatis,

61. A peccatis jam enumeratis in jurando potest excusare inadvertentia, ut vel nulla sit, vel saltem non mortalis culpa, repente jurare, quemadmodū etiam eadem ex causa alia quoq; excusantur peccata. Jocus quoq; liberat jurantem à delicto, cùm abest jurandi intentio, quia tamen talis jocus vanè, & valde otiosè adhibetur ad externam jurandi formam, ac speciem, non erit immunis à crassissimo veniali peccato. Quòd si jocus, & consuetudo jurandi sit sine intentione veri juramenti, exterior etiam forma, ac modus non tam juramentum, quàm humanam quandam, & civilem præseferat asseverationem, vel nullum erit peccatum, vel ad summum levitas venialis, eò quòd aliqua videatur similitudo jurandi, prçsertim si otiosè usurpetur.

62. Præter dicta excusat quoq; à periurio amphibologia, id quod supra num 43. attigimus, quando, scilicet, justa est causa utendi verbis variè varium habentibus sensum, vel plus concipiendo mente, quàm continent verba. Cum enim non semper, nec cuicunq; teneamur aperire secreta cordis, ut dicetur cap. 23. à num 6. ne, scilicet, libertate privemur nostrarum operationum: Sequitur ut liceat uti verbis in eo sensu, quem usurpamus, non in eo, quem intendit alter, modo, ut dixi adsit justa causa. Possunt vero esse multæ huiusmodi causæ, verbi gratia, commodum aliquod non leve sive animæ, sive corporis, bona item for-

tunæ, & huiusmodi alia. Hac ratione, si virgo cogatur à parentibus ad spondendum cum juramento matrimonium, potest dicere: Juro me consensuram, intelligendo consensum in rem quampiam à matrimonio aliam, vel in matrimonium quidem, si tamen voluerit, & citra suum præiudicium potuerit id præstare, & ita de similibus. Quod dixi de eo qui ambiguis utitur in jurando verbis, idem asserendum de illo, qui jurat verum, sine intentione jurandi, utrumq; enim excusat à peccato justa, sic jurandi, causa, cùm par sit utrobiq; ratio.

Ad amphibologiam revocanda est consuetudo jurandi civilis, inter amicos & aulicos recepta, qui se mutuò prævenire cupiunt honore, vel quopiam commodo, sic ingressuri domum, post mutuam salutationem, jurant se non præcessuros, vel non priùs sessuros, aut comesturos, quàm id agant amici, quos invitant. In his enim licet contrarium crebro fiat, est amphibologia, (ob justam amicitiæ declarandæ causam) subintellecta, nempe si potero, non præcedam; Si non offendam, non priùs comedam, aut quid simile, vel certè, ut quidam dicunt, talia juramenta sub tacitis conditionibus fiunt, ut: Juro me non priùs comesturum, nisi, videlicet, amicus, invitatus, nolit omnino priùs vesci. 63.

Jam vero si non sit justa, amphibologiâ utendi, causa, communis est Theologorum sententia, quos citat Suarez de Religione Tom. 2. lib. 3. cap 10. venialiter tunc peccari, propter levem Dei irreverentiam, quod sine necessitate, ac proinde indebitè tractetur hoc modo, juramentum. Quanquam potest interdum esse letalis culpa, quando huiusmodi juramento committitur aliqua notabilis in proximum iniustitia; ita peccat, qui simulatè jurat se certo tempore debitum redditurum, & postea non reddendo, graviter alteri nocet. 64.

Postremò liber quoq; est is à periurio, qui jurat deceptus fraude, aut errore, ac ignorantia, cùm enim ad actum humanum requiratur plena libertas, ad quam præcedens cognitio necessaria est; sequi oportet, ut juramentum, in quo deest necessaria cognitio, nullum sit: nisi fortè error, & ignorantia sit in re ad substantiam juramenti prorsus impertinente, & ut dicunt Theologi, accidentaliter se habente. Hoc modo, qui jurat se rediturum debitum certo die, non excusabitur à juramento, aut à solvendo per ignorantiam, quòd non sciverit illum diem esse natalem suum, aut talem quo prognostici prohibent inire contractus, nam id impertinens est ad reddendum debitum. Secus tenendum de illa re, quæ ad substantiam juramenti spectat; hæc enim ignorata irritat jura- 65.

 men-

Digitized by Google

mentum: ut si quis accepto novo, de fratre suo è bello vivo redeunte, juret se daturum eleemosynam, si alius è consanguineis, & non frater redeat vivus non tenebitur juramento, eò quòd juramenti materia, & substantia fuerit fratris, non verò alicuius alterius propinqui vita. Atq; ex hoc facilè intelligitur, quid dicendum sit de illo juramento, ab Israelitis præstito, de quo habemus Josue 6. quæ deceptio in accidentali re fuit, ac proinde juramentum Israelitarum ratum, validumq; erat. Nam ut explicant hunc locum Lyranus, & alii scripturę interpretes, Dei voluntas fuit, ut omnes qui Hebręis peregrinantibus obsisterent, trucidarentur, sive illi procul, sive vicini essent: Cùm ergo Gabaonitæ non obstiterunt, merebantur misericordiam, quam illis Josue & cæteri jureiurando promiserunt, atq; ita impertinens erat ad juramenti substantiam, quòd decepti à Gabaonitis, (qui se simulabant de longinquo venire) putaverint Judæi eos verè fuisse longinquos. Cæterùm substantiale fuit, quòd non obstiterint, & ut talibus pręstitum est juramentum meritoq; servatum, etsi in pœnam illius fictionis, impositum fuerit illis ibidem descriptum onus atq; obsequium.

Sectio VII.

Quæ sint contra juramentum peccata ratione justitiæ & judicii.

66. Tot jam enumeratis modis committitur periurium ob prȩiudicium, quod fit divinȩ veritati, verùm est aliud periurii genus cum præiudicio alterius ad bene jurandum requisitȩ conditionis, nempe justitiȩ quod etiam variè patrari potest. Primò si invocetur Deus in testimonium veræ quidem assertionis, in re tamen mala, ut si quis detrahat alteri, juramento, id quod verè est confirmando, sic verbi causa: Testor Deum hunc tale scelus commisisse; quo jurandi modo irreverentia committitur in divinam veritatem, eò quòd illa iniquæ locutioni adjungitur. Levis tamen hȩc, & venialis est irreverentia, ut docent Theologi apud Suarez opere de Religione Tom. 2. lib. 3. cap. 12. eò quòd nihil admittatur contra Dei veritatem, cùm vera res per illam probetur, illud solùm culpam affert, quòd non cum omni pietatis circumstantia, Dei invocetur veritas, quæ esset, si & vera, & honesta res divino comprobaretur testimonio.

Rectè

Rectè tamen notat ibidem Suarez posse committi peccatum mortale tali jurandi modo,quando assumitur juramentum tanquam medium, & instrumentum ad committendum peccatum: Si enim, verbi causa, quis juret, ut detrahenti sibi fides detur, in eo casu, rem sacram, ad turpem ordinat finem, & quantum in illo est, ipso vult eam fædare. Neq; hęc posterior jurandi ratio, est idem, quod testari fœdam rem Deo,nam hîc solùm veritas attenditur, quæ si est, quanquam in re mala, divina maiestas generali quadam ratione, & communi cęteris peccatis ostenditur, eò quòd adsit rei inbonestæ, sicut generali concursu, ut causa prima adest omni peccanti. Cęterùm cùm quis jurat eo fine, ut res mala comprobetur, ordinatur juramentum, & cultus Dei ad rem malam, ut ab ea inficiatur, quemadmodum semper finis afficit medium: atq; in hoc est peculiaris quædam iniquitas, rem sacram ad malum ordinare, quod si fuerit grave & mortale, ipsum quoq; juramentum, graue quoddam erit periurium. 67.

Secundò peccatur contra justitiam in jurando, si non fiat id, quod jureiurando spondetur; & peccatum qnidem hoc jam est mortale, jam veniale pro gravitate,vel levitate rei, quę sub juramento pręstanda est, id quod sup. num. 17. fusiùs explicatur. 68.

Tertiò læditur in jurando justitia, si spondetur futurum aliquid, quod sine culpa nequit exhiberi,& si culpa est mortalis,periurium quoq; mortale erit, quia ut num. 67. dictum est,ordinatur tunc juramentum ad malum grave; qui enim jurat se occisurum, verbi causa, aliquem iniustè vult ut divinæ veritatis attestatio, obliget illum ad cędem, in quo est magna Dei irreverentia. Quodsi culpa promittatur levis, leve erit periurium, quia ordinatur juramentum ad minus malum, hac ratione peccat, qui jurat se indifferens quidpiam facturum, non relatum ad aliquem honestum finem, ut verbi causa, piscaturum,venaturum, aut exhibiturum aliquid futile, & inane: actio enim indifferens, ut docent Theologi, est venialis noxa, sicut & futile, ac vanum quid, est otiosus actus, parvaq; Dei offensa. 69.

Aliud est sentiendum de impossibili quod juratur: Hoc enim potest esse, jam grave, jam leve peccatum; impossibile autem duplex est; aut secundùm facultatem naturalem, quod dicitur impossibile physicum, aut secundùm rectam agendi rationem, quod vocatur morale impossibile. Prioris sit exemplum, si quis juret se daturum centum millia ducatorum eleemosynę, qui nec centum ducatos habet, aut habere potest: 70.

Posterioris si quis juret se nunquam daturum ex liberalitate eleemosynam, sed tunc duntaxat cùm sub peccato tenetur, cùm enim talis, prȩcludat in corde suo aditum consiliis SpiritusSancti, ponit se in statu moraliter impossibili, seu in eo, qui secundùm rectam rationem nec debet, nec potest sustineri. Itaq; qui talia jurat, & quidem joco, idem dicendum quod dixi sup. num. 61. de Jocoso juramento; Si verò seriò sed subintelligendo conditionem, nullum erit peccatum: ut si dicat, juro me daturum centum millia eleemosynæ, tacitè intelligendo, si illa aliqua ratione habuero. Quodsi seriò, & sine conditione, impossibile juretur, tenet Suarez opere de religione, lib. 3. de juramento cap. 18. cum aliis, quos citat, posse graviter delinqui, quod tunc puto esse, cùm id quod juratur est naturaliter impossibile, ut si quis dicat: Juro me volaturum, talis enim abutitur juramenti obligatione cum quadam irrisione rei sacræ, applicando illam ad impossibile factu, in quod nulla potest cadere obligatio. Itaq; dicere, juro me volaturum, est quasi dicere, juro me nugari, irridere sacram rem, & nihil religiosi, ac obligatorii facere velle, id, quod magnam Deo, qui in testem vocatur, irrogat irreverentiæ notam. Tandem si juretur impossibile morale, videtur tunc tale esse periurii peccatum, quale & ipsum est impossibile; quare si quis juret se mentiturum jocosè, erit veniale pe iurium, quia mendacium jocosum est veniale. Et cùm nemo obligetur ad peccandum, qui jurat se jocosè mentiturum, ponit se in statu moraliter (id est, secundùm rectam rationem) impossibili: Nemo enim debet, aut potest obligari ad aliquid faciendum malum; venialiter ergo peccabit, quia impossibile quod jurat, est veniale. Secus dicendum, si sit grave quid, moraliter impossibile, verbi causa nunquam velle eleemosynam dare, nisi urgeat peccatum; sic enim jurans ponit se in eo statu, ut velit respuere consilia Spiritus Sancti.

71. Ad hanc impossibilem jurandi speciem, spectat indebita adiuratio, in qua lęditur justitia, quoties vel in vana, & futili re usurpatur, vel ad gravē Dei offensam ordinatur patrandam: ut si quis ad iniquam cędem, adiurando alterum instiget; abutitur profectò talis sacrâ, & religiosâ re, cum gravi Dei iniuria, levior autem erit periurii culpa, si in leviori materia fiat adiuratio.

72. Hæc de peccatis contra justitiam juramentorum; tandem sunt periuria ex defectu iudicii, in quo communiter venialiter peccatur, cùm videlicet sine debita necessitate, vel utilitate, justa aliàs, & vera præstantur

tur juramenta: tanta enim debet esse divini nominis cura, & reverentia apud omnes, ut non solùm sanctè tractandum sit, nec ullo gravi piaculo contaminandum; sed etiam temporum, occasionum, & minimarum circumstantiarum habenda ratio, ut debitè invocetur. Quocirca S. Thom. 2. 2. Q. 89. art. 10. docet: pueris, hominibus levibus, & periuris non esse deferenda juramenta, eò quòd tales non soleant cum judicio expendere, sit necne jurandi, necessitas, aut utilitas. Quemadmodum etiam viris magnæ authoritatis, ut sunt Prælati, sacerdotes, & similes, non facilè jurandum censet idem doctor, propterea quod eiusmodi ut plurimùm veritatis sint amantes, neq; egent divino testimonio, sed ipsi sibi sunt graves, & sufficientes testes; aliàs vanè, & sine judicio Deum invocarent. Quare à magnis viris, non nisi magna, & publica aliqua necessitate, exquirendum est juramentum.

Sectio VIII.

Vtrum liceat exigere juramentum ab eo, qui malè est juraturus.

S. Thomas 2. 2. Q. 98. art. 4. hanc quoq; circumstantiam judicio 73 expendendam docet, an scilicet liceat exigere juramentum ab eo, qui certò est peieraturus, vel per falsos juraturus Deos: quam dubitationem sic ipse resolvit, ut nunquam liceat inducere ad peierandum, vel ad jurandum per falsos Deos, committendamq; idololatriam, sicut nunquam licet inducere, aut suadere ullum peccatum. Quia tamen jurandi actus non est ex illis, qui tantùm bene, aut malè excercentur, sicut est purus amor Dei, qui nunquam potest esse malus, vel blasphemia, quę nunquam est bona, sed est talis actus, qui bene usurpatur, si adsunt tres illi comites, veritas, justitia, & judicium, malè si aliquis eorum absit, ideo docet loco citato S. Thomas, & cum eo Theologi, posse interdum exigi juramentum à peieraturo, vel per falsos juraturo Deos non quidem ita, ut qui exigit, intendat malum juramentum; sed ita, ut velit bonum, quidquid sit, quod culpâ jurantis, malè quis eo utatur. Hac ratione communiter docent Theologi, multa à duobus fieri posse, quibus unus ex illis abutatur ex sua malitia; ita enim licet vendere gladium alteri, qui eo ad iniquam cædem usurus est; ita licet vendere carnes, quibus jejunium emptor est violaturus; sic unus petit mutuum, quod alter non

Digitized by Google

non nisi cum usura concedit. Cùm enim hæc, & similia sint de se indifferentia, & ex utentis voluntate, atq; intentione possint jam malè, jam bene usurpari; sequitur ut unum, idemq; opus, (ut est in nostro proposito juramentum) ab uno sanctè, ab altero perperam expetatur. Ne tamen in hac re delinquatur, intervenire debet justa causa, quæ inducat ad exigendum juramentum, ut eadem causa ostendat non intendi alterius malum, sed permitti duntaxat: licet autem malum permittere, cùm aliter fieri nequit, aut non expediat; quemadmodum Deus permittit delinquentium peccata, sancta de causa, vel scilicet libertate sibi ab eo concessa quisq; pro libito utatur.

74. Justam porro causam exigendi talis juramenti, dat loco citato S. Thomas necessitatem, qualis est in judice, ut urgente parte deferat peieraturo juramentum; talis quoq; necessitas est in parte, ut litibus finis imponatur, ut à malè agendo cæteri deterreantur; ut reus non permittatur impunè abire; quæ & similia in gravibus negotiis duntaxat locum habere debent, non in quavis nullius momenti offensiuncula, aut levissimo damno; neq; tum, cùm privatim res agitur, (nisi fortè valde rarò, & in urgente, magnaq; necessitate) sed cùm per strepitum juris probationumve agitur documenta.

Sectio IX.

Cur perjurii peccata vitanda?

75. PLura de vitiis, ac peccatis juramentorum, facilè ex dictis deduci possunt, cognosciq; ut caveantur. Cęterùm qui tot, tamq; multa, & gravia periuriorum jam explicatorum genera attentè, ac religiosè considerat, quoties aut leget, aut proferet, aut proferri audiet secundùm Decalogi præceptum: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; magno cum timore, & cautela observationem eius sibi imponet; nimirum, cuius prævaricatio, & gravis, & facilis est. Gravis vel ex eo inprimis, quòd in decalogo, & quidem secundum habeat locum, ubicunq; totus recensetur ut Exodi 20. & Deuteronomi 5. quasi hac re voluisset Deus indicare, ut, postquam primo præcepto declaratum est, quid quisq; eius divinæ maiestati debeat, nempe fidem, spem, & amorem: secundo constaret, quid timendum sit, ne in illam committatur,

tanquam post primum summum, secundum item summum, post prius bonum, posterius malum. Id non sic intelligendum quòd peccata periurii sint summa inter omnia, (cùm Theologicarum virtutum prævaricatio sit cæteris gravior, sicut & ipsæ inter omnes sunt præstantiores) sed quod nostræ curæ, & sedulitati Deus modum, ac mensuram assignet, ut non levi studio observetur id, quod ipse in suis præceptis secundum esse voluit.

Gravis quoq; eiusdem mandati transgressio est idcirco, quia iniuriam infert divinæ veritati ac sapientiæ, quæ præbet vitam Deo, ut supra à num. 22. vidimus; quemadmodum enim gravior est læsio cordis, quo animal vivit, quàm pedis, vel auris, aut alterius membri ad vitam non ita necessarii; ita gravior est offensio Dei in eo, quod est unum ex præcipuis illius excellentiis. Quod si maiestas illa suprema ægrè fert eos lædi in vita, quibus dat ut sibi vivant & serviant; quantò magis læditur ab iis, qui in illius propriam sceleratiores sunt vitam? Dixit ille de suis aliquando servis, Zachariæ 2. Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei; quàm veriùs de se dicturus est: Qui tangit veritatem meam, tangit id quo video omnia, quo vivo, ac cæteris do, ut vivant. 76.

Inde quoq; non levis coniectura gravitatis in peierando desumitur, quòd recensendo Deus decalogi præcepta, in Exodo, & Deuteronomio, primi duntaxat & secundi transgressoribus pœnas minetur: hoc ipso significans se de talibus tanquam enormia committentibus acriter ulturum, à quibus ut iidem avocentur, vindictam sibi ob oculos ponant sic à Deo promissam Deute. 5. Non adorabis ea, scilicet, idola, ego enim sum Dominus Deus æmulator, reddens iniquitatem his, qui oderunt me. Ibidem de secundo præcepto legimus: non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra, quia non erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit; idem prorsus habetur Exodi 20. 77.

Quod ad facilitatem malè jurandi attinet, ea tanta est, quanta & jurandi; Si enim verum dixit Spiritus Sanctus Proverb. 10. In multiloquio non deerit peccatum, verum etiam erit, in multis juramentis, non deesse mala. Quòd verò multa, crebra, & pene innumera fiant quotidie juramenta, ubiq; terrarum, gentium, & populorum, sive fidelium, sive infidelium, tam malorum, quàm qui meliores habentur, sæcularium, spiritualium, & prorsus cuiusuis generis hominum testatur, adeo usitata consuetudo, ut brevis etiam sermo, & pene aliquot verborum non compleatur, nisi accedat juramentum. Omnes igitur omnium nationum 78.

linguæ conspirarunt in frequentissimam jurandi frequentiam, jam seriò, jam joco, nunc ut placeant, & persuadeant, nunc ut decipiant, & lucrentur, irati, mœrentesve minantur cum juramento, læti, & convivantes promittunt cum eodem, narrant, jurant, audiunt, cogunt jurare, petunt, adiurant; rogantur, negant cum execrationibus. Omnino (quis enim consuetudinis huius recenseat omnia?) non est hac sæculi tempestate scire loqui, nisi cum juramento, à quo & gratia, & authoritas sumitur dicendi.

79. Et hęc quidem fiunt privatis in negotiis, jam verò publica quoq; judicia (quæ ut juramento sanctè terminentur, legibus cautum est) quantùm periuriis innodentur, vel illud, ex malo usu, argumento est, non bonum dicterium, quod forte à multis variarum gentium usurpatur populis: Jurabis, nihil dabis: quasi ad hoc sint in judiciis juramenta, ut evadere tantùm liceat, non testari innocentiam.

80. Consuetudinis huius originem, causamq; varii variam assignant, mihi interim videtur eadem esse, quæ & quomodo vis peccandi. Cùm enim omne peccatum sit mendacium, ut docet S. Augustinus de Genesi contra Manichæos lib. 2. cap. 16. & meritò quidem; quia peccatum est difformis operatio divinæ veritati, regulæ omnium nostrarum actionum, peccantisq; conscientiæ, quę aliter dictat faciendum, quàm fiat à peccatore; unde mendaces, iidem sunt in scriptura, qui & iniqui, ita enim David Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium: Cùm igitur peccata sint mendacia, & homines crebrò peccent, nolint tamen peccatores videri; quis enim æquo animo ferat se iniquum, & nequam appellari? ideo assumunt Dei testimonium ut innocentes appareant. Hinc ut supra notavi num. 72. levis, & inconstantis ingenii hominibus prohibita sunt iuramenta, tanquam iis, qui facilè à recta ratione se patiuntur abduci, & quod, quasi non abducantur, facilè mentiuntur. Quapropter cùm tanta sit malè jurandi gravitas, & facilitas tanta; illa timenda, hęc vitanda, ne in gravitatem peccandi inducat, tractandumq; sanctè nomen Dei sanctum, id quod fiet, si nunquam assumatur in vanum, sive privatim, sive publicè; siquidem privatum & publicum juramentum idem est prorsus, solùmq; accidentali quadam formâ, & ceremoniâ differt, proinde utriusq; non temerè usurpandi, eadem est ratio, & necessitas.

De Vo-

CAPVT. XVII.

De Voto & Oppositis ei Vitiis.

EX enumeratis religionis actibus cap. 10. num. 7. ultimus restat voti explicandus; de quo ea duntaxat spectando, quæ ad eius honestatem rectè percipiendam, & opere implendam conferunt, quinq; dicentur: quid, quotuplex sit votum, quæ eius obligatio, & quęnam ipsi opposita peccata? Et cùm votorum usus non sit præceptus divino, aut alio quopiam jure, ratio etiam idem ostendat, quia nullus tenetur obligare se ad id, quod sponte, & ex quadam cordis abundantia agit, (quemadmodum facit qui aliquid vovet) unde in sacra scriptura, non votum exigitur, sed(si jam sponte factum est) adimpletio eius, ut legimus Proverb. 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: cùm, inquam, vota libera esse debeant, sequitur ut eorum usus sit perfectionis, & supererogationis opus. Quapropter quintum, & ultimum ad hanc de voto materiam addendum erit, de perfectione Christiana; sed jam propositum ordine prosequamur. 1.

Sectio I.

In quo sita sit ratio voti?

SVbstantiam voti explicaturus S. Thomas secundâ secundę Q. 88. 2. tria supponit necessaria, quædam ex parte voventis, alia ex parte Dei, cui fit votum, postremò materiam explicat, seu id quod voto promittitur. In vovente rursus tria requiuit, a. 10. primum est deliberatio, cùm enim ut dixi libertati nostræ vota sint commissa, voturus expendere debet expediat necne obligare se, & ultro imponere sibi necessitatem præstandi quidpiam. Alterum quod requirit S. Thomas in eodem, est intentio, & propositum vovendi, quod nisi accedat, quantumvis cognoscatur utilitas aliqua, & religio voti, nullum tamen erit; quia sine voluntatis consensu, ac proposito, nulla potest induci obligatio ad faciendum aliquid. Quanquam neq; hoc propositum inducit obligationem, multa enim proponimus, quę aliquo casu non implemus. Tertium

gionis, ut sacri celebratio, sive ipsiusmet voti, ut si quis voveat, se facturum votum ingrediendi religionem. Deniq; possunt etiam indifferentia Deo offerri, aliquo bono fine, & honestate ornata, ut si quis voveat se lapides ex publica via sublaturum, ut commodior sit viatoribus transitus.

8. Ex hac tanta latitudine materiæ colligitur præstantia voti, quod quidvis amplectitur, modò sit acceptum Deo, neq; verò ita amplectitur ut virtutes aliæ, quæ possunt imperare actus cæterarum (quo pacto v. g. fortitudo imperat sobrietati moderati cibi, potusq; usum) sed præter imperium, habet insuper votum omnes actus omnium virtutum, & res circa quas illæ versantur, tanquam propriam suam materiam, & objectū materiale, quod obligatione præstandi aliquid ad cultum Dei, tanquam formali afficit ratione. Prorsus omne quod Deo honorificum esse potest, votum comprehendit.

9. Jam alterum quod ponit S Thom. ad materiam voti necessarium, est ut sit melius bonum, quod non ita est accipiendum, quasi debeat esse absolutè omni alio melius (sic enim solus amor Dei esset vovendus Deo, nimirum, qui omnibus præstat virtutibus) sed ita ut inprimis non excludat directè, & ut in scholis dicitur positivè præstantius bonum: deinde ut spectatis omnibus hîc & nunc circumstantiis, sit tale, quod melius sit quàm ei oppositum Meritò autem id, quod vovetur non debet excludere maius bonum, & debet esse melius, quàm ei oppositum, quia Deus non acceptat tale donum, quod homini præcludit viam ad maiora merita, & ad maiorem eius cultum, atq; obsequium. Exemplis doctrina fiet clarior: vovet quis jeiunium, quod sine dubio inferius est amore Dei, vel contemplatione, tamen quia non repugnat amori Dei, & contemplationi, neq; excludit illam aliqua incompossibili contrarietate (potest enim sic jeiunans simul amare, & contemplari Deum, aut certè peracto jeiunio) ideo nihil obest quo minùs Deo promitti possit. Idem etiam jeiunium potest dici melius bonum, quia est melius hîc & nunc, quàm usus ciborum: nam juvat orationem, refrenat corpus, & similia præstat, quæ non habentur ab usu ciborum. Addo hîc & nunc melius debere esse illud jeiunium, si enim cui obesset, maioraq; impediret bona, jam non esset melius, sed malum, unde neq; esset congrua materia voti. Idem alio declaratur contrario exemplo: matrimonium non potest esse materia voti, quia est incompossibile maiori bono, nempe statui religioso; siquidem nec simul potest quis esse coniunx, & Deo consecra-

ſecratus, nec poſtea ita, ut relicto matrimonio, tranſeat ad religionem; niſi vel mors conſortis, vel conceſſio accedat, quod rarum, & incertum eſt. Ad hæc matrimonium non eſt melius bonum, quàm oppoſitus religioſus ſtatus, ut clarè patet: ex utroq; ergo capite, ſtatus coniugalis, non poteſt eſſe materia voti.

Quòd ſi detur caſus, ut ſpectatis circumſtantiis hîc & nunc, in aliqua perſona ſit melius nubere, quàm non nubere: Vt ſi per matrimonium alicuius publicę perſonæ pax regni conſervanda ſit, vel quid ſimile ſequatur; in tali eventu poteſt eſſe matrimonium materia voti: quia tunc non cenſetur excludere maius bonum, ſed potiùs ad illud ordinari, nimirum, ad maiorem Dei gloriam, & charitatem, cuius intuitu ineundum eſſet, & quæ preſtęt, etiam ipſi ſtatui religioſo, qui ad Dei charitatem tanquam ad finem ordinatur. Præterea, matrimonium tale eſt melius, quàm oppoſitus religioſus ſtatus, propter illas hîc & nunc concurrentes ad Dei gloriam, & ad bonum commune circumſtantias: atq; ita matrimonium poteſt eſſe tunc materia voti. 10.

Ex hac doctrina (quam cum S. Thom. art. 2. tenet Cai: ibidem, & communiter Theologi) exemplis declarata, illud univerſim inferendum eſt, ut omne bonum, ſive ad ſalutem de medio neceſſarium, ut eſt Baptiſmi ſuſceptio; ſive neceſſarium de præcepto, ut eſt celebratio feſti; ſive ad conſilium ſpectans, ut eſt ſtatus religioſus; ſive actus quiſpiam, & res, ut ſubminiſtratio Eleemoſynę, ſive omiſſio operationis, & negatio rei, ut non fornicari, & nihil dare quod ad fornicandum alliciat: inferendum, inquam, hæc omnia poſſe eſſe materiam voti, modò contineant in ſe melius bonum, cum duplici illa ratione, ut neque excludat altius, & in caſu occurente expenſum, ſit melius quàm ſibi oppoſitum. Illud alicui poſſet videri dubium, quo pacto ea, quæ neceſſaria ſunt tanquam media, & præcepta ad obtinendam ſalutem, voveri queant: cùm enim ex obligatione debeant fieri, quonam modo ex libero voto facienda ſunt? Ad hoc ſumenda eſt reſponſio ex S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 2. in corpore, neceſſaria ad ſalutem habere quidem obligationem à Deo impoſitam, hoc ipſo quòd præcepta ſint, vel ordinata tanquam media; non tamen habere illam obligationem quam ſibi quiſq; voluntariè imponit, ut ſcilicet, id quod aliunde debet, debeat ex peculiari in Deum religione. Vnde talia, ex hac etiam ſpontanea obligatione dicuntur eſſe de meliori bono: V. c. Si quis voveat ſe ſanctè iuraturum (id quod alias in decalogo præcipitur) nam neq; excludit altius bonum, ita ut vovens 11.

præ-

Digitized by Google

mentum: ut si quis accepto novo, de fratre suo è bello vivo redeunte, juret se daturum eleemosynam, si alius è consanguineis, & non frater redeat vivus non tenebitur juramento, eò quòd juramenti materia, & substantia fuerit fratris, non verò alicuius alterius propinqui vita. Atq; ex hoc facilè intelligitur, quid dicendum sit de illo juramento, ab Israelitis præstito, de quo habemus Josue 6. quæ deceptio in accidentali re fuit, ac proinde juramentum Israelitarum ratum, validumq; erat. Nam ut explicant hunc locum Lyranus, & alii scripturę interpretes, Dei voluntas fuit, ut omnes qui Hebręis peregrinantibus obsisterent, trucidarentur, sive illi procul, sive vicini essent: Cùm ergo Gabaonitæ non obstiterunt, merebantur misericordiam, quam illis Josue & cæteri jureiurando promiserunt, atq; ita impertinens erat ad juramenti substantiam, quòd decepti à Gabaonitis, (qui se simulabant de longinquo venire) putaverint Judæi eos verè fuisse longinquos. Cæterùm substantiale fuit, quòd non obstiterint, & ut talibus pręstitum est juramentum meritoq; servatum, etsi in pœnam illius fictionis, impositum fuerit illis ibidem descriptum onus atq; obsequium.

Sectio VII.

Quæ sint contra juramentum peccata ratione justitiæ & judicii.

66. Tot jam enumeratis modis committitur periurium ob pręiudicium, quod fit divinę veritati, verùm est aliud periurii genus cum præiudicio alterius ad bene jurandum requisitę conditionis, nempe justitię quod etiam variè patrari potest. Primò si invocetur Deus in testimonium veræ quidem assertionis, in re tamen mala, ut si quis detrahat alteri, juramento, id quod verè est confirmando, sic verbi causa: Testor Deum hunc tale scelus commisisse; quo jurandi modo irreverentia committitur in divinam veritatem, eò quòd illa iniquæ locutioni adjungitur. Levis tamen hęc, & venialis est irreverentia, ut docent Theologi apud Suarez opere de Religione Tom. 2. lib. 3. cap. 12. eò quòd nihil admittatur contra Dei veritatem, cùm vera res per illam probetur, illud solùm culpam affert, quòd non cum omni pietatis circumstantia, Dei invocetur veritas, quæ esset, si & vera, & honesta res divino comprobaretur testimonio.

Rectè

Rectè tamen notat ibidem Suarez posse committi peccatum mortale tali jurandi modo, quando assumitur juramentum tanquam medium, & instrumentum ad committendum peccatum: Si enim, verbi causa, quis juret, ut detrahenti sibi fides detur, in eo casu, rem sacram, ad turpem ordinat finem, & quantùm in illo est, ipso vult eam fædare. Neq; hęc posterior jurandi ratio, est idem, quod testari fœdam rem Deo, nam hîc solùm veritas attenditur, quæ si est, quanquam in re mala, divina maiestas generali quadam ratione, & communi cęteris peccatis ostenditur, eò quòd adsit rei inhonestæ, sicut generali concursu, ut causa prima adest omni peccanti. Cęterùm cùm quis jurat eo fine, ut res mala comprobetur, ordinatur juramentum, & cultus Dei ad rem malam, ut ab ea inficiatur, quemadmodum semper finis afficit medium: atq; in hoc est peculiaris quædam iniquitas, rem sacram ad malum ordinare, quod si fuerit grave & mortale, ipsum quoq; juramentum, graue quoddam erit periurium. 67.

Secundò peccatur contra justitiam in jurando, si non fiat id, quod jureiurando spondetur; & peccatum quidem hoc jam est mortale, jam veniale pro gravitate, vel levitate rei, quę sub juramento pręstanda est, id quod sup. num. 17. fusiùs explicatur. 68.

Tertiò læditur in jurando justitia, si spondetur futurum aliquid, quod sine culpa nequit exhiberi, & si culpa est mortalis, periurium quoq; mortale erit, quia ut num. 67. dictum est, ordinatur tunc juramentum ad malum grave; qui enim jurat se occisurum, verbi causa, aliquem iniustè vult ut divinæ veritatis attestatio, obliget illum ad cędem, in quo est magna Dei irreverentia. Quodsi culpa promittatur levis, leve erit periurium, quia ordinatur juramentum ad minus malum, hac ratione peccat, qui jurat se indifferens quidpiam facturum, non relatum ad aliquem honestum finem, ut verbi causa, piscaturum, venaturum, aut exhibiturum aliquid futile, & inane: actio enim indifferens, ut docent Theologi, est venialis noxa, sicut & futile, ac vanum quid, est otiosus actus, parvaq; Dei offensa. 69.

Aliud est sentiendum de impossibili quod juratur: Hoc enim potest esse, jam grave, jam leve peccatum; impossibile autem duplex est; aut secundùm facultatem naturalem, quod dicitur impossibile physicum, aut secundùm rectam agendi rationem, quod vocatur morale impossibile. Prioris sit exemplum, si quis juret se daturum centum millia ducatorum eleemosynę, qui nec centum ducatos habet, aut habere potest: 70.

Digitized by Google

Posterioris si quis juret se nunquam daturum ex liberalitate eleemosynam, sed tunc duntaxat cùm sub peccato tenetur, cùm enim talis, præcludat in corde suo aditum consiliis Spiritus Sancti, ponit se in statu moraliter impossibili, seu in eo, qui secundùm rectam rationem nec debet, nec potest sustineri. Itaq; qui talia jurat, & quidem joco, idem dicendum quod dixi sup. num. 61. de Jocoso juramento; Si verò seriò sed subintelligendo conditionem, nullum erit peccatum: ut si dicat, juro me daturum centum millia eleemosynæ, tacitè intelligendo, si illa aliqua ratione habuero. Quodsi seriò, & sine conditione, impossibile juretur, tenet Suarez opere de religione, lib. 3. de juramento cap. 18. cum aliis, quos citat, posse graviter delinqui, quod tunc puto esse, cùm id quod juratur est naturaliter impossibile, ut si quis dicat: Juro me volaturum, talis enim abutitur juramenti obligatione cum quadam irrisione rei sacræ, applicando illam ad impossibile factu, in quod nulla potest cadere obligatio. Itaq; dicere, juro me volaturum, est quasi dicere, juro me nugari, irridere sacram rem, & nihil religiosi, ac obligatorii facere velle, id, quod magnam Deo, qui in testem vocatur, irrogat irreverentiæ notam. Tandem si juretur impossibile morale, videtur tunc tale esse periurii peccatum, quale & ipsum est impossibile; quare si quis juret se mentiturum jocosè, erit veniale periurium, quia mendacium jocosum est veniale. Et cùm nemo obligetur ad peccandum, qui jurat se jocosè mentiturum, ponit se in statu moraliter (id est, secundùm rectam rationem) impossibili: Nemo enim debet, aut potest obligari ad aliquid faciendum malum; venialiter ergo peccabit, quia impossibile quod jurat, est veniale. Secus dicendum, si sit grave quid, moraliter impossibile, verbi causa nunquam velle eleemosynam dare, nisi urgeat peccatum; sic enim jurans ponit se in eo statu, ut velit respuere consilia Spiritus Sancti.

71. Ad hanc impossibilem jurandi speciem, spectat indebita adiuratio, in qua læditur justitia, quoties vel in vana, & futili re usurpatur, vel ad grave Dei offensam ordinatur patrandam: ut si quis ad iniquam cædem, adiurando alterum instiget; abutitur profectò talis sacrâ, & religiosâ re, cum gravi Dei iniuria, levior autem erit periurii culpa, si in leviori materia fiat adiuratio.

72. Hæc de peccatis contra justitiam juramentorum; tandem sunt periuria ex defectu iudicii, in quo communiter venialiter peccatur, cùm videlicet sine debita necessitate, vel utilitate, justa aliàs, & vera præstantur

tur juramenta: tanta enim debet esse divini nominis cura, & reverentia apud omnes, ut non solùm sanctè tractandum sit, nec ullo gravi piaculo contaminandum; sed etiam temporum, occasionum, & minimarum circumstantiarum habenda ratio, ut debitè invocetur. Quocirca S. Thom. 2. 2. Q. 89. art. 10. docet: pueris, hominibus levibus, & periuris non esse deferenda juramenta, eò quòd tales non soleant cum judicio expendere, sit necne jurandi, necessitas, aut utilitas. Quemadmodum etiam viris magnæ authoritatis, ut sunt Prælati, sacerdotes, & similes, non facilè jurandum censet idem doctor, propterea quod eiusmodi ut plurimùm veritatis sint amantes, neq; egent divino testimonio, sed ipsi sibi sunt graves, & sufficientes testes; aliàs vanè, & sine judicio Deum invocarent. Quare à magnis viris, non nisi magna, & publica aliqua necessitate, exquirendum est juramentum.

Sectio VIII.

Utrum liceat exigere juramentum ab eo, qui malè est juraturus.

S. Thomas 2. 2. Q. 98. art. 4. hanc quoq; circumstantiam judicio 73
expendendam docet, an scilicet liceat exigere juramentum ab eo, qui certò est peieraturus, vel per falsos juraturus Deos: quam dubitationem sic ipse resolvit, ut nunquam liceat inducere ad peierandum, vel ad jurandum per falsos Deos, committendamq; idololatriam, sicut nunquam licet inducere, aut suadere ullum peccatum. Quia tamen jurandi actus non est ex illis, qui tantùm bene, aut malè exercentur, sicut est purus amor Dei, qui nunquam potest esse malus, vel blasphemia, quę nunquam est bona, sed est talis actus, qui bene usurpatur, si adsunt tres illi comites, veritas, justitia, & judicium, malè si aliquis eorum absit, ideo docet loco citato S. Thomas, & cum eo Theologi, posse interdum exigi juramentum à peieraturo, vel per falsos juraturo Deos non quidem ita, ut qui exigit, intendat malum juramentum; sed ita, ut velit bonum, quidquid sit, quod culpâ jurantis, malè quis eo utatur. Hac ratione communiter docent Theologi, multa à duobus fieri posse, quibus unus ex illis abutatur ex sua malitia; ita enim licet vendere gladium alteri, qui eo ad iniquam cædem usurus est; ita licet vendere carnes, quibus jejunium emptor est violaturus; sic unus petit mutuum, quod alter

non

Digitized by Google

non nisi cum usura concedit. Cùm enim hæc, & similia sint de se indifferentia, & ex utentis voluntate, atq; intentione possint jam malè, jam bene usurpari; sequitur ut unum, idemq; opus, (ut est in nostro proposito juramentum) ab uno sanctè, ab altero perperam expetatur. Ne tamen in hac re delinquatur, intervenire debet justa causa, quæ inducat ad exigendum juramentum, ut eadem causa ostendat non intendi alterius malum, sed permitti duntaxat: licet autem malum permittere, cùm aliter fieri nequit, aut non expediat; quemadmodum Deus permittit delinquentium peccata, sancta de causa, vel scilicet libertate sibi ab eo concessa quisq; pro libito utatur.

74. Justam porro causam exigendi talis juramenti, dat loco citato S. Thomas necessitatem, qualis est in judice, ut urgente parte deferat peieraturo juramentum; talis quoq; necessitas est in parte, ut litibus finis imponatur, ut à malè agendo cæteri deterreantur; ut reus non permittatur impunè abire; quæ & similia in gravibus negotiis duntaxat locum habere debent, non in quavis nullius momenti offensiuncula, aut levissimo damno; neq; tum, cùm privatim res agitur, (nisi fortè valde rarò, & in urgente, magnaq; necessitate) sed cùm per strepitum juris probationumve agitur documenta.

Sectio IX.

Cur perjurii peccata vitanda?

75. PLura de vitiis, ac peccatis juramentorum, facilè ex dictis deduci possunt, cognosciq; ut caveantur. Ceterùm qui tot, tamq; multa, & gravia periuriorum jam explicatorum genera attentè, ac religiosè considerat, quoties aut leget, aut proferet, aut proferri audiet secundùm Decalogi præceptum: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; magno cum timore, & cautela observationem eius sibi imponet; nimirum, cuius prævaricatio, & gravis, & facilis est. Gravis vel ex eo inprimis, quòd in decalogo, & quidem secundum habeat locum, ubicunq; totus recensetur ut Exodi 20. & Deuteronomi 5. quasi hac re voluisset Deus indicare, ut, postquam primo præcepto declaratum est, quid quisq; eius divinæ maiestati debeat, nempe fidem, spem, & amorem: secundo constaret, quid timendum sit, ne in illam committatur,

tam-

tanquam post primum summum, secundum item summum, post prius bonum, posterius malum. Id non sic intelligendum quòd peccata periurii sint summa inter omnia, (cùm Theologicarum virtutum prevaricatio sit ceteris gravior, sicut & ipsæ inter omnes sunt præstantiores) sed quod nostrę curę, & sedulitati Deus modum, ac mensuram assignet, ut non levi studio observetur id, quod ipse in suis præceptis secundum esse voluit.

Gravis quoq; eiusdem mandati transgressio est idcirco, quia iniuriam infert divinæ veritati ac sapientię, quę præbet vitam Deo, ut supra à num. 22. vidimus; quemadmodum enim gravior est læsio cordis, quo animal vivit, quàm pedis, vel auris, aut alterius membri ad vitam non ita necessarii; ita gravior est offensio Dei in eo, quod est unum ex precipuis illius excellentiis. Quod si maiestas illa suprema ægrè fert eos lædi in vita, quibus dat ut sibi vivant & serviant; quantò magis læditur ab iis, qui in illius propriam sceleratiores sunt vitam? Dixit ille de suis aliquando servis, Zacharię 2. Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei; quàm veriùs de se dicturus est: Qui tangit veritatem meam, tangit id quo video omnia, quo vivo, ac ceteris do, ut vivant. 76.

Inde quoq; non levis coniectura gravitatis in peierando desumitur, quòd recensendo Deus decalogi præcepta, in Exodo, & Deuteronomio, primi duntaxat & secundi transgressoribus pœnas minetur: hoc ipso significans se de talibus tanquam enormia committentibus acriter ulturum, à quibus ut iidem auocentur, vindictam sibi ob oculos ponant sic à Deo promissam Deute. 5. Non adorabis ea, scilicet, idola, ego enim sum Dominus Deus æmulator, reddens iniquitatem his, qui oderunt me. Ibidem de secundo precepto legimus: non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra, quia non erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit; idem prorsus habetur Exodi 20. 77.

Quod ad facilitatem malè iurandi attinet, ea tanta est, quanta & iurandi; Si enim verum dixit Spiritus Sanctus Proverb. 10. In multiloquio non deerit peccatum, verum etiam erit, in multis iuramentis, non deesse mala. Quòd verò multa, crebra, & pene innumera fiant quotidie iuramenta, ubiq; terrarum, gentium, & populorum, sive fidelium, sive infidelium, tam malorum, quàm qui meliores habentur, sæcularium, spiritualium, & prorsus cuiusuis generis hominum testatur, adeo usitata consuetudo, ut brevis etiam sermo, & pene aliquot verborum non compleatur, nisi accedat iuramentum. Omnes igitur omnium nationum 78.

Digitized by Google

linguæ conspirarunt in frequentissimam jurandi frequentiam, jam seriò, jam joco, nunc ut placeant, & persuadeant, nunc ut decipiant, & lucrentur, irati, mœrentesve minantur cum juramento, læti, & convivantes promittunt cum eodem, narrant, jurant, audiunt, cogunt jurare, petunt, adiurant, rogantur, negant cum execrationibus. Omnino (quis enim consuetudinis huius recenseat omnia?) non est hac sæculi tempestate scire loqui, nisi cum juramento, à quo & gratia, & authoritas sumitur dicendi.

79. Et hæc quidem fiunt privatis in negotiis, jam verò publica quoq; judicia (quæ ut juramento sanctè terminentur, legibus cautum est) quantùm periuriis innodentur, vel illud, ex malo usu, argumento est, non bonum dicterium, quod forte à multis variarum gentium usurpatur populis: Jurabis, nihil dabis: quasi ad hoc sint in judiciis juramenta, ut evadere tantùm liceat, non testari innocentiam.

80. Consuetudinis huius originem, causamq; varii variam assignant, mihi iuterim videtur eadem esse, quæ & quomodovis peccandi. Cùm enim omne peccatum sit mendacium, ut docet S. Augustinus de Genesi contra Manichæos lib. 2. cap. 16. & meritò quidem; quia peccatum est difformis operatio divinæ veritati, regulæ omnium nostrarum actionum, peccantisq; conscientiæ, quæ aliter dictat faciendum, quàm fiat à peccatore; unde mendaces, iidem sunt in scriptura, qui & iniqui, ita enim David Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium: Cùm igitur peccata sint mendacia, & homines crebrò peccent, nolint tamen peccatores videri; quis enim æquo animo ferat se iniquum, & nequam appellari? ideo assumunt Dei testimonium ut innocentes appareant. Hinc ut supra notavi num. 72. levis, & inconstantis ingenii hominibus prohibita sunt iuramenta, tanquam iis, qui facilè à recta ratione se patiuntur abduci, & quod, quasi non abducantur, facilè mentiuntur. Quapropter cùm tanta sit malè jurandi gravitas, & facilitas tanta; illa timenda, hæc vitanda, ne in gravitatem peccandi inducat, tractandumq; sanctè nomen Dei sanctum, id quod fiet, si nunquam assumatur in vanum, sive privatim, sive publicè; siquidem privatum & publicum juramentum idem est prorsus, solùmq; accidentali quadam formâ, & ceremoniâ differt, proinde utriusq; non temerè usurpandi, eadem est ratio, & necessitas.

De Vo-

CAPVT. XVII.

De Voto & Oppositis ei Vitiis.

EX enumeratis religionis actibus cap. 10. num. 7. ultimus restat voti explicandus; de quo ea duntaxat spectando, quæ ad eius honestatem rectè percipiendam, & opere implendam conferunt, quinq; dicentur: quid, quotuplex sit votum, quæ eius obligatio, & quęnam ipsi opposita peccata? Et cùm votorum usus non sit præceptus divino, aut alio quopiam jure, ratio etiam idem ostendat, quia nullus tenetur obligare se ad id, quod sponte, & ex quadam cordis abundantia agit, (quemadmodum facit qui aliquid vovet) unde in sacra scriptura, non votum exigitur, sed (si jam sponte factum est) adimpletio eius, ut legimus Proverb. 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: cùm, inquam, vota libera esse debeant, sequitur ut eorum usus sit perfectionis, & supererogationis opus. Quapropter quintum, & ultimum ad hanc de voto materiam addendum erit, de perfectione Christiana; sed jam propositum ordine prosequamur. 1.

Sectio I.

In quo sita sit ratio voti?

SVbstantiam voti explicaturus S. Thomas secundâ secundę Q. 88. tria supponit necessaria, quædam ex parte voventis, alia ex parte Dei, cui fit votum, postremò materiam explicat, seu id quod voto promittitur. In vovente rursus tria requivit, a. 10. primum est deliberatio, cùm enim ut dixi libertati nostræ vota sint commissa, voturus expendere debet expediat necne obligare se, & ultro imponere sibi necessitatem præstandi quidpiam. Alterum quod requirit S. Thomas in eodem, est intentio, & propositum vovendi, quod nisi accedat, quantumvis cognoscatur utilitas aliqua, & religio voti, nullum tamen erit; quia sine voluntatis consensu, ac proposito, nulla potest induci obligatio ad faciendum aliquid. Quanquam neq; hoc propositum inducit obligationem, multa enim proponimus, quę aliquo casu non implemus. Tertium 2.

tium ergo, est ipsa promissio, qua ratio nostra ordinat aliquid à se in commodum alterius faciendum, (promittere enim est, mente dicere: hoc à me faciendum est, in gratiam alterius) atq; in hac ordinatione completur ratio voti post præmissam deliberationem, & propositum: Sicut oratio, ut de ea diximus cap. 10. num. 10. est mentis actus quo proponitur alteri necessitas auxilii; utrobiq; enim mens ordinat, per orationem quidem precando, per promissionem autem alteri aliquid offerendo. Quemadmodum verò oratio ad virtutem religionis spectat, eò, quòd licet sit actio intellectus, eâ tamen voluntas religiosa vult honorare Deum, ut misericordem auxiliatorem, ita licet promissio sit actus intellectus, quia tamen per eam voluntas religiosa appetit honorare Deum, idcirco spectat etiam ad religionem, vocaturq; alio nomine, votum.

3. Itaq; deliberatio, & propositum præcedens est quid commune aliis virtutum actibus, in quibus etiam debet deliberatio esse, & intentio quidpiam agendi: cæterùm promissio cum annexa illa religiosa voluntate est substantialis voto, ut bene docet Caietanus secundâ 2. in Q. 88. art. 5. potestq; duplici ratione exprimi, aut sic: Promitto Deo hoc, subintelligendo voluntatem illam religiosam honorandi Deum promissione: aut sic: volo obligatus esse Deo in hac re, subintelligendo eandem voluntatem. Atq; ita in concordiam revocantur auctores quorum aliqui dicunt votum consistere in actu intellectus, alii in actu voluntatis, uterq; enim necessarius est, etsi non semper uterq; æquè exprimatur.

4. Quod ad secundum attinet, nempe cui sit faciendum votum docet S. Thomas eadem illa Q. 88. art. 4. & 5. votum esse cultum latriæ, & propterea soli Deo offerendum: nam qui promittit quidpiam alteri, commodum illius, benevola quadam in eum affectione intendit, non damnum, aut dispendium, nisi fortè comminetur vindictam de qua hìc non est sermo. Hinc est, ut, qui promittit aliquid Deo, offerat id, quod sit illi utile: cùm verò Deus nulla re nostra egeat ad usum suum, quando promissa sibi oblata exigit ad honorem, & gloriam suam illa refert: hoc enim est solum, quod à nobis tanquam ipsi commodum pręstari potest, quemadmodum de se testatur Is. 42. Ego Dominus gloriam meam alteri non dabo. Et licet hac etiam gloriâ non egeat ita, scilicet ut si eam à nobis non haberet, aliqua re careret ad suam fælicitatem necessaria, quia tamen est supremus naturę humanę Dominus, & Conditor, exigit ab ea cultum tanquam testimonium dominii sui, & obsequii nostri,

id quod

id quod religio variis hactenus explicatis facit actibus; inter quos est votum, hac formali ratione ab aliis distinctum, quòd promissione spontanea, obliget se vovens ad honorandum Deum. Atq; ita religio per operationem voti tendit in Deum, ut eum voluntaria honoret obligatione. Potest quidem etiam sanctis fieri promissio cuiuspiam rei cedentis in ipsorum honorem; sed talis promissio non erit strictè sumptum votum, quod continet in se latriç duntaxat cultum, honor autem sanctorum ad duliam spectat: erit ergo eiusmodi promissio honor, & cultus sancti, non votum; vel si quis illud vocet votum, erit inferioris conditionis.

Tertium quod ad votum exigit S. Thom. est materia, sive id quod promittitur, hoc autem docet quæst. 88. art. 2. debere esse de meliore bono. Primò igitur necesse est, ut id quod promittitur sit bonum; quia quidquid in commodum alterius sponte offertur, tale sit, oportet, quod ab ipso acceptetur ut gratum, proinde bonum. Cęterùm Deus sola bona, id est honesta acceptat, quia talibus honoratur, & talia ad obsequium suum jubet offerre, ut testatur S. David Psal. 36. Apud Dominum inquit gressus hominis dirigentur & viam eius volet: quis autem sit hic gressus obsequentium huic Domino, & quæ via, qua illum sequi debeant, infrà subdit: Declina à malo & fac bonum, & inhabita in sæculum sęculi. 5.

Quare omne illud quod est malum & in honestum, non potest esse materia voti, sive sit culpa mortalis, sive venialis, sive operatio indifferens, quæ ut communiter tenent Theologi cum S. Thom. art. cit. ad tertium & alibi, in opere posita, & nullo fine honesto decorata, est culpa venialis. Postremò omnis illa operatio cui subest periculum peccati, non est debita voti materia: hac de causa malè, ut ibidem docet S. Thomas ad secundum vovit Jephte, Judicum 11. ut quidquid sibi cum victoria redeunti occurreret, illud Deo offerret in holocaustum. Imprudens, & periculosum hoc fuit votum, quia complectebatur quidvis quod sibi occureret, sive aptum pro sacrificando, sive ineptum, & prohibitum. 6.

Re mala à materia voti exclusa, omnis bona admittenda est cuiuscunq; fuerit virtutis, & honestatis; sive interna illa fuerit, ut amor Dei, contemplatio, & similia; sive externa, ut jeiunium, castitas, & id genus alia: sive sit actio, ut oratio; sive res simul cum actione, ut eleemosyna, sive alterius à religione virtutis, ut temperantiæ, sive ipsius reli- 7.

Google

gionis, ut sacri celebratio, sive ipsiusmet voti, ut si quis voveat, se facturum votum ingrediendi religionem. Deniq; possunt etiam indifferentia Deo offerri, aliquo bono fine, & honestate ornata, ut si quis voveat se lapides ex publica via sublaturum, ut commodior sit viatoribus transitus.

8. Ex hac tanta latitudine materiæ colligitur præstantia voti, quod quidvis amplectitur, modò sit acceptum Deo, neq; verò ita amplectitur ut virtutes aliæ, quæ possunt imperare actus cæterarum (quo pacto v. g. fortitudo imperat sobrietati moderati cibi, potusq; usum) sed præter imperium, habet insuper votum omnes actus omnium virtutum, & res circa quas illæ versantur, tanquam propriam suam materiam, & objectū materiale, quod obligatione præstandi aliquid ad cultum Dei, tanquam formali afficit ratione. Prorsus omne quod Deo honorificum esse potest, votum comprehendit.

9. Jam alterum quod ponit S Thom. ad materiam voti necessarium, est ut sit melius bonum, quod non ita est accipiendum, quasi debeat esse absolutè omni alio melius (sic enim solus amor Dei esset vovendus Deo, nimirum, qui omnibus præstat virtutibus) sed ita ut inprimis non excludat directè, & ut in scholis dicitur positivè præstantius bonum: deinde ut spectatis omnibus hîc & nunc circumstantiis, sit tale, quod melius sit quàm ei oppositum. Meritò autem id, quod vovetur non debet excludere maius bonum, & debet esse melius, quàm ei oppositum, quia Deus non acceptat tale donum, quod homini præcludit viam ad maiora merita, & ad maiorem eius cultum, atq; obsequium. Exemplis doctrina fiet clarior: vovet quis jejunium, quod sine dubio inferius est amore Dei, vel contemplatione, tamen quia non repugnat amori Dei, & contemplationi, neq; excludit illam aliqua incompossibili contrarietate (potest enim sic jejunans simul amare, & contemplari Deum, aut certè peracto jejunio) ideo nihil obest quo minùs Deo promitti possit. Idem etiam jejunium potest dici melius bonum, quia est melius hîc & nunc, quàm usus ciborum: nam juvat orationem, refrenat corpus, & similia præstat, quæ non habentur ab usu ciborum. Addo hîc & nunc melius debere esse illud jejunium, si enim cui obesset, maioraq; impediret bona, jam non esset melius, sed malum, unde neq; esset congrua materia voti. Idem alio declaratur contrario exemplo: matrimonium non potest esse materia voti, quia est incompossibile maiori bono, nempe statui religioso; siquidem nec simul potest quis esse coniunx, & Deo consecra-

secratus, nec postea ita, ut relicto matrimonio, transeat ad religionem; nisi vel mors consortis, vel concessio accedat, quod rarum, & incertum est. Ad hæc matrimonium non est melius bonum, quàm oppositus religiosus status, ut clarè patet: ex utroq; ergo capite, status coniugalis, non potest esse materia voti.

Quòdsi detur casus, ut spectatis circumstantiis hîc & nunc, in aliqua persona sit melius nubere, quàm non nubere: Vt si per matrimonium alicuius publicę personæ pax regni conservanda sit, vel quid simile sequatur; in tali eventu potest esse matrimonium materia voti: quia tunc non censetur excludere maius bonum, sed potiùs ad illud ordinari, nimirum, ad maiorem Dei gloriam, & charitatem, cuius intuitu ineundum esset, & quæ prestęt, etiam ipsi statui religioso, qui ad Dei charitatem tanquam ad finem ordinatur. Præterea, matrimonium tale est melius, quàm oppositus religiosus status, propter illas hîc & nunc concurrentes ad Dei gloriam, & ad bonum commune circumstantias: atq; ita matrimonium potest esse tunc materia voti. 10.

Ex hac doctrina (quam cum S. Thom. art. 2. tenet Cai: ibidem, & communiter Theologi) exemplis declarata, illud universim inferendum est, ut omne bonum, sive ad salutem de medio necessarium, ut est Baptismi susceptio; sive necessarium de præcepto, ut est celebratio festi; sive ad consilium spectans, ut est status religiosus; sive actus quispiam, & res, ut subministratio Eleemosynę, sive omissio operationis, & negatio rei, ut non fornicari, & nihil dare quod ad fornicandum alliciat: inferendum, inquam, hæc omnia posse esse materiam voti, modò contineant in se melius bonum, cum duplici illa ratione, ut neque excludat altius, & in casu occurente expensum, sit melius quàm sibi oppositum. Illud alicui posset videri dubium, quo pacto ea, quæ necessaria sunt tanquam media, & præcepta ad obtinendam salutem, voveri queant: cùm enim ex obligatione debeant fieri, quonam modo ex libero voto facienda sunt? Ad hoc sumenda est responsio ex S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 2. in corpore, necessaria ad salutem habere quidem obligationem à Deo impositam, hoc ipso quòd præcepta sint, vel ordinata tanquam media; non tamen habere illam obligationem quam sibi quisq; voluntariè imponit, ut scilicet, id quod aliunde debet, debeat ex peculiari in Deum religione. Vnde talia, ex hac etiam spontanea obligatione dicuntur esse de meliori bono: V. c. Si quis voveat se sanctè iuraturum (id quod alias in decalogo præcipitur) nam neq; excludit altius bonum, ita ut vovens 11.

præ-

præcludat sibi aditum ad magis placendum Deo: neq; oppositum sancto juramento est melius, esset enim periurium, quod omnino peius est, ita de reliquis. Atq; hæc sic explicata materia voti, confirmat magis latitudinem eius supra num. 7. allatam: ut habeat liberalis in Deum animus latissimum bene de illo merendi campum, non per bona tantùm, sed per meliora bona, noveritque ea, quę Deo Domino suo ad sanctum eius ultro offerat obsequium. Quò tamen in hoc campo duce prudentia discurrat, ne, dum liberè pergit, impingat in offensam animæ cautela est in sequentibus afferenda.

Sectio II.

An melius sit ex voto quàm sine eo rectè operari?

Cùm in omni morali honestate extrema sint vitanda, mediumq; tenendum, etiam in hac honestate voti observandum est idem, cavendumq; ne vel rejiciatur voti religio, tanquam inutilis, vel ita
12. sumatur, ut in executione sit impossibilis. *Heretici* tum veteres, tum moderni, qui errores ipsorum suscitant, ut Calviniani, Luterani, aliiq; sunt in uno extremo: vota enim oderunt, tanquam noxia, unde Jovinianus teste S. August. tom. 3. de Eccle. dogma: cap. 68. asserit nihil esse meriti in castitate Deo consecrata, aut castigatione corporis per jeiunia, cæterasq; abstinentias. Calvinus eum secutus libro 4. instit cap. 13. Parag. 7. vota à Catholicis usurpari solita in peregrinationibus ad sacra loca, in corporis mortificatione & similibus vocat superstitiones, quibus ante eum totus mundus, id est Catholicus orbis (ut ibidem gloriatur) laborabat. Non obscurum, inquit ille, quanta superstitione laborabat mundus; alius se abstemium fore vovebat, quasi vini abstinentiâ cultus per se esset Deo gratus, at alius jeiunio se adstringebat, &c. Et post subdit: Hęc non tantùm inania deprehunduntur, ac nugatoria, sed plena manifestæ impietatis. Idem tamen Calvinus eodem loco parag. 3. concedit vota illa, quæ facilè, & certò possimus implere, ne si difficiliora voveamus libertatem à Deo datam videamur reddere servilem: unde invehitur in religiosos utriusq; sexus, quòd se perpetuæ devoveant castitati, cùm non sint certi, num rem tam difficilem diuturno tempore possent servare. Sed inprimis ipse sibi Calvinus contradicit eodem

dem in loco; nam parag. 3. concedit aliqua vota, & parag. 18. Diaconissas, de quibus est primo ad Tim. 5. affirmat fuisse ex voto: quomodo ergo vota vocat superstitionem? Rursus ipse parag. 6. asserit omnes fideles in Baptismo vovere Deo fidelitatem, quæ procul dubio res est difficilis; unde Joannes Epist. 1. cap. 5. fidem, & charitatem testatur esse victoriam mundi, cùm verò nemo sciat se posse certò toto tempore vitæ fore Deo fidelem & tamen vovet omnis Christianus teste Calvino in Baptismo Deo fidelitatem, quomodo ergo negat idem vovenda esse difficilia, & pro longo tempore? Quod blaterat miser iste, idem ante eum, & doctrina & re ipsa tenuit Lutherus lib. de votis monasticis, aliisq; in locis, quibus citandis ne longior sim supersedeo. Quare cùm post multos religiosi status annos sensisset difficilem servatu esse religiosam castitatem, finxit articulum suo sacrilegio faventem, qui est huiusmodi: Vota tamdiu servanda, quamdiu facilè possunt servari. Atq; hunc suæ sectæ articulum in se, & in infælici moniali Catharina sua sacrilega concubina executus est, talemq; religionis vovendi præscripsit formam in eodem citato loco: Voveo castitatem usq; ad mortem liberè, id est ita ut mutare possem.

Verum Catholica fides contraria de votis, eaq; certissima docet; 13.
primò illa esse sancta, & religiosa, id est ad cultum Dei spectantia: secundò gratiora esse opera Deo ex voto facta, quàm sine voto: tertiò solvenda toto illo tempore pro quo emissa sunt; quartò sive facilia, sive difficilia fuerint. Et quòd sint sancta, ac religiosa constat ipsius Dei testimonio qui instituens Hæbreos in suo divino cultu, inter alia sic loquitur Levit. 27. Animal, si quis voverit, sanctum erit, & consecratum Domino; certè animal in se nequit esse sanctum, sed quia ad cultum, religionemq; Dei sancti voto ordinatur, hoc respectu dicitur sanctum. Si ergo animal à voto accipit sanctitatem, ipsum sanctum sit oportet, juxta illud Philosophorum dictum: Propter quod unumquodq; tale, & illud magis. Iidem suo facto testatur S. Paul. Act. 24. ubi dicit se venisse Jerosolymam facturus eleemosynas, & vota, quibus purificatus fuit in templo: si per vota purificatus fuit Paulus, votum sanctum erat, quod illi puritatem contulit; neq; est necesse rem tam claram longiùs comprobare.

Secundum non minùs quoq; est certum, quòd ea, quæ ex voto fiunt, sint Deo gratiora, quàm sine illo; id quod declarat S. Thomas secunda secundæ Q. 88. art. 6. in corp. verba eius sunt: Dicendum quod 14.

triplici ratione facere idem opus cum voto est meliùs, & magis meritorium, quàm sine voto. Primò quia vovere est actus latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales, nobilioris autem virtutis, est opus melius, & magis meritorium. Et ideo jejunare, quod est actus abstinentiæ, & continere quod est castitatis, sunt meliora, & magis meritoria, si fiant ex voto, quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia. Secundò quia ille, qui vovet aliquid, & facit, plus se Deo subjicit, quàm ille, qui solùm facit; subjicit enim se Deo non solùm quantùm ad actum, sed etiam quantùm ad potestatem, quia de cætero non potest aliquid facere: Sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret fructus tantùm. Tertiò quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum, facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis: Sicut etiam peccare mente obstinata aggravat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum Sanctum. Hęc ex doctrina S. Thom. tria, honestas, scilicet, cultûs latrię, potestatis ob Dei obsequium abdicatio, & firmitas in adhærendo Deo, cùm pręclara sint, neq; reperiantur in cæteris virtutibus, præsertim simul omnia, ut per eas discurrenti patet; quis non videt gratiora esse Deo opera ex voto, quàm sine voto facta? Quapropter S. August. tom. 3. de Ecclesiasticis dogma: cap. 72. ita de voti præstantia, atq; utilitate scribit. Sacratæ Deo virginitati nuptias coæquare, aut pro amore castigandi corporis abstinentibus à vino, vel carnibus nihil credere menti accrescere, non hoc Christiani, sed Joviniani est. Et cap. 21: Bonum est, inquit, facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius est, pro intentione sequendi Dominum in simul donare, & absolutum sollicitudine cum Christo egere.

35. Tertium tandem, quod docet Ecclesia pari certitudine firmatur: nempe servanda vota toto tempore, pro quo sunt emissa, neq; emittenda ita, ut pro arbitrio resilire liceat, id enim Spiritus Sanctus clarè pręcipit Eccle. 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, ubi prohibet etiam differre adimpletionem voti, nedum ab ea deficere, unde subdit: Quodcunq; voveris, redde, quasi dicat, si unum vovisti, redde, si breve, breve redde; si longum, & pro tota vita, longum, & pro tota vita redde, & non putes tibi licere tollere obligationem voti, cùm hoc ipso quod voveris, ita te obligasti, ut non sit liberum pro arbitrio negare id quod vovisti, siquidem votum necessario adiunctum sibi habet solvendi debitum.

Neq;

Neq; verò est alicuius momenti hęreticorum effugium libertatis,& 16.
incertitudo futuræ in voto firmitatis; si enim libertas intelligatur talis, ut semper fas sit homini, id, quod libuerit facere non est hęc Christiana libertas, sed Epicuriana licentia, ex qua illud consequitur, ut non solùm vota, sed nec ulla Dei præcepta servari deberent, scilicet, propter conservandam illam, quidvis pro libito faciendi, libertatem: quod quis sanus mente dicat? cùm Christus obliget nos ad implenda sua præcepta Matth. 19. si vis ad vitam ingredi, serva mandata; & Matth. 25. promittat se damnaturum transgressores eorum Hæreticorum ista impudens, & in Deum audax quid vis faciendi libido, destruit veram, & Christianam libertatem, quam Ecclesia Catholica à S. Paulo Rom. 6. sic descriptam accepit: Peccatum nobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratia. Et mox pestilenti Hęreticorum libertati obviat: Quid ergo peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? absit. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam. Quibus verbis clarè dicit, libertatem Christianam esse, non in faciendo quidvis pro libito, sed in eo ut per gratiam Christi justificati semel, non redeamus ad pristina peccata, verùm justitiæ obediamus semper. Hoc verissimum de Christiana libertate dogma explanat S. Augustinus lib. de continentia cap 3. in duobus eam ponens, primò quòd simus exempti, & liberi facti à lege Judaica, non solùm ceremonialia imponente (ad quę jam non obligamur) sed etiam moralia, ad quę pręstanda non dat illa vires: tali legi gravanti, & non juvanti non subsunt Christiani. Secundò ponit libertatem S. August. in gratia Christi, quæ dat facultatem omne id prętandi, quod præcipitur: Non sumus, inquit ille, sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quę id quod lex jubet, faciens nos amare, potest liberis imperare. Ex quibus patet non esse rejicienda vota, quasi illa tollant libertatem inducendo obligationem, cùm libertas Christiana, non sit opposita obligationi, ad quam explendam juvat gratia; sed illi legi, quæ prçcipit, & non dat explendi vires.

Multò etiam minùs sunt violanda pro libito semel facta vota, eò 17.
quòd is qui illa emittit, imponat sibi obligationem servandi ea, cum gratia adiuvante. Atq; ita libertatem obstringit alteri. Imo si obligationem dictam violet, meretur pœnam, siquidem libertas Christiana ad bonum ordinatur, id est ad id, quod quisq; agere debet, non ad malum.

Vnde rectè August. tom. 7. lib. 3. cap. 51. arguit Manichæos, qui putabant contra libertatem Christianam esse puniri ob eius abusum. Dedit Deus inquit, homini liberam voluntatem; sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam: Quisquis Christianum, inquis, persequitur Christi est inimicus: verum dicis, sed hoc in illo persequitur, quod Christo est inimicum; neq; enim Dominus in servo, pater in filio, maritus in coniuge, cùm sint Christani, non debent persequi vitia Christianæ contraria veritati. Itaq; nullius valoris est primum hæreticorum effugium libertatis.

28. Neq; illud alterum evertit votorum obligationem, quod non simus certi de futura gratia ad servanda vota necessaria. Quamquam illi in hoc, ut in omnibus (nimirum cæci, & errones) sibi non constant: passim enim docent se habere certitudinem salutis, ac proinde & eorum quę ad illam ordinantur, qualis est adimpletio obligationis, ut ostendit Bell. lib. 3. de Iustifi. cap. 3. & reliquis aliquot. Itaq; contra suam sectam asserunt se non habere certitudinem gratiæ: Sed quidquid sit de hac in asserendo inconstantia, nos eiusmodi certitudiuem non admittimus; nunquam enim nobis de ea ex sacris scripturis, vel aliunde constat, quin potius movemur à S. Paulo ad Philip. 2. cum metu, & tremore salutem operari. Neq; tamen hic timor in eas nos angustias redigere debet, ut omnem tollat fiduciam gratia,auxiliiq; divini: quę fiducia quantas nobis vires ad agendum conferat,docet Spiritus Sanctus Psal. 36. ita nos erigens: Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in divitiis eius. Itaq; is qui diffidens sibi (ut revera debet) à Deo solo expectat, petitq; efficax auxilium, illud sibi de eo persuadendo, quod Christus à suo Patre Luc. 11. promisit. Pater vester de cœlo dabit bonum spiritum: id est ad salutem necessaria: hoc, inquam, supponendo faciat quod potest boni quamdiu in terra habitat, & tandem pascetur divitiis eius, scilicet, in regno cœlorum.

29. Quodsi Hæretici instent non posse adhuc servari vota, quantumvis quis speret à Deo auxilium, quia semper manet in exequendo difficultas. Ad hoc duo dicenda, primum si propter difficultatem à votis semel factis resiliendum esset, nihil unquam boni nos debere facere, imo vix aliquid facere posse, cùm in quovis alicuius momenti negotio semper adsit, quod molestet. Itaq; non esset colenda terra, non iter faciendum, non studendum, non mercandum, non ineunda matrimonia, non expediendæ lites, non aggredienda bella, non tractandum de pace; nihil ho-

rum

rum faciendum, quin innumera omittenda, quia molestas habent annexas difficultates. Quod si in terrenorum cura tot sint ardua, quot debet habere studium cœlestium? & si illa assumimus, quia exiguo tempore in terra vivere delectat: quantò magis ea assumenda, & constanter tenenda, quę conducunt ad animæ salutem, ne alioquin simus inter illos, quos redarguit Christus Luc. 16. dum inquit: Filii huius sæculi prudentiores sint filiis lucis. Non igitur propter difficultatem, quam quisq; sine dubio non levem debet experiri; nimirum dæmone, carnisq; petulantia instigante, & ipsa rei, Deo promissæ magnitudine molestiam abjiciente, sunt violanda vota.

Sed enim potest esse difficultas, alterius cuiusdam generis, quę, scilicet, ex eo nascitur, quia quis vovit sine prævia consideratione, neq; 20.
Dei auxilio invocato; fraude etiam, & deceptione aliena, aut certè ante tempus ad vota emittenda maturum, & sine aliis debitis circumstantiis, de quibus infra dicemus, cùm agetur de obligatione voti. Huiusmodi si occurrerit post emissa vota difficultas, potest ab illis liberum facere voventem, ut vel nulla fuerit obligatio, vel si quæ fuit, impossibilem moraliter reddat executionem, ut proinde meritò tolli debeat, modo infra assignando, inducta obligatio.

Atq; hoc est alterum extremum vitandum in hac materia, ne, scilicet, levitate animi vix ulla adhibita trutina, & sine recursu ad Deum implicemur votis: cæterum ubi sunt præmissa prǽmittenda, semel inductum debitum fideliter servandum; cùm is cui fides obligata est, sit Deus, supremus Dominus, exigens oblata, puniens negata: Deus enim, testatur Paulus ad Galat. 5. non irridetur. Quapropter idem Apostolus 1. ad Timo. 5. sic sentit de viduis, quæ votum castitatis Christo dicatum fregerunt: Adolescentiores viduas devita, cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Et Sanctus Augustinus tom. 2. Ephes. 45. ad Armentarium, & Paulinum, qui ex mutuo consensu voverent in conjugio continentiam, ita sentit. Priusquam esses voti reus, liberum tibi fuit, quo esses inferior; nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magna iniquitate deterreo, nec ideo te vovisse pæniteat, imo gaude jam tibi hoc non licere, quod cum tuo detrimento licuisset.

Sectio III.

Quottuplex est votum.

21. INtellecta substantia voti quam multiplex illud sit, videndum, ut qui vovit, scire possit, qualinam se obligaverit. Prætermissis autem minutis quibusdam divisionibus, de quibus S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 2. & alibi cum eoq; Theologi, primam, & ad nos spectantem affero de voto absoluto, & conditionato: illud est, quod emittitur nulla apposita conditione, etsi includat aliquas generales, cuivis humanę operationi annexas, quę solent his terminis explicari: si potero, si vixero, nisi impediar, & similibus. Nam qui vovit exempli gratia jeiunium pro aliquo die, & incidat eodem in gravem morbum, non tenetur voto, propter impotentiam exequendi: atq; ita de paribus humanorum operum circumstantiis judicandum. Conditionatum votum est, quod peculiarem quampiam, & quæ non solet communiter humanæ actioni annecti, præfigit conditionem, ante cuius positionem suspenditur, non quidem obligatio promissionis (statim enim obligatur, qui sic vovet, neq; necesse est, ut iterum promittat posita conditione) sed executio; ut si quis voveat se daturum mille ducatos in eleemosynam, modo ex bello sine vulnere redeat; debebit dare illos mille, ubi illæsus redierit. Tale conditionatum votum solet interdum esse pænale, quando quis promittit Deo quidpiam in odium, & pœnam facti alicuius; ita se obligat qui vovet aquæ potum tota hebdomata, si vel semel fuerit ebrius: eiusmodi votum fit ad vitandam ebrietatem, quæ si committatur, punienda est executione voti.

22. Secunda divisio voti est, in simplex, publicum, & solenne; simplex dicitur, quod neq; de se perpetuum est, sed potest ad tempus obligare, ut obligat votum jeiunandi aliquot diebus duntaxat; neq; reddit inhabilem ad validè faciendum id, quod est contrarium voto: quo pacto votum simplex castitatis, licet prohibet ne matrimonium sine culpa contrahatur; si tamen fuerit contractum, validum est. Quamquam votum castitatis simplex, religiosorum Societatis Jesu ex ordinatione summorum Pontificum, & impedit contrahendum matrimonium, & dirimit contractum, ut nihil valeat. Jam publicum votum coincidit cum simplici, solumq;

solumq; illi addit, quod palam in præsentia aliorum publica emittatur. Postremò solenne votum, ut docet S. Thom. Q. citata art. 7. in corpore, Caietanus ibidem, & alii communiter, est quod habet traditionem, & mancipationem voventis de se perennem, in qua traditione duo intelliguntur. Primò, quòd sit translatio quædam juris; nam traditio rei transit in possessionem alterius cuius juri nequit præiudicari ab eo, qui illam tradidit, irritèq; facit si contra dictum jus aliquid moliatur. Dat S. Thomas loco citato exemplum in matrimonio, in quo tradunt coniuges jus mutuum in sua corpora: unde si coniunx ineat aliud matrimonium non solùm malè, sed etiam irritè contrahit, quia præiudicat alterius juri. Hàc igitur ratione, qui solenne emittit votum, tradit jus in se Deo, ita omnino, ut si faciat contrarium traditioni, irritum illud sit. Votum, exempli causa, solenne castitatis, non solùm impedit coniugium ne licitè contrahatur, sed etiam irritum reddit; pari modo votum solenne paupertatis religiosæ & prohibet, & irritos reddit contractus de bonis temporalibus: Votum item solenne obedientię religiosæ, impedit personales obligationes, irritasq; facit. Hæc traditio sui de se perpetua esse debet, ut differat votum solenne à simplici, & à publico, quod potest esse temporaneum. Secundum quod in voto solenni intelligitur, est auctoritas Ecclesię approbantis, & acceptantis talem voti obligationem, qualem ex se non haberent; ut nimirum traditio sui opposita votis irritet, & perrenniter quidem contrarios illis actus.

25. Hęc porro approbatio duplici perficitur actu, primò susceptione unius ex sacris ordinibus, qualis est subdiaconatus inprimis, in quo tacitè emittitur votum solenne castitatis, & quia in Ecclesia latina, orientalis enim & Græca ab hac obligatione eximitur. Secundò, approbatio dicta perficitur professione trium votorum in religione à sede Apostolica approbata: Sive hęc professio fiat expressa promissione sive tacita, exceptione, videlicet, habitus alicuius religionis, animo in ea permanendi. Addit S. Thomas quæst. illa 88. art. 7. in corpore. in 2. 2. præfatam approbationem compleri, consecratione, & benedictione spirituali; sicut matrimonium approbatum solenni apparatu, ornatuq; sponsi, & sponsæ; item benedictione proprii pastoris, sed per hanc consecrationem, ac benedictionem non intelligitur oratio aliqua, & ceremonia spiritualis, quasi substantialiter ad solennitatem requisita, ut bene explicat divum Thomam Caietanus: Verùm intelligitur ipsa tantùm susceptio ordinis, & professio religionis, per quam dicitur consecrari, & à Deo,

à Deo, atq; ab Ecclesia benedici vovens, sive adhibeantur aliquæ benedictiones, & consecrationum formulæ, sive non.

24. Præter allatas jam divisiones voti, est & illa celebris in votum personale, & reale: personali promittitur Deo operatio quæpiam hominis, ut est jeiunium, castitas, oratio & similes: reali vovetur res, qualis est eleemosyna templi ædes, & alia id genus. Divisio ista, ut sibi sit per contrarium distincta, non ita intelligitur, quasi nihil sit rei in personali voto, vel nihil operationis in voto reali, id enim vix fieri potest, cum & actio habeat communiter annexam rem, & res actionem. Verbi causa, operatio jeiunandi, habet cibum, & eleemosyna debet habere actum dandi. Vt ergo hęc duo vota distinguantur, attendendum est in eis id, quod principaliter promittitur, atq; ab eo, jam personale, jam reale denominandum. Hinc quia in eleemosyna principalis est res, annectitur illi operatio dandi; si enim aliqua via fieri posset, ut eleemosyna transiret ad possessione indigentes, sine eo quòd daretur ab eo, qui eam vovit, verè impleretur votum eleemosynæ; quapropter eleemosynæ promissio, est reale votum. E contra, quia is qui vovet jeiunium potissimè abstinentiam vovet, cibos autem à quibus abstinet, tanquam materiam annexam, sine qua jeiunium perfici nequit; ideo promissio jeiunii, est votum personale. Et quod dico de voto personali in operatione externa, qualis est jeiunium; idem afferendum de operationibus internis, qualis est meditatio, amor Dei, & similes.

25. Hęc ideo de distinctione realis, ac personalis voti dicta sunt, ut usui esse possint ad obtinendam ab iis liberationem, interdum enim datur potestas absolvendi à voto personali, non autem à reali, vel è contra; cuius potestatis ut rectus sit usus, voti qualitas probè intelligenda, maximè cùm fieri possit, ut quis simul duo voveat, peregrinationem V. G. ad locum pium, & eleemosynam eidem dandam, quale votum appellatur mixtum. Qui ergo potestatem habet, dispensandi in personali tantùm, potest liberare à peregrinatione, non ab eleemosyna; è contra qui potest reali tantùm dispensare, ab eleemosyna liberabit, non à peregrinatione.

26. Divisiones voti hactenus explicatę, fundantur in duobus, in modo, videlicet, vovendi, & in materia quæ promittitur; à modo sumitur votum absolutum, conditionatum, simplex, publicum, & solenne, à materia votum personale, & reale. Hîc supposita hac divisione, relinquitur jam cuiq; liberum, ut eligat id, quod Deo offerat sibi opportunum, ipsi

ipsi gratum, atq; ut tali electione promptum, & liberalem in suum conditorem testetur animum. Ipsum certè lumen naturæ docet, tantò ea quæ sponte offeruntur, esse gratiora accipienti, quantò maiora, & meliori modo donantur; cuius rei plurima habemus in scriptura exempla, aliquot hîc afferre satis erit.

Abraham Gen. 22. non quidem ex voto (de hoc enim nobis non 27.
constat) jussus tamen promptè voluit offerre in holocaustum filium, quam promptitudinem animi largè Deus remuneraturus ita illi dixit: Permetipsum juravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obediuisti voci meæ. Benedictio ista, quemadmodum interpretatur S. Paulus ad Gal. 3. est in Christo, & in gentibus in eum credituris: ille ergo promptus obediendi Abrahæ animus, meruit ut esset Pater filii Dei, & omnium fidelium. Quis jam non stupeat talem commutationem pro filio homine, Deum filium nancisci, pro uno Isaac, infinitam, sicut stellas cœli, & arenam maris filiorum multitudinem? Tanti est apud Deum liberalis promptitudo animi in offerenda illi re, quæ offerenti est valde grata, & qua in perpetuum privari, est valde eidem durum, ac grave. De David quoq; 2. Reg. 23. voluit Spiritus Sanctus ut scripto posteris traderetur, quòd abstinuerit à bibenda aqua, quam magno suo periculo tres fortissimi illius milites, ex castris hostium attulerant: Noluit, testatur scriptura, bibere, sed libavit eam Domino dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc, num animarum periculum bibam? Placuit Deo hæc abstinentia, etsi forte non ex voto facta (neq; enim de eo legimus) eò quòd prompto animo sit suscepta, Deoq; libata, cum non levi molestia sitientis David, nec recreati aquâ. Hæc exempla sanctorum ostendunt, quàm acceptum sit Deo id, quod quis illi promptè offert, etsi eo se cum molestia privet. Sunt alia quę actiones quoq; pari promptitudine oblatas, gratas eidem reddunt, talis fuit fortitudo Caleb, & Josue, ut num. 22. legimus, quibus pręceperat Deus, ut explorată promissionis terrâ, magno animi robore ad occupandam eam se accingerent quod & fecerunt, aliis pusillanimitate deiectis, neq; in divino auxilio confidentibus. Illorum fortitudinem ita probavit Deus, horum quoq; ita punivit ignaviam, ut juraverit dicens: Si videbunt homines isti qui ascenderunt ex Ægypto à viginti annis, & supra terram, quam sub juramento pollicitus

fum Abraham, Isaac & Jacob, & voluerunt fequi me præter Caleb, & Josue, isti impleverunt voluntatem meam. Ex tot centenis Hebræorum millibus, qui promptè fe ad pugnandum pro Deo, & cum Deo offerrent non nisi duo fuerunt: nimirum qui sponte, & promptè opus sibi arduum pro Dei gloria assumant, paucos reperias, pauciores, qui assumptum fideliter exequantur, præsertim imposita sibi voti lege, ut aliter facere non liceat.

28. Videant ergo, qui vota pro gloria sui Creatoris concipere cupiunt, quid rei, quidve operationis illi dicent. Maiestas quidem divina tam excelsa est, ut nihil par eius dignitati esse possit, neq; quidquam illi datur, quod non sit ab eo priùs donatum: cùm tamen ea sit conditio liberi hominis; ut vel dives in Deum esse possit, si sit magnificus, ac liberalis; vel egenus, si fuerit angustus: in nobis certè, supernâ gratiâ adiutis, est sic in illum nostram testari animi magnitudinem, ut audiamus nobis dici: Quia fecisti, hanc rem, & obedivisti voci meæ, benedicam tibi; & illud: Iste implevit voluntatem meam, intrabit in terram, quam sub juramento promisi. Non est quidem (præsertim semper) voluntas Dei pręcipiens, ut nos obligemus votis, & ad perfectiora assurgamus; est tamen crebrò suadens, & consulens, quam qui implet, laudes divini oris meretur, semper verò est præcipiens voluntas, ut vota facta servemus. Sed de hoc plura infra dicentur, ubi agitur de perfectione vitæ Christianę, nunc alia de votis prosequamur.

Sectio. IV.

Quæ sit obligatio voti, & primò ex parte Dei.

29. QVæ, & quanta sit obligatio voti, ex triplici capite redditur manifestum: nam duę personæ ad illud concurrunt, Deus, cui votum fit, & homo, qui vovet, tertia est res seu materia, quę voto promittitur, de quorum singulis agendum, ut intelligatur debitum, atq; obligatio voti. Et quod ad Deum spectat, cùm votum sit promissio illi facta tanquam Domino, & Auctori bonorum omnium, quemadmodum docet S. Thom. 2. 2 Q. 88. art. 3. in corp. promissio autem, ut idem ibidem declarat, ex fidelitate in eum, cui fit, servanda est; sequitur ut per respectum ad Deum, duplex sit causa obligationis voto contracta.

Pri-

Primò ratione fidelitatis Deo supremo Domino, & benefactori debitæ; nam sicut promissio facta homini est actus virtutis fidelitatis, (de qua quid sit, infra dicemus, agendo de veritate) in hominem, ita promissio Deo facta, est actus fidelitatis cujusdam, quæ est virtus religionis, ad cultum, & gloriam supremi Domini, & Benefactoris ordinata. Vnde quemadmodum omne promissum homini factum, cadit, ut dici solet, in debitum, ita promissum Deo factum cadit quoq; in debitum. Adhæc sicut Deus est infinitè maior, quàm homo, aut ulla creatura, ita debitum Deo reddendum, infinitè est maius, quàm debitum reddendum alicui creaturę: non quòd debitum hoc Dei sit in se, ut aiunt Theologi, intensivè, & omni ex parte infinitum (sic enim esset increatum quid, & Deus) sed quòd respiciat, Deum tanquam obiectum, qui est infinitè intensivè maior, quàm ulla creatura.

Secunda causa obligationis voti per respectum ad Deum sumitur 307
ex ipso consentiente, & acceptante voventis bonam voluntatem. Etsi enim omnis promittens, hoc ipso quod promittit, imponat sibi obligationem; ea tamen antequam acceptetur ab eo cui fit, nihil aliud promittenti imponit, quàm debitum manifestandi alteri benevolam in eum voluntatem; quod debitum est leve, & simile bono proposito faciendi aliquid: unde si omittatur illa manifestatio, inconstantiæ cuiusdam levis committitur culpa, siquidem nullum jus proximi, quod ipse adeptus sit, violatur: id quod communiter docent Theologi. Vbi verò manifestatio facta fuerit acceptata, jam obligatio est maior, & talis, quæ dat quoddam jus acceptanti in promittentem, ut non solùm debeat promissum solvere, qui bene alteri vult; sed quia alter potest sibi jus collatum exigere. Quale autem sit hoc jus, dicetur de fidelitate. Itaq; ut promissio conferat jus aliquod, debet ab eo acceptari, cui fit, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 88. art. 2. in corp. nam id quod promittitur non debet esse contrarium promissario, sed utile, & gratum illi, & quidem utile, ac gratum, judicio ipsius cui aliquid promittitur non alieno; cùm alius facilè in hoc decipi potest, quid promissorio sit ad placitum. Quapropter & Deus, qui ad nostrum commodum quasi vigilans attendit, quid illi offeramus; & postquam aliquid fuerit oblatum, promptè illud acceptat, primò tanquam conducens ad suam gloriam, ac proinde sibi gratum: deinde tanquam utile, & conducens nobis Rectè enim docet S. Thomas 2. 2. Q. 88. art. 4. in corp. promissionem Deo fieri, non propter eius, sed nostram utilitatem, citatq; S. Augustinum in Epistola 45. sic docen-

Digitized by Google

docentem: Benignus exactor est & non egenus; & qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat redditores: quia quod ei redditur, reddenti additur. Acceptata ergo à Deo promissio confert ipsi quoddam jus, non justitiæ commutativæ; hęc enim inter nos, & Deum nequit esse, cum omnia sint eius, & nos ipsi, nihilq; habeamus proprium de quo fiat commutatio, & contractus, sed fidelitatis Deo supremo Domino debitæ.

31. Ex quo sequitur hanc obligationem magnam, & gravem esse, & quæ ut dicunt Theologi talis sit de genere suo, qualis est transgressio mortalis, quod vel inde clarè patet, nam votum frangens, quantùm in eo est duo in Deum conatur patrare. Primò vult decipere & quasi illudere ei, eò quòd post oblatam ex parte sua assecurationem per votum, mutat sententiam remanente tanquam illuso, & spe sua frustrato Deo. Secundò conatur quoq; jus in se, & à se datum, rursus, ab eodem auferre, & velut rem ab ipso apprehensam, jam vi quadam è manibus eripere, nempe si ex malitia votum violet, jam quasi arte suffurari, si ex infirmitate, inconstantiave animi illud transgrediatur; quid utramq; in tantam committere Maiestatem, quis non videt, quàm sit impium, & temerarium? Inter homines, & quidem autoritatis, potestatisq; magnæ, quales sunt orbis terrarum Monarchæ, potissima est, imò unica discordiæ, ac bellorum causa, violatio juris alieni; & si ea fiat à rebellibus subditis, magis offendit, atq; exarcebat. Hanc ob rem David, alioquin Rex prudentissimus, & mitissimus, reliquit in mandatis filio suo Salomoni, 3. Reg. 2. ut unum è rebellibus sibi (etiam correctum pœnitentia facti) capite plecteret; sic enim moriturus dixit: Habes quoq; apud te Semei filium Gera, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra; noli pati eum esse innoxium. Fidelitatem Semei Davidi suo Regi promiserat, quam etiam Rex acceptavit, hoc ipso, quòd ille subditus, hic Dominus eius fuerit: Quia ergo promissum oblatum, & acceptatum non solvit; & quia jus fidelitatis, quod in eum nactus erat David, violavit; dimissâ etiam offensâ, puniri debuit judicio prudentissimi, juxta & Sanctissimi viri, & quidem tunc ita judicantis, cùm ipse ad divinum properaret tribunal: quo tempore tales, qualis fuit David, maximè justa, & sancta decernunt.

32. Quid jam statuet Deus, contra violatorem voti, primus, supremusq; omnis creaturę Dominus ac Monarcha? Violationem certã juris sui ex duplici capite (quod in materia de peccatis expendunt Theologi) magni,

magni, hoc est infinitè pendet. Primum caput est, excelsa eius dignitas: &, si quantò quisq; dignior est, tantò in eum offensa committitur maior; cuius erit magnitudinis ille ausus, illaq; temeritas, qua, quod Deo traditum est, contra eius voluntatem aufertur?

Alterum caput ex quo sumitur sacrilegii huius infinita æstimatio, 33.
est vilitas frangentis votum, quę tanta in suo genere habenda, quanta est Dei dignitas in suo etiam genere, scilicet, infinita, sicut enim in Deo nullus dari potest terminus excellentiæ, & perfectionis, ita in homine nullus est abiectionis finis, cùm careat innumeris perfectionibus, quæ in Deo continentur. Itaq; si tanta vilitas cum tanta conferatur altitudine; audax est stulta rebellio, negantis Deo fidelitatem, infinitum quoddam temeritatis arguit pondus: propterea quòd semper graviùs est lædi maiorem à maiori, quàm à pari, vel à maiori; hic verò infinitè magnus, ab infinitè vili offenditur. Et hæc quidem duo capita, cuiusvis divinæ offensę declarant magnitudinem; huic tamen sacrilegio peculiariter ideo quadrant, quòd, ut sup. num. 31. notavi, conetur huius criminis reus illudere Deo, & quasi vim divino eius juri, potestatiq; inferre.

Illusio, & violentia tanta condignam referet pœnam, quam Deus 34.
mortalibus adhuc rariùs infligit, ob similem causam, ob quam & David dum viveret distulit vindictam, promiserat enim deprecanti Semei nihil se facturum: Deus quoq; statuit, post mortem cuiusq; tempus ultionis, ante quod nec crebrò, nec ita, ut audacia meretur, castigat. Ingentem verò esse pœnam, quæ tales post obitum manet, judex ipse Matth. 21. testatur, ubi quosdam rebelles, & jugum fidelitatis excutientes, promittit se ita puniturum, ut asserebant Pharisæi: quærenti enim Christo: Cùm venerit Dominus, quid faciet agricolis illis? responderunt: Malos malè perdet; quam responsionem illorum confirmavit, subiungens: Dico vobis quia auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Infideles servos malos vocat, generali malitiæ appellatione Christus, quasi significare vellet, eiusmodi homines, eorumq; in se impietatem, ita sibi odio esse, ut sunt illi, qui ob summa improba facta merentur nomen plenitudinem exprimens malitiæ. Tales servos malos malè perdet, judex, & Dominus: Quo etiam adverbio acerbitatem insinuat vindictæ. Sufficit certè de reo asserere, perdetur, ad quid addendum, malè perdetur? cùm perditio nunquam bene, id est gratè, & acceptè reo fiat. Non sufficiebat de his dicere, malos perdet, nisi adderet, malè: Vt omnis talis malus sciat potestatem judicis Dei, exer-

exerturam vires suas, ut & puniatur condigna perditione, & acerbè puniatur, sitq; in æternum memor, quid fuerit illusisse Deo, & conatum fuisse vim inferre illi. Hęc sunt quę ostendunt magnam obligationem voti per respectum ad Deum.

Sectio V.

Quæ sit obligatio voti ex parte promittentis.

35. QVi benè expendit vim promissi Deo oblati, reperiet in offerente illud, causam, radicemq; magnę obligationis: quæ ut intelligatur, sciendum inprimis eum, qui vovet, quasi legem sibi imponere ad præstandum quidpiam, obligantem, etiamsi id quod pręstat, non sit præceptum. Nam qui emittit religionis tria vota, pauper, & castus, & obediens esse debet, id quod ante vota non debebat servare. Ad hæc considerare debet is, qui vovet se placito divino conformare, idq; sibi iniungere faciendum, quod Deo sit futurum gratiosius. Quæ duo propria sunt Deo ita quidem, ut obligare se sine pręcedenti debito, & iuxta suum placitum soli illi conveniat, tanquam ei qui à nullo potest adigi ad aliquid ex debito præstandum. Ita Gen. 22. legimus, Deum promisisse, & se obligasse cum iuramento: Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. Itaq; quod in voto primò reperitur, nempe imponere obligationem solvendi promissi, imponere, inquam, gratuitò, proprium est Dei: non minùs & alterum, nimirum, ut placito suo gerat morem. Sicut enim in se infinitè sibi complacet; ita & in iis quæ à creatura fiunt suum quærit placitum, quare vovens semper intendit ut gratius Deo operetur. Iam cùm hæc duo sint propria Deo, cùm etiam promissio ipsi facta eadem contineat, necesse est hinc sequi voventem munus Dei sibi delegatum usurpare, eâ à se perfectionis plenitudine exequendum, qua quisq; debet superioris munus perficere, si sibi deferatur. Et delegatio quidem hęc à Deo fit singulari quadam benevolentiâ id homini concedente, ut arbitrio suo illud vovendo velit, quod Deus iure supremo posset illi iniungere, mandando verbi causa, ut servet virginitatem, ut præstet ei, cui non subest, obedientiam, & similia faciat.

Ex

Ex his ostenditur quanta sit obligatio voti per respectum ad voventem; munus enim Dei gerendo attendere debet, & quanto potest conatu ad illum similitudine accedere: ut sicut ille quod promittit semper integerrimè præstat testante Habacuc. 2. Adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet: adhęc sicut ille creaturam ad placitum glorię suæ semper perfectissimè dirigit, ut scribit Prov. 16. Salomon: Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus, ita eadem duo exactissimè à vovente sunt implenda, solvendaq; integrè omnia, quæ ad maiorem Dei cultum, obsequiumq; promisit. 36.

Obligationis huius vis, ac magnitudo, ex comparatione magis innotescet: certum enim est, omnes potestate pollentes fungi officio Dei, ut affirmat S. Paulus Rom. 10. Non est, inquiens, potestas nisi à Deo. Hæc potestas, ut ibidem declarat Apostolus, est ad regendos ordinatè subditos, quos ita ibi affatur: vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem, Dei enim minister tibi in bonum: si autem malè feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Potestas jam dicta, sive muneris divini functio, est persimilis ei qua utitur vovens, eò quòd perinde habeat annexam obligationem, perfectiore tamen modo videtur in vovente, quàm in regente alios residere, & quidem ex hac parte, quòd vovens sibi ipsi imponat debitum, non alicui se inferiori, & ad maius divinum placitum, qua in re magis accedit ad Deum qui obligat se ipsum promissione, suumq; maius intendit placitum, ut supra dixi, quorum nihil est in regente alios. Nam qui alios gubernat, inprimis non intendit maius Dei placitum, sed tantùm bonum vsum potestatis suæ: ad hæc non sibi, sed inferioribus se imponit onera; neq; enim sibi fert legem coactivam, sed directivam duntaxat, ut docet S. Thomas 1. 2. Q. 96. art. 5. ad tertium. Ex hac igitur inter regentem alios, & voventem differentia, constat promissionem voventium esse functionem muneris divini, similem quidem illi, qua utuntur in potestate constituti; quanquam hos, ut dixi superant. 37.

Cùm vero Deus his, qui aliis præsunt grave minetur judicium, si perperam suo defungantur munere, ita enim legimus Sap. 6. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniã judicium durissimum his, qui pręsunt, fiet. Simile quid, aut fortè maius (cęteris tamen paribus) cuiq; timendum voventi, si quod promisit, non præstet, potestate illa benevolè sibi à Deo concessâ abutendo. Dico maius judicium violanti vota immi- 38.

nere;

nere; quia ut jam ostendi, perfectiùs est vovere, quàm alios gubernare; quare & abusus potestatis vovendi, erit maior culpa, maioremq; meretur pœnam, quàm abusus potestatis gubernandi. Sicut odium Dei maior est culpa, quàm odium proximi; quia amor Dei perfectior est, quàm amor proximi. Addidi id intelligendum, cæteris paribus; potest enim fieri, ut malè gubernans pluribus noceat, præsertim in anima, quo in eventu plus offendet Deum, quàm violator sui voti. Jam cùm in se spectatum votum tantæ sit obligationis, videant omnes quotquot illud Deo offerunt, quo pacto se gerere debeant. Grata quidem sunt, divino Numini nostra promissa, ad quæ magnifica quadam liberalitate, & liberali incitantur magnificentiâ; sed si illa sacrilegè mutentur, hoc odibiliora fiunt, quò erant ante oblata gratiora, ut bene dixerit divinus Spiritus: Si quid vovisti, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio: multòq; meliùs est non vovere, quàm post votum promissa non reddere. Eccl. 5.

39. Quòd si causam indagemus huius divinæ displicentiæ, reperiemus ex eo esse magnam, quòd iniquissimè quisq; ferat, si id ei auferatur in quo plurimùm complacet. Certè Deus complacet sibi in votis nostris, propterea quòd ideo concipiantur voventis corde, ut divino cordi mos geratur, reddaturq; illud contentum: hoc verò turbare velle, & quasi conari efficere, ut placito suo privatum tristetur, & sic mutetur alternante vicissitudine; quis non videt quàm sit & Deo acerbum, & periculosum violanti vota?

40. Rex Assuerus, ut est Esther 1. eò quòd Regina Vasthi non venisset ad locum convivii, in quo ad maiorem splendorem, lætitiamq; jussa est comparere: Præcepit, inquit scriptura, ut introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput eius diademate, ut ostenderet cunctis populis, & principibus pulchritudinem illius; erat enim pulchra valde. Quia ergo venire eò Vasthi renuit, illudq; placitum, ac lætitiam regis, omniumq; convivarum turbavit; regno, & consortio eius in perpetuum privata est. Nullus ambigere debet, regem regum Christum delectari pulchritudine sponsæ suę, animæ, scilicet, eamq; cœlestibus ostendere convivis, id S. Paulo ad Ephes. 5. testante: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam. Hæc pulchritudo non est in vultu, aut veste, aut diademate; verùm (ut prædicat David Psal. 44. Omnis gloria eius, filiæ regis abintus)

tus) est in anima, ad placitum divinum composita, seu offerens illi aliquid, quod ipsi non tam in se arrideat, quàm quod ex amantis affectu procedat. Neq; enim ideo Christus illa à S. Martino (ut refert Severus Sulpitius in vita ipsius) oblata sibi chlamidis parte delectatus est, Angelisq; suam, ita testatus est lætitiam: Martinus hac me veste contexit, quòd decorus in ea compareret; sed quòd hoc tantillum donum, magno cordis affectu oblatum sit. Quamobrem omne illud, quod vovens dat, non tam in se æstimat Deus quàm in dantis affectu: hic arridet ipsi, hæc est gloria voventis animæ, dicetq; ab intus, istud movet oculos Regis cœlestis, hoc prorsus spectandum ille beatis exhibet convivis. Si igitur aliquis reperiatur, qui nolit in oculis tanti, ac tantorum sic decorus comparere, castus, scilicet, si vovit castitatem; temperans, si sobrietatem promisit; misericors si, spopondit egenti succursum, aut quid simile: quid, inquam, talis sibi timere debet, quàm ut regno cœlesti, & consortio Christi Regis privetur in æternum? quòd non obediat imperanti, quòd pulchrum, ac gloriosum se non exhibeat; quòd quantum in eo est, lætitiam loci illius, qui beatis ad perenniter convivendum est destinatus, turbet. Hæc qui vitare vult, ubi semel aperuerit os sui cordis ad recreandum cor divinum, non claudat illud, neq; contrarium loquatur; sed idemmet iteret, certando quodammodo cum Deo; ut sicut ille placito suo maiore delectatur ita ipse id exhibeat, quod semel obtulit ad maius placitum eius; hoc est munus, & debitum ex parte voventis.

Sectio VI.

Quanta sit obligatio voti ex ipsa eius materia.

Quæcunq; sunt in omnibus rebus creatis, duplici titulo, divino subduntur juri. Primus est dominii absoluti, & necessarii, quod confert non successio aliqua hæreditaria, neq; victoria belli, aut aliquis contractus (solus enim cùm sit, & fuerit ante omnia creata, non habuit à quo sortiretur eorum possessionem) sed ipsa creatio, ut sit omnium Dominus, quæcunq; ab illo ita pendent, ut nec esse, nec durare queant, nisi eius vi, ac potestate. Atq; hic titulus necessitatis est, ut dixi; omne enim quod extra Deum usquam reperitur, sicut ab illo est ita eius dominio, ac regimini subsit oportet. Ad hoc dominium per beneficium 41.

creationis comparatum, reducitur alterum consequens beneficium redemptionis, ac tertium, ex beneficio electionis, & sanctificationis: nam qua necessitate creator est Dominus creati à se, eâdem, & Redemptor est Dominus à se redempti, Sanctificator etiam à se sanctificati, ad suum cultum, gloriam, & obsequium creando, redimendo, sanctificando, ac tandem glorificando. Rectè proindè S. David commendans misericordiam Redemptoris, & Sanctificatoris Dei, judicium item quod in se pro peccatis nostris pertulit, effectum tantæ misericordiæ, ac judicii, gratiam, scilicet, & gloriam illi ut Domino tribuit; sic enim Psal. 88. canit: Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus, redimendo, nimirum, sanctificando, & glorificando.

42. Jam alter titulus, quo aliquid ad divinum jus pertinet, potest dici libertatis non necessitatis, quem à creatura sua rationis participe sibi oblatum acceptat. Adepta est illa à suo Benefactore Deo, inter alia liberum arbitrium, quo donata sibi, rursus quasi gratitudinis ergo si velit potest eidem reddere: quod dum fit, alterum Deus acquirit jus liberæ, videlicet, donationis. Porrò modi quibus Deo aliqua donantur sunt varii, quos hactenus cùm de decimis, oblationibus, & sacrificio actum est explicuimus, inter hos non postremus hic quo de agimus, est votum; per quod, jam res suas, jam seipsum offert Deo vovens; res, per vota realia, se, aut suas actiones per personalia vota. Qualecunq; illud sit, semper id quod Deo offertur transit in liberum dominium eius; quod idcirco liberum voco, quia pendet à libertate offerrentis hominis, non solùm tunc cùm offertur; sed & postea, cùm oblatum non revocatur, verum in divino dominio fideli observantia continetur.

43. Itaq; omne illud quod per votum Deo traditur subjicitur ipsius juri, spontaneo offerrentis placito, ex hoc autem nascitur consequens quædam necessitas. Nam quemadmodum in humanis liberum est vendere, donare, aliosq; inire cotractus; ubi tamen semel completi fuerint, non jam licet resilire; sed standum est illis omnino: Ita postquam liberè votum est emissum, consequitur necessitas servandi illud, ut nequaquam liceat retractare. Ex his cognoscitur quanta sit obligatio voti ex ipsa eius materia: nam quod Deo promittitur, sub eius concluditur dominio, quasi contractu quodam inito inter promittentem hominem, & acceptantem Deum; itaq; qua necessitate Deus, Dominus efficitur eorum, quæ

quæ ipsi subjiciuntur, eâdem vovens obligatur ad illa reddenda Deo, quæ semel promisit ipsi, ne alioquin impugnet dominium eius.

Necessitatis huius, & simul magnæ obligationis, vis in eo posita est, ut intelligamus ingens esse nefas, velle spoliare Deum eius divino jure. Et quemadmodum si quis tentaret efficere ut creaturę recusarent Creatorem, ut Dominum suum; evidens est, quantùm tali rebellione prævaricarentur: ita pręvaricari dicendus, qui ea, quę per votum potestati divinæ sunt subiecta, ad libitum suum usurparet. Et quidem qui Deo ius dominii per creationem comparatum invadere vellet, nullus hactenus repertus est, etiam Ethnicorum, qui omnes numen illud quod pro Deo habent semper ut dominum colunt, ipso lumine naturæ docente, nefandissimum esse eximere se à dominio sui Dei: qui verò hoc alterum liberum Dei impugnet dominium, sunt omnes violatores votorum. 44.

Subtiliùs hæc duo dominia secum conferenti, potest occurrere utrumq; æquali audacia impeti solere contra quàm nunc dictum est: etsi enim nullus sit qui, ut dicunt Theologi, in actu signato neget Deum suum esse Dominum; tamen in actu exercito, id est re ipsa toties negat, quoties non obedit illi tanquam Domino. Pari ratione, qui votum frangit, non facit id explicito animo auferendi aliquid Deo; re tamen ipsa aufert: itaq; non videtur rectè dictum, nullum esse qui nolit Deum habere necessarium dominum, multos qui nolunt habere liberum. Ad hoc omissa subtiliori responsione, dico violatorem voti directa, quadam & explicata ratione velle Deum privare dominio, quod non facit is qui est ipsi inobediens: hic enim ideo censetur eximere se à Dominio, quia non conformat voluntatem suam divinæ voluntati; is verò qui votum non servat, & hoc facit (nam non obedit Deo jubenti reddere votum) & præterea aufert rem, quam semel tradidit promissione Deo. Sicut autem is, qui rem alienam tollit, dominium sibi in illam omnino usurpat, quod non facit, qui superiori non obedit, (neq; enim eo ipso vult esse Dominus eius, cui non obedit) ita qui rem, verbi causâ, pecuniam Deo promissam, sibi usurpat, revera invadit eius dominium. Quod cùm ita sit, omnis vovens gravem sibi imponit per respectum ad materiam obligationem, ne videlicet, infidelitate sua excutiat jugum subiectionis, ut dominus velit esse eorum, quæ transtulit in dominium Dei. 45.

Itaq; ut tantam timeamus rebellionem, benè Spiritus Sanctus monet, terretq; Psal. 75. Vovete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera, terribili, & ei qui aufert Spiritum 46.

principum, terribili apud reges terræ. Quasi velit dicere: Quicunq; est voti prævaricator, principem se, dominum, & regem facit, bellumq; init cùm Deo Domino; sed is sciat terribilem illum esse huiusmodi principibus ac regibus quibus audaces spiritus aufert, & de tanta audendi licentia æternam sumit vindictam. Ista voventi sunt timenda, & bene expendenda, agnoscendaque ex dictis, voti per respectum ad materiam eius obligatio; sed jam hac intellecta, videndum de modis quibus illa auferi possit.

Sectio VII.

Qua ratione obligatio voti impediri possit.

47\. ETsi sit tantum voti solvendi debitum, quantum jam vidimus; non est tamen ita severus exactor eorum Deus, ut in aliquo eventu nequeat censeri sublata obligatio, id quod duobus generalibus modis fieri potest. Primus est defectus quispiam, vel in vovente, vel in materia voti, ob quem impeditur inducenda obligatio. Ex parte voventis duo defectus occurrere possunt, quos affert S. Thomas 2. 2. Q. 88. art. 8. & 9. & cum illo Theologi, alter in intellectu, in voluntate alter: In intellectu est inopia rationis, quæ tollit sufficientem deliberationem; ad obligationem quippe moralem inducendam est omnino necessaria tanta mentis sagacitas, quantâ sufficienter agnoscatur vinculum, quod humano, id est rationabili modo, suscipitur. Quapropter puer qui nec dum discernit inter malum, & bonum, amentes, ebrii & similes, nequeunt valida emittere vota, quia sunt ignari, carentq; ratione, quę pręscribat agenda.

48\. Quodsi fuerit ignorantia sine casu, aut aliqua culpa (qualis dicitur à Theologis crassa, & vincibilis) voto adiuncta, sive dolo, & fraude inducentis ad vovendum, talis ignorantia non efficit, ut votum sit irritum, nisi quando ignoratur id quod ad substantiam materiæ voti spectat: ut si quis voveat religiosam paupertatem, persuasus licere habere propriam, v. c. pecuniam, solùmq; satis putet esse externam pręseferre vilitatem. Error hic substantialis est voto, cùm paupertatis religiosę sit, nullius rei etiam vilis habere dominium; sed solùm concessis uti. Itaq; ignorantia rei, quæ est materię voti circumstantia accidentalis, qua-

quacunq; oriatur ex causa, minimè tollit obligationem: Sicut enim materia voti in sua substantia integrè consistit, quantumvis in illa reperiantur mutabiles circumstantię; ita & promissio innixa tali materiæ integra est, nihilq; attendit ad accidentium mutabilitatem. Hac ratione qui vovit non se inebriaturum, non tantùm delicatum potum, ut est vinum, moderatè sumere debet, sed quemvis alium, qui inebriare possit: sapor enim delicati, vel non delicati est accidens, substantia autem quicunq; potus inebrians.

Ex quo cognoscitur, quàm perperam illi faciant, qui putant licere sibi retractare vota ob difficultates, & molestias supervenientes ante non prævisas, quæ tamen molestiæ minimè variant substantiam rei promissæ. Horum de numero sunt Hęretici, ut vidimus hoc cap. sec. 2. qui docent tamdiu esse servanda vota, quamdiu non occurrit gravis in exequendo tentatio. Verùm hanc doctrinam, ut pestiferam ibidem refutavimus, diximus, vel inde, quàm sit noxia clarum esse: nam cùm vota divina servanda sint, ut est sæpius dictum, si ob supervenientes molestias violanda essent, divina, & humana pessum irent. Nulla essent castè retinenda matrimonia; nulli inter homines implendi contractus; fides in Christum non semper testanda, etsi necessitas urgeat: prorsus nulla divina aut humana lex servanda, eò quòd in his crebro occurrant aliquę, neq; modicæ difficultates. Quod cum evidenter sit falsum & perniciosum; asserendum omnino servari oportere vota, etsi difficilia sint servatu; modò tamen difficultates non afferant impossibilitatem exequendi quę semper à legę excusat. Atq; ita voti quoq; cessat lex, ut infra dicemus: nam qui vovit centum, v. g. aureos pauperibus se daturum, & incidat deinde in eam egestatem, ut nihil habeat, liber est à voto, quamdiu egestas durat. 49.

Hucusq; diximus de defectu impediente obligationem voti, qui intellectum concernit, sequuntur plures alii in voluntate, quorum primus est intentio vovendi mala; hęc si inhonestam respiciat materiam, nullam inducit obligationem. Quare qui vovet opus malum, non debet illud implere, materia enim voti, ut ante dixi debet esse grata Deo: Quoties ergo promittitur Deo res aliqua mala, non acceptatur ab illo tanquam id quod non est materia voti. Quod si supposita intentione vovendi bonum, accedat alia sinistra mali alicuius finis adiuncti; non tolli obligationem; hæc enim secunda intentio impertinens est ad primam, & ut Theologi dicunt, est operantis, sive malè desiderantis, non operis 50.

 aliàs

aliâs pii, & sancti, scilicet, voti. Hac ratione qui vovit eleemosynam, ut laudetur vanè, votum tenet etsi distorto fine infectum sit; quare finis hic accessorius tollendus, votum tamen servandum.

51. Secundum in voluntate defectum aliqui Theologi ponunt vim et metum gravem, sive cadentem in constantem virum, præsertim cùm metus incutitur ad extorquendum votum, ut si pater minetur filiæ flagella nisi voveat religionis ingressum. Asserunt ergo non pauci Doctores eum qui vovet metu coactus ad nihil obligari, eò quòd desit spontanea voluntas. Verùm alii quos citat, & sequitur Suarez opere de Religione Tractatu 6. lib. 1. cap. 7. & 8. tenent eiusmodi vota valida esse: etsi enim sit illis admixta aliqua displicentia; cùm tamen adsit plena deliberatio, sufficiens ea est ut inducat obligationem, quæ sententia verior videtur exceptis iis votis, quæ Ecclesia sua prohibitione fecit irrita. Atq; ita vota solennia religionis, & ordinis sacri ex gravi metu facta sunt invalida, Ecclesia ita ordinante, ut duplex hoc vivendi, difficile sanè, & pro tota vita genus, cui se vovens mancipat, non deliberatè tantùm, sed & ultro suscipiatur: sicut etiam statuit Ecclesia eandem ob causam, ut matrimonium metu gravi contractum, sit nullum, quantumvis jure naturæ validum esset.

52. Ad voluntatis defectum, qui obligationem impedit reducitur & ille, qui continet subiectionem, completionemq; quandam duarum voluntatum, ut nisi votum ab utraq; fiat non obliget. Hac de causa filii, filiæq; quamdiu sunt sub potestate parentum, non obligantur voto, nisi in illud consensum prębeant parentes: servi item, & mancipia sine dominorum permissu, ac coniuges sine mutua approbatione, deniq; religiosi sine voluntate sui prælati. Meritò horum voventium pendet voluntas, à voluntate aliena; quia cùm alteri subiecti sint, non possunt suâ privatâ devotione, præiudicium illis facere: Neq; enim Deus acceptat obsequium suum cum damno proximi. Vnde Matth. 5. præcepit Christus: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.

53. Atq; ex hoc quod de præiudicio dixi, facilè intelliguntur duo; primum est, quibusnam in votis enumeratæ jam personæ dependeant à voluntate alterius: affirmandum enim in illis non dependere, in quibus sunt liberi, & sui juris. Quare coniuges possunt singillatim ea vovere, quæ non præiudicant muneri matrimoniali, in reddendo, petendoq; debito,

debito, & convictu mutuo, ac cura rei familiaris: idemq; de aliis judiciûm. Secundum etiam ex dictis intelligitur, ut videlicet, sic voventes interdum statim obligentur, interdum non: nam si certi de dissensu alterius, nihilominus voveant, irritè id faciunt, eò quòd præiudicent illis: quod si non sciant de dissensu, validè vovent; etsi non tenentur votum solvere, nisi illud ab altero approbetur, quia est conditionatum; conditionatum autem votum, ut hoc cap. num. 21. diximus, non obligat ad exequendum, donec ponatur conditio.

Hactenus actum est de modis, quibus impeditur obligatio ex parte voventis; dicendum jam de materia quæ inprimis non debet esse ita necessaria, ut nullo modo nostræ libertati subjiciatur, alioquin nullam inducet obligationem; actus enim promissionis honestum, ac proinde liberum continere debet; unde S. Thomas 2. 2. Q. 88. art. 2. in corp: Stultum, inquit, esset vovere se moriturum, vel se non esse volaturum: cùm & moriendum necessariò sit homini, & non volandum, nimirum, implumi. Secundò id quod promittitur possibile esse debet, nemo enim, ut omnes loquuntur, ad impossibilia obligatur: quare si tenuioris conditionis quispiam promittat se daturum centum aureos eleemosynæ, nec illi probabilis sit spes habendę tantæ pecunię, invalidè promittit. Tandem si materia voti sit inhonesta, vel maius bonum, gratiusq; Deo impediens, obstat etiam obligationi, id quod superius in hoc capite à numero quinto est explicatum. 54.

Præter jam allata, quę impediunt obligationem, & quæ concernunt, jam voventem, jam materiam voti; est unum quod ad utrumq; refertur, & tollit obligationem, nempe dubium de voto. Potest verò dubitari an sit factum votum, vel an sufficiente usu rationis, consensuq; voluntatis; itidem de ipsa materia, & de circumstantiis eius, quid, quantum, quoties, pro quanto tempore, sit promissum, & de similibus. In his dubiis duas dant Theologi securas in conscientia regulas, quę legi possunt in Suarez opere de Religione tract. sexto de voto lib. 4. 5. & sequentibus. Prima est, si adhibita prudenti trutina, sit utraq; dubii pars probabilis, hoc est tam affirmans, quàm negans, quod v. g. sufficienti deliberatione emissum sit votum, & non sufficienti: potest dubitans quamlibet partem sequi, ut vel teneatur, vel non teneatur solvere promissum. Est enim communis, & tuta in scholis doctrina, quæ asserit licere qnamvis sequi probabilem sententiam, relictâ aliâ etiam magis probabili. Hinc est ut qui vovit totâ vitâ ferias quartas jeiunare, si incidat 55.

in

in illam dies Natalis Salvatoris, liceat vel abstinere à carnibus, vel illis vesci: utrumq; enim est probabile ut tenent auctores à Suarez ibidem capite vigesimâ adducti. Nam qui tenent non licere, moventur illa ratione, quòd omnes tali voto includuntur feriæ quartæ, nullâ exceptâ: qui verò contrarium sentiunt, asserunt sic voventem conformare se Ecclesię consuetudini, quæ quavis feria etiam sexta, si in illam Natalis Domini incidat, concedit carnes.

56. Secunda regula est, quòd si adhibito prudenti judicio dubium pro utraq; parte æquale sit, nullaq; utrinq; occurrat probabilitas; nulla tunc habenda sit obligatio: propterea quòd ut Doctores dicunt, in dubiis melior sit conditio possidentis; sic autem vovens possidet libertatem suam; neq; enim illi constat aliqua probabilitate quòd eam obligaverit voto. Aliqui quidem auctores oppositum affirmant, propter illud axioma: In dubiis tutior est pars sequenda; verùm hoc de illis intelligendum dubiis, in quibus nulla suppetit ratio existimandi non esse obligationem; ut cùm quis dubitat, num sacerdos qui celebrat verè sit ordinatus, & rite Eucharistiam consecret: sic dubitans debet Eucharistiam adorare, hoc enim tutius est, cùm non suppetat ratio cogitandi probabiliter oppositum. Cæterùm dubitans de voto habet pro se rationem existimandi non esse debitum, nimirum, possessionem libertatis, cui possessioni tanquam fundamento innitendo, potest ferre judicium pro se, id est se non esse obligatum. Ita qui possidet v. c. vestem, & dubitat sua necne sit, potest illam retinere tanquam suam. Itaq; hæc quoq; regula secura est, & ex prima deducitur; utramq; enim partem, ut probabilem tenent auctores, licebit ergo quamlibet sequi. Dicta jam sufficiant ad ostendendum unde nam sit, quòd interdum impediatur promissio Deo facta, ut adhibita prudenti Doctorum declaratione non subsit obligationi: sequitur nunc ut videamus, quibus modis obligatio jam inducta tolli possit.

Sectio VIII.

Qua ratione obligatio voti inducta tolli possit per cessationem, & irritationem.

57. INter hos modos primus est cessatio obligationis, quæ solet tum intervenire, cùm in materia voti sit talis mutatio, ut totaliter non sit ea, quæ

quæ ante fuit promissa: totaliter, inquam; si enim aliquid eius manet, in illo quod manet est persolvendum votum. Exemplis meliùs id clarescet; voveat quis vas aureum ad usum templi, quod habet in suo profano usu, & illud totum combustum sit: ad nihil jam tenetur, siquidem materia voti totaliter est sublata. Quod si virgo voveat virginitatem,& eâ privata sit, non potest votum virginitatis reddere, cùm ea semel amissa nequeat recuperari; debet tamen in parte, & id quod ei possibile est persolvere, castitatem, scilicet, servando. Porro non tunc tantùm tollitur obligatio ex mutatione materiæ, cùm impossibilis est executio, ut de aureo vase diximus; sed etiam tum, cùm esset possibilis in simili materia, interim eâ quæ promissa est prorsus sublatâ. v g. qui vovit eleemosynæ decem aureos certos, quos penes se habuit, si illi pereant, non tenetur similes alios dare, quia illos certos promisit, qui perierunt. Hęc quę dicta sunt de cessante voto ex mutatione materiæ,etiam tunc habent locum, cùm quis dedit culpabilem causam mutationis; peccat tunc quidem contra votum, non tamen tenetur ad compensandum id, ad quod reddidit se impotentem. Id tenent multi apud Suarez tractatu 6. de Relig. lib. 4. cap. 17. quibus etiam ille assentitur: quia voti transgressio non est peccatum contra commutativam justitiam, ut restitutione compensari debeat.

Alter modus tollendi inductam obligationem voti, est irritatio, 58. quam duplicem assignant auctores, unam ex potestate jurisdictionis, aliam ex dominii jure. Potestas est in ipsam libertatem, seu in voluntatem voventis, quæ nequit se obligare nisi accedente consensu habentis jurisdictionem: jus est in rem, seu materiam voti quæ non potest à vovente Deo offerri, nisi approbet dominus illius rei.

Potestas jurisdictionis est inprimis in parentibus comparatione filiorumfamilias, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 9. in corp. ante 59. pubertatis annos. Etsi enim sint doli capaces, habeantq; usum rationis ad vovendum sufficientem (qui censetur in eo esse sufficiens ad obligandum hominem Deo, cùm est sufficiens ad peccandum graviter, & obligandum reum æternæ damnationi) communiter tamen, & frequentiùs tribuitur humana lege completis pubertatis annis, hoc est, in masculo anno 14. completo, in fœmina duodecimo. Itaq; vota facta ante hos annos, possunt à parentibus irritari, ut licet valeant, si sufficienti prudentia sint emissa,non tamen obligent ad solvendum promissum, donec à parentibus confirmentur; quia sunt conditionata, sive dependentia à consensu parentum.

60. Meritò tantam potestatem habent parentes in filiosfamilias, cùm enim hi jure naturæ illis subiecti sint, non solùm in externa gubernatione, sed etiam in recta, honestaq; educatione, quemadmodum alia ipsorum opera, virtutum honestate moderanda, corrigenda, formandaq; sint à parentibus, ita & vota eorundem tanquam prudentiorum judicio sint dirigenda, sine quo robur suum nequeant obtinere.

61. Quare primò pater tanquam caput, & vir, gaudet hac irritandi potestate; deinde qui in eius locum succedunt tutores; postremò in horum defectu mater: omnibus enim his incumbit munus, tales gubernandi. Ipse sua lege confirmavit hanc potestatem Deus num. 30. ubi sic legimus: Mulier si quidpiam voverit, & se constrixerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari; si cognoverit pater votum, quod pollicita est, & juramentum quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: quidquid pollicita est, & juravit, opere complebit; sin autem statim ut audierit contradixerit pater, & vota, & juramenta eius irrita erunt. Lex ista divina naturæ conformis, declarat quanta cum reverentia impuberes adhuc parentibus subesse debeant, quippe qui tantum habeant jus divinitus sibi concessum in eorum libertatem, ut quodammodo Deus jure suo cedere malit, non exigendo, scilicet, vota, nisi sint à progenitoribus roborata, quàm ipsis aliquid de potestate detrahere. Multò igitur magis à parentibus (& cæteris quos ipsi sibi in commune auxilium advocant, ut sunt magistri, & similes) pendere debent, in reliquis; nempe iis obedire, pia sequi monita, eam deniq; honestatis tenere viam, quam deinde & congruo vitæ genere, & probitate morum ad mortem usq; salubriter prosequantur.

62. Eadem jurisdictio reperitur etiam in prælatis religiosorum, sive maioribus, sive minoribus, modò habeant ordinariam in subditos potestatem. Summus prælatus est, Romanus Pontifex, cui incumbit ordines religiosorum acceptare, & approbare: maiores sunt, Generales, Abbates, atq; Abbatissę, & Provinciales: minores reliqui superiores locales, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 8. in corpore Ratio quam hic doctor dat suæ doctrinæ est, quia qui dependet à voluntate alterius, nequit vovere sine illa quidpiam: cùm verò religiosus per votum obedientiæ, non solùm externas suas actiones, sed etiam internarum moderationem superiori tradat, ut in omnibus quę ad pietatem, perfectionemq; spectant, dirigatur: hoc ipso ita pendet ab eius voluntate, quemadmodum filiifamilias impuberes adhuc à parentibus; nisi quòd impuberes sub-

Digitized by Google

subdantur ex impotentia, & conditione naturæ; religiosus autem spontanea, & pia in Deum, suamq; perfectionem voluntate.

Vnde quicunq; alii sive ecclesiastici, sive politici superiores, quia non habent subditos ita se in omnibus subijcientes, propterea non habent potestatem jurisdictionis, ut eorum vota irritare possint. Dirigunt quidem ecclesiastici prelati in internis suos subditos, eos à peccatis absolvendo, & ostendendo rectam vivendi rationem; verùm id agunt potestate à Christo tradita, quæ solùm extendit se ad judicium de peccatis, & de virtute ferendum, ut hi, qui salvari volunt discant ab illis salutis viam, quæ non est alia, quàm declinare à malo, & facere bonum. Cæterùm hæc potestas ecclesiasticorum prælatorum non ita præsidet voluntati subditorum, ut hi in omnibus prorsus dirigantur, quæ ad maiorem consequendam juvent perfectionem, id quod in religiosis est solenne; nam hi cognitâ jam communi salutis viâ, id in reliquis bonis sequuntur, quod est conforme ordinationi prælatorum. 63.

Jam verò inter alia media, non mediocriter confert ad perfectionem consequendam votorum accessio, aut carentia: etsi enim votum sit bonum ex eo quòd contineat perfectiorem religionis actum; interdum tamē non expedit illo ligari spectatis circumstantiis personæ, ætatis, stabilitatis, vel inconstantiæ: quæ quia subduntur obedientię, nullum religiosus votum in ulla materia potest emittere, quod nequeat à superiore irritari, tanquam ab eo qui plenè habet subiectam libertatem eius. Quapropter ne vota quidem internorum actuum possunt fieri à subditis sine dependentia à prelatorum consensu: v. c. votum amoris Dei, aut votum continendi se ab impetu alicuius passionis. Nam licet hæc vota sint sancta; potest tamen fieri, ut alicui, qui illis oneratur, non sint utilia ad perfectionem; quare ex hoc capite subduntur directioni superioris. Prorsus quemadmodum parentes impuberum vota quævis irritare possunt, ex pleno in eorum libertatem dominio: ita hi prelati suorum subditorum, quęvis vota possunt tollere, non pro merito causæ, qualis ad dispensandum requiritur; sed pro arbitrio irritantis, utentisq; sua potestate. Verumtamen est requiri aliquod rationabile motivum ęquitatis, & prudentiæ in usu jurisdictionis, ne pro libito fiat eius abusus, jamque negetur, piè petenti irritatio, jam offeratur, nulla petentis utilitate, in quo esset aliqua superioris levitas, ut bene notat Suarez lib. 6. de voto cap. 9. 64.

Atq; hinc cognoscitur excellentia obedientię religiosæ, quæ ita totum 65.

tum hominem alieno propter Deum subjicit arbitrio, ut totaliter, corpore, anima & utriusq; facultatibus, atq; operationibus regendum, & ad Deum, omnemq; perfectionem deducendum committat: & cui natura dedit potestatem ut sui juris sit, eum amor divinus eò demittit, ut instar pupilli, vel non emancipati alteri se moderandum plenè tradat. Cognoscitur & illud, Deum, ne quidem vota sibi pro suo amore à religiosis oblata, acceptare, nisi accedat consensus eius quem ipsis dat loco sui; ut quisq; subditus ea duntaxat putet illi grata fore, quæ approbatione eorum divino sistantur conspectui. Ab hac ergo dependentia directionis prælatorum, nec pudor, nec timor, nec ullus alius respectus abducere ascetam debet, si nolit ab eo abduci, ad quem pro munere suo ducit is, qui præest, & perducit certò teste Christo Luc. 10. Qui vos audit, me audit.

66. Præter potestatem jurisdictionis, est alia qua irritantur quoq; vota, nimirum, potestas dominii, & juris in aliquid, ut proprium, quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. Q. 88. art. 8. & alii cum ipso: unde qui promittit Deo rem alienam, ita promittit, ut ab altero jus in illam habente promissio irritari possit: neq; enim Deus acceptat sibi oblata obsequia cum alterius præiudicio, aut damno. Itaq; potestas hæc, non jam voluntatem voventis concernit, ut illa jurisdictionis, sed materiam voti: Sive hæc materia sit proprii dominii, quale habent qui sunt illius capaces, carentes paupertatis religioso voto; sive sit juris cuiusdam ad usum, gubernationemq; relati, quale habent superiores religiosi ad externas subditorum operationes. Quodcunq; jus ex his duobus quis habeat, potest irritare votum alterius, si velit, quasi auferendo, & subtrahendo materiam voti, suâ illâ, ut dixi, potestate, cui vovens non potest facere preiudicium.

67. Hac potestate gaudent domini in servos, seu mancipia, imò & in liberos famulos, quoad personales actus; ut si is qui famulatur voveat peregrinationem subtrahens se dominio, cui tenetur ex justitia impendere sua obsequia. Tale quoq; jus habent parentes in filiosfamilias jam puberes nondum tamen emancipatos, seu tales, qui nondum ad certam ętatem, juxta cuiusq; reipublicæ morem, & statuta pervenerint: isti si quid voveant, quo derogent eorum juri, illud irritari potest, ut si filius voveat ex bonis parentum fundationem alicuius hospitalis. Præterea idem jus est in coniugibus, in illis rebus, aut operationibus in quibus sibi subjiciuntur: neq; enim unus eorum potest vovere continentiam ita, ut
non

non teneatur reddere petenti debitum, cum alterius prȩiudicio. Pari potestate gaudent, ut dixi, prȩlati religiosi quoad externas subditorum operationes, ad convictum, & disciplinam regulæ spectantes: religiosus enim nequit independenter à suo prȩside vovere peregrinationem, eleemosynam, & similia, in quibus præiudicaret maiorum suorum directioni. Postremò, quivis potestatem dictam habet, qui habet jus in materiam voti alieni: ita domini politici possunt irritare vota facta cum aliqua sui dominii jactura; ut si quis voveat ex regno vehere frumenta ad iuvandos vicinos fame laborantes; potest rex tollere tale votum prudenter, suæ ditionis præcavens famis periculum.

In hac duplici potestate, tum jurisdictionis, tum dominii, fundatur irritatio per quam aufertur inducta jam obligatio voti. Et jurisdictio quidem omnia vota tollit, ut jam ostendimus; dominium autem non nisi in materia certa, quæ ipsi subest. Cùm vero talia vota sint conditionata, eò quòd pendeant à futuro alterius consensu, quantumvis obligent ad habendum implendi propositum; non tamen ad executionem, nisi ponatur conditio. Dupliciter autem potest poni, primò clarè, cùm is à cuius consensu vovens pendet, notitiâ acceptâ disertè votum approbat, aut tacitè, scilicet, non contradicendo; quo in eventu, impletur conditio, & obligatio urget executionem. Secundò ponitur conditio, quasi,ut solet dici,interpretativè, cùm is, qui approbare debet, ignorat votum, & ignorando, neq; approbat, neq; contradicit: in hoc etiam casu censetur expleta conditio, eo ipso quòd approbaturus, vel reprobaturus votum, negativè se habendo non irritet illud, ac proinde vovens tenetur, exequi promissa. Ita tenet Caietanus in 2. 2. Q. 88. art. 8. scribens, datq; utilem votorum distinctionem, ex qua deducitur, posita jam doctrina. Nam ea quȩ quispiam vovet duplicia esse possunt, quȩdam prohibita, ne sine consensu alterius fiant, ut sunt v. c. in religioso jeiunia, usus rerum ordinis, castigatio corporis, & similia; alia non prohibita, ut est aliqua brevis oratio, aut elevatio mentis per actum divini amoris: priora nequeunt impleri, nisi conscius superior approbet; quia inobedientiæ, vel alterius voti continent malum, ad malum autem nemo obligatur: posteriora exequenda sunt, eò quòd nullum prælato faciunt præiudicium. Idem docet Suarez opere de religione Tractatu 6. lib. 3. cap. 6. Et quamquam maioris ut plurimùm perfectionis sit aperire prælato religioso votum; si tamen id non fiat, sive ob justam 68.

Digitized by Google

causam, sive quia negligitur maior perfectio, semper promissa sunt solvenda, nisi illa tollantur per irritationem.

69. Quòd si quis dicat hoc ipso esse irritationem, quòd desit expressa, aut tacita voti approbatio; respondendũ est id à vero aberrare: nam si ignorantia eius, qui approbare debet sufficit ad irritandum vota subditorum, quę sunt, ut dixi, conditionata, nullam contraherent etiam propositi obligationẽ, (siquidem irritatio omne debitũ tollit, & quoad animũ implendi, & quoad executionem) quod est contra omniũ consensum, qui dicunt conditionata vota statim obligare ad habendum implendi proprositum. Itaq; ignorantia superioris, non est irritatio voti; sed potius interpretativa approbatio, donec superveniente notitia accedat irritandi voluntas. Hæc doctrina omnibus conditionatis applicanda est votis, quę ab alterius consensu pendent, ut ostensum est exemplo religiosi.

Sectio. IX.

Quomodo dispensatio, & commutatio tollat vota.

70. DIspensatio, & commutatio votorum differunt inter se, quòd illa omnem tollat debiti obligationem, hæc, aliquam relinquat, commutando materiam voti, vel in maius, vel in minus, vel in equale: ad utrumq; autem duo requiruntur, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 88. art. 10. & cum eo omnes Theologi. Primum est potestas, quam Christus in Ecclesia relicturum se spopondit illis Matth. 16. verbis, ad S. Petrum directis: Tibi dabo claves regni cœlorum; quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Sponsionem suam redivivus à mortuis, solvit tali eidem Petro imposito mandato: Pasce oves meas, pasce agnos meos Johan 21. Itaq; certa est in Ecclesia ad dispensandum, & commutandum potestas, cuius necessitatem; usumq; inde deducit S. Thomas loco citato. Cùm enim votum sit quædam lex, quam sibi imponit vovens, legi autem ea interdum superveniant, quæ si ab initio eius adessent, moverent legislatorem, vel ad non condendam illam, vel ad eximendum aliquos ab ea, ut non tyrannicè, sed humano modo censeatur cogere ad illius observationem. Cùm ergo hęc interdum interveniant, debuit à Christo nostro legislatore relinqui vicariis ipsius potestas ad facien-

Digitized by Google

ciendum id, quod ipse faceret, si esset corporaliter præsens. Porro lex eius divina, & naturalis in hac votorum materia est, quam ille sæpius promulgavit, ut nimirum promissa reddantur; ita enim Psal. 75. per Davidem præcipit: Vovete, & reddite Domino Deo verbo: quæ lex fixa semper & immutabilis manet, nimirum divina, & naturalis; potest tamen aliquid evenire, propter quod non censeatur quispiam comprehendi sub illa.

Ita ergo potestate hac pastores Ecclesię utuntur, ut non tollant ipsam legem Dei; sed prudenter interpretando mentem legislatoris, censent in aliquo eventu non esse illius voluntatem ut is, qui vovit obligetur ad observantiam, à qua proinde ex mente ipsius eximunt, liberantq; voventem agnita aliqua mutatione in materia voti. Exempli causâ, vovit quis ætate valida, & juvenili jeiunium tribus diebus qualibet hebdomadâ pro tota vita; factus deinde senex, & debiliore corpore, petit relaxationem voti: potest ea & rectè dari, propter illam corporis supervenientem dispositionem, & mutationem materiæ voti, comparatione facta ad voventem. Neq; per talem relaxationem tollitur lex illa divina: Vovete & reddite; sed hic senex non comprehenditur sub illa, & quidem voluntate Christi, per eius vicarium prudenter intellectam. 71.

Quapropter potestas hæc est primò in eo cui Matth. 16. fuit promissa, & Joan 21. concessa, in supremo scilicet Christi vicario Petro, eiusq; successore Pontifice summo; secundò in aliis qui ab ipso, eam debitè sortiuntur, ut sunt Episcopi, alii prælati ordinarii gaudentes Episcopali jurisdictione: reliqui eam accipiunt delegatam, ab illis qui ordinaria gaudent. Delegatur autem potestas amplè, aut strictè; amplè cùm conceditur ad dispensandum, & commutandum, vel ad dispensandum, in qua potestate includitur etiam altera commutandi potestas: strictè verò datur, cùm ad commutandum censetur duntaxat collata potestas. Hæc doctrina est communis Theologorum quos citat, & sequitur Suarez lib. 6. de dispensatione, & commutatione cap. 12. in opere de religione qui etiam ibidem cap. 14. cum aliis bene docet delegatam ad dispensandum, & commutandum, extendi quoq; ad vota jurata dummodo juramentum confirmet vota Deo facta: tale enim juramentum censetur voti stabilire obligationem; quare si votum tollitur, etiam id per quod stabilitum fuit tolli potest. Aliud dicendum de votis in quibus simul fit promissio homini, confirmaturq; juramento: tunc enim sicut promissio homini servanda est, ne fiat illi præiudicium ita & iuramentum. 72.

Præ-

73. Præter jam recensitos, multi alii habent potestatem dispensandi, & commutandi, nam parochi etsi in suos parochianos habeant ordinariam potestatem quoad administranda sacramenta; non tamen quoad dispensandum, aut commutandum in votis, ut communiter docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. Q. 88. art. 12. id quod certum est tum ex usu Ecclesiæ, tum ex ipsa rei natura: neq; enim tanta est necessitas dispensandi de votis, quanta conferendi sacramenta, in his ergo parochi utuntur suo ordinario jure, non item, in illis.

74. Atq; ex his facilè intelligi potest, requiri causam ad usum potestatis dispensandi, & commutandi, causam, inquam, quæ sit, sufficiens ad relaxandum, ita docet S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 12. ad secundum, omnesq; cum illo, & ratio est evidens: cùm enim is qui dispensat, aut commutat vota non habeat jus ut dominus, sed ut servus, juri, & voluntati domini se conformans, ad ea advertere debet, propter quæ meritò possit cedere juri domini, ut illas mereatur laudes, ac præmia: Euge serve bone, & fidelis quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, Matth. 25. Quamobrem omnes tenent Doctores causam jam dictam adeo esse necessariam, ut si ea defuerit vel non fuerit sufficiens, irrita sit relaxatio voti: quemadmodum qui dispensat pecuniam domini, citra eius saltem præsumptam voluntatem, & malè, & nihil facit: malè, quia peccat; nihil, quia dispensationem corrigere debet.

75. Jam verò causam, sufficientiamq; eius ad duo revocat S. Thomas loco supra citato. ad honorem, scilicet, Christi, & ad utilitatem fidelium: quæ duo quantò fuerint clariora, & maiora, tantò securior, & certior hîc datur, accipiturq; relaxatio voti. Commutationem jungo dispensationi, tam quoad causam, quàm quoad potestatem; habet enim commutatio aliquid dispensationis, eò quòd per eam relaxetur saltem pars obligationis. Et si fiat commutatio voti maioris in minus (ut qui v. c. debebat ex Polonia peregrinari Compostellam, mutato voto, eat Lauretum) clarum est condonari bonam peregrinationis partem. Quodsi commutatio fiat in æquale, etiam tunc intervenit favor, conceditürq; aliquid, ut nimirum liceat aliud facere quam quod promissum erat. Vt ergo favor hic ad mentem Dei præstetur, requiritur & potestas, & causa, etsi non tanta, quanta ad dispensandum, cùm non tota auferatur obligatio sed pars eius; semper autem totum maius est parte.

76. Jam si minus votum in maius, & melius commutetur, etsi etiam tum

tùm videatur favor, potestasq; requiri, ut nempe liceat unum pro alio substituere; cùm tamen id quod substituitur sit melius, Caietanus comment art. 12. in 2. 2. Q. 88. aliiq; Theologi censent, ut valde probabile, debere quidem causam esse ob quam fiat commutatio, eam tamen solam sufficere, neq; præterea requiri potestatem prælati. Et causa quidem hoc ipso est maioris cultus Dei, voventisq; utilitatis, quòd in melius, ac proindè in gratius Deo fiat commutatio; quòd autem non requiratur potestas superioris, ratio suadet; quia prudenter præsumitur Deus acceptare illam commutationem, in qua maior eius intelligitur gloria. Sicut quivis creditor acceptat, citra suam offensam id à debitore, quod maiorem affert utilitatem. Itaq; licebit cuiq; votum suum in id quod manifestè melius est commutare: manifestè, inquam; nam si dubium fuerit, potestas adeunda, cui, ut Theologi communiter tenent, in dubiis parendum est.

Jam cùm tanta ad dispensandum, & commutandum sit necessitas debitæ, ac sufficientis causæ, magno curandum est studio prælatis, ut bene eam perspectam habeant, ne contra mentem Domini, & Dei dispofiant de eius bonis, hoc est de cultu illius, fideliumq; utilitate. Porro unum est, quod notitiam causæ vitiare potest, ignorantia videlicet, quando vel is, qui relaxatione eget quædam occultat, alia fingit; vel qui debet relaxare non investigat omnia. Et si ignorentur ea, quæ ad substantiam causæ spectant, irrita, & nullius valoris est relaxatio: quod si alia nesciantur, quæ accidentalia sunt, nihil obsunt concessæ gatiæ. Ad hanc non sinceram causæ manifestationem inducit cæcus, & præposterus nostri amor, ut velimus à debito immunes esse, putemusq; nos liberatos, cùm nec voluntas illa sit pia, nec vera coram Deo immunitas; sed prævaricatio juris eius, per fraudem, dolumq; invecta. Sentiunt, quicunq; sunt tales vicini jam morti (si ante non senserunt) errati sui malum; corrigere tum volunt, neq; semper possunt, Deo jus sibi ablatum, & severè, & properè exigente: angustiis igitur conscientiæ pressi, terroribusq; exanimati, decedunt ex hac vita. 77.

Ad quæ ut non deveniatur, eorum, qui relaxandi vota habent potestatem, pietas, & diligentia obviare debet; pietas, ut nihil concedant amori cæco, sive alieno, & petentis gratiam, sive suo, plus æquo, precibus morem gerentis. Quod si minis exigatur gratia, nihil prælatus iis moveri debet; ratus plus se Deo obligatum, quàm sibi, aut aliis: vel ergo non debet concedere gratiam, si desit causa; vel si jam concesserit, 78.

in illam dies Natalis Salvatoris, liceat vel abstinere à carnibus, vel illis vesci: utrumq; enim est probabile ut tenent auctores à Suarez ibidem capite vigesimâ adducti. Nam qui tenent non licere, moventur illa ratione, quòd omnes tali voto includuntur feriæ quartæ, nullâ exceptâ: qui verò contrarium sentiunt, asserunt sic voventem conformare se Ecclesiæ consuetudini, quæ quavis feria etiam sexta, si in illam Natalis Domini incidat, concedit carnes.

56. Secunda regula est, quòd si adhibito prudenti judicio dubium pro utraq; parte æquale sit, nullaq, utrinq; occurrat probabilitas; nulla tunc habenda sit obligatio: propterea quòd ut Doctores dicunt, in dubiis melior sit conditio possidentis; sic autem vovens possidet libertatem suam; neq; enim illi constat aliqua probabilitate quòd eam obligaverit voto. Aliqui quidem auctores oppositum affirmant, propter illud axioma: In dubiis tutior est pars sequenda; verùm hoc de illis intelligendum dubiis, in quibus nulla suppetit ratio existimandi non esse obligationem; ut cùm quis dubitat, num sacerdos qui celebrat verè sit ordinatus, & rite Eucharistiam consecret: sic dubitans debet Eucharistiam adorare, hoc enim tutius est, cùm non suppetat ratio cogitandi probabiliter oppositum. Cæterùm dubitans de voto habet pro se rationem existimandi non esse debitum, nimirum, possessionem libertatis, cui possessioni tanquam fundamento innitendo, potest ferre judicium pro se, id est se non esse obligatum. Ita qui possidet v. c. vestem, & dubitat sua necne sit, potest illam retinere tanquam suam. Itaq; hæc quoq; regula secura est, & ex prima deducitur; utramq; enim partem, ut probabilem tenent auctores, licebit ergo quamlibet sequi. Dicta jam sufficiant ad ostendendum unde nam sit, quòd interdum impediatur promissio Deo facta, ut adhibita prudenti Doctorum declaratione non subsit obligationi: sequitur nunc ut videamus, quibus modis obligatio jam inducta tolli possit.

Sectio VIII.

Qua ratione obligatio voti inducta tolli possit per cessationem, & irritationem.

57. INter hos modos primus est cessatio obligationis, quæ solet tum intervenire, cùm in materia voti sit talis mutatio, ut totaliter non sit ea,

quæ

quæ ante fuit promissa: totaliter, inquam; si enim aliquid eius manet, in illo quod manet est persolvendum votum. Exemplis meliùs id clarescet; voveat quis vas aureum ad usum templi, quod habet in suo profano usu, & illud totum combustum sit: ad nihil jam tenetur, siquidem materia voti totaliter est sublata. Quod si virgo voveat virginitatem,& eâ privata sit, non potest votum virginitatis reddere, cùm ea semel amissa nequeat recuperari; debet tamen in parte, & id quod ei possibile est persolvere, castitatem, scilicet, servando. Porro non tunc tantùm tollitur obligatio ex mutatione materiæ, cùm impossibilis est executio, ut de aureo vase diximus; sed etiam tum, cùm esset possibilis in simili materia, interim eâ quæ promissa est prorsus sublatâ. v g. qui vovit eleemosynæ decem aureos certos, quos penes se habuit, si illi pereant, non tenetur similes alios dare, quia illos certos promisit, qui perierunt. Hęc quę dicta sunt de cessante voto ex mutatione materiæ,etiam tunc habent locum, cùm quis dedit culpabilem causam mutationis; peccat tunc quidem contra votum, non tamen tenetur ad compensandum id, ad quod reddidit se impotentem. Id tenent multi apud Suarez tractatu 6. de Relig. lib. 4. cap. 17. quibus etiam ille assentitur: quia voti transgressio non est peccatum contra commutativam justitiam, ut restitutione compensari debeat.

Alter modus tollendi inductam obligationem voti, est irritatio, 58.
quam duplicem assignant auctores, unam ex potestate jurisdictionis, aliam ex dominii jure. Potestas est in ipsam libertatem, seu in voluntatem voventis, quæ nequit se obligare nisi accedente consensu habentis jurisdictionem: jus est in rem, seu materiam voti quæ non potest à vovente Deo offerri, nisi approbet dominus illius rei.

Potestas jurisdictionis est inprimis in parentibus comparatione fi- 59.
liorumfamilias, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 9. in corp. ante pubertatis annos. Etsi enim sint doli capaces, habeantq; usum rationis ad vovendum sufficientem (qui censetur in eo esse sufficiens ad obligandum hominem Deo, cùm est sufficiens ad peccandum graviter, & obligandum reum æternæ damnationi) communiter tamen, & frequentiùs tribuitur humana lege completis pubertatis annis, hoc est, in masculo anno 14. completo, in fœmina duodecimo. Itaq; vota facta ante hos annos, possunt à parentibus irritari, ut licet valeant, si sufficienti prudentia sint emissa,non tamen obligent ad solvendum promissum, donec à parentibus confirmentur; quia sunt conditionata, sive dependentia à consensu parentum.

 Meri-

60. Meritò tantam poteſtatem habent parentes in filiosfamilias, cùm enim hi jure naturæ illis ſubiecti ſint, non ſolùm in externa gubernatione, ſed etiam in recta, honeſtaq; educatione, quemadmodum alia ipſorum opera, virtutum honeſtate moderanda, corrigenda, formandaq; ſint à parentibus, ita & vota eorundem tanquam prudentiorum judicio ſint dirigenda, ſine quo robur ſuum nequeant obtinere.

61. Quare primò pater tanquam caput, & vir, gaudet hac irritandi poteſtate; deinde qui in eius locum ſuccedunt tutores; poſtremò in horum defectu mater: omnibus enim his incumbit munus, tales gubernandi. Ipſe ſua lege confirmavit hanc poteſtatem Deus num. 30. ubi ſic legimus: Mulier ſi quidpiam voverit, & ſe conſtrixerit juramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari; ſi cognoverit pater votum, quod pollicita eſt, & juramentum quo obligavit animam ſuam, & tacuerit, voti rea erit: quidquid pollicita eſt, & juravit, opere complebit; ſin autem ſtatim ut audierit contradixerit pater, & vota, & juramenta eius irrita erunt. Lex iſta divina naturæ conformis, declarat quanta cum reverentia impuberes adhuc parentibus ſubeſſe debeant, quippe qui tantum habeant jus divinitus ſibi conceſſum in eorum libertatem, ut quodammodo Deus jure ſuo cedere malit, non exigendo, ſcilicet, vota, niſi ſint à progenitoribus roborata, quàm ipſis aliquid de poteſtate detrahere. Multò igitur magis à parentibus (& cæteris quos ipſi ſibi in commune auxilium advocant, ut ſunt magiſtri, & ſimiles) pendere debent, in reliquis; nempe iis obedire, pia ſequi monita, eam deniq; honeſtatis tenere viam, quam deinde & congruo vitæ genere, & probitate morum ad mortem uſq; ſalubriter proſequantur.

62. Eadem juriſdictio reperitur etiam in prælatis religioſorum, ſive maioribus, ſive minoribus, modò habeant ordinariam in ſubditos poteſtatem. Summus prælatus eſt, Romanus Pontifex, cui incumbit ordines religioſorum acceptare, & approbare: maiores ſunt, Generales, Abbates, atq; Abbatiſſę, & Provinciales: minores reliqui ſuperiores locales, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 8. in corpore Ratio quam hic doctor dat ſuæ doctrinæ eſt, quia qui dependet à voluntate alterius, nequit vovere ſine illa quidpiam: cùm verò religioſus per votum obedientiæ, non ſolùm externas ſuas actiones, ſed etiam internarum moderationem ſuperiori tradat, ut in omnibus quę ad pietatem, perfectionemq; ſpectant, dirigatur: hoc ipſo ita pendet ab eius voluntate, quemadmodum filiifamilias impuberes adhuc à parentibus; niſi quòd impuberes ſub-

Digitized by Google

ſubdantur ex impotentia, & conditione naturæ; religioſus autem ſpontanea, & pia in Deum, ſuamq; perfectionem voluntate.

Vnde quicunq; alii ſive eccleſiaſtici, ſive politici ſuperiores, quia non habent ſudditos ita ſe in omnibus ſubijcientes, propterea non habent poteſtatem jurisdictionis, ut eorum vota irritare poſſint. Dirigunt quidem eccleſiaſtici prelati in internis ſuos ſubditos, eos à peccatis abſolvendo, & oſtendendo rectam vivendi rationem; verùm id agunt poteſtate à Chriſto tradita, quæ ſolùm extendit ſe ad judicium de peccatis, & de virtute ferendum, ut hi, qui ſalvari volunt diſcant ab illis ſalutis viam, quæ non eſt alia, quàm declinare à malo, & facere bonum. Cæterùm hæc poteſtas eccleſiaſticorum prælatorum non ita præſidet voluntati ſubditorum, ut hi in omnibus prorſus dirigantur, quæ ad maiorem conſequendam juvent perfectionem, id quod in religioſis eſt ſolenne; nam hi cognitâ jam communi ſalutis viâ, id in reliquis bonis ſequuntur, quod eſt conforme ordinationi prælatorum. 63.

Jam verò inter alia media, non mediocriter confert ad perfectionem conſequendam votorum acceſſio, aut carentia; etſi enim votum ſit bonum ex eo quòd contineat perfectiorem religionis actum; interdum tamẽ non expedit illo ligari ſpectatis circumſtantiis perſonæ, ætatis, ſtabilitatis, vel inconſtantiæ: quæ quia ſubduntur obedientię, nullum religioſus votum in ulla materia poteſt emittere, quod nequeat à ſuperiore irritari, tanquam ab eo qui plenè habet ſubiectam libertatem eius. Quapropter ne vota quidem internorum actuum poſſunt fieri à ſubditis ſine dependentia à prelatorum conſenſu: v. c. votum amoris Dei, aut votum continendi ſe ab impetu alicuius paſſionis. Nam licet hæc vota ſint ſancta; poteſt tamen fieri, ut alicui, qui illis oneratur, non ſint utilia ad perfectionem; quare ex hoc capite ſubduntur directioni ſuperioris. Prorſus quemadmodum parentes impuberum vota quævis irritare poſſunt, ex pleno in eorum libertatem dominio: ita hi prelati ſuorum ſubditorum, quęvis vota poſſunt tollere, non pro merito cauſæ, qualis ad diſpenſandum requiritur; ſed pro arbitrio irritantis, utentisq; ſua poteſtate. Verum tamen eſt requiri aliquod rationabile motivum ęquitatis, & prudentiæ in uſu jurisdictionis, ne pro libito fiat eius abuſus, jamque negetur, piè petenti irritatio, jam offeratur, nulla petentis utilitate, in quo eſſet aliqua ſuperioris levitas, ut bene notat Suarez lib. 6. de voto cap. 9. 64.

Atq; hinc cognoscitur excellentia obedientię religioſæ, quæ ita to- 65.

tum hominem alieno propter Deum ſubjicit arbitrio, ut totaliter, corpore, anima & utriusq; facultatibus, atq; operationibus regendum, & ad Deum, omnemq; perfectionem deducendum committat: & cui natura dedit poteſtatem ut ſui juris ſit, eum amor divinus eò demittit, ut inſtar pupilli, vel non emancipati alteri ſe moderandum plenè tradat. Cognoſcitur & illud, Deum, ne quidem vota ſibi pro ſuo amore à religioſis oblata, acceptare, niſi accedat conſenſus eius quem ipſis dat loco ſui; ut quisq; ſubditus ea duntaxat putet illi grata fore, quæ approbatione eorum divino ſiſtantur conſpectui. Ab hac ergo dependentia directionis prælatorum, nec pudor, nec timor, nec ullus alius reſpectus abducere aſcetam debet, ſi nolit ab eo abduci, ad quem pro munere ſuo ducit is, qui præeſt, & perducit certò teſte Chriſto Luc. 10. Qui vos audit, me audit.

66. Præter poteſtatem jurisdictionis, eſt alia qua irritantur quoq; vota, nimirum, poteſtas dominii, & juris in aliquid, ut proprium, quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. Q. 88. art. 8. & alii cum ipſo: unde qui promittit Deo rem alienam, ita promittit, ut ab altero jus in illam habente promiſſio irritari poſſit: neq; enim Deus acceptat ſibi oblata obſequia cum alterius præiudicio, aut damno. Itaq; poteſtas hæc, non jam voluntatem voventis concernit, ut illa jurisdictionis, ſed materiam voti: Sive hæc materia ſit proprii dominii, quale habent qui ſunt illius capaces, carentes paupertatis religioſo voto; ſive ſit juris cuiusdam ad uſum, gubernationemq; relati, quale habent ſuperiores religioſi ad externas ſubditorum operationes. Quodcunq; jus ex his duobus quis habeat, poteſt irritare votum alterius, ſi velit, quaſi auferendo, & ſubtrahendo materiam voti, ſuâ illâ, ut dixi, poteſtate, cui vovens non poteſt facere præiudicium.

67. Hac poteſtate gaudent domini in ſervos, ſeu mancipia, imò & in liberos famulos, quoad perſonales actus; ut ſi is qui famulatur voveat peregrinationem ſubtrahens ſe dominio, cui tenetur ex juſtitia impendere ſua obſequia. Tale quoq; jus habent parentes in filiosfamilias jam puberes nondum tamen emancipatos, ſeu tales, qui nondum ad certam ætatem, juxta cuiusq; reipublicæ morem, & ſtatuta pervenerint: iſti ſi quid voveant, quo derogent eorum juri, illud irritari poteſt, ut ſi filius voveat ex bonis parentum fundationem alicuius hoſpitalis. Præterea idem jus eſt in coniugibus, in illis rebus, aut operationibus in quibus ſibi ſubjiciuntur: neq; enim unus eorum poteſt vovere continentiam ita, ut non

non teneatur reddere petenti debitum, cum alterius prȩiudicio. Pari potestate gaudent, ut dixi, prȩlati religiosi quoad externas subditorum operationes, ad convictum, & disciplinam regulæ spectantes: religiosus enim nequit independenter à suo prȩside vovere peregrinationem, eleemosynam, & similia, in quibus præiudicaret maiorum suorum directioni. Postremò, quivis potestatem dictam habet, qui habet jus in materiam voti alieni: ita domini politici possunt irritare vota facta cum aliqua sui dominii jactura; ut si quis voveat ex regno vehere frumenta ad iuvandos vicinos fame laborantes; potest rex tollere tale votum prudenter, suæ ditionis præcavens famis periculum.

In hac duplici potestate, tum jurisdictionis, tum dominii, 68.
fundatur irritatio per quam aufertur inducta jam obligatio voti. Et jurisdictio quidem omnia vota tollit, ut jam ostendimus; dominium autem non nisi in materia certa, quæ ipsi subest. Cùm vero talia vota sint conditionata, eò quòd pendeant à futuro alterius consensu, quantumvis obligent ad habendum implendi propositum; non tamen ad executionem, nisi ponatur conditio. Dupliciter autem potest poni, primò clarè, cùm is à cuius consensu vovens pendet, notitiâ acceptâ disertè votum approbat, aut tacitè, scilicet, non contradicendo; quo in eventu, impletur conditio, & obligatio urget executionem. Secundò ponitur conditio, quasi,ut solet dici,interpretativè, cùm is, qui approbare debet, ignorat votum, & ignorando, neq; approbat, neq; contradicit: in hoc etiam casu censetur expleta conditio, eo ipso quòd approbaturus, vel reprobaturus votum, negativè se habendo non irritet illud, ac proinde vovens tenetur, exequi promissa. Ita tenet Caietanus in 2. 2. Q. 88. art. 8. scribens, datq; utilem votorum distinctionem, ex qua deducitur, posita jam doctrina. Nam ea quȩ quispiam vovet duplicia esse possunt, quȩdam prohibita, ne sine consensu alterius fiant, ut sunt v. c. in religioso jeiunia, usus rerum ordinis, castigatio corporis, & similia; alia non prohibita, ut est aliqua brevis oratio, aut elevatio mentis per actum divini amoris: priora nequeunt impleri, nisi conscius superior approbet; quia inobedientiæ, vel alterius voti continent malum, ad malum autem nemo obligatur: posteriora exequenda sunt, eò quòd nullum prælato faciunt præiudicium. Idem docet Suarez opere de religione Tractatu 6. lib. 3. cap. 6. Et quamquam maioris ut plurimùm perfectionis sit aperire prælato religioso votum; si tamen id non fiat, sive ob justam cau-

Digitized by Google

causam, sive quia negligitur maior perfectio, semper promissa sunt solvenda, nisi illa tollantur per irritationem.

69. Quòd si quis dicat hoc ipso esse irritationem, quòd desit expressa, aut tacita voti approbatio; respondendũ est id à vero aberrare: nam si ignorantia eius, qui approbare debet sufficit ad irritandum vota subditorum, quę sunt, ut dixi, conditionata, nullam contraherent etiam propositi obligationẽ, (siquidem irritatio omne debitũ tollit, & quoad animũ implendi, & quoad executionem) quod est contra omniũ consensum, qui dicunt conditionata vota statim obligare ad habendum implendi proprositum. Itaq; ignorantia superioris, non est irritatio voti; sed potius interpretativa approbatio, donec superveniente notitia accedat irritandi voluntas. Hæc doctrina omnibus conditionatis applicanda est votis, quę ab alterius consensu pendent, ut ostensum est exemplo religiosi.

Sectio. IX.

Quomodo dispensatio, & commutatio tollat vota.

70. Dispensatio, & commutatio votorum differunt inter se, quòd illa omnem tollat debiti obligationem, hæc, aliquam relinquat, commutando materiam voti, vel in maius, vel in minus, vel in ęquale: ad utrumq; autem duo requiruntur, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 88. art. 10. & cum eo omnes Theologi. Primum est potestas, quam Christus in Ecclesia relicturum se spopondit illis Matth. 16. verbis, ad S. Petrum directis: Tibi dabo claves regni cœlorum; quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Sponsionem suam redivivus à mortuis, solvit tali eidem Petro imposito mandato: Pasce oves meas, pasce agnos meos Johan 21. Itaq; certa est in Ecclesia ad dispensandum, & commutandum potestas, cuius necessitatem; usumq; inde deducit S. Thomas loco citato. Cùm enim votum sit quædam lex, quam sibi imponit vovens, legi autem ea interdum superveniant, quæ si ab initio eius adessent, moverent legislatorem, vel ad non condendam illam, vel ad eximendum aliquos ab ea, ut non tyrannicè, sed humano modo censeatur cogere ad illius observationem. Cùm ergo hęc interdum interveniant, debuit à Christo nostro legislatore relinqui vicariis ipsius potestas ad facien-

ciendum id, quod ipse faceret, si esset corporaliter presens. Porro lex eius divina, & naturalis in hac votorum materia est, quam ille sæpius promulgavit, ut nimirum promissa reddantur; ita enim Psal. 75. per Davidem precipit: Vovete, & reddite Domino Deo verbo: quæ lex fixa semper & immutabilis manet, nimirum divina, & naturalis; potest tamen aliquid evenire, propter quod non censeatur quispiam comprehendi sub illa.

Ita ergo potestate hac pastores Ecclesię utuntur, ut non tollant ipsam legem Dei; sed prudenter interpretando mentem legislatoris, censent in aliquo eventu non esse illius voluntatem ut is, qui vovit obligetur ad observantiam, à qua proinde ex mente ipsius eximunt, liberantq; voventem agnita aliqua mutatione in materia voti. Exempli causâ, vovit quis ætate valida, & juvenili ieiunium tribus diebus qualibet hebdomadâ pro tota vita; factus deinde senex, & debiliore corpore, petit relaxationem voti: potest ea & rectè dari, propter illam corporis supervenientem dispositionem, & mutationem materiæ voti, comparatione facta ad voventem. Neq; per talem relaxationem tollitur lex illa divina: Vovete & reddite; sed hic senex non comprehenditur sub illa, & quidem voluntate Christi, per eius vicarium prudenter intellectam. 71.

Quapropter potestas hæc est primò in eo cui Matth. 16. fuit promissa, & Joan 21. concessa, in supremo scilicet Christi vicario Petro, eiusq; successore Pontifice summo; secundò in aliis qui ab ipso, eam debitè sortiuntur, ut sunt Episcopi, alii prælati ordinarii gaudentes Episcopali jurisdictione: reliqui eam accipiunt delegatam, ab illis qui ordinaria gaudent. Delegatur autem potestas amplè, aut strictè; amplè cùm conceditur ad dispensandum, & commutandum, vel ad dispensandum, in qua potestate includitur etiam altera commutandi potestas: strictè verò datur, cùm ad commutandum censetur duntaxat collata potestas. Hæc doctrina est communis Theologorum quos citat, & sequitur Suarez lib. 6. de dispensatione, & commutatione cap. 12. in opere de religione qui etiam ibidem cap. 14. cum aliis bene docet delegatam ad dispensandum, & commutandum, extendi quoq; ad vota jurata dummodo juramentum confirmet vota Deo facta: tale enim juramentum censetur voti stabilire obligationem; quare si votum tollitur, etiam id per quod stabilitum fuit tolli potest. Aliud dicendum de votis in quibus simul fit promissio homini, confirmaturq; juramento: tunc enim sicut promissio homini servanda est, ne fiat illi præiudicium ita & iuramentum. 72.

Præ-

tum videatur favor, potestasq́; requiri, ut nempe liceat unum pro alio substituere; cùm tamen id quod substituitur sit melius, Caietanus comment art. 12. in 2. 2. Q. 88. aliiq́; Theologi censent, ut valde probabile, debere quidem causam esse ob quam fiat commutatio, eam tamen solam sufficere, neq́; præterea requiri potestatem prælati. Et causa quidem hoc ipso est maioris cultus Dei, voventisq́; utilitatis, quòd in melius, ac proindè in gratius Deo fiat commutatio; quòd autem non requiratur potestas superioris, ratio suadet; quia prudenter præsumitur Deus acceptare illam commutationem, in qua maior eius intelligitur gloria. Sicut quivis creditor acceptat, citra suam offensam id à debitore, quod maiorem affert utilitatem. Itaq́; licebit cuiq́; votum suum in id quod manifestè melius est commutare: manifestè, inquam; nam si dubium fuerit, potestas adeunda, cui, ut Theologi communiter tenent, in dubiis parendum est.

Jam cùm tanta ad dispensandum, & commutandum sit necessitas debitæ, ac sufficientis causæ, magno curandum est studio prælatis, ut benè eam perspectam habeant, ne contra mentem Domini, & Dei disponant de eius bonis, hoc est de cultu illius, fideliumq́; utilitate. Porro unum est, quod notitiam causæ vitiare potest, ignorantia videlicet, quando vel is, qui relaxatione eget quædam occultat, alia fingit; vel qui debet relaxare non investigat omnia. Et si ignorentur ea, quæ ad substantiam causæ spectant, irrita, & nullius valoris est relaxatio: quod si alia nesciantur, quæ accidentalia sunt, nihil obsunt concessæ gatiæ. Ad hanc non sinceram causæ manifestationem inducit cæcus, & præposterus nostri amor, ut velimus à debito immunes esse, putemusq́; nos liberatos, cùm nec voluntas illa sit pia, nec vera coram Deo immunitas; sed prævaricatio juris eius, per fraudem, dolumq́; invecta. Sentiunt, quicunq́; sunt tales vicini jam morti (si ante non senserunt) errati sui malum; corrigere tum volunt, neq́; semper possunt, Deo jus sibi ablatum, & severè, & properè exigente: angustiis igitur conscientiæ pressi, terroribusq́; exanimati, decedunt ex hac vita. 77.

Ad quæ ut non deveniatur, eorum, qui relaxandi vota habent potestatem, pietas, & diligentia obviare debet; pietas, ut nihil concedant amori cæco, sive alieno, & petentis gratiam, sive suo, plus æquo, precibus morem gerentis. Quod si minis exigatur gratia, nihil prælatus iis moveri debet; ratus plus se Deo obligatum, quàm sibi, aut aliis: vel ergo non debet concedere gratiam, si desit causa; vel si jam concesserit, 78.

invalida erit concessio, metu quovis etiam gravi non obstante. Ita, & rectè cum aliis docet Suarez lib. 6. de dispensatione, ac commutatione cap. ultimo in opere de religione. Jam diligentia etiam adhibenda est in exquirendis causæ omnibus circumstantiis, maioris, scilicet, Dei gloriæ, & commodi aliorum, ut est maius bonum commune, necessitas in postulante, eò quòd verè ei immineat periculum salutis, nisi obtineat relaxationem voti, præsertim si illud minùs consideratè emisit; magna tandem eiusdem utilitas si liber factus multò expeditior ad serviendum Deo Creatori suo futurus est. Hæc, & similia consideranda sunt à prælato, quæ si neglexerit, & potestatis talento à Domino sibi tradito, malè fuerit usus; timendum ne illud audiat Matth. 26. Serve male, & piger sciebas, quia metò ubi non semino, & congrego ubi non sparsi; hoc est, illud ut meum exigo, quod mihi ultro oblatum est: Inutilem servum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium. Omnino tam postulans, quàm concedens dispensionem, commutationemve, ita se gerant, ut meminerint ponendæ rationis Deo Domino suo.

79. Hac suppositâ piâ, in prælatis præsertim diligentiâ, & diligenti pietate, constans Theologorum est sensus, ad omnia vota eorum extendi potestatem, sunt tamen communi Ecclesiæ jure, & consuetudine solis Pontificibus summis ad dispensandum, & commutandum quinque reservata. Votum, scilicet, castitatis, religionis, peregrinationis ad limina S. Petri, & Pauli, Compostellanæ ad S. Jacobum, & Jerosolimitanæ ad loca sancta. Et castitatis quidem votum, simplex intelligendum est, quando quis privatim vovet perennem, & totalem continentiam: perennem, inquam, totalemq; ; nam si ad tempus voveat, vel partem continentiæ, v. c. non petendi in statu coniugali per aliquot annos debitum, id non reservabitur Pontifici, ut communiter tenent Theologi. Pari modo votum religionis simplex intelligitur, quo quis privata devotione vovet se ingressurum religiosum ordinem. Et quemadmodum hoc certum est de reservatione dictorum votorum; ita non minùs est certum posse illa commutari, non quidem in aliqua pia opera, sed in religiosum statum, sine nova Pontificum gratia: jus enim ab illis latum ita statuit. cap. Scripturę de voto, ut benè cum aliis explicat Suarez opere de Rel: lib. 6. de voto. Cæterùm requiritur ad valorem commutationis, ut in religioso statu perseveretur; unde qui cæptum ante religiosa vota deseru it, votum Pontifici reservatum, quod interea suspensum erat, redit, rursusq; obligat.

An

Sectio X.

An in solenni voto possit esse dispensatio, aut commutatio?

QVod verò attinet ad votum solenne tum castitatis, quale emittunt suscipientes sacros ordines, tum professionis religiosæ, quæ continetur tribus, vel pluribus (pro ordinis diversitate) solemnibus votis; etsi S. Thomas 2. 2. Q. 88. art. 11. putaverit ne à Pontifice quidem solenne votum dispensari, aut commutari posse; jam tamen est communis omnium contraria doctrina. Et Caietanus in illum articulum scribens, asserit S. Thom. non tam ex propria sententia id tenuisse, quàm quòd edita fuerit ab Innocentio 3. decretalis in Extra: de statu Monach: eiusmodi: Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis adeo annexa est regulę Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere. Hanc decretalem in uno sensu à se intellectam, bene defendit S. Thom. nam Monachus, sive solitariè degens (& idem est de quolibet dicendum Asceta, qui aliis convivit) per vota religiosa abdicat se curâ propriorum bonorum, coniugisq; ac prolis, tanquam impossibili suo statui, vivendiq; rationi, per quam abdicationem evadit Deo consecratus: hinc verò sequi necesse est, ut quamdiu in eo statu, sic Deo consecratus manet, nequeat citra sacrilegium contraria suo statui agere. Quemadmodum enim si templum Deo consecretur, quamdiu ita censetur consecratum, non sine peccato ad profanos destinatur usus; ita durante consecratione personæ ad cultum divinum non potest illa ad profana usurpari citra præiudicium Dei, cui per consecrationem oblata est. Hæc intelligentia dictæ decretalis, & vera est, & ad mentem Innocentii, qui, ut refert ibidem Caietanus scivit à Cœlestino 3. cui ipse successit, dispensatum fuisse cum Constantia filia Rogerii Regis sanctimoniali, ut nuberet Henrico 6. Imperatori, non ergo legem à se datam, in alio, quàm in dicto sensu intelligendam esse voluit, in quo eodem tenuit S. Thomas non posse solenne votum à Pontifice relaxari, durante, scilicet, consecratione personæ. 80.

Cœterùm si personę Deo dicatæ mutetur status, & consecratio illa tollatur, mutatione data, persona quoq; antea sacra, & Deo obligata, per dispensationem evadit sui juris, ac profana, perinde atq; templum, 81.

lum, si mutetur per ruinam, aut alia de causa, evadit profanum. Hoc posse fieri ex eo etiam constat, quòd ut supra hoc capite à num. 21. ostendi, votum solenne à Pontificibus approbetur, & acceptetur, ita ut irritum sit omne illud, quod ei opponitur; idem ergo Pontifices, qui loco Dei acceptant, possunt cedere jure ipsius, justa accedente causa. Atq; ita factum esse non semel, præter exempla à Caiet: allata, in nostro quoq; Poloniæ regno compertum est, ut scribit Cromerus lib. 4. De reb. Pol. circa annum Domin. 1042. Cùm enim carerent tunc Poloni Rege, ac propterea cædibus, & rapinis omnia essent plena; publico omnium consensu quæsitus est filius demortui regis Miecislai, inventusq; in Cluniacensi Monasterio professus jam, & diaconus, mandato Pontificis Benedicti 9. (vel ut alii tradunt Clementis 2.) ad supplicem procerum instantiam, in patriam redire jussus, in regem unctus est, consorte accepta regina, Russiæ Ducis Jaroslai sorore, nomine Maria, quæ mox abiecto schismate ritum quoq; Græcum, mutavit in Latinum.

82. Ex hoc aliisq; similibus factis nullum restat dubium licitè posse relaxari in solennibus votis; relaxationes tamen hactenus datæ ostendunt gravissimam debere esse causam, quæ moveat Pontifices, ad illas dandas, nimirum commune Ecclesiæ bonum in regno quopiam, in quo vel de summa rei agatur, vel ad maximam omnium, gratia concessa, pertineat utilitatem. Ex quo simul intelligitur excellentia solennis voti; neq; enim sunt hactenus plura, ab Ecclesia admissa, quàm sacrorum ordinum, & religiosæ professionis, propterea quòd ad tollendum illa concurrere debeat humanorum ingens necessitas, ut scilicet avertantur à rebus publicis mala, accersanturq; bona, quæ nisi adsint, clavis Petro à Christo data Matth. 16. nec in terra, nec in cœlo solvit ligatos.

83. Quodsi potestas à Christo communicata nequeat id nisi in casu assignato præstare; qua temeritate Luterus, Calvinus, aliiq; heretici, se similesq; sui solverunt, & etiamnum solvunt, cùm nec potestatem, nec aliam id faciendi causam habeant, quàm nolle obligari Deo, & velle carni solvere frena? Et isti quidem sunt plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, ut testatur eius filius Matth. 15. sunt ijdem cœci, & duces cœcorum; cœcus autem si cœco, ut ibidem dicitur, ducatum præstet, ambo in foveam cadunt: igitur & doctores, & discipulos eorum manet gehennę fovea. Cœterùm plantati in vinea Christi, ab agricola Patre cœlesti Joan. 15. qui fidei illustrati vera luce se ipsos solenni pompa, ac

cere-

ceremonia Deo dicarunt; videant semper, quod semel illuminati viderunt. Considerent, quàm pium, & sanctum sit illibatam conservare cum Deo initam solennitatem; quàm impium, & sacrilegum eandem violare; illud meriti, & spei plenum, hoc timoris, & periculi. Prius tanti fecit inter puros homines, prima, Virgo, & Mater (quæ procul dubio à Spiritu Sancto inventa, & oblata solennitate suam Deo sacravit virginitatem) ut ne Mater esse Dei voluerit, nisi admirabili eius dispensatione, qui Matrem nactus, Virginem servavit; ad hoc enim dixit cœlesti Paranympho. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1. Posterius, qui committunt, temerantq; solenne votum; timeant Omnipotentis iram, quam minatur Apostolus 1. Cor. 3. ita scribens: Templum Dei vivi estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis; si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Istud tenendum, illud ita tenendum, ut exigit solennitas, nempe semper, ac perpetuò. Hęc de modis quibus inducta possit tolli obligatio voti, ac de tota eius religione; dicendum jam de vitiis illi oppositis.

Sectio XI.

Quæ sint vitia, & peccata voto opposita.

Cùm supra hoc capite à num. 2 tria reperimus ad votum esse necessaria, promittentem, scilicet, rem quæ promittitur, & Deum qui acceptat promissum; ex triplici hoc capite possunt multiplicari peccata religioni voti contraria. Et primò ex parte voventis tria sunt, quæ peccato ansam præbent, vis intelligendi, voluntas, & appetitus passiones. Cùm enim votum sit quædam actio, qua homo cum auctore Domino suo init veluti contractum obligantem ad solvendum debitum; ut actio dicta sit honesta, illiq; accepta, inprimis judicio, & quidem prudenti dirigenda est. Itaq; si desit judicii deliberatio, sine culpa voventis, ut fit in febri acuta, alienata mente, nullum erit peccatum: quod si desit judicium vitio aliquo, non erit immunitas à culpa. Vnde peccat qui vovet nullâ pręmissâ advertentiâ rationis, si eius non adhibitę det aliquam culpabilem causam, ut faciunt qui sciunt se in ebrietate, solere in vota prorumpere, neq; tamen præcavent illam. Hoc verò peccatum non excedit culpam venialem, quæ contrahitur ob irreverentiam voti, 84.

 tan-

tanquam rei sacræ, levis est ista irreverentia; neq; enim per illam irrogatur gravis Deo, aut eius cuipiam perfectioni iniuria; sed tantùm indecentia quædam committitur, in causa, scilicet, ebrietatis, in qua sacra non sanctè tractantur. Sicut si quis ebrius preces dicat eo modo, qui aliis risum moveat, & id præsciat se solitum in ebrietate facere, nec tamen præcaveat; levi irreverentia peccabit, minùs decenter actum orationis exercendo. Aliud esset, si sic orando grave scandalum spectantibus pareret; tunc enim propter periculum scandali graviter peccaret, non vitando ebrietatem, ut causam illius scandali: qua gravitate culpæ etiam ille peccabit, qui prævidens scandalum magnum ex voto in ebrietate facto secuturum, non cavet causam eius. Jam si prævidens se ebrium solere vovere, & id sobrius adhuc, velit ratum esse, nec tamen postea expleat, eò quòd in ebrietate voverit; talis verè vovit: nam sobrius futurum acceptavit votum; peccat ergo non explendo illud, graviùs, aut leviùs, pro quantitate voti.

85. Quodsi adhibeatur quidem sufficiens judicium ad vovendum, sed minùs accuratum, ac prudens, graviùs hoc in eventu delinqui potest, & interdum etiàm letaliter. Nam qui inconsideratè, & temerè, votis se onerat, & deinde illa, vel quòd multa sint, vel quòd difficilia, violat, & quidem in notabili materia; propter hoc periculum, cui se exponit ita præcipitanter vovendo, graviter peccat: Si aliquid aliud levius ex minus consideratis votis sequatur, levis quoq; culpa dicenda, quin & nulla interdum. Id tum fit, cùm quis dolet se aliquid vovisse sine longa, & accurrata prævia trutina; is quippe dolor (modò non inducat in violandum votum, neq; sit contemptus illius, tanquam pii operis, quemadmodum contemnunt hæretici) aut est imperfectio quędam, nolentis præstare magna consiliorum opera, (quę sicut sine peccato poterant omitti, propter displicentiam ardui, & difficilis, ita & à vovente assumpta cum eadem displicentia possunt executioni mandari) aut est fuga honesta ardui, & difficilis in insigni opere, quod tamen mandatur executioni. Ita Salvator noster ostendit fugam mortis; quam tamen pro nobis infinita caritate pertulit: ita Sanctis quoq; subrepit nonnunquam aliqua displicentia voti facti; quæ tamen sit (ut dicunt Theologi) simplex, & inefficax, minimè impediens, aut retardans executionem.

86. Qua in re cavenda est infirmorum spiritu, fallax deceptio; putant enim nonnulli sua opera pia minùs placere Deo, si ipsis displiceant ob aliquam difficultatem; qui eo interdum decepti veniunt, ut supersede-

ant

ant cœptis. Sunt alii in simili, & æquè periculoso errore, qui pro indicio quasi certo habent non rectè à se facti, dolorem, & displicentiam, quod aliquando votum emiserint, aut quòd in eius executione sentiant molestiam.

Huic errori, quo dæmon, procul dubio, illaqueat incautos, non alia, quæ tenebras orci dissipet lux afferenda, quàm factum, & dictum Christi, de se ita Joan. 8. testantis: Ego sum lux mundi, scilicet tutò ab omnibus sectanda Factum innuimus jam displicentiæ illius, quam habuit instante morte, & talis ac tantæ displicentiæ, ut opportuerit eum tædere, pavere, diceretq; Tristis est anima mea usq; ad mortem. Mar. 14. & factum in agonia sudare sanguinem Luc. 22 Mors immutabili Dei decreto definita fuit Christo, quam ille, ut homo, in primo conceptionis suæ momento oblatam acceptavit; displicebat tamen ea, contristabatq; moriturum, non quòd nollet facere id, quod Deus semel decrevit, justitq; cùm palam fassus sit se venisse, ut faceret voluntatem, non suam sed eius qui misit eum Joan. 6. verùm quòd testari vellet, se esse hominem qui mortem ita præsertim (ut illa futura erat) acerbam, vitæq; inimicam, magno cum dolore tolerare debuit, prout & fecit. Facto tali adiunxit dictum: Orabat, scribit Lucas cap. illo 22. Pater si vis transfer calicem istum à me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Quid tunc haberet in suo corde, Patri aperuit, levamenq; doloris expetiit, quid tamen à se faciendum omnino esset, non suo, sed divino corde, ac voluntate metitur: non mea inquiens, sed tua fiat voluntas. Hoc factum intueantur, hoc audiant dictum, qui in piissimis etiam operibus, votisq; sanctis, displicentias, tædia, tristitiasq; sentiunt; sensit ista caput Christi, quid mirum si consentiant membra? nihil tamen quod recepit se facturum omisit caput; neq; membra mutare debent id quod semel Deo obtulerunt. Spiritus quidem promptus, caro autem infirma. Hoc Christus volebat quando dicebat: Sustinete hîc, & vigilate mecum; Matth. 26. hæc expectat à suis membris, nisi malint à capite præcidi, &c. cum solido spiritu cœperint Gal. 3. infirma consummare carne. Quapropter nihil movere debet eum, qui aliquid vovit, si dolorem, aut displicentiam sentiat, siquidem hæc, ut jam dixi, non est contraria voto. 87.

Cœtera contra illud prosequamur peccata, quæ præter intelligentiam voventis, voluntatem quoq; concernunt, duplici ratione delinquentem: Primò si non habeat animum, intentionemq; vovendi, cùm verbis fit promissio Deo. Atq; in hoc committitur mendacium, eò quòd 88.

aliud

aliud verbis significatur, aliud occultatur in corde: & si hoc mendacium fuerit perniciosum, grave proximo afferens damnum, mortale erit: ita peccat qui vovet se ducturum virginem in uxorem, si priùs consentiat in lapsum, nec tamen habeat animum ducendi. Quod si non subsit tale damnum, erit venialis culpa mentiri non Deo, sed iis qui audiunt. Et quanquam votum sit res sacra; parva tamen ei, levisq; tali mendacio inuritur indecentiæ nota similis illi quæ committitur in orando sine attentione, aut admixto risu, vel alia quapiam levitate. Quemadmodum ergo licet oratio ad Deum dirigatur; non tamen magna excellentiæ eius fit iniuria, per id quod minùs decenter sistat se inconspectum eius orans: ita licet votum, Deum, eiusq; excellentiam spectet; nihil tamen illi grave irrogatur per mendacium officiosum, vel jocosum, sed tantùm minùs reverenter tractatur. Aliud esset si quis fictè vovendo putaret fictiones suas latere Deum, sicut latent homines; talis enim fictio esset blasphemia tollens Deo id, quod illi tribuit fides Catholica teste S. Paulo ad Hebr. 4. Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius; omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.

89. Cæterùm ficta voti promissio, quę homini duntaxat occultat veritatem, nihil tale derogat Deo; ideo præter leve mendacium, est quoq; levis indecentia contra religionem voti; imò interdum potest esse nulla, si ad simulatè vovendum impellat aliqua necessitas, qualis est v. g. gravis metus. Ita si prædator cogat, à se spoliatum ad promittendum Deo, ut nullam ei intentet litem; promittens fictè non peccabit, modò non mendaciter utatur verbis, sed æquivocè, hoc est aliud mente concipiendo ab eo, quod concipit is, qui cogit ad promittendum. Potest exempli gratiâ dicendo coactus: Voveo me non intentaturum litem, sic cogitare; si non mutavero propositum, vel, si consilium aliud non fuero secutus, vel quid simile: licebit ita celare veritatem ob illum metum, Deusq; acceptat eiusmodi animum. Neq; enim omni, & in omni occasione tenemur manifestare interna, ut dicemus infra de veritate, & supra jam de juramento ficto diximus cap. 16. à num. 43. in quo est par voti ratio.

90. Jam alter modus, quo voluntate contra votum peccatur, est, cùm promittens rem alioquin honestam, præfigat sibi malum finem; & si is contineat notabilem malitiam voto oppositam, enorme erit contra religionem delictum: qua ratione peccaret religiosus, qui voveret paupertatem hoc fine, ut mendicando plura in suum privatum usurparet com-

commodum. Finis hic continet Dominii proprietatem; & quidem in magna quantitate rerum, estq; oppositus paupertatis voto, ideo gravis culpa contra illud patratur. Quodsi quis habeat malum notabiliter finem, non tamen voto oppositum, peccabit graviter, sed non contra votum: Exempli causâ, qui vovet eleemosynam ut impetret à Deo vindictam de inimico, graviter delinquet non contra religionem voti, sed contra justitiam. Quia verò talem finem opponit sanctæ, & ad cultum Dei ordinatæ operationi, nimirum voto; rectè tenet Suarez opere de Relig: lib. 6. c. 1 esse tum simul culpam contra religionem, venialem tamen, eò quòd sancta non sanctè tractet: qua ratione etiam peccat contra cultum orationis venialiter, qui orat Deum ob similem vindictæ finem.

Quæ dicta sunt de peccatis contra votum ab intellectu, & voluntate admitti solitis, facilè ostendunt quonam pacto ad eadem concurrat quoq; appetitus, perturbando sincerum, & prudens in vovendo judicium, impellendoq; voluntatem, ad præposteros fines carni, & sensui gratos, ad fictè sine necessitate vovendum, ad consuetudinem usurpandi vota ex inepta lętitia, levi metu, ex ira, tristitia, ut faciunt qui passi aliquid mox vovent, & jurant se vindicaturos. Hæc & similia possunt in vovente efficere carnales affectiones, quibus, (ut in aliis similibus) obsistendum est, ne exhibituri Deo cultum pia voti religione, illud omne obsequii meritum perdamus, quod essemus consecuturi sancta sanctè usurpando. Atq; ne id eveniat, rectè monet Spiritus Sanctus Eccle. 6: *Ne temere quid loquaris, neq; cor tuum sit velox* (scilicet perturbationibus agitatum, impulsumq;) *ad proferendum sermonem coram Deo; displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* 91.

Post peccata quę ab ipso vovente proficiscuntur, sunt alia quæ ex subjecto, & materia voti oriri solent. primò; ergo delinquitur quoties non expletur votum; sive omittendo prorsus illud in parte, vel in toto; sive aliquid committendo contrarium; sive differendo longiùs quàm oportebat juxta mentem voventis, & arbitrium prudentis, ac timentis Deum. Omittit ille qui vovit v. g. religionem, nec tamen eam vult ingredi; committit, qui facto castitatis perpetuæ voto, init deinde matrimonium: differt, qui peregrinationem Deo promissam, sine causa prolongat in annos & tempora. Et quando commissio, omissio, ac dilatio gravem continet objecti materiam, gravi quoq; contra religionem 92.

voti erit culpa, eò quòd præseferat fraudem quandam, & deceptionem Dei negata illi debita fidelitate.

93. Jam si transgressio voti in parva versetur materia v. g. voveat quis solidum pauperi se daturum, & non det; S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 3. in corp. & alii Theologorum quos refert, & sequitur Suarez de Relig: lib. 5. de voto cap. 4. tenent peccari in eo casu veniali culpa, cuius sententiæ talis ex S. Thom. sumitur ratio: Nam licet magna sit obligatio fidelitatis voto promissæ, propterea quòd negotium sit cum tantę maiestatis persona; si tamen in levi re denegetur ei debita fidelitas, pro levi errato reputat Deus, qui plurima alia peccata pro levibus habet, etsi ea in eandem divinam etsi diversimode committantur personam; talia sunt otiosa verba, jocosa mendacia, tepor in orando, & obsequendo illi, innumeraq; alia. Ab humanis quoq; petita argumento eadem veritas dilucidatur: nam si subditus regi suo in re modica infidelem se prętstet, leviter offendit, eò quòd exiguam illi iniuriam inferat: idem in divinis putandum: neq; enim talis infidelitas, aut grave Deo in promissis bonis damnum facit, aut ulli eius perfectioni magnam irrogat iniuriam; sicut irrogat infallibili eius veritati is, qui vel levissimum mendacium testatur Deo, ut de juramento diximus cap. præcedenti num. 56. sed solùm leve, & modicum subtrahit ipsi obsequium.

94. Secundò delinquitur contra votum per respectum ad materiam, si hæc fuerit mala, & inhonesta, ut si quis voveat se commissurum cædem, graviter is peccat ut probat S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 2. in corp siquidem votum debet fieri Deo, quod placet Deo, & quidem ita ut sit de meliori bono, id quod supra num. 5. expendimus: cùm autem peccatum maximè ei displiceat, & nihil aliud præter hoc unum; qui illud vovet, meritò ipsum offendit, nimirum id ei offerendo, quod molestum sit, & exacerbet.

95. Cæterùm is qui malè vovet, duobus modis potest in se esse constitutus, primò ita ut aliud non prętendat, quàm firmare se in mala deliberatione: & sic contra religionem voti delinquit jam graviùs, jam leviùs ut mox dicam, propterea quòd à Deo desumat firmitatem mali sui propositi: Secundò ita, ut velit rem malam, & fœdam in cultum eius offerre; qua in re pręter peccatum jam dictum confirmationis cuiusdam, est quoq; blasphemia enormem inferens Dei excellentię iniuriam, quasi ipse honorandus sit re inhonesta. Quodsi insuper credat Deum hac ratione cupere coli, erit simul infidelitas hæreseos, aut paganismi: tali blas-

blasphemia, & infidelitate peccatur, sive id quod promittitur Deo contineat magnam culpam, sive parvam; semper enim magna fit iniuria divinæ excellentię etiam levissimo peccato velle illam colere: sicut magnum est periurium vel ad leve mendacium invocare Deum testem. Atq; hæc est communis Theologorum doctrina sequentium S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 2. in corp. Secus tenendum, si voveatur inhonestum quidem, ideo tamen ut vovens confirmet se duntaxat in malo proposito; si enim hoc inhonestum fuerit grave, gravis quoq; erit culpa, non inhonesti tantùm illius, verùm etiam contra religionem voti, propterea quòd res tam mala confirmetur sanctitate voti. Quodsi inhonestum fuerit leve erit quidem etiam tunc culpa contra votum, levis tamen, ut tenent Soto, Navar: & alii Theologi, quos citat Suarez de Relig: lib. de voto 5. c. 2. etsi ipse contrarium sentiat. Ratio huius quod dicimus est modica iniuria Dei; nam neq; illi aliquid adscribitur indignum, neq; damnum grave infertur in pron isto, quod supponitur esse leve sed solùm irreverentia quædam committitur contra religionem, quod à re tam sancta robur sumatur mali propositi. Sicut cum quis petit à Deo ut possit dextrè mentiri jocosè ad placitum aliorum; levem tali oratione in Deum committit indecentiam; neq; enim petit ut Deus cum illo mentiatur, sed ut permittat, & juvet in proferendis verbis, de se ad mendacium indifferentibus: sicut etiam præcedenti cap. num. 66. & 69 diximus, eum qui jurat, verè quidem, sed tamen leve aliquod malum se facturum, leviter delinquere, ob similem causam.

Quod dico de voto levis culpæ, idem intelligendum de promissa re aliqua indifferenti. Nam hæc ut tenet S. Thom. 1. 2. Q. 18. in corp. si careat honesto fine, & ponatur in operatione, venialem habet annexam culpam: itaq; qui vovet se venaturum, lusurum, cantaturum, aut quid simile, nec præfigat honestum aliquem finem, venialiter peccabit. Pari ratione qui vovet rem impossibilem, physicè, aut moraliter, jam venialiter, jam letaliter peccabit, pro conditione, & gravitate illius in possibilis juxta declarationem datam cap. præcedenti num. 70. nam qui vovet hoc in possibile physicum: Voveo me volaturum, peccat graviter: Irridet enim divinam excellentiam, nugas in cultum eius offerendo. Si autem voveat impossibile tale morale: Voveo me jocosè mentiturum, leviter delinquet, quia mendacium hoc leve est, & simul in possibilitatem continet moralem: neq; enim licitè possumus sic mentiri. E contra peccaret graviter ita vovens: Promitto Deo me nullum unquam 96.

 super-

super erogationis opus facturum; talis enim Spiritui Sancto obstinatè, & impudenter vult repugnare, ponendo se in statu, in quo non possit licitè resistere inspirationi divinę.

97. Tertiò ex parte materiæ peccatur, cùm quis bonam quidem rem vovet, talem tamen quæ non sit de meliori bono, quo in eventu non est putandus graviter delinquere; solùm enim errat in eo, quòd non afferat integram voti materiam, quæ non solùm sit bona, sed etiam melior. Sicut si regi offeratur aliquid, quod non sit dignum illo, nihil tamen excellentiæ eius derogans, non punitur ab eo offerens, tanquam valde iniurius in personam regiam. Eodem loco docet S. Thom. art. illo 2. Q. 88. 2. 2. peccari circa materiam voti, si promittatur aliquid necessariò futurum, ut si quis voveat se moriturum, vel aliquid impossibile, de quo jam dictum est, taleq; peccatum vocat stultitiam; stultum enim est id tanquam signum animi in Deum benevoli offerre, quod nequaquam est in potestate nostra, ut vel non fiat, sicut est mors, vel ut fiat, sicut est volatus per aërem. Qua stultitiæ appellatione declarat suam mentem S. Doctor quid de gravitate malitiæ huius sentiat; revera enim is qui ludicra hæc vovet, irridet quodammodo Deum, graviterq; ipsum offendit. Quemadmodum si unus rex alteri item regi per legatum suum promittat muscam, quæ illum instar equi sibi insidentem circumferat; promissum hoc, tanquam magna maiestatis regiæ censeretur iniuria, multoq; esset maior, si fieret ab aliquo inferiore, vel subdito: Idem sentiendum de eo, qui Deo nugas eiusmodi offert.

98. Tot, tamq; varia in materia voti continentur peccata, quæ ut evitet, quicunq; Deum suis promissis cupit colere, illa quæ oblaturus est, talia sistat, qualia sunt digna tantę maiestatis excellentiâ, ut oblatis delectatus Deus Dominus, eum se voventi exhibeat, quem exhibuit Noë offerenti animalia munda, ut legimus Gen. 8. scriptum. *Odoratusq; est Dominus odorem suavitatis:* quod semper erit, si in materia voti nihil fuerit, quod meritò Deo horrorem faciat, & fastidium.

99. Vltimò tandem ex quo transgressio voti pensanda, est Deus, cui, ut supra hoc cap. num. 29. vidimus, fidelitatem ultro oblatam debet, quicunq; in eius honorem aliquid promittit. Et cùm Personæ divinæ infinita sit excellentia, hominum item ingens Deo Domino suo obsequendi debitum; primò certum est prævaricationem voti de se esse valde gravem, & ut dicunt Theologi, de genere suo letalem, tanto scilicet à tantillis debitam negari fidelitatem. Semper ergo magnâ culpâ votum violatur,

latur, nisi magnitudo, aut defectu deliberati judicii, aut materiæ levitate excusetur, id quod hoc cap. à num. 47. declaravimus.

Secundò est certum violationem voti opponi fidelitati in Deum, 100 vocariq; sive infidelitatem, sive perfidiam, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 3. in corp. Porro perfidiæ gravitas ex duobus desumenda videtur, ex Persona scilicet Dei, & ex re illi oblata: De Persona jam puncto præcedenti dictum est. Quod verò ad rem attinet, quoniam hæc Deo promittitur, videtur hoc ipso quandam nancisci sanctitatem persimilem illi, quam habet res quæpiam in usum sacrum Deo tradita, ut est e. c. templum, calix, & similia. Atq; ex hoc capite perfidia includit aliquam sacrilegii rationem. Sicut enim qui violat templum Deo consecratum, sacrilegus est, ita qui violat votum, per quod res, aut persona in Dei cultum est oblata, sacrilegè agit. Cæterùm sacrilegium hoc alterius est rationis, ab eo, quo, res applicata ad usus sacros, ut templum v. g. ad alios profanos convertitur usus, id quod ostendimus hac parte cap. 15. num. 2. nam cùm per votum promittatur Deo aliquid in honorem eius, si non fiat, fidelitas per perfidiam violatur, non autem usus rei sacer in profanum convertitur: quare violatio votorum religiosorum,& castitatis in clericis, est propriè perfidia non sacrilegium, nisi in sensu supra explicato, quod, nimirum, res Deo promissa, aliquam per respectum ad Deum sortiatur sanctitatem, ac proinde promissi violatio, sit quædam sacrilegii species in perfidia inclusa.

Quia verò tam religiosi, quàm clerici non solùm per vota Deo se 101 offerunt, sed etiam peculiari sui traditione destinant se ad opera sancta, nimirum ad obsequium Dei excellentius, quàm quod ab aliis exigitur fidelibus; hinc est, ut quoties indignum quid se, nimirum talibus servis Dei agunt, nempe impuritate, ebrietate, & similibus ipsum offendendo, præter, ebrietatis, & impuritatis, votiq; transgressionis culpas, committant etiam propriè dictum sacrilegium profanando, scilicet, corpora & animas suas ad sanctum usum Deo traditas. Hoc tamen sacrilegium non videtur esse mortale, siquidem non aufert Deo id, quod est illi semel traditum, sicut aufertur templum, aut vas sacrum, cùm illi perinde maneant servi Dei, etsi minùs illi grati. Neq; talibus peccatis fit aliquid oppositum fini, & usui ad quem destinati sunt (ut fit oppositum per profanationem templi, aut vasis sacri) nam ad obsequendum Deo, remanent etiam post peccata æque habiles, neq; debent denuo adaptari per novos ordines, aut professionem religiosam, sed agere pœnitentiam

 dan-

duntaxat. Quare sacrilegii huius est levis culpâ, propterea solùm, quòd minùs decenter tractet se persona ad Dei cultum ordinata; & aliàs nimis anxium videretur asserere esse mortalem: Sic enim omni peccato suo mortali, licet non contra vota commisso, peccaret novo sacrilegii peccato mortali quivis religiosus, aut in sacris constitutus, cui contrarium communiter tenent Theologi citati à Suarez Opere de Relig: lib. 4. cap. 3. de sacrilegio.

102. Sed licet hoc tale sacrilegium leve sit, satis gravitatis in alio, quod in perfidia continetur. Horrori sunt certè apud omnes perfidi in suos Dominos, ipsa eorum prævaricatio habet nescio quid, propter quod erubescere tales, & vehementer confundi necesse est: hinc iidem clam, & quasi furtim perfidè agunt, magnamq; sentiunt intra se pœnam, si deprehendantur, & sua sibi exprobrentur facta; graves etiam in tales decernuntur pœnæ. Quis jam rubor ille erit, quæ confusio, quanta pœnæ acerbitas in omnium oculis, quotquot in extremo Christi tribunali aderunt sive judicandi, sive judicaturi, his, inquam, præsentibus audire sibi exprobari perfidiam? Audient perfidos se à judice appellari, qui corpora sua Deo consecrata obscœnæ manciparunt turpitudini; qui res suas illi dicatas, illicito profanârunt usu; qui non hominibus, sed Deo mentiti sunt, ut quondam duobus perfidis dixit S. Petrus Act 5. *non es mentitus hominibus sed Deo.* Nulla tunc probandæ fidei, aut perfidiæ corrigendæ supererit ratio; unum restabit, ut qui tum fuerit repertus in Deum perfidus, semper, & habendus, & cruciandus sit perfidus, cruciandus illis tormentis, quæ judex in vindictam sui contemptus decernet, ut potest, ingentia, & horrenda. Ista tunc fient, nunc qui adhuc vivimus, & aliquid Deo vovimus, *tempus acceptabile, diemq; salutis habemus* 2. Cor. 5. Hoc igitur tempore probanda est nobis fides, quam in Deum testati sumus: perfidia cavenda, corrigendaq; , si quando (quæ est miseria fragilium) incurritur, & ita quidem corriganda, ut non repetenti lapsum, sed dolenti aliquando admissum, clemens sit, perfidiâ læsus Deus, & inter fideles ponat deprecantem.

CAPVT. XVIII.

De Perfectione Christianæ vitæ.

QVoniam ea, quæ per vota divinæ maiestati offerimus, meliora & perfectiora esse debent, id quod præcedenti capite à num. 5. explica-

plicatũ est; meritò de perfectione vitæ post explicationẽ voti agi debet, ut intelligamus non eam solùm perfectionẽ esse,dicive,quæ operibus,beneficio voti accedit, sed omnẽ aliam, quã in hac vita consequi possumus, prælertim cùm ut infra dicemus, universalis perfectio in præcipuis suis gradibus requirat votũ. De perfectione actũ est priore huius lib. parte c. 10. ex occasione prudentiæ cuiq; debitæ, hîc agendum, tanquam in proprio loco.

Sectio I.

In quo sita sit perfectio Christianæ vitæ.

IAm verò de perfectione vivendi bifariam loqui possumus, ut docet S. Thom. 2.2. Q. 184. art. 1. & 2. Primò attendendo ad substantiam eius; secundò ad qualitatem seu excellentiam. Substantia perfectionis consistit in amore Dei; per hunc enim unimur ultimo fini Deo, & propter illum, proximo, sicut & nobis: & cùm finis hic omnia summa bona, & perfecta in se contineat; sequitur ut qui illi amore cohæret, habeat omnia, omnemq; perfectionem. Id certè significavit ipse Deus, ita Moysi Exo. 33. locutus. *Ego ostendam omne bonum tibi*, amore videlicet prosequendum: verùm amoris huius vis, ac præstantia meliùs cognoscetur, ex sequenti libro, cùm agetur de Charitate. 1.

Quod ad qualitatẽ & excellentiam perfectionis attinet,ea in duobus est posita, in augmento, scilicet, amoris divini, & in iis quæ tum ad amorem ipsum, tum ad eius augmentum conducunt; ac quæ ita conducunt, debent esse valde congrua ad concipiendam, conservandam, & augendam charitatem. Hinc est, ut cum S. Thoma omnes Theologi sentiunt, quòd præcepta ad perfectionem substantialem, consilia ad perfectionem pertinent accidentalem,& meritò quidem. Quæcunq; enim præcipiuntur ideo servanda sunt, ut excitetur, & conservetur charitas, quemadmodum testatur Christus Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me:* Itaq; præcepta sunt adeo ad perfectionem substantialem necessaria, ut sine illis, nulla nulloq; in gradu possit esse charitas. Porro alia, quæ,ut dixi,congruè admodum non ad ipsum tantùm Dei amorem conducunt,sed ad modum etiam eius adipiscendi, conservandi, augendi; ut & faciliùs in corde excitetur, & securiùs retineatur, & copiosiùs in dies crescat: talia, inquam, sunt consilia, quæ multi 2.

acce-

acceptant, non quia mandata sunt; sed quia sibi accommoda videntur ad præstantiam perfectionis. Atque ut diversa sunt hominum judicia, studia, & propensiones; ita & consiliorum electionem variam esse oportet: neq; enim omnes omnia possumus, neq; (licet aliqua possimus) tanquam congrua acceptamus: cùm quod uni ad finem quempiam confert, alteri ad eundem obest, quod ita certum est, ut certum ad sanitatem uni cibum, alii inediam prodesse; & cibum huic talem, illi dissimilem: sic ergo & ad amorem Dei, non quęvis cuiuis consilia serviunt.

3. Idem quoq; tenendum de præceptis, non de iis, quæ omnibus sunt à Deo imposita; hęc enim posse, & debere omnes homines servare, scivit Deus, propterea ut tolerabilia imposuit, quemadmodum eius Evangelista Joannes testatur Epist. 1. c. 5. *Et mandata eius gravia non sunt.* Quare talia præcepta sine discrimine servanda, ex quibus est lex de habenda fide, spe, amoreq; Dei; de suscipiendo baptismo; pœnitentia, & Eucharistia; de decalogi observantia; & si quid præterea est. Cæterùm præcepta illa, quibus subdimur supposita priore spontanea voluntate, sunt in libera nostra electione: ubi enim liberè aliquid acceptaverimus, consequenter etiam legibus quibusdam obstringimur, quæ sunt annexæ ei quod acceptamus. Exempli causâ, qui elegit matrimonium, legibus eius regi debet, ut castitatem, debitumq; servet coniugale: ita etiam qui religiosum ordinem est professus, vota professionis suę teneat oportet, quæ facta semel electione libera, necessariò, & de præcepto sunt observanda, & sic de similibus. Vnde præceptis iis, quæ spontaneam nostram supponunt electionem, ultro nos subijcimus, tanquam congruis cuiq; ad amorem Dei, sive in substantia conservandum, aut etiam obtinendum (quo pacto ineunt nonnulli matrimonium vale dato impudicę vitæ, ut eò faciliùs Dei gratiam & consequantur, & conservent) sive augendum in perfectione accidentali. Illa autem alia præcepta, omnibus communia, sunt necessaria ad consequendam in substantia caritatem Dei, & ad conservandam eandem.

Sectio. II.

Status, & certum genus vivendi conducit ad perfectionem vitæ.

4. INtellecta jam substantiali, & accidentali perfectione humanæ vitæ, eorum etiam quæ ad illam assumuntur, differentia duplici, præceptorum

rum videlicet, & consiliorum, ad hæc præceptorum jam necessariorum ad amorem Dei, ut sunt ea quę omnibus imponuntur, jam congruorum ad eundem, qualia sunt quæ quisq; sibi imponit: facilè est intelligere modos, & vias quibus cuiq; pateat ad perfectionem aditus, neq; esse plures, quàm duas: una consistit in certo vivendi genere, altera in usu piorum operum. Et quod ad priorem attinet, cùm ut dixi supra num. 2. sint varia hominum studia, & propensiones; quisq; illam vivendi rationem debet eligere, quæ sibi videtur aptior ad consequendum amorem Dei, & hæc ratio appellatur status, propterea quòd in eo se unusquisq; firmiter statuat.

5. Porro quæ sit causa certi in Ecclesia status, pulchrè declarat S. Thomas 2. 2. Q. 183. art. 2. in corp. ubi sic docet: *Diversitas statuum, & officiorum in Ecclesia ad tria pertinet, primò ad perfectionem ipsius Ecclesiæ; sicut enim in rerum naturalium ordine, perfectio, quæ in Deo simpliciter, & uniformiter invenitur, in universitate creaturarum inveniri non poterit nisi difformiter, & multipliciter: ita etiam plenitudo gratiæ, quæ in Christo sicut in capite adunatur, ad membra diversimode redundat, ad hoc quòd corpus Ecclesiæ sit perfectum. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Ephes: 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum. Secundò pertinet ad necessitatem actionum, quæ sunt in Ecclesia necessariæ; oportet autem ad diversas actiones, diversos homines deputari, ad hoc quòd expeditiùs & sine confusione omnia peragantur. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Rom. 12. Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra, non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo. Tertiò hoc pertinet ad dignitatem, & pulchritudinem Ecclesiæ, quæ in quodam ordine consistit; unde dicitur 3. Reg. 10. quòd videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & habitacula servorum, & ordines ministrantium, non habebat ultra spiritum: & Apostolus dicit 2. ad Tim. 2. Quòd in magna domo, non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia.* Hæc S. Thom. quibus ostendit necessitatem status vivendi, eiusq; diversa genera.

6. Jam verò status, in generali sua sumptus ratione duplex est, alter ad substantialem vitæ Christianæ perfectionem ordinatus, alter ad substantialem, & accidentalem simul: priorem sectantur homines, qui sunt contenti ita amare Deum, eiusq; præcepta servare ut salventur; neq; sunt solliciti de excellenti gradu salutis, & gloriæ cœlestis. Huiusmodi sunt, qui ineunt matrimonii vinculum; eodem revocantur cælibes, vi-

dui, & viduæ, qui nondum elegerunt coniugium, sed ad tempus in castitate degunt. Posterior status utramq; amoris divini perfectionem consectans, est hominum, qui præclarum salutis, vitæq; æternę ambiunt gradum, præceptis communibus adiungendo consilia, quibus se certæ cuipiam, & perpetuæ addicunt vivendi rationi. Tales sunt Episcopi, animarum curâ, & voto solenni castitatis obstricti: huiusmodi quoq; sunt religiosi in approbato constituti ordine: qui ultra castitatem, paupertatem quoq;, & obedientiam vovent: Huc etiam revocantur cælibes, vidui, viduæq; ex stabili proposito castitatis, aut insuper etiam ex voto, perpetuò continentes.

7. Vtriq; jam dicto statuum generi debet esse commune, scilicet, ut sit approbatus tanquam sufficiens ad salutem, aut pręterea multùm conducens ad consequendam perfectionem; ne alioquin viventes in eo, vel desperent de vita æterna, vel sint dubii: si enim clarè fuerit insufficiens, desperandum; si dubiè, tutior via quærenda, nec exponenda periculo salus. Approbatio igitur requiritur, & communem quidem vivendi rationem approbavit Christus Matth. 19. nam adolescenti quærenti de modo vivendi ad finem beatum necessario, ita respondit: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata:* ibidem quoq; eundem docendo, probavit perfectionem statuum, ita subdens: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Postremis verbis (*sequere me*) duo insinuavit Dominus, ut vel Apostolicum regendæ Ecclesiæ munus susciperet, vel discipulorum eius, (qui non erant prælati; omnia tamen ut & Apostoli reliquerant;) vitam sectaretur. Intelliguntur quoq; in iisdem verbis vota; hæc enim ad stabilitatem vitæ perfectioris, qualis maxima est in sequendo Christo, unicè conducit, ut cap. præcedenti num. 14. ostendimus.

8. Et quanquam utrumq; vivendi genus jam est à Christo approbatum, ne tamen in electione alicuius fallantur homines: atq; ut scirent quid in unoquoq; observandum sit, ad eum qui vices Christi in terra obit, spectat in particulari quædam in singulis statibus ordinare, ad utilitatem fidelium. Itaq; summi pastores multa decreverunt de matrimonio, de clericali vita, & de ordinibus religiosis: qui quia nimis multiplicabantur, & in veteribus collapsa disciplina non ita accuratè renovabatur, sed in novis quasi resarciebatur antiquiorum defectus: rectè statutum est in Concilio Lugdunensi, ubi cap. Relig. sic dicitur. *Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, generali concilium consulta*

consulta prohibitione vetavit; ut scilicet nullum excitetur novum, sine approbatione Ecclesiæ summorum pastorum.

Ab his ordo quisq; asceticus habet inprimis, ut securè idoneus censeatur ad consequendam singularem perfectionem: Secundò, ut qui in aliquo vivunt, gaudeant suis prælatis, & pastoribus, à quibus non civili tantùm, & oeconomico contineantur regimine, sed interno etiam, ac spirituali, in usu, videlicet, sacramentorum, in proximorum curanda salute, & in cæteris, quæ cuiusq; concernunt normam vivendi. Deniq; & illud ex approbatione pontificia sequitur ut religiosi non ea tantùm ratione ad pontificem referantur, qua omnes fideles, tanquam ad caput, & supremum pastorem; sed alia peculiari velut ad patrem, & ducem perfectionis Christianę, nimirum cui se amore, quem sequuntur, Christi, regendos, & moderandos totali resolutione tradiderunt; sive sint excepti, ab ordinariorum Episcoporum obedientia, sive non, pro cuiusq; ordinis gratia, & privilegiis à pontificibus concessis. 9.

Quid in unoquoq; vitæ genere servandum, & qua prudentia moderandæ omnes in eo operationes, dictum est huius libri parte priore cap. 7. 8. 9. 10. ubi egimus de prudentia cuiq; in suo statu ad bene, & perfectè vivendum necessaria, simul etiam declarata est diversitas, gradusq; perfectionis, status clericorum & religiosorum: his ibi suppositis, aliqua quę desiderantur hîc addenda. 10.

Sectio III.

In quo consistat perfectio status.

Cùm charitas Dei sit finis & ipsa adeptio perfectionis: ut paulò ante diximus Sec. I. tantò quisq; status est perfectior, quantò ad consequendum divinum amorem, in substantiali, & accidentali simul eius perfectione, magis fuerit accommodatus. Hac de causa status vitæ contemplativæ, est excellentior statu vitę activæ, eò quòd prior detineat hominem in contemplando Deo, eiusq; pulchritudine, ac præstantia (quæ quò clariùs agnoscuntur, eò magis cor inflammatur amore Dei) posterior occupet in operibus externis, quibus necessitati proximorum, sive spirituali, sive corporali subvenitur. Et licet hæc opera amore Dei suscipi possint; cùm tamen anima circa externa distracta non 11.

ita diu Deo inhæreat, atq; inhæret contemplando; hinc fit ut actio minùs augeat amorem Dei, quàm contemplatio.

12. Atqi hoc est quod Dominus Luc. 10 in duabus sororibus declaravit, præferens Magdalenæ contemplandi studium, curis Marthæ. Quapropter status in quo contemplatio viget, est perfectior eo, qui operibus vacat, sive illa sint merè externa, ut curare infirmos, eleemosynas pro indigentibus emendicare, aut quid simile; sive fuerint internis mixta, ut docere, prædicare, sacramenta administrare, & id genus alia. Quia tamen sunt aliquorum status, qui contemplationi jungunt actionem, ita quidem, ut in iis degentes, intermissa ad tempus contemplatione, impellente Dei amore proximis prosint, eosq; excitent ad eundem Dei amorem, docendo, prędicando, & alia præstando: eiusmodi status superant eos, in quibus soli tantùm vacatur contemplationi. Ita omnes Doctores, & S. S. Patres sentiunt, & optimè quidem: nam Christus Joan. 15. dixit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, qualis dilectio impulit ipsum ad ea omnia, quæ pro nobis tulit, & egit unde non solitariam amplexus est vitam (nisi interdum, quando, ut scribit Luc. 9. (*solus erat orans*) sed ad lucrandos homines consuetudine accommodam, similesq; sibi delegit Apostolos, ipsum quoq; Baptistam à solitaria revocatum vita, ad prædicandum destinavit. Ac quòd talis amor, qui ad iuvandos excitat proximos sit perfectior, declarat S. August. lib 1. de moribus Ecclesiæ cap. 23. ubi cùm docuisset nostram huius vitæ perfectionem in duobus sitam in illuminatione, scilicet, intellectus à divina sapientia, & inflammatione cordis à virtute, pręsertim illa quę est omnium regina, à charitate: utrumq; hoc in Christo asserit nos consequi, ille enim, teste S. Paulo 1. Cor. 1. *Est Dei virtus, & sapientia, si quærimus* (sunt verba August.) *quid sit bene vivere? id erit profectò, amare virtutem, amare sapientiam, virtutem quæ inviolabilis est, & invicta, sapientiam, cui stultitia non successit, veritatem, quæ aliter quàm semper est, sese habere non novit. Per hanc ipse cernitur Pater; nemo enim venit ad Patrem, nisi per me*, loquitur Christus Joan. 14.

13. Capite deinde 14. affirmat S. Doctor in eo esse maiorem, perfectioremq; Dei amorem, qui ex eius abundantia ipsum Deum divinamq; illius voluntatem, quibusvis manifestat: *Quid est, inquit, quod dicit Paulus Rom. 11. ? Ipsi gloria, nisi ipsi optima, & summa, & latè patens fama? quantò autem meliùs, atq; diffusiùs diffamatur, tantò diligitur, & amatur ardentiùs.* Quibus verbis caulam dat S. August. cur talis amor sit per-

perfectior: nam charitas, ut est 1. Cor. 13. *non quærit quæ sua sunt*, sibiq; agnata, sed *omnia suffert*, & sustinet, propter Deum, scilicet: & sicut illo nullum est maius bonum, ita nullus est maior amor, quàm quo illi omnia summa à creatura rationali optamus, ut nempe cognoscatur, ametur, laudetur in æternum.

Eundem mixtum statum præferendo soli contemplativo, docet quoq; esse magis meritorium S. Thomas, cum reliquis Theologis 2. 2. Q. 182. art. 2. in corp. ubi sic ait: *Potest contingere quòd aliquis in operibus vitæ activæ plus mereatur, quàm in operibus vitæ contemplativæ; puta, si propter abundantiam divini amoris, ut eius voluntas impleatur, propter ipsius gloriam, interdum sustinet à dulcedine divinæ contemplationis ad tempus separari: sicut Apostolus dicebat ad Rom. 9. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Quod exponens Chrysostomus lib. 1. de Compunctione dicit: *Ita totam mentem eius demerserat amor Christi, ut etiam hoc, quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursus id ipsum, quia ita placeret Christo contemneret.* Hæc ille. 14.

Ex hac communi & Catholica doctrina, facilè est statuum cognoscere, & definire perfectionis gradus: primò enim pastorum in Ecclesia status est cæteris præstantior; propterea quòd ex Christi institutione adhoc est destinatus, ut ipsum Deum trinum, ac unum, eius incarnationem, cæteraq; admiranda opera, ac gloriam latè, divulgent, quotquot id munus, obligationemq; susceperunt. Et cùm hic amor Dei sit ardens, & copiosus, ut loquuntur S. Augustinus & Thomas, supponit in excellenti gradu contemplationem: cùm etiam idem amor purus debeat esse, ac liber, ab affectibus terrenis (hi enim impediunt contemplationem, ut de ea hac parte secunda cap. 11. num. 23. diximus.) Supponit quoq; appetitum integrè coercitum; hæc verò omnia qui habet, perfectus est. Atq; quòd talem amorem exigat Christus à pastoribus, declaravit in primo post se in terris vicario, S. Petro, cui commissurus totam Ecclesiam, ter quæsivit: *Simon Ioannis diligis me plus his? pasce agnos, & oves meas*: de singulari certè dilectione sermo hic erat, de qua ter percontatus est. Quare ex Christi institutione Episcopi tali amore præditi esse debent, & in eo degere statu, qui est in Ecclesia omnino primus, ut ostendi hoc libro parte priore cap. 10. à num 12. ubi etiam de sacerdotum, diaconorum, ac subdiaconorum perfectione dictum est. 15.

In secundo perfectionis gradu sunt illi status, qui contemplationem cum actione amplectuntur; non tamen profitentur perfectionem utri- 16.

 usq;

usq; , quemadmodum Episcopi, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 184. art. 7. in corp. sed eam nituntur consequi assiduo mortificationis studio, disciplinæq; regularis ac virtutum exercitatione. Tales sunt ordines S. Dominici, S. Francisci, & reliqui sive mendicantes, quibus nostra Societas à summis pontificibus est annumerata; sive non mendicantes, qui tamen habent curam animarum, ut Canonici regulares, Ordo Præmonstratensium & similes. In tertio gradu sunt ordines contemplativorum duntaxat, quos Monachorum, & Anachoretarum primi instituerunt S. Antonius, Pachomius, Benedictus, & alii. In quarto gradu sunt religiosi ad externa pietatis opera destinati, è quibus alii ægros curant; alii hospites, & peregrinos excipiunt; alii Ecclesiam, regnaq; propugnant Christiani, alii alia munia sanctè obeunt: tantòq; unus alio est ordo maior, quantò præstantiora sunt, quæ exercet opera. Postremus status est, communem degentium vitam coniugum,& eorum qui non sunt amplexi aliquod ex quatuor enumeratis vivendi genus.

17. Hæc dicta de perfectione statuum sumpta sunt ex fine cuiusq;, ad quem est institutus. Est præterea aliud, quod præbet statui perfectionem, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 188. art. 7. in corp. Asserens unum alio posse esse perfectionem quantumvis eundem habeant finem, modò aptioribus utatur ad illum consequendum mediis. Sint exempli causâ, duo ordines mixtæ vitę, quorum unus plurima habeat ad contemplationem,& consequentem Dei amorem excitandum opportuna; ut sunt orationes mentales, seu meditationes; mortificatio internarum passionum; examina conscientię; crebra sacramentorum usurpatio; lectio piorum librorum, & similes mentis exercitationes. Alter pauciora ex his contineat, multa verò quæ corpus affligant, ieiunia, castigationes carnis, cilicia, vigilias, paupertatis rigorem & id genus alia. Prior ordo præferendus est ex mente S. Thomæ posteriori; propterea quòd utatur mediis ac instrumentis ad finem suum magis accommodatis. Quia enim contemplatio, & consequens divinus amor, est res spiritualis, nimirum, in anima & mente residens, magis ad illum conferunt spiritualia; nempè meditationes, examina, & his similia, quàm corporales exercitationes, quemadmodum præcipit faciendum S. Paulus, 1. ad Tim. 4. *Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Vitam hanc in contemplatione Dei ponit Christus Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

Neque

Digitized by Google

Neque ad contemplationem tantùm, amoremq; Dei, sed ad actionem illo impellente pro salute hominum spiritualia magis promovent, quàm corporis exercitationes. Nam quę meditatione inveniuntur, lectioneq; intelliguntur, aptè possunt tradi juvandis aliis; mortificatio etiam, abnegatioq;, affectionum internarum, bonam, & ad aliorum ædificationem efficit vitam, quę viris qui inter homines degunt unicè est necessaria; ne id quod docent, vitâ doctrinæ contrariâ impossibile adstruant. Omitto illud, quòd ipse corporis acrior vigor, potest vires ita debilitare, ut actio flaccescat, nec suppetat robur ad labores subeundos. 18.

Est quidem castigatio carnis necessaria quovis in statu, præsertim religioso, qui propterea vocatur etiam status pœnitentiæ, ut scilicet, & pro præteritis lugeatur, & caveatur à futuris: Verùm is rigor accommodandus est fini ordinis; qui si fuerit mixtus, ea assumenda duntaxat, quæ contemplationem, amoremq; Dei promoveant, neq; impediant actionem: Si contemplatio duntaxat proposita fuerit, aut actio; illa adhibenda, quæ alterutri serviant. Totam hanc rem optimè declarat S. Thomas 2. 2. Q. centesima 88. art 6. in corp. duas dando quasi regulas quibus statuum cognoscatur perfectio, una finem spectat, alia media; quæ cùm claræ & solidæ sint verba eius affero: *Differentia unius religionis ad aliam principaliter quidem attenditur ex parte finis, secundariò autem ex parte exercitii; & quia non potest aliquid dici altero potius, nisi secundùm id in quo ab eo differt, ideo excellentia unius religionis super aliam principaliter quidem attenditur secundùm religionis finem, secundariò autem secundùm exercitium: Diversimode tamen utraq; comparatio attenditur, nam comparatio, quæ est secundùm finem, est absoluta, eò quòd finis propter se quæritur, comparatio autem quæ est secundùm exercitium, est respectiva, quia exercitium quæritur propter finem. Et ideo illa religio alteri præfertur, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem: vel quia est maius bonum, vel quia ad plura bona ordinatur. Si verò finis sit idem, secundariò attenditur præeminentia religionis, non secundùm quantitatem exercitii, sed secundùm proportionem eius ad finem intentum unde & in collationibus Patrum (Col. 2. cap. 3.) introducitur sententia S. Antonii, qui prætulit discretionem per quam alia quis omnia moderatur, & ieiuniis & vigiliis & omnibus huiusmodi observantiis. Sic ergo dicendum est, quòd opus vitæ activæ est duplex, unum quidem quod ex plenitudine contemplationis derivatur, sicut doctrina, & prædicatio, & hoc præfertur simplici contemplationi; sicut enim maius est illuminare, quàm lucere solùm, ita maius est contemplata aliis tradere, quàm solùm contemplari. Aliud autem opus est activæ vitæ quod totaliter* 19.

ter consistit in occupatione exteriori, sicut eelemosynas dare, hospites recipere, & alia eiusmodi, quæ sunt minora operibus contemplationis; nisi fortè in casu necessitatis, sic ergo summum gradum in religionibus tenent, quæ ordinatur ad docendum, & prædicandum, quæ propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum: Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem: tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones. In singulis autem horum graduum potest attendi præeminentia, secundum quod una religio ordinatur ad altiorem actum, in eodem genere; sicut activæ vitæ, potius est redimere captivos, quàm recipere hospites; ut in operibus vitæ contemplativæ, potior est oratio, quàm lectio. Potest etiam attendi præeminentia, si una earum ad plura horum ordinetur, quàm alia, vel si convenientiora statuta habeat, ad finem propositum consequendum. Ita Sanctus Thomas.

20. Quod ipsum ampliùs declarat inquirendo, liceat necne mutare statum. In qua re, unum est certum, & in Ecclesia approbatum, quòd non liceat illum statum mutare, qui de se perpetuus est, alteriq; oppositus, qualis est coniugalis, & clericalis, aut religiosus; nisi fortè emergant quædam, quæ rarò occurrunt. Coniuges igitur non possunt ingredi religionem, alioquin & jus divinum violarent, à Christo Matth. 14. declaratum: *Quod Deus coniunxit homo non separet*; & jus mutuum quod per contractum matrimonialem acquisitum est, ab uno in alterum è coniugibus. De consensu tamen mutuo potest uterq; fieri religiosus; & si uxor fuerit matura, constansq;, cui non timeatur periculum incontinentiæ, potest remanere in sæculo, emisso castitatis voto coram Episcopo, ut est statutum legibus Ecclesiæ cap *Cum sis*, & cap. *Uxoratus*. Item cap. *Ad Apostolicam de conversione coniugatorum*. Similiter ante consummatum matrimoniũ intra duos menses, potest qui vult sine alterius consensu atq; iniuria religionem ingredi, & alter, ubi prior fuerit professus, matrimonio, si volet, jungi. Licet quoq; coniugi ad religionem transire, quando alter adulterium, vel sodomiam committit, aut Hæreticus fit: in his tamen debet accedere judicium, sententiaq; Episcopi, unum ab altero separantis. Hæc sunt certa per statuta Ecclesiæ, de quibus fusiùs agunt Sanc. de matr. libr. 2. disp. 23. & alibi, Lessius de justitia, de statu religioso cap. 41. dub. 3. aliiq;. Et quemadmodum non licet ex imperfectiori statu ad perfectiorem transire, nisi illa, quæ jam dixi interveniant, ita ex perfectiore ad imperfectiorem nisi necessitas magna adsit, quam cap. præcedenti à num. 80. expendimus agentes num possit in solennioribus votis fieri dispensatio.

Jam

Jam verò loquendo de ſtatibus perpetuis, quidem, ſed ſibi non oppoſitis, ad chriſtianam tamen perfectionem inſtitutis, ut ſunt ordines religioſi,& gradus Epiſcoporum: conſtat quoq; non licere Epiſcopis tranſire ad ordinem religioſum, ut probat S. Thomas 2. 2. Q. 185. art. 3. eò quòd amore Dei ſe obligent ad curam paſtoralem, quam nequeunt deſerere, niſi, ob cauſas magni momenti, ab univerſali omnium paſtore ſummo Pontifice id eis concedatur. Cauſas ibidem adfert S. Thomas aliquot, tum ex parte prælati, tum aliorum: ille ſi aliquid habeat quo cæteris noceat, poteſt ab hac cura liberari; ut ſi enormi aliquo crimine ſit obſtrictus v. c. homicidii, Simoniæ, aut alterius cuiuſpiam, præſertim quod ſcandalum aliis pariat: Si etiam ſit corpore valde ægro, & ad labores propter ſenium, aut infirmitatem inepto. Ex parte cæterorum, quales ſunt ſubditi poteſt quoq; cauſa eſſe, ſi malitia ſua non patiantur ſe regi: hanc ab rem S. Adalbertus Epiſcopus primò Pragenſis in Boemia, deinde in Polonia Archiepiſcopus Gneſnenſis deſervit permiſſu Pontificis ſuum priorem Epiſcopatum, ut ſcribit in vita eius Surius, Thom. 3. Inter cauſas propter quas paſtores Eccleſię poſſint mutare ſtatum, non ponit S. Thomas deſiderium pium privatę in religione vitæ; quia ſupponit rarò, vel vix aliquando propter hoc ſolùm liberandum à cura paſtorali, illum præſertim, qui alias eſt aptus ad illam. 21.

Quod attinet ad religioſos, in his quoq; non laudat idem S. Doctor, 2. 2. Q. 189. art. 8. tranſitum; *tum quia*, inquit, *ex his plerumq; ſcandalizantur illi, qui relinquuntur; tum etiam quia faciliùs proficit aliquis in religione, quam conſuevit, quàm in illâ, quam non conſuevit cæteris paribus*. Atq; id comprobat authoritate Neſtorii Abbatis collatione 14. cap. 5. qui ſic ait. *Unicuiq; utile eſt ſecundum propoſitum, quod elegit, ut ſummo ſtudio, ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem feſtinet pervenire, & nequaquam à ſua quam elegit ſemel profeſſione diſcedat. Impoſſibile namq; eſt unum, & eundem hominem ſimul univerſis fulciri virtutibus, quas ſi quis voluerit pariter attentare, in id eum incidere neceſſe eſt, ut dum omnem ſequitur, nullam integre conſequatur*. 22.

Aſſignat tamen S. Thomas aliquot cauſas, ob quas laudabiliter ex uno, ad alium poſſit migrari ordinem, quarum prima eſt, Zelus perfectioris religionis, perfectiorem autem illam vocat, quæ excellentiorem habet propoſitum ſibi finem, & aptioribus ad illum utitur mediis id quod ex illo ſupra num. 19. declaravimus. Secunda cauſa eſt, remiſſio diſciplinæ religioſæ, à qua vacillante licebit tranſire ad imperfectio- 23.

rem ordinem, modò in eo sit accurata legum obſervantia; nam conſultius eſt minora, ſed certiora ſequi, quàm maiora dubia, & incerta; quemadmodum dubius debet eſſe is, qui convivit transgredientibus religioſam diſciplinam. Quare rectè dicit Spiritus Sanctus Pſalm. 17. *Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris:* Tertiam aſſignat tranſitus cauſam, rigorem, ut qui nequit ferre ſtrictiorem, poſſit ingredi laxiorem ordinem, in quo tamen leges, & ſtatuta ſerventur: hoc ideo aſſerit S. Doctor, quia cùm rigor ſit medium ad perfectionem, poteſt fieri ut unus juvetur, alter impediatur.

24. Juvatur qui corporis validi, ac robuſti conſtitutus habitu, non facilè ſubdit mentem in obſequium divinum, niſi caro aſſiduis atteratur abſtinentiis, vigiliis, & id genus auſteritatibus. Qui etiam naturâ, aut doctrinæ inopia ad illa minus eſt aptus, quæ intelligendi vi peraguntur, ut eſt, diſcere, docere, prædicare: huic externa opera, rigorq; magis eſt ad perfectionem congruus, cæteris, qui non ita ſunt diſpoſiti aliud cenſet tenendum vitæ genus S. Thomas, & ob hanc cauſam tranſitum quoq; ad diverſum ordinem putat poſſe interdum concedi. Ne tamen in hoc erretur, auctoritatem ſuperioris judicat adhibendam; & ſi quidem ad laxiorem, imperfectioremq; migretur ordinem, diſpenſatio eſt neceſſaria; ſi verò dubitetur laxior necne, aut imperfectior ſit, judicium requiritur prælati qui declaret. Quod ſi conſtet rigidiorem, aut æq; perfectiorem eſſe ſtatum, ad quem tranſitur, exiſtimat S. Thomas non eſſe neceſſariam ſuperioris ſententiam, niſi fortè ob maiorem tranſeuntis humilitatem, cuius ductu aperiat id ſuo prælato, quod alioquin non tenetur. Cæterùm in hoc conſulenda ſunt ordinis cuiuſq; ſtatuta & privilegia, quæ varia eſſe poſſunt, & jam communia omnibus, jam quibuſdam ſingularia. Ita per extra: Martini 4. omnibus mendicantibus data eſt licentia tranſeundi ad ordinem Carthuſianorum, qui etſi cæteris non ſit perfectior, tamen ſolitudine, ſilentio, abſtinentia à carnibus, cilicii aſſiduo uſu auſterior eſt quàm nonnulli alii. Quamquam & ipſis etiam Carthuſianis licet tranſire ad ordinem mendicantium, ut probat Leſſius de juſt. lib. 2. cap. 41. dub. 13. ex Navarro, Syl. D. Antonino & Divo Bonaventura aliiſq; & rectè quidem. Nam qui ad perfectionem magis feruntur (inſufficientes aliàs rigori) poſſunt niti eam conſequi in perfectiore ſtatu: è contra, qui ſtrictioris vitæ ſunt amantes, laudabiliter eam appetunt, ſi poſt labores in lucrandis animabus toleratos, non ita ad eos jam idonei,

in

in solitaria vita malint sibi vacare. Quamquam qui eiusmodi sunt, in suo quoq; ordine facilè à suis prælatis obtinere possunt, ut in præmium laboriosi studii reliquum vitę, aut sibi dent tantùm, aut plus sibi, quàm aliis.

Sectio IV.

Quæ ratio tenenda in eligendo statu.

QVoniam ea est inter media, & finem connexio, ut non nisi per illa ad hunc perveniatur; facilè quisq; cognoscere potest, magnam esse adhibendam in deligendo statu diligentiam, ut quis eam amplectatur, qui ad finem salutis, perfectionisq; Christianæ sit opportunus: ne si alter fuerit electus, quàm qui verè conducat, ab æterna devietur salute, quæ non conceditur nisi justo, id est pio, probo, & perfecto in suo genere fideli: *Ibunt enim justi in vitam æternam*, inquit Christus Matth. 25. Et cùm tantò operosior sit mediorum electio, quantò est altior præstantiorq; finis (quis enim non videt difficiliùs esse ubi Colono in regem ungi, quàm effici villicum præesseq; sibi comparibus?) nemo ambiget difficillimam esse status electionem, utpote qui eò hominem perducit, ubi semel in altum evectus, altiùs conscendere nequeat. 25.

Tam difficilis operis, singularem, & prorsus divinam methodum inspiravit Deus S. Fundatori nostræ Societatis Ignatio, quam quisq; tenendo, congruam sibi vivendi rationem facilè cognoscere & amplecti potest. Ergo is vir Sanctus in libro exercitiorum (quem pontifex Paulus IIIs. in sua Bulla, quę incipit: *Pastoralis officii*, adeo commendat, ut asserat eum plenum esse pietate, ac sanctitate) in hebdomada secunda tria ponit ad rectè eligendum necessaria: primum est. *Obsecrare* (sunt verba eius) *Dei clementiam, ut dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem, quocunq; mihi potiùs tendendum sit.* Optimè ab obsecratione inchoandam hanc rem esse censuit; sciyit enim Deum, quemadmodum omnia ita & status *in mensura, & numero, & pondere, disposuisse*, ut est sap. 11. 26.

Deus ergo sapientiâ suâ disposuit primò in mensura, illud vivendi genus, quod cuiusq; viribus sit commensuratum; ut qui tale fuerit amplexus, salvetur, qui reiecerit, frustretur salute. Hæc dispositio Dei non infert vim ac necessitatem eligenti (id enim esset tollere homini li- 27.

bertatem) sed præparat congrua ad salutem media, quæ quicunq; acceptat, tandem illam certò consequetur. Secundò disposuit Deus vivendi normam in pondere, exequendo, videlicet, suæ sapientiæ divinam providentiam, ut quisque electum ex Dei arbitrio statum, velut pondus ferat, pergatq; ad destinatum bravium. Ac quemadmodum id cui superponitur pondus fixum & stabile est, apprimitur enim à gravitate oneris ne vacillet: ita qui Dei nutu statum eligit, stabilis sit oportet, neque vacillet, vel deserendo illum, vel optando mutare. Neque verò hoc pondus grave, & intollerabile erit; dispositio enim sapientiæ divinæ, non fortis tantùm, & immutabilis est, sed simul etiam suavis, ita de illa testante Spiritu Sancto Sap. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Postremò est dispositio in numero; eadem enim sapientia, quæ omnia novit, novit etiam, & distinctè numerat, quotquot mensuræ divinæ sese adaptando, pondusq; ferendo, piè in electo statu vitæ, tandem salutis finem adepturi sunt, ut S. Paulus 2. ad Timoth. 2. scribit: *Cognovit Dominus qui sunt eius.* Triplicem hanc divinæ sapientiæ dispositionem ita declarant Theologi, ut eam quæ in numero dicitur, vocent electionem salvandorum; quæ verò in mensura est, asserant prædestinationem esse mediorum ad salutem efficacium; tandem quæ sita est in pondere, usum intelligant eorundem ad ipsam salutis consecutionem.

28. Cùm igitur vitæ modum ac rationem ex divino habeamus decreto, quicunq; huic se accommodant ita vivunt, ut ad finem salutis est necesse: atq; ut se quisq; accommodet, obsecrare debet divinam clementiam, ne aliam vivendi normam velit (prout sua libertate potest) deligere ab ea, quàm divina sapientia ut congruam ad salutem ordinavit. Et certè si pium, atq; utile est iter inchoaturo, Deum precari ut dirigat gressus, & ad metam prospere deducat; id quod fecit Abraham servo suo profecturo ita valedicendo: *Dominus in cuius conspectu ambulo mittit Angelum suum tecum, & diriget viam tuam* Gen. 24. quantò magis pium, magisq; utile, quin & necessarium, petere à divina providentia, ut vitam (quæ est peregrinatio ad Dominum teste Paulo ad Cor. 5.) dirigat ad portum beatitudinis? Quamobrem omnibus, qui nondum certum vivendi genus amplexi sunt, consultissimum est crebrò, & si fieri potest quotidie petere à Deo, dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem quocunq; tendendum sit.

29. Post orationem, alterum quod ad eligendum conducit, ponit S. Igna-

Ignatius habilitatem deliberantis: *Ad bene, inquit, quidpiam eligendum nostræ sunt partes, ut oculo puro, ac simplici spectemus quorsum fuerimus creati, nimirum, ad laudem Dei, & salutem nostram. Quapropter eligenda sunt ea tantùm, quæ conducunt ad dictum finem, cum ubiq; fini medium, non medio finis habeat subordinari. Unde errant qui uxorem ducere primitus, aut ecclesiasticum munus, seu beneficium adipisci statuunt, atq; ita demum Deo postea inservire nitentes præpostere fine, ac medio nec ad Deum tendentes recta, sed obliquè ipsum ad perversa vota sua pertrahere conantes.* Hæc ille, quibus ostendit primò quidem eum esse ad bene eligendum idoneum, qui non alio deliberando collimat, quàm ad scopum salutis, & divinæ laudis, eaq; tantùm assumit, quæ ad illam conducunt. Improbat deinde alios, qui ad hunc scopum nihil prorsus attendentes, ad ea toti convertuntur, quę libent, etsi (ut creberrimè evenit) non expediant. Rectè sentit ita vir Dei, meminerat enim se legere Matth. 16. à Christo illud dictum: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit inveniet eam; quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò sua detrimentum patiatur? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis, & tunc reddet unicuiq; secundùm opera eius.* Ex his verbis intellexit Christum velle, ut omnes primò ante oculos sibi finem ponant ultimum, & ad hunc dirigant reliqua omnia, sive arrideant animæ, id est carni, sive non. Sed enim eorum, qui secus faciunt infinitus est numerus; quot enim sunt, qui exquirant à Deo consilium; qui expendant quis status sit sibi magis salutaris; qui ut sincerè, utiliterq; id peragant, sepositis negotiorum turbis, huic uni rei quietum, vel aliquod paucorum dierum concedant tempus? Quin potiùs plerumqs ita fit, ut oblata occasione nihil in utramq; partem deliberantes, hoc teneant quod primo (modo arrideat palato) occurrit. Quid verò talibus faciendum sit, huiusmodi Sanctus Pater reliquit documentum: *Advertendum,* inquit, est, *quòd si quis improvidè, nec sine obliquis affectionibus aliquid elegerit, quòd non liceat retractare; reliquum est, ubi eum cœperit pœnitere facti, electionis damnum probitate vitæ, & operum solertia pensare: resilire autem nullo pacto decet, quamvis electio eiusmodi non videatur vocatio divina esse, utpote obliqua, atq; inconsulta. Qua in re non pauci errant electionem malam, & obliquam, pro divina vocatione reputantes; cum hæc semper pura, & clara sit, non carnali ullo affectu, vel studio perverso mixta.*

Ita S. Ignatius, qui præter jam dicta duo, orationem, scilicet, & electionem, tertium quoq; adhibendum putat, consilium, videlicet, viri 30.

probi; eum autem censet probum, qui sit amicissimus & benevolentissimus, præsertim si consulatur instante eligentis mente Deiq; judicio; optima certè tunc,& saluberrima suadebit verè, pièq; amans. Id quoq; non minùs quàm duo præcedentia rectè existimat adhibenda S. Ignatius: nam de amico ita Salomon scribit prov. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur:* amicus ergo sincerus benevolum dabit consilium, fratremq; se præbebit in angustiis mortis, ac tremendi judicii. Quod si talis amicus defuerit, ipse eligens eius vices obire potest, modo ita in se sit affectus, ut esset in alium, quem intimè amaret. Tria ergo secum expendenda suadet Ignatius, primum sic proponit: *Si quis mihi vir amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse cupiam occurreret, dubius super electione eiusmodi, quidnam ego illi decernendum maximè essem consulturus; quo animadverso agendum & mihi ducam, ut suaderem alteri.* Secundùm quod expendi debet, est: *Si mors ingrueret, quem me mallem observasse modum in præsenti deliberatione; juxta hunc igitur eligendum nunc esse facilè intelligam. Postremum est, quando pro tribunali sistar judicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellem; quo agnito nunc utar, ut eo tempore sim magis securus.*

31. Ista sunt quæ ad rectè eligendum tradit hic S. Pater opportuna, neq; ad statum duntaxat saluti consequendę idoneum, sed quodvis etiam officium, dignitatem, & momenti negotia, quæ si usurpata fuerint, Deus qui facienti, quod in se est, non solet deesse, aderit sua gratiâ, ut ea tantùm eligantur, quę quisq; se elegisse gratulaturus sibi sit, lætus fælici salutis proventu.

32. De tempore ætatis, qua electio status sit facienda, præter ea quæ dicta sunt cap. præc. à numero 47. cum ageretur de requisitis ad emittenda vota; certum est, religionem posse unumquemq; vovere, aut eligere ante decimum sextum annum ubi judicium attigerit. In ipsa quoq; religione professio fieri potest anno decimo sexto, ex Ecclesiæ statuto, sicut & matrimonium iniri potest anno 12 à fœmina, 14. à mare. Ad sacerdotium item conscenditur anno 25. ad Episcopatum 30. ad officia, & dignitates sive ecclesiasticas, sive civiles, quæ sit opportuna ætas, statuta, & consuetudo ubiq; locorum consulenda sunt. Sufficiant dicta de perfectione status.

Sectio.

Sectio V.

Quæ sit perfectio studiosorum operum, quam sectari debent, ii qui communem ducunt vitam.

ITa est bonus, & benignus in homines Deus, ut non solùm statum vitę reliquerit arbitrio illorum, verùm etiam opera, iis exceptis, quæ 33.
ad consequendam salutem omnino sunt necessaria, vel tanquam medium, ut baptismus, fides in Trinitatem, ac in Christum quam tenere debent adulti, pœnitentia quoq; in iis, qui sunt peccato mortali actuali à se commisso abnoxii: vel tanquam præceptum, quo ad servandum decalogum omnes adstringimur, & ad ea quę ad decalogum revocantur, scilicet, præcepta Ecclesię, & superiorum. Inter medium salutis, & præceptum, hoc interest, quòd ea quæ sunt ut medium necessaria, si omittantur non possunt per aliud suppleri; unde si parvulus sine baptismo decedat, non salvatur: quæ verò sunt præcepta tantùm, possunt si negligantur pœnitentiâ compensari; ita qui fecit alteri iniuriam, si ritè doleat; resarciatq; damnum potest salvari. Præter hæc necessaria ad salutem opera, reliqua posuit Deus in potestate hominis, ut si perfectior esse velit, in quocunq; tandem statu, ea usurpet pro pia, & liberali in Deum voluntate. Paucis jam ostendendum, ut proposui supra num. 4. quanam ratione quisque in sua vocatione perfectior esse possit, non illa substantiali perfectione, de qua suprà num. 10. ut, scilicet, amet Deum super omnia; sed accessoria, & superaddita, ut nempe maiorem in illum declaret amorem, pluraq; sibi accumulet merita.

Ac primò initium sumendo à communi vivendi genere, in eo facilè 34.
deprehendemus dari quædam opera perfectiora, si ab illis ea seperaverimus, quæ sint ad substantialem perfectionem necessaria; sive de medio, sive de præcepto. Jam opera hæc, ad tres classes revocat Spiritus Sanctus Tobiæ 12. ubi sic per Raphaëlem Tobiam instruit: *Bona est oratio cum jeiunio, & eleemosyna.* Sufficientem hanc esse triplicem rectè agendi rationem inde constat: nam quædam bona opera in Deum referuntur, alia in ipsum operantem, sunt tandem quæ in gratiam proximi fiunt: Prima nomine orationis exprimuntur, in qua continentur omnia, quæ ad cultum, & amorem divinum spectant; alia per jeiunium indicantur, per quod

quod intelligimus actiones, corpus, animumq́;, & utriusq; facultates debitè moderantes: postrema in commodum cedunt proximi, sive ex charitate, sive ex justitia, aut alia quapiam virtute, quæ ad has revocatur. Talis est pietas, obedientia, & similes, quæ omnes nomine eleemosynæ denotantur, latè eam sumendo pro omni operatione utili, & debita aliis, ut interpretatur S. Augustinus Tom. 7. de perfectione justitiæ, contra Cœlestium lib. uno responsione ad 17. ratiocinationem.

35. Hanc tripartitam bonorum operum seriem, aliis verbis ita descripsit idem Spiritus Sanctus per Apostolum ad Titum. 2. *Sobriè, & justè, & piè, vivamus in hoc sæculo expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi.* Sobrietas idem hîc denotat, quod ibi jeiunium; justitia coincidit cum eleemosyna; pietas in Deum cum oratione. Itaque hac triplici bene operandi ratione, nulla alia datur vel plura exigens, vel contrahens ad pauciora: Et qui communem ducunt vitam, pia opera exercenda sibi putent, quæ sunt ut dixi supra num. 34. tanquam necessaria imposita, non ad ostendendum tantùm in Deum amorem; sed & ad habendum: sic enim Joan. 14. Christus: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Dilectionis huius sequentibus verbis indicat fructum, & finem, æternam videlicet, salutem, tum consequendam, cùm ut idem scribit Apostolus *Prima* Joan. 3. *videbimus eum sicuti est:* Ita ergo ibi Dominus, cum dixisset: *Qui habet mandata mea, ille est qui diligit me*, subiunxit: *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego deligam eum, & manifestabo illi me ipsum*, nimirum, tum, cùm videbimus eum sicuti est.

36. Quamobrem omnes illi, qui sunt de communi vivendi genere, duo hîc advertant oportet: primum quænam sint Dei mandata, quæ ab illis necessariò observari debent, sciantque illa esse duplicia, quædam, quæ omnibus sunt iniuncta, si salutem consequi velint. Talis est baptismus, fides, & spes in Deum, pœnitentia, præcepta decalogi, & quę ad hæc reducuntur. Alia sunt cuique propria in suo statu, cuius intuitu coniuges v. c. mutuam sibi fidem, ac dilectionem reddere debent, prolemque rectè educare; Domini, subditis, & familiæ cum timore Dei præesse; divites, egenis gravi necessitate oppressis opem ferre, & sic de cęteris, qui sunt de communi vita.

37. Alterum quod idem advertere debent, est, certò apud se, & tanquam dogma catholicum (prout revera est) statuere, neminem posse salvari, qui ea quæ ad salutem sunt imposita, ut necessaria, neglexerit, & in ne-

in negligentia constitutus decesserit è vivis. Clarè id habemus, neque semel repetitum in sacra scriptura, Marci. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur* Joan. 5. *Proceden qui bona fecerunt*, scilicet, mandata à Deo, *in resurrectionem vitæ; qui verò mala fecerunt, in resurrectionem judicii.* 1. Corinth. 6. *An nescuis quia iniqui regnum Dei non possidebunt; nolite errare neque fornicarii neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et mox addidit idem Apostolus, neminem posse justificari, & sanctificari, nisi in fide & in nommine Christi accesserit Spiritus Sancti amor, qui ut ad Rom. 13. scribit; locum implet, conciliatq; gratiam, justificantem, & sanctificantem. Sic ergo ibi S. Paulus: *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Jacobi quoque 2. *Quicunque legem totam servaverit offendat autem in uno, factus est omnium reus: qui enim dixit: non mæchaberis, dixit etiam; non occides.*

Huiusmodi testimoniis sunt pleni libri veteris, & novi Testamenti. 38. Est quidem magna, immo infinitè magna misericordia Dei, quæ divinum cor ad parcendum movet; verùm altera non minoris excellentiæ est in Deo perfectio, & ut loquuntur Theologi attributum, nempè immutabilitas; ex qua necesse, sequi, ut quod à Deo decretum est semel, certò futurum sit Cùm igitur constet nobis ex sacra scriptura definitum esse à Deo, ut quędam necessaria sint ad salutem (necessarium autem ut docet Aristoteles 4. Meth. tex 11. & 12. omnesq; Philosophi ac Theologi illud est quod non potest non esse:) quicunq; ea omiserit, non salvabitur; quia caret necessariis ad salutem, quæ non possunt non esse, hoc est; non possunt non haberi ab eo, qui vult salvari.

Itàq; qui hæc necessaria, aut aliquod ex illis neglexerit aliquando, 39. & id se admisisse dolet, corrigitq; erratum facilè à misericordia divina assequitur, ut ei digno alias pœna detur venia. Cæterùm qui iis caruerit, & sic obierit, nullam expectet misericordiam, cuius experiendæ tempus, & modum, dum viveret, intermisit, post quæ divina immutabilitas suum obtinet robur, ut quemadmodum impossibile est Deum mutari, ut ipse de se Malachię 3. affirmat: *Ego Dominus, & non mutor*; ita impossibile sit aliquem salvari, qui necessariis ad salutem sit destitutus: & sicut Deus in ęternum immutabilis est, ita destitutus necessariis in æternum damnationi obnoxius erit.

40. Ex quo clarè cognoscitur, imprimis Hæreticorum etiamnum spargi solitus error, qui credunt solam fidem iustificare, & ad salutem sufficere, ut docet Lutherus in 2. caput ad Gal. Calvinus 3. libr. Insti. cap. 2. parag. 7. 8. Q. & 17. aliiq; , cùm manifestissimè sacra scriptura præter fidem requirat bona opera, ut sup. num. trigesimo septimo ostendi. Neq; solùm bona opera quæ sunt de præcepto negant Hæretici esse necessaria ad vitam æternam, verùm etiam illa, quæ ut salutis media sunt à Deo designata. Nam Calvinus lib. Insti. 4. cap. 14. parag. 12. affirmat infantes, qui sine baptismo decesserint, modò ex fidelibus parentibus sint nati, salvatum iri, id quod Calvinus accepit ab antiquis Pelagianis, quos S. Augustinus Tom. 7. aliquot libris refutat. Hæc sectariorum dogmata clarè Christi, & Apostolorum eius doctrinam evertunt: Christus dicit Marci 16. *Qui baptisatus fuerit salvus erit*, Calvinus è contrà asserit: Qui non fuerit baptisatus, salvus erit. Paulus 1. Cor. 6. fideles terret: *Neq; fornicarii, neq; adulteri. neq; ebriosi, neq; quicunq; iniqui regnum Dei possidebunt:* Lutherus, & Calvinus ex adverso docent: fornicarii, adulteri, & quicunq; iniqui modo credant in Christum, regnum Dei possidebunt, sola enim, inquiunt, fides iustificat. Talem isti doctrinam idcirco sui similibus commendant, ut quoniam omni iniquitati, & desideriis carnis laxârunt habenas, sola fide palpent suas conscientias, & in vana constituant securitate, liberè interim peccando, nihilq; de corrigenda cogitando vita.

41. Verùm catholica fidelium Ecclesia, Christi, & Apostolorum genuinam tenens doctrinam, duo tanquam certissima vitæ æternæ agnoscit, & tuetur fundamenta; quorum unum est, de fide, & operibus, ut utraq; hæc credat ad iustificationem, & salutem esse necessaria, neq; unum sine alio sufficere; alterum, utraq; jam dicta ita à nobis exigi, ut si vel unum defuerit (modò sit præceptum) cum cæteris omnibus nemo sit salvandus. Sensum fidemq; Ecclesiæ sanctæ, clarè exponit S. Aug. Tom. 7. lib. 4. cap. 18. scribens contra Hereticos Donatistas, ubi cùm adduxisset illud ex Gal. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia*, & quæ sequuntur subdit; *Constituamus aliquem castum, continentem, non avarum, non idolis servientem, sed hæreticum: nulli utiq; dubium est propter hoc solùm, quòd hæreticus est, regnum Dei non possessurum, constituamus alium fornicatorem, immundum, luxuriosum, avarum, sed catholicum; nunquid propter hoc solùm, quod catholicus est regnum Dei possidebit agens talia, de quibus sic concludit Apostolus? Quæ prædico vobis quoniam qui talia*

talia agunt regnum Dei non possidebunt. Idem confirmat cap. 19. ex illo loco 1. ad Cor. 6. *Nolite errare, neq; fornicarii, neq; idolis servientes, neq; adulteri neq; molles, neq; masculorum concubitores neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt.* Quæ sic explicat S. Augustinus *non ait*, inquit, *qui hæc omnia vitia simul habuerint, regnum Dei non possidebunt, sed neq; illi, neq; illi, ut in singulis hoc subaudiatur, quod nulli eorum regnum Dei possidebunt.*

Sed missis Hæreticis ad nostros redeamus, qui vera fide tenendo id quod Dominus jussit omnibus promulgari Matth. ultimo: *Euntes docete omnes gentes baptizantes, & docentes eos servare omnia quæcunq; mandavi vobis*, norunt servanda à se ea omnia, quæ ut necessaria, sunt à Christo Apostolis mandata. Hoc verò tanquam fundamento jacto, possunt ii, de quibus nunc agimus, communem, scilicet, degentes vitam ultra procedere, atq; ad necessaria, ac debita addere ea, quæ sunt perfectionis. Porro hæc quæ sint, facilè intelligere poterimus, si per tria bonorum operum genera discurramus, illis verbis ad Titum 2. expressa: *Sobriè, justè, piè vivamus.* Sobrietas ad salutem necessaria, est in eo sita, ut nulli concupiscentiæ carnis, atq; appetitus cum gravi offensa Dei mos geratur; sed ita quemadmodum prudentia aut lex concedit. Ea quoq; omnia etsi sensui molesta integrè implenda sunt, quę ad retundendam corporis petulantiam pręcipiuntur, qualia sunt jeiunia Ecclesiæ, pœnę post dimissa peccata inflictę, sive quæ imponuntur ad castiganda mala præterita, sive ad vitanda futura. Talis est flagellatio sui corporis, cilicii usus, sensuum custodia, fuga consuetudinis eorum, qui provocant ad peccandum, & id genus alia. Quæ cùm lege aliqua in materia notabili exiguntur, vel cùm ordinantur ad fugiendas letales culpas, aut etiam pro letalibus imponuntur, sunt sobrietatis communi, & necessario debito omnino servanda, ut ita salus in tuto ponatur. 42.

Cæterùm perfectionis studiosus ad aliam excellentiorem aspirabit sobrietatem: jeiunabit etiam non jussus, affliget cilicio, aut flagello carnem, cùm id ei non imponetur, detrahet nonnihil de somno superfluo, etsi nulla sibi iniuncta fuerit vigilia, cubabit durius neq; id illi præcipietur, continebit se interdum, à voluptate carnis, quam illi status communis non interdicit; fugiet ea, quibus nunquam eum irretivit caro, ab omni, ut suadet Apostolus 1. ad Tes. 5. etiam specie mala abstinendo. Postremò faciet ea, ad quæ nullo gravi urgetur mandato, verùm solo amore 43.

more quâ vincendi sui, cavendiq; vel leves id in hac materia culpas, quâ consequendæ perfectæ sobrietatis.

44. Perfectio talis magnum confert habenti eam beneficium, neq; unum; ac inprimis dat quandam virtutis copiam, atq; abundantiam, quæ adservandum divina præcepta plurimùm confert. Vt enim illi, qui habet mille, in promptu, sunt centum, & non semel, sed decies, quibus caret is, qui centum, duntaxat habet, eò quòd sit pauperior, minusq; teneat atq; idipsum facilè deperditur; nam carebit integro centenario, vel semel detracta unitate, quæ modica cùm sit, nimirum, una unitas, levi ex causa amitti potest: ita qui perfectionem sobrietatis est assecutus, promptus erit ad præceptam sobrietatem, neq; semel; sed quoties opus est exercendum. Itaq; tali non erit difficile pervigilium natalis Domini pręcepto cōdecorare jeiuniosi, aliâs in Adventus diebus jam abstinuerit: non se ingurgitabit insana crapula, cum vel levem timeat potus excessum: non putabit impossibile esse servatu sextum decalogi mandatum: Non fornicaberis, quippe qui licita etiam privat se voluptate: idem in reliquis quę sobrietatem impugnant, præstabit. Quod secus fit in eo qui præceptis tantùm est contentus; nam si urgente contra illa tentatione (ut est humana imbecillitas) cesserit aliquando, mox violabit mandatum; neq; enim restat jam modus conservandi eius: Sicut si vel unitas detrahatur ex centum, non est jam centenarius. Cùm ergo perfecta sobrietas sit, ut numerus maior, v. c. millenarius, præcepta, ut centenarius; detracta unitate ex millenario, remanent centum, numerus minor, qui non manet, si vel unum ex centum auferatur, (à maiore quippe numero descenditur ad minorem contentum, non item ascenditur à minore ad maiorem cùm is desit) cùm inquam hoc verum sit; sequitur ut qui pręcepta solùm tenet, egenus sit quodammodo virtute, quam facilè, ut tenuem, consumit & perdit. Qui verò ultra præcepta sectatur consilia perfectionis, locuples dici debet, quippe qui semper plura virtutum accumulat incrementa, & si quando nonnihil ex augmento detrahit, minùs quidem manet, sed tamen magnum, scilicet, locuples honestatis copia.

45. Atque hic alterum enascitur beneficium, quod pręstat consectatio perfectæ, qua de agimus, sobrietatis, solida, scilicet, & suis numeris absoluta virtus. Aristoteli certè Eth. lib. 2. cap. 2. omnes adstipulantur docenti illam esse virtutem solidam, quæ cum voluptate operatur ex habitu, ac consuetudine consequente: *Habitus enim, inquit, quales sint,*

ex vo-

ex voluptate, ac dolore, quæ facta, ac opera consequuntur, perspici debet; nam qui se a corporis voluptatibus abstinet, eoq; ipso lætatur, is temperans, qui id moleste, acerbeq; fert, is intemperans putandus est. Itaque Platonis sententia, institutos homines esse oportet, jam inde à puero, ut lætemur bonis rebus, doleamusq; contrariis, recta est enim hæc educatio. Hæc ille, ex quibus intelligere licet, solidam virtutem non nisi crebro acquiri usu: ab assuetis enim, ut aiunt Philosophi, non fit passio, seu molestia, ac dolor, verum jucunda voluptas. Ad hæc idem Philosophus 3. Eth. cap. 1. asserit illam esse virtutem heroicam, quæ est excellens, id est ut S. Thom. 3. part. Q. 7. art. 2. ad 2. explicat, *quæ perfectionis gradu, ac intensione præstat*, in quovis sibi occurrente eventu indefessam testando constantiam, atq; alacritatem, quæ magnam, solidamq; facit virtutem.

Sectio. VI.

Modus facilis assequendi perfectionem operum in communi vita.

IAm verò qui præcepta solùm explet opera, non ita cito, neq; ita bene perfectè agendi comparat consuetudinem, facilitatemq; ut is qui ad perfectiora nititur. Primò quidem ideo, quia non priùs operatur, quam occurrat mandati tempus, & si hoc rarius est, rarius quoq; virtutis ponitur opus, unde nonnullæ piæ actiones, quæ semel in anno iniunguntur (qualis est v. g. Eucharistiæ pro paschate sumptio) cùm raræ sint, modicam pariunt consuetudinem, habitumq; virtutis. Deinde naturâ præsertim corruptâ, ita comparatum est, ut ægre alienæ voluntati, judicioq; pareamus sed potius ipsi optemus dominari: propterea Spiritus Sanctus Eccli. 25. tria prædicat tanquam magna: *In tribus placitum est Spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus, concordia fratrum, amor proximorum, & vir, & mulier bene sibi consentientes.* Quod si animorum consensus, amorq; inter eos, qui sibi noti sunt, secum agunt, & vivunt est rarus, quàm varior cum Deo in illis coniunctio, qui eum nondum vident, ita planè argumentante S. Joanne prima Epis. cap. 4. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Et cùm, eodem Joanne teste cap. in Evan. 14. *ille diligat Deum qui mandata eius servat.* Profectò sicut difficilè est comparare bene agendi, Deiq; mandata servandi, habitum ei qui raro, & non nisi 46.

 necess-

necessitate urgente illa exequitur, ita non minùs difficilè erit tali, verè, & constanter diligere Deum. Hæc cum ita sint, fatendum est raro virtutis habitum eum consecuturum, qui ad præcipientis solùm attendit voluntatem, cùm qua, ut ipse semper consentiat ægre à se impetrabit, ob illam innatam ad dissentiendum propensionem, ut verissimè dixerit Salvator Matth. 7. *Lata parta, & spatiosa via est*, perversæ, scilicet, Deoq; contrariæ voluntatis, *quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* Si igitur, à talibus ægre mandantur præcepta executioni, semper in illis manet repugnantia dolor, ac molestia, nunquam succedit voluptas, facilitas, constantia, alacritas, postremò consuetudo, sine qua virtus non consistit.

47. Et si quando tales honestum operantur actum, minimè dicendi sunt ex virtute agere, teste Arist. lib. Ethico. 2. cap. 4. ubi ponit differentiam inter doctum, & virtute præditum. Nam ut Philosophus dicatur quispiam satis est, si ex scientia philosophiæ discurrat, & concludat, ut autem dicatur ex virtute operans, tria requirit, *primum*, inquit, *si sciens, deinde si volens, & ultro idq; eorum causa, tertio si firmo, & stabili animo.* Quorum præter scientiam nihil artibus tenendis requiritur. Ad virtutes verò cum scientia parum, aut nihil valeat, tum non parva, sed omnia momenta sunt in cæteris, ut pote quæ consuetudine justè, moderateq; vivendi comparantur.

48 Requirit ergo, & optime Aristoteles jucundam sine repugnantia benè agendi consuetudinem, quam sectator perfectionis facilè adipiscetur quippe non expectato præcepto creberrimè, & in quibus potest colet honestatem: ad hæc ultroneæ suæ voluntati se accommodat, non expectata aliena impellente quodammodo, & quasi cogente. Id verò faciendo illud demum assequetur, ut cùm ea grata sint, quæ ipsi sponte volumus, suavis sit, jucundaq; boni exercitatio, nimirùm, ultro acceptata; quod est ex virtute operari. Non assero hîc perfectionis studiosum nullam unquam experiri in recte operando molestiam, sed dico eam spontanea voluntatis, propensione, & quod hinc sequitur voluptate temperari: unde id quod moleste afficit, vel nihil, vel leviter sentitur. Cæterùm eò contendit virtutis absolutæ amator, ut id in se maximo conatu, creberrimoq; usu persequatur, quod maximè in se honesto repugnat: conatus vero talis, ususq; assiduus vel omnem tollet molestiam, vel eàm moderabitur attemperabitq; ad perfectionem, & laudem solidæ virtutis. Qua de re Aristoteles 2. Ethico. cap. 3. ita egregiè scribit: *Semper*

ut quisq; habet difficultatis, & negotii plurimum, ita in eo potissimùm ars omnis virtusq; versatur: quod enim undiq; perfectum, absolutumq; est, id ibi maiorem obtinet, & splendorem, & dignitatem. Hæc duo jam declarata beneficia, perfectorum operum studium continet, ut, nimirum, eorum sectatorem locupletet honestate, nec quacunq; (quæ, scilicet, interdum casu, & fortuito occurrit) sed illa quæ solida est, & consummata virtus.

Itaq; perfectè sobrius omnibus abundat, & quidem completis virtutibus, quæ operantem in ipso perficiunt, non enim de his jam agimus, quæ ad proximum, aut Deum referuntur, sed ad temperantiam duntaxat, & fortitudinem. Est ergo ille castus, continens, abstinens in cibo, & potu, verecundus, modestus, humilis, mansuetus, patiens, est fortis, magnanimus, magnificus, constans, longanimis, perseverans, omnia quippe eiusmodi honestatis munia, prompta, & spontanea sibi vendicat voluntate, nec quidquam omittit, quod prudens ratio suadet amplectendum, modò eius statui ac conditioni vivendi sit consonum. 49.

Quod in una parte officii, munerisq; Christiani omnibus, qui communem vitam degunt proprii, nempè in sobrietate est ostensum, quemadmodum in ea perfectus quisque esse possit; idem in reliquis duabus in justitia, scilicet, & pietate demonstrandum. Id quod brevius fiet, cum dicta de sobrietate penè omnia aliis virtutibus, sua proportione accomdari possint. Et justus quidem ex præcepto, ac de necessitate ille habendus, qui nulli magnum infert damnum, sive in facultatibus, sive in fama, & honore, sive in vita; qui id quod cuiq; debet (in re videlicet maioris momenti) reddit integrè, ut præcipit Apostolus ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Quod ipsum explicat fusiùs præfigendo regulam charitatis, quæ moveat, & dirigat in tractando debitè proximo. *Nemini*, inquit, *quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit: nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hæc in materia gravi ita mandantur, ut necessariò sint servanda ab eo, qui salvari velit; verum perfectioris amator justitiæ, cavebit etiam levissimas injustitias, quæ admissę, non quidem excludunt à vita æterna; imperfectum tamen reddunt, nimirum modica contemnentem. 50.

Ergo talis nihil aget, nihil etiam mente volvet, quo vel intra se judicando, suspicando, aut dubitando alteri obsit. Idem, secutus illud consi- 51.

consilium Pauli ad Eph. 6. *Servi obedi e dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo:* hæc, inquam; secutus non fideliter tantum, reddet quę potestati debet, sed promptè etiam, ac sincerè, non secus quàm ipsi Deo, qui, & quæ foris sunt videt, & intima (num nihil simulati, dolosive habeant) rimatur. Sequetur ille idem aliud S. Joannis Epist. 1. cap. 3. consilium ita suadentis. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo!* Non expectabit perfectè amans necessitatem quę extremè aut graviter torqueat fratrem, sed in quacunq; modo ille egeat, opitulabitur exhibendo opera misericordiæ, quâ corpori, quâ animę commoda. Pascet esurientem, potumq; dabit sitienti, etsi non ita, ut præ fame, vel siti animam agat: operiet in parte etiam, nedum in toto corpore nudum: aderit consilio, atq; auxilio debili contra potentem; quanquam ob id aliquid, ab hoc sit passurus: dabit facilè veniam, pœnamq; donabit deprecanti, etsi eam meritò exigere possit; ita de reliquis misericordię, charitatisve argumentis.

52. Atq; ut, omnia semel dicantur, quæ aspirans ad perfectionem justitiæ sibi proponit, illud putandum est ab eo & expeti, & pro virili comprehendi, quod Salvator Matth. 5. consulit perquirendum, ubi inter alia habet: *Audistis quia dictum est; diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos.* Et ut ostenderet Dominus se non etiam ibi commendasse charitatem, quæ est ad salutem prorsus necessaria, sed perfectiorem, sic concludit: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Ad eiusmodi perfectiorem justitiæ, qui nititur conscendere, assequetur facilè omnem & quidem solidam honestatem, quæ à justitia comprehenditur, nimirum, ditatus perfectione eius, ut de sobrietate supra numero 44. dictum est. Reddet ille cuiq; suum, quod vel minimum ex justitia commutativa, aut distributiva debebit, non negliget pietatis officia, quæ parentibus quomodocunq; sunt præstanda: erit exactè observans maiorum: parebit alacriter præsidi: gratum se, qua ratione poterit exhibebit suo Mecoenati: liberalem exhibebit cuivis, veracemq; sincera simplicitate. Deniq; illud omne sectabitur honestum, quod

quod ſibi in ſuo vivendi genere putabit congruum ad convivendum ita proximo, ut illi duo coniuges Zacharias, & Eliſabeth prædicantur vixiſſe Luc. 1. *Erant*, inquit Lucas, *juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela*. Vbi cum ad mandata addit juſtificationes, videtur inſinuare eos prẹter divina præcepta, etiam conſiliis, ac perfectioni intentos fuiſſe, & quidem omni, quam poterant aſſequi.

53. Quod ad tertium genus bonorum operum attinet, pietatem, ſcilicet, in Deum, in ea quoq; perfectionis amans, etſi communis vitæ ſectator, inſignes faciet progreſſus: Novit ille neceſſariam ſibi eſſe ad ſalutem, fidem, ſpem, & charitatem, ut indubitatè credat, quę illi à paſſoribus Eccleſiæ credenda de Deo, atq; divinis proponuntur, ut ſperet poſt hanc caducam, futuram beatam vitam, ſi divino adiutorio collaborando rectè vivat; ut poſtremò Deum in corde ſuo primum habeat, quem ante, & ſupra omnia amet, verumq; amorem illo declaret argumento, quod unum tanquam certum Chriſtus approbat Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*. Porro inter mandata ex primis eſt divinæ maieſtati, atq; excellentię debitus religionis cultus, is qui jam explicatus eſt ſupra hac par. 2. cap. 10. & ſeq. Ad hæc pia opera, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, addet plura magis pius. Nam credendo jam revelata, alia, quâ auditu, quâ lectione, quâ propria conſideratione & contemplatione tentabit, ut loquitur Eccleſiaſt. cap. 7. in ſapientia de Deo percipere; ut penitius cognoſcendo Dei potentiam, miſericordiam, bonitatem, juſtitiam, cæteraſq; eius excellentias, numero & perfectione infinitas, ſpe, ac dilectione firmiùs ei adhæreat. Neque verò magnum putet, ſi tantæ celſitudini plùs aliquantò obſequii præſtet, quàm ab illo exigitur: amet etiam ita, ut non contentus eo, quod nihil agat contrarium divino eius amori, gravia ſcilicet, patrando facinora; etiam illa vitet, quæ eundem amorem quoquomodo impediunt, minores, ſcilicet, culpas.

54. Poſtremò perfectè pius, quò magis placeat, & obſequatur ſuo Creatori ac Domino, ultra præcepti legem, plurima ſupra recenſita ſobrietatis, ac juſtitiæ, in uſu habebit perfecta opera, quibus adiunget ea, quæ ad Deum ſuapte vi referuntur. Orabit crebriùs, atq; accuratiùs; recurret ad ſacram exomologeſim non expectato letali vulnere; reficietur cibo, potuq; cœleſti ſæpius, quàm (ut Eccleſia frigidis iniungit) ſemel in anno, intererit admirando divini ſacrificii myſterio, non feſtis

Bbbb tan-

tantùm (ut præcipitur) diebus, sed aliis etiam quibus id præstare fas erit. Ipse quoque ex iis, quæ illi à Deo donata sunt, offeret dona, & sacrificia ad cultum eius, obsequiumq; latè propagandum, in templis, in hospitalibus, in pauperum, pupillorum, & quorumvis egentium auxilio, eorum præsertim, qui adiuti, cæteris in republica, atq; Ecclesia Dei, magno salutis, pacisq; communis emolumento esse possunt. Hęc vero omnia faciet pius, non lege, aut necessitate adactus, neque tunc, cum ipse suis bonis non poterit jam frui, sed pietatis amore, hilari liberalitate, & Christiana magnificentia motus, cuius in eo laus est, ut cum possit retinere substantiam, expendat, memor divini illius moniti Prov. 3. *Honora Dominum de tua substantia* In eo quoq; magnificum se in Deum idem geret, ut quo plura ab illo sortitus est, eò plura in eius cultum honoremq; fundat; id quod senior juniori suasit faciendum, Tobias Tobiæ cap. 4. Tob: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

55. Hoc pacto in aliis quoq; is, quem describimus pius se exercitabit, ut quemadmodum suprà de sobrio, & justo, diximus, abundet copia virtutum, quę ad Deum ordinantur. Erit ergo cultus, ac religionis divinæ observantissimus, non in se tantùm, sed & in aliis, quos sive debiti, sive charitatis zelo ad obsequendum supremæ maiestati incitabit. Flagrabit amore in Deum, & propter illum in quemvis vilissimum etiam proximum, scilicet plenus misericordiâ, liberalitate, justitiâ. Deniqȝ unum illud pro viribus aget, ut omnia eius studia, labores, industriæ, ac conatus, honesti aliâs, & laude digni, pietate, cultuq; divino tanquam uno è præcipuis, virtutum condecorentur ornamento, quemadmodum vult S. Paulus 1 ad Cor. cap. 10. ita scribens: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

56. Hæc de perfectione bonorum operum in vita communi dicta sufficiant, quæ, nisi suscepta prohiberet brevitas, confirmari possent innumeris exemplis, eorum qui illam sectantes insignem sunt consecuti sanctitatis gradum, tam in lege naturæ, ut Noe, Enoch, Abraham, cæteriq; credentium Patriarchæ, Job, & plures alii; quàm in lege scripta, ut David, Ezechias Rex, Tobias senior, Zacharias, & Elizabet, parentes Baptistæ. Postremò in lege gratiæ tot reges, reginæ, principes, nobiles, ignobiles, Plebeii, coloni, vidui, viduæq;, ac virgines, quot continent Ecclesiarum codices, ac ipsi etiam canonici libri. Recenset eos, etsi non nominat Lucas Actorum 2. ubi ita refert: *Omnes etiam qui crede-*

credebant erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones, & substantias vendebant, & dividebant illa prout cuiq; opus erat. Quotidie quoq; perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panes sumebant cibum cum exaltatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum & habentes gratiam ad omnem plebem. Actorum etiam 4. ita legimus: *Multitudinis autem credentium, erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

Ex quibus clarum est homines communis vitæ fuisse, qui ita perfectionis in suo statu amantes erant (neq; enim credendum omnes quotquot recentes fiebant Christiani reliquisse domos, substantiam, & quævis sua, deniq; ipsa quoq; connubia quemadmodum nunc faciunt religiosi) ut nihil intentatum omitterent, quod (stante communi vivendi genere) ad salutem quoquomodo conferre posset. Hos deinde alii, etsi refrigescente, in multis charitate in minori numero sunt secuti: talis fuit Ludovicus Galliarum rex, & coniunx, de quo scribit Ganfredus eius confessarius. Similis illi rex Stephanus rex Vngariæ, cuius sanctitatem imitatus est filius Emericus adolescens & virgo, ut refert Bonfinius, de rebus Vngaricis Decade 2. lib. 2. Pares his, sanctiq; coniuges Elzearius comes Ariani, & uxor eius Delphina. vide in Surio mense septembri. Sancta quoq; fuit virgo Margarita, filia regis Vngariæ, de qua Surius in mense Februario: Sanctus item Andronicus aurifaber Antiochenus viduus: Viduæ etiam sanctæ notę omnibus, Brigitta, Heduigis, Elizabeth, Isidorus deniq; nuper canonizatus, agricola fuit sanctus, & innumeri alii, quorum nomina si non in nostris, certè in libro vitæ sunt scripta. De his omnibus illa à Spiritu Sancto elogia, juxtà & signa sanctitatis vulgaria, ac consueta traduntur: tertio reg. 14. de David. *Non fuisti, sicut servus meus, qui secutus est me ex toto corde suo, faciens, quod placitum esset in conspectu meo:* Secundo item Paralip. 22. de Josaphat: *Quæsierat Dominum in toto corde suo*: & 2. Paral. 31. de Ezech. *Operatus est bonum coram Domino volens requirere Deum suum in toto corde suo.* Sic de aliis legimus, quę recolant pii fideles, expendantq; num placitum, & bonum in toto corde suo operantur coram Domino, in toto, inquam, corde, eâ, quæ jam declarata est ratione: dicta sufficiant de perfectis in vita communi. 57.

Sectio VII.

Quæ sit perfectio operum in religiosorum vita.

58. NOn agimus hîc de perfectione status religiosi, quam supra hoc cap. à num. 11. diximus consistere in votis & disciplina, cuiq; ordini propria: cùm vero ultra hoc possit aliquid à religiosis spontanea addi voluntate, quærimus quid nam illud sit. Qua in re aliquot tanquam certa sunt pręmittenda: primum est, perfecta religiosorum opera, de quibus instituimus sermonem ad tria illa genera sobrietatis, justitiæ, & pietatis spectare, neq; enim ut supra diximus plura aut pauciora excogitari possunt.

59. Alterum quod præmitti debet, est, non omnia quæ religiosorũ continentur regulis sub pręcepto esse obligante ad culpam mortalem, aut etiam venialem, id quod docet S. Thom. 2. 2. Q. 16. à 8. in corp. & ad 1. Sed multa proponi tanquam consilia, ad maiorem conferentia perfectionem: alia ne quidem proponi, verùm cuiusq; relinqui arbitrio: Quis enim possit omnia comprehendere, quæ à Spiritu Sancto suggeri solent ad sanctitatẽ consequendam? Atq; ut de aliis ordinibus taceam (in quo quid quisq; tanquã certũ habere debeat, suũ propriũ consulat institutum) noster, exceptis votis, ac iis, quæ ad illa seruanda sunt necessaria, item iis, quæ superior in virtute obedientiæ subdito præcipit: Postremò iis demptis, quæ nisi seruentur pariunt in communitate scandalum, reliqua omnia pio cuiusq; proficiendi in Spiritu committuntur studio.

60. Fatendum quidem regularum trãsgressione, etsi ad peccatum non obligantium, delinqui posse propter neglectum tendendi ad perfectionem status religiosi; id tamen tunc solùm fieri posse existimo, cum negligitur aliquid propriè spectans ad statum, quem quisq; professus est. Hoc ita ideo existimo, quia ad propria sui ordinis peculiarem quisq; imponit sibi obligationem, in qua divinæ vocationi fidelem se, & gnavum exhibeat, oportet, si est gratus, & obligationis memor esse velit. Exempli causa in nostra religione inter alias constitutiones est talis. Par. 6. cap. 1. v. 1. *Omnes constanti animo incumbamus, vt nihil perfectionis, quod diuina gratia consequi possimus, in absoluta omnium constitutionum obseruatione, nostriq; instituti peculiari ratione adimplenda prætermittamus.* In duobus hic

hic ponitur perfectio societatis, in observatione constitutionum, & adimpletione nostri instituti, quod, ut alia regula, in Exam. cap. 1. v 2. explanat, est *non nostram tantùm salutem, ac perfectionem, sed & proximorum impensè quærere.* Qui igitur nostrûm transgreditur has regulas, delinquit venialiter, eò quòd inconstans sit in eo, quod proposuit persequendum; si, nimirum, omnes constitutiones non seruet, & non pari studio aliorum, atq; suam quærit salutem, ac perfectionem. Idem dicendum de iis religiosis, qui choro sunt, ex vi regulæ, non tamen sub peccato obligati. Nam qui leui occasione chorum omitteret, peccaret venialiter; propterea quòd propriam sui instituti negligat rationem. Id planè sentit S. Thom. 2. 2. Q. centes. octog. sexta, articulo 9. ad primum docens omnia quæ sunt in ordinibus instituta, etsi ad nullum peccatum obligantia, si non seruentur, posse subjici peccato, non solùm illa communi ratione, si ex contemptu aut motu aliquo, v. c vindictæ omittuntur (quo pacto etiam mortaliter delinqui potest) sed insuper peculiari, nempe ex negligentia vsurpandi ea, quæ sunt propria instituti, & ordinis, ut iam dixi.

Cæterùm sunt plurima, quæ non ita concernunt religiosum statum, 62. nec in eo sunt præscripta, multùm tamen ad perfectionem & sanctitatem conferunt, si vsurpentur, quæ mox afferemus: talia prætermittere nullum erit peccatum, sed imperfectio duntaxat, seu omissio maioris boni, ad quod habendum nulla vrget obligatio. De quibus agendo, dicendum est omnia illa relinqui arbitrio religiosi, sedulò ad perfectionem tendentis, quæcunq; neq; præcepta sunt sub peccato; aut necessaria ad seruanda vota; neq; non seruata pariunt in aliis offensam; neq; ab obedientia imponuntur, deniq; non spectant ad implendam proprii instituti rationem. Et primò quod ad sobrietatis, suiq; rectè componendi virtutes attinet, possunt multæ corporis afflictiones spontaneè assumi, multò autem id fiet perfectiùs, si de illis consulatur prælatus, ad vitandum discretionis excessum, etiamsi nullum de hoc sit ordinis institutum, quo jubeatur consuli superior. Adhæc potest secundò, & creberrimè assumi internarum affectionum mortificatio, quæ longè præcellit externo rigori, siquidem animam reformat, à qua rectè composita facilè regitur corpus. Neq; hæc mortificatio sobrietatis solùm inimicas temperat perturbationes, tollitq; opposita vitia, verùm justitiæ etiam ac pietati, accersendo eorum loco, virtutes: cæterùm modum eius efficacissimum, tradit Pater noster Ignatius in libello exercitiorum, quem appellavit examen sui.

 Et

62. Et examen quidem iſtud duplex proponit, unum generale, particulare alterum, prius eſt, quod minimum ſemel in die veſperi ante ſomnum adhibetur, quinq; continens puncta; finis verò eius eam habet utilitatem, ut quisq; videat quid mali eo die egerit, quid omiſerit boni, atq; de eo doleat, vitet poſtremò illud. Quòd ſi verè contritus fuerit, poterit ut in Eccleſia catholica pro certo traditur, ab æterna liber eſſe damnatione, quando in abſentia confeſſarii decederet reus peccati mortalis, ſacramentali confeſſione non remiſſi. Porro quinq; dicti exercitij ſpiritualis, puncta hæc reliquit S. Pater. Primum punctum eſt, Domino Deo pro beneficijs acceptis gratias agendas eſſe: ſecundum, pro cognitione, & expulſione peccatorum gratiam flagitare: Tertium, de admiſſis præſenti die peccatis, rationem ab anima noſtra exigere per horas ſingulas, ex quo ſurreximus veſtigando, & primò quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam, atq; operationem: Quartum, poſcere veniam de delictis: Quintum, proponere cum Dei gratia emendationem. In quarto & quinto puncto contritio exprimitur, tribus conſtans actibus, dolore de offenſa Dei, propoſito emendandi ſui, & amore Dei ſupra omnia. Itaq; qui ſic ſincerè dicit: Doleo Chriſte Deus meus, quia te offendi, volo me omnino deinceps emendare, & amo te ſuper omnia; is verè conteritur, & ponit animam in ſtatu, ac viâ ſalutis, etſi letaliter peccaverit: tenebitur tamen debito tempore confiteri, ſi ad illud usq; vixerit, ut dictum eſt hac ſecunda parte cap. & num. 36. Porro quemadmodum pro malis eo die commiſſis excitandus eſt dolor: ita pro bonis comparatis gratiæ agendæ Deo, nimirum ei, cuius ſingulari ope, ac favore acta ſunt teſte Chriſto Joan. 15. *ſine me nihil poteſtis facere.* Iſtam examinandi rationem pleriq; magis pii de communi etiam vita adhibent fideles; alteram quæ vocatur examen particulare, rariores, religioſi certè eam familiarem deberent habere, tanquam conducentem ad maiorem perfectionem.

63. Finis verò, & propoſitum, huiuſmodi examinis eſt certum aliquod vitii, affectionumq; genus tamdiu perſequi, quoad aut tollatur prorſus, aut non ita impetat. Rectè particulare hoc examen cenſetur utilius ad maiorem perfectionem, quàm generale, nam in hoc ad multa tendimus, quæ occurrunt, in illo ad unum duntaxat, pluribus verò intentus, dixit ille, minor eſt ad ſingula ſenſus, unde etiam ſuadet Ignatius lineas in tabella quapiam formare, quo appareat ſingulorum dierum profectus; ſi enim quotidie totidem fuerint errata, nullus erit, ſi pauciora, progreſſio pate-

patebit. Quamquam, loco linearum, quæ alicui molestiam parerent, poterit esse ipsa memoria tam defectus, quàm profectus. Sic porro hanc examinandi sui rationem aliquot regulis conclusit S. Pater, quorum prima est, ut quoties id peccati, seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admota, doleat de lapsu, quod fieri potest etiam assistentibus aliis, nec advertentibus. Secunda est, ut sub noctem numeratis, comparatisq; invicem punctis linearum, attendat an priore examine usq; ad secundum aliqua successerit emendatio. Tertia ut conferat diei secundæ, atq; præcedentis examina invicem considerans, ecquid sibi emendationis intervenerit. Quarta ut collatis hebdomadarum duarum inter se examinibus, pari modo factæ, vel omissæ emendationis rationem habeat. Hęc ille, quæ si cui nimis minuta, & factu difficilia videbuntur (etsi in perfectionis negotio non deberent) saltem non sit ita arduum, ut fieri nequeat, vel bis in die, mane, scilicet, surgendo, & vesperi eundo cubitum, certi vitandi peccati propositum renovare, per unam atq; alteram hebdomadam. Isto, modo uti possumus primò ad cavenda peccata, vitiaq; delenda animo, propositum fugæ iterando, quo mens detestetur malum: v. c. si gula sit vitanda, renovetur sic propositum: nolo esse gulosus. Deinde idem modus conducit ad quamvis virtutem consequendam, iterando desiderii propositum; ut si quis abstinentiam in vescendo consequi velit, ei renovandum est tale propositum: volo esse abstinens. Talia contraria sibi proposita, ideo habenda sunt proficienti, mala enim, qualia sunt peccata, & vitia detestari, nolleq; debemus; bona, ut sunt virtutes, velle, & prosequi. Sed ad cœpta redeundo, hoc secundum mentis exercitium allatum est pro religiosis, quo in spontanea operum perfectione progredi possunt, mortificando internas passiones, vitiaq; evellendo, ea sedulitate, qua quisq; optare sibi potest, ut immani carnificinâ animæ liber sit, qualem experiri velint, nolint omnes, debent, quicunq; nondum sedatas habent perturbationes mentis, quin & turbulentiores experientur, propter accessum vitiorum, de quo plura in fine huius partis.

Præter jam dicta, duo, quibus evadit perfectior in religioso sobrietas, est & tertium: creber, scilicet, usus virtutum ad illam spectantium, 64.
quæ nullâ præcipiuntur regulâ, ut sunt multi actus humilitatis, mansuetudinis, patientię, & aliarum. Ad crebritatem potest accedere conatus intentioq; animi: unde qui explicatum jam examen particulare statuit semper in usu habere, nunc hanc, nunc illam virtutem assumet exercendam,

dam, & quidem sedula mentis attentione, voluntatisq; atq; appetitus intento studio. Quo fiet, ut plurimas, vel omnes suo statui congruas assequatur virtutes, & quidem in alto gradu, ac perfectione, propter illam crebritatem, contentionemq; animi, cuius utriusq; expeditam habet opportunitatem, à mundo, & seculi segregatus negotiis. Quòd si suprà hoc cap. à num. 41. ostendimus hominem in sæculo degentem, sectantem tamen perfectionis opera, posse eò venire, ut omnibus sibi propriis ornetur virtutibus, multò veriùs id religioso tribuendum, nimirum, & plura bona operanti, & maiora habenti ad operandum Dei auxilia, qui ad altiorem vocando statum, altiores quoq;, uberioresq; concedit gratias, quibus qui utitur, excelsum præstantissimarum virtutum attingit culmen.

65. Quare si conferamus duos perfectionis studiosos, unum sæcularem, religiosum alterum (v. c. in sobrie vivendo, de quo nunc est sermo) reperiemus profectò in hoc omnia maiora. Erit uterq; temperans cibi, potusq;; sæcularis quidem pro libitu utendo illis, quæ vult, quando, & quomodo placuerit, religiosus verò ea sumendo, quæ ab obedientia conceduntur, quando, & quomodo ab eadem præscriptum fuerit. Ibi sua propria disponit voluntas; hîc Dei amore suscepta obedientia, quæ adiuncta temperantiæ, & numero, & præstantia superat priorem sæcularis temperantiam, numero, quia religiosus abstinens est, ex amore Dei, & obedientia, sæcularis solùm est abstinens; præstantiâ, quia obedientia, & amor Dei, excellentiores sunt virtutes, quàm temperantia. Jeiunet item uterq;; sæcularis, propria motus devotione, religiosus præter istam, habere debet nutum obedientiæ, neq; enim sine hac fas est extraordinariam sectari vescendi normam. Abstinet sæcularis ut carnem suam domet, comedit religiosus jussu obedientiæ, propter conservandas vires ad Dei obsequium in proximis promovendum: quot hîc virtutes, & quàm præstantes in religioso, quæ superant jeiunium unius sæcularis. Quod in temperantia cibi, potusq; religiosi, ac sæcularis videmus, idem in reliquis, qui vult advertet virtutibus, ut plures in illo, ac excellentiores, quàm in hoc reperiat: quòd si aliquam non possit religiosus exercere, quam exercet sæcularis, ea fere semper inferior est illâ, quam religiosus tenet: ita castitas coniugalis imperfectior est, religiosâ castimoniâ.

66. Quamobrem religiosus ad operum (inter quę nos consideramus opera sobrietatis) perfectionem aspirans, non solùm habebit omnes suo statui

ſtatui, conformes ſobrietatis virtutes, & quidem ſolidas, quales perfectis ſæcularibus conceſſimus ſup. num. 44. ſed prætereа in inſigni, & excellenti gradu, ac menſura id quod illis negamus. Aſceta igitur præclarè erit cibi potusq; temperans, caſtus, verecundus, modeſtus, adverſorum tolerans, humilis, manſuetus, fortis, conſtans, magnanimus, longanimis, magnificus, perſeverans: quibus virtutibus non erit ita clarus alter, quo cum conferimus religioſum. Quòd ſi in hoc demus aliquas virtutes eſſe minùs præſtantes; id perquam rarum, & quaſi extra ordinaria divina lege, aut permiſſione fieri dicendum.

Quod in ſobrietate primò bonorum operum genere poteſt perfectionis amans religioſus, hoc in reliquis duabus, in iuſtitia, videlicet, & pietate poterit. Ac inprimis declaratis jam modis, ſeriò in ſe interna mortificatione caſtigare debet illam appetentiam, quæ proximo vel leviſſimè noceat; ne, ſi id non faciat, multa, quæ regula in commodum aliorum præſcribit, negligantur, ſuccedant deindè vitia hoſtes juſtitiæ, & ſi ab initio in leniore materia; ſe l ab hac ad graviorem patebit aditus, timendumq; illud veriſſimum S. Spiritus dictum Eccl. 19: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Modicum eſt, levis infamia fratris; non multum, parva res, pretio tamen æſtimabilis, contra religioſam paupertatem clam accepta: non grave negare auxilium corporale, aut ſpirituale, cum poſſet ſine commodo dari, petenti, licet non cum periculo damni eo egentis. Hæc & ſimilia ſunt, inquit, S. Spiritus modica; ſi tamen ſpernantur, caſus imminet infamiæ, violandæ paupertatis, negligendi proximi; caſus, inquam, ille, qui animam ad mortem uſque quaſſat, & poſt hanc non videbuntur deinceps gravia, infamia magna, materia paupertatis magna, neglectus proximi in neceſſitate magna, & id genus alia. 67.

Quò ne deveniatur, juſtitiæ ambiens perfectionem religioſus, acri mortificatione, quaſvis ei contrarias retundet affectiones, vitia enecabit; omnem ſibi oblatam bene de alio merendi acceptabit occaſionem; creberrimè charitatis, humanitatis, beneficentiæ, miſericordiæ, & ſimilium quam plurima in proximum declarabit officia: ea verò id faciet contentione animi, corporisq; viribus, ut quaſi totum ſe alacerrimè, in alterius commoda effundere velit. 68.

Porrò unde fiat, ut ad hanc juſtitiæ perfectionem veniat eius ſectator, egregiè docet S. Auguſt. Tom. 9. Tract. 84. in cap. 15. Joan. & ad id oſtendendum adducit illud Prov. 23. Quando ſederis, ut comedas 69.

cum principe, diligenter attende; quę appoſita ſunt ante faciem tuam; & ſtatue cultrum in gutture tuo; ſi tamen habes in poteſtate animam tuam, ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacii. Quem locum ille ſic interpretatur ut, principem velit eſſe Chriſtum epulantem (quemadmodum ipſe de ſe teſtatur toto Joan. cap. 6. ubi mira dicit de epulo carnis, ſpiritusq; ſui) convivas intelligit Auguſt. omnes quotquot ei familiares ſunt, admiſſi ad cæleſtes epulas; quales revera eſſe religioſos conſtat, cum relictis omnibus ipſi adhæreant, à quo diviné paſcuntur, & cuius arcano munere cęleſtes libant delicias. Quoniam verò cibus, & potus alterat veſcentem, & ſuas proprias imprimit ei qualitates (hinc eſt, ut qui carnibus utuntur ſint robuſti, qui vino, alacres ac læti) verbum autem divinum caro factum, totum ſe in commodum expoſuit hominum, quin & carnem, ac ſanguinem ſuum tradidit pro illis, qui ipſi adhærent: ſequi inde neceſſe eſt, ut convivæ efficiantur ipſi perſimiles, opere, ſcilicet, & charitate in alios, tam imitando Dominum, quem ſemel ſecuti ſunt, quàm libando de Spiritu, ardoreq; eius quo ipſe flagrabat, & flagrat in nos, immenſè. Accedit huc, quòd uſus ſacroſanctę Euchariſtiæ, ſicubi, in ordinibus certè religioſis ſit frequens, ſacer, & eximiè devotus, quo cæleſti cibo ſaginati religioſi, ad ſimilia, quæ Chriſtus geſſit facilè propendent. Verum ipſum Auguſtinum id probantem libeat audire: Quæ menſa eſt potentis, niſi unde ſumitur corpus, & ſanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis? & quid eſt ſic mittere manum, ut ſcias quia talia te oportet præparare? niſi quia ſicut pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Ita ille cui objici poterat illud, quòd Salomon cibum potentis vocet panem mendacii, id quod in epulum Chriſti cadere non videtur. Sed interpretationi eius, & hæc Salomonis verba optimè quadrant; quo enim familiariùs vtitur Chriſtus, & quem ſuo excipit epulo, is tamen non parat talia, qualia ipſe, mendacem ſe præbet convivam, eò quòd ſit diſſimilis illi, neq; tunc panis Chriſti eſt panis mendacij; ſed is qui eum non bene ſumit; ſumit mendacium. Quemadmodum buccella quam dedit Chriſtus Judæ in vltima cæna, non fuit buccella Satanæ; Judas tamen ſacrilegè eam accipiendo, accepit Satanam, teſte Joan. cap. 13. ubi refert poſt buccellam introiviſſe in eum Satanam.

70. Cæterùm fidus comes & ardens commenſalis Chriſti, ita imitandi eius fervet ſtudio, ita pane cœleſti evadit robuſtus, ita ſanguine, & Spiritu quem in eo haurit lætus, atq; alacer efficitur, vt nihil ſit quod in bo-

num proximi detrectet; ipsam etiam mortem pro illo, si, ita à Deo sancitum est, subire, non dubitet Nulla igitur justitiæ pars erit, quam religiosus ad eius perfectionem adnitens, modo suo conueniat statui, nolit sequi, & assequi minimèq; contentus in nullo, vel exiguo nocuisse alteri, auferendo quod eius est in rebus, fama, honore, vita, abstinendo à detractione, susurratione, contumelia, derisione, maledictione, hypocrisi, mendacio, & similibus: ad ea, insuper se totum convertet, quibus munera eiusdem virtutis expleat in proximo. Quare insignem se exhibebit pietate in parentes, obedientia in superiores, observantia in maiores, gratitudine in benefactores, veracitate in eos, quibuscum agit, postremò in omnes charitate: quas, etsi quæ sint aliæ, à justitia contentæ virtutes, in eo gradu, atq; excellentia possidebit perfectionis studiosus asceta, in qua eidem sobrietatem supra concessimus: In quo sit potissima perfectio religiosorum operum

71. Sed jam ad pietatem, tertium, & postremum rectè operandi genus transeamus, in quo magis quàm in duobus primis potest, & (si ita quis omnino decrevit) debet elucere religiosi studium, ac conatus. Priora enim duo, sunt media, quæ adhibet, seipsum sobriè, proximum justè tractando: cæterùm is, ad quem tanquam ad ultimum finem ultimò per pietatem ordinamur, est Deus; in hac ergo cùm summa rei sit, summa quoq; est excellentia. Accedit & illud, quod in catholica doctrina est certum, omnes, scilicet, rectè vivendi normas ad salutem exigi, nempè ut sobriè, justè, & piè vivamus; si tamen unus ponatur omnimode sobrius, ac justus, carens pietate fidei, spei, amoris, ac religionis in Deum; alter qui pius verè sit, aliquando sed à sobrietate, atq; justitia totâ vitâ alienus: fatendum est hunc esse in via salutis, non item illum; pietate enim, atq; amore Dei supplebit omnium aliorum carentiam, non ita sobrietate & justitiâ. Et quemadmodum, qui sine transitu per media spatia statim divina virtute poneretur, in meta, suppleret certè cursus defectum, qui verò in transitu moraretur, nondum attingeret metam; ita qui Deo per solidam pietatem est unitus, finem, ac scopum omnium tenet: qui alia tantùm prosequitur honesta, in mediis adhuc versatur. Hoc non ideo dico, ut quis putet se cum sola pietate, relictâ justitiâ, ac sobrietate salvatum iri, cùm omnia tria requirantur omnino ad vitam æternam; sed ideo, ut sciamus quid cui præferendum sit, & quid in defectu aliorum substituendum tanquam præcipuum, & reliqua in se continens, qualis est sola pietas in Deum.

72. Atq; hinc fit interdum, ut quis minùs in aliis virtutibus moralibus exercitatus sit quàm alter; si tamen pietate, amoreq; Dei præcedat, fœlicior, sanctior, & beatior, eo habeatur, qui minùs de charitate, plus de aliis adeptus sit virtutibus: propterea quòd charitas, & domina sit reliquarum omnium, & cæteras eminenti quadam potestate in se contineat. Clarissimum est huius in insigni illo latrone, comite Christi in supplicio crucis, documentum: fuit ille, & forte totâ vitâ nequam, ac iniustus; sed quia tum donatus erat pietate in Dominum, cum quo pendebat, obtinuit id, quod illi promisit verbis: Hodie mecum eris in paradiso; mira res, tantus nequam, tantus subitò sanctus, quia pius. Hoc deprædicat S. Paulus 1. ad Cor. 12. & 13. amorem Dei, qui in pietate supremum tenet locum, supra omnem aliam moralem, & divinam efferendo honestatem, & supra alia omnia Spiritus Sancti dona: Adhuc, inquit, excellentiorem viam uobis demonstro: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sed de præstantia charitatis erit sequenti libro suus locus; hoc nunc ideo attigi, ut appareat quantùm debet esse eorum studium, qui omnia reliquerunt inferiora, id est creata, ut supremum, hoc est Deum, possint adipisci; in illis sobrietas, ac iustitia elucet, in hoc pietas, amoris, & religionis.

73. Quamobrem si servus Dei, siue religiosus in duobus illis sedulus, ac studiosus debet esse, nimirum, proposita sibi operum summa, quam attingere potest perfectione; multò magis in hoc tertio sedulò ac studiosè laborandum ei est. Et studii quidem eius, conatusq; primum munus erit nihil divina ope committere, non modò contrarium amori, & cultui divino (quod est omnibus mandatum) sed ne tale quid, quod retardet promptissimam, pientissimamq; in Deum pietatem. Non habent hoc illi, qui oscitanter divina peragunt, orationes, meditationes, piorum librorum lectiones; & si quæ sunt alia, pro cuiusq; ordinis usu, ad Deum religiosè colendum sanctè instituta. Multò minùs idem habent, qui oscitando, mutilant, demuntq; aliquid de integritate piarum operationum sicut & illi, qui oblatam leviorum culparum non expugnant tentationem; sed ei non tam fragilitate, quàm resoluta cedunt voluntate. Hæc & similia etsi non extinguunt charitatem; sunt tamen illi minus amica, quippe quæ impediunt divini ardoris flammam, seu ut dicunt

Theo-

Theologi, augmentum graduum, & quodammodo eidem insidiantur,
per vitia remanentia post illam pigritiam,& imperfecta opera.

Quæ vitia etsi non ipsi charitati, aliisq; virtutibus divinitus infusis 74.
adversantur, verùm aliis acquisitis, quemadmodum in Theologia docetur: quia tamen distrahunt vires animæ, fatigant eam, & ex levioribus ad graviora viam sternunt, efficitur inde, ut amor, ac religio divina minùs sit ad suas operationes expedita, minùsq; tuta. Quod ne fiat, perfectionis amans religiosus obviare debet huic periculo, per examen illud, maximè particulare de quo sup. hoc cap. à num. 61.

Hoc eodem medio, ulteriùs in perfectione progrediendo utetur 75.
religiosus, ad frequentandos quàm creberrimos religionis, amorisq; divini actus; etsi ij nullâ regulâ sint præcepti. Id quod inprimis illis Christi fidelibus, quos S. Spiritus tanquam nouella Ecclesiæ suę germina copiosis gratiarum irrigabat fluentis, Sanctus Paulus efficere conabatur, quando ita ad Philippenses cap. 1. scripsit: *Et hoc oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet in scientia, & omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri,& sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiæ, per Iesum Christum, in gloriam, & laudem Dei.* Suadebat Apostolus, ut charitas in dies, & horas abundaret, frequentatione, scilicet, tum eius operationum, tum religionis, cultusq; divini, unde & addit: ad gloriam, & laudem Dei: & quidem in omni scientia, & sensu, quidquid tandem intelligentia, & sensus agendum censeret; sive ipsum Deum altissin â fidei contemplando scientiâ, sive alia à Deo Creata, scilicet, inferiore,& â sensu ducta percipiendo notitia. Quasi dicere vellet: magis, ac magis tum ipsum Deum amate, ac colite, tùm reliqua omnia in Dei amorem, ad cultum ordinate, ut ita facientes probetis potiora (nihil verò Deo potiùs est) & sitis sinceri, ac sine offensa in diem Christi: nulla autem omnium nostrarum actionum est maior sinceritas, atq; ab omni offensa immunem esse, Deum amare, ac colere, reliqua omnia propter Deum & ad Deum referre. Hoc qui agunt, replentur, inquit Paulus, fructu perfectę justitiæ Christianæ: atq; hoc est quod volebat Apostolus magis, ac magis abundare in primis,& generosis Christi plantis.

Et quoniam primitivus fidelium spiritus in religiosorum cordibus 76.
mansit; quod ab illis tunc exigebat Sanctus Paulus, idem ab omnibus his nunc expectat; ut quantùm per memoriam,& vires cælitus adiutas licet, nullum sit opus, quod in Deum pia aliqua non referatur ratione.

Neque hîc sistendum, addendus animæ conatus, contentioque vi- 77.
rium,

rium, ut non sit satis quàm sæpissimè amare, laudareque Deum, nisi id intensè atq; ardenter fiat. Pulchram, eamq; veram dat causam; pius, & ardens in Deum Augustinus, propter quam religiosus summo semper studio, & propensione animi, hunc ipsum pietatis ardorem, in se excitare debeat. Adducit ille Tomo Sexto, cap. 40. dictum Christi de Magdalena cap. 7. Luc. Cui minùs dimittitur, minùs diligit, dicitq; multùm à Magdalena doluisse dilectum Christum, eò quòd illi multa dimiserit peccata. Cùm verò maius sit beneficium, preventum esse à peccatis, quàm ex illis ereptum, multò, magis ab his debet diligi Deus, qui sunt præventi. Vnde infert à religiosis virginibus (idem verò ad omnes religiosos ex eius intentione dirigitur) plurimùm debere amari Deum, nimirum, quæ ab omnibus sunt prçventæ peccatis, à quibus ipso statu, & gratia uberiore liberantur. Augetur verò hoc ipsum ingens beneficium, quòd non solùm è peccatis eximantur, sed ab imperfectiore vivendi genere, quod commutant in perfectius, beneficio castitatis, paupertatis, obedientiæ, aliarumq; insignium religiosarum virtutum. Et cùm relictis omnibus secuti sint Christum, rati in illo infinitè plus se reperturos ac possessuros, quàm in omni re creata; effici debet, vt propter tam multa sibi donata, multum debeant exardescere in Deum. Multa, inquam, sunt illis data, nempe prevenire à peccatis, ac imperfectiore vita non quomodocunq;, sed per collata dona gratiæ vocationis virtutum, & ipsum omnium donorum supremum donum, Deum. Id ita ostendit Augustinus vbi dicit. *Se vereri, ne quis è relig osis minùs amet Deum, quod sibi non dimittantur grauia scelera. Quasi verò non tu multò ardentiùs debeas diligere Deum, qui flagitiosis in se conversis quæcunq; dimisit, in ea te cadere non permisit. Proinde quoniam verum veritas dixit, quod ille cui modicum dimittitur modicùm diligit, vos ut ardentissimè diligatis, cui diligendo à coniugiorum nexibus liberi vacatis, deputate vobis tanquam omnino dimissum, quidquid mali à vobis non est, illo regente, commissum. Quid habes quod non accepisti? aut qua perversitate minùs diligis, à quo ampliùs accepisti?* hçc Augustinus. Quoniam ergo tantùm sibi collatum tenet religiosus, meritò eum plùs amare debet, à quo plùs accepit.

78. Iam cùm causam multùm amandi Deum teneamus, explicandum esset, quid sit multùm, id est multò conatu, & intensione amare; verùm id proprio loco libro 2. commodius ostendetur, in declaratione charitatis. Nunc quantùm hîc necesse est dico ad magnum amorem Dei, magnam requiri cognitionem eius; si enim ignoti nulla est cupido, & si id

solum

solum amatur, quod cognoscitur, quantò magis Deus cognoscitur, tantò magis amatur: nam & illud verum est Philosophorum pronunciatum, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Quamobrem ad hoc debet esse attentissimus tota sua vita religiosus, ut qui quavis eius parte, negotio, atq; opere, tum in prosperis, tum in adversis intueatur Deum tanquam summum boni culmen, & infinitum mecœnatem, qui sua dona, & se dat. Hoc nimirum Patriarcha noster Ignatius suis filiis præcipit conf. par. 3. cap. 1. p. 26. Omnes rectam habere intentionem studeant non solùm circa vitæ suæ statum, verum etiam circa res omnes particulares; id semper in eis sincere spectantes, ut serviant, & placeant divinæ voluntati propter se ipsam, & propter charitatem, & eximia beneficia: & in omnibus quærant Deum exuentes se, quantum fieri potest amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum creatorem conferant, hucusq; ille. Jam ad amorem multùm, & magnum, tanquam ad id, quod præcipuum est in divina pietate, alia quoq; eiusdem munia sunt adiungenda, religio, scilicet, gratiarum actio, spes, ac fiducia, petitioq; beneficiorũ, dolor postremò de offensis, & si quę sunt plura quæ pietas Deo debet. Quemadmodum enim multùm amandus Deus est, propter magna bona, ita & multùm colendus, propter magnam gloriam, multæ ei agendæ gratiæ, propter magna beneficia, multùm sperandum, petendumq; ab illo, propter magnam misericordiam, tandem multùm dolendum, propter offensas, vel magnas, si aliquando fuerunt, vel parvas quidem, sed quæ multum amanti magnę videntur, eò quòd committuntur in magnum, & multum amandum Deum.

Ista sunt quæ videntur complecti totam religiosam operum perfectionem, quibus (ut de hac tanta re, integra quantùm fieri potest sit doctrina) duo mihi pro colophone occurrunt addenda, primum, quòd licet unusquisq; religiosus ordo à sede Apostolica approbatus, sit status, & norma vivendi sufficiens ad consequendam perfectionem, ac sanctitatem, maiorem, vel minorem, pro cuiusq; religionis modo, ac præstantia, si omnia serventur ita, ut à fundatoribus, Spiritu Sancto excitatis sunt præscripta, nullum tamen dubium habeo, quin certò affirmo eximiam perfectionem, & sanctitatem illis deberi duntaxat, qui perfectioni operum, de qua nunc egimus, totos se tradunt. 79.

Id quod videtur à Spiritu Sancto per Isaiam cap. 3. indicatum illis verbis: Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum 80.

ſuarum comedet, Adinventio juſti eſt bona, ſervare mandata Dei; quid enim poteſt melius in hac mortalitate excogitari, quàm ut ſcribit S. Paulus per momentaneum, & leve laboris, & tribulationis, ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ adipiſci? Jam fructus talis adinventionis eſt, ſanctitas neceſſaria ad conſequendum illud gloriæ pondus, ut eſt apud Matth. cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Adinventio eſt juſti, & melior, præter mandata, conſilia quędam proſequi, ut faciunt perfecti ſæculares, fructusq; huius adinventionis eſt, *ut qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & ſanctus, ſanctificetur adhuc* Apo. 22. Vltra has, eſt adinventio dictis melior ſequi conſilium Chriſti in amplectendo ſtatu religioſo, cuius adinventionis fructus talis: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, & alia propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit, Matth. 19 Centuplum iſtud, non eſt in rebus relictis, ut pro uno patre habeantur centum, ſed in bonis divinis, quæ centies, id eſt, multò ampliùs ſuperant, & compenſant relicta, qualia ſunt ſanctitas, & ampliſſima juſtitia. Vltima tandem adinventio eſt, enumeratis tribus melior, his ſcilicet, ipſis adinventionibus non eſſe contentum, ſed ad eam perfectiſſimorum operum adniti juſtitiam, quam quis totis adhibitis viribus aſſequi poteſt, fructusq; huius adinventionis eſt: *Date*, & dabitur vobis, menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum Luc. 6. Dat eiuſmodi inventor Deo, quantum eius ope prævalet dare; recipiet fructum, & retributionem tum ſanctitatis, tum gloriæ menſuram quadruplicem, bonam, quam referent ii, quibus dictum eſt: Dicite juſto quia bene, confertam, quali gaudebunt, de quibus eſt ſcriptum. Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, coagitatam, quam percipient qui habebunt centuplum, tandem ſuper effluentem, quam merentur, qui aſpirant ad omnem perfectiſſimorum operum ſanctitatem, ut illud Chriſti Matth. 5. quantùm licet expleant: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt.*

82. Hæc verò ultima menſura, quæ & quanta ſit, inde poſſumus conijcere, quod inter talis adinventionis auctorem, & Deum erit concertatio in ſupremo; ut ſicut homo amore Dei, in ſupremum, quod poteſt conſcendit; ita Deus ſupremum inter ea largiatur, quæ beatis decrevit dónare: hoc quippe ſignificat illa præpoſitio, ſuper, in menſura ſupereffluente. Quare illud quod talibus daturus eſt Deus, non erit quid ex infimis, aut ex mediis, ſed ex ſummis. Quòd ſi Paulus 1. Cor. 2. verè di-

re dicit: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ pręparavit Deus iis, qui diligunt illum: quale erit id quod pręparauit multùm, & in supremo multùm diligentibus? Ista est eximia sanctitas, ac perfectio, semen eximiæ quoque cælestis gloriæ, dandæ iis, qui ad summa perfectionis nituntur, & quam Deus in aliquibus, hoc etiam in mundo declarat, atque illustrat miraculis, aut Apostolicæ sedis testimonio. Cum vero non ii tantum putandi sint insignes sancti; qui miraculis fiunt illustres, aut qui sunt canonisati (nam aliqui, qui habentur in tota Ecclesia sancti, vel paucis, vel vix aliquibus claruerunt miraculis, neque publicà Ecclesiæ ceremonià sunt promulgati tanquam sancti vt est Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & alii) fatendum est, eos, qui in hac vita non adipiscuntur suæ sanctitatis celebre elogium, propter arcana Dei judicia, & causas nobis etiam occurrentes; ut quòd quispiam sanctorum non fuerit publica in Ecclesia persona, quales sunt Pontifices, Episcopi, Fundatores ordinum, & similes quorum exempla posteris sunt proponenda, ut eos tanquam Patres, & duces tutò sequantur: cum, inquam, id ita sit, fatendum eos in illum diem reservari, de quo sic habemus Sap. 5. *Tunc justi stabunt in magna constantia, in perpetuum vivent & apud Dominum est merces eorum Accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini:* Sap. etiam 4. legimus: *Videbunt finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus & quare munierit eum Dominus.* Hoc est primum quod ultimo loco addendum putaui, nempe posse esse quosuis religiosos, in suo ordine sanctos, si exacte servent sua statuta; eximia tamen sanctitas jis debetur, qui vacant singulari opera perfectioni.

Alterum etiam addere, oportet, ad soliditatem, & securitatem perfectionis sanctitatisq; magnæ, neq; meo judicio sed magni Sancti Augustini, hic Tom 6 à cap. 29. ad 40. Suadet illis hominibus, qui altum perfectionis culmen sibi proposuerunt (quales ibi nominat virgines, religiosos, sed eadem est ratio omnibus, qui profitentur castitatem, aliaq; vota religiosa) his, inquam, suadet Sanctus Doctor, humilitatem mentis esse necessariam, ut si ea abfuerit, periculum sit de tota sanctitate. Quod quia non præclarè modò sed subtili etiam varietate, magno cũ legentium commodo probat, latius puto referendum: sic ergo incipit. *Non ego te anima pie pudica, quæ appetitum carnalem, nec usq; ad concessum coniugium relaxasti: quæ discessurum corpus, nec successori propagando indulsisti. Non ego te, ut discas humilitatem, ad publicanos, & peccatores mitto, qui ta-* 83.

men ad regnum cœlorum præcedunt superbos;non ad hos mitto,indigni sunt enim, qui ab immunditiei voragine liberati sunt, ut ad eos imitandos mittaris illibata virginitas. Ad Regem cœli te mitto, ad eum per quem creati sunt homines, & qui creatus est inter homines propter homines; ad speciosum forma præ filiis hominum, & contemptum à filiis hominum, propter filios hominum; ad eum, qui dominans Angelis immortalibus, non dedignatus est servire mortalibus. Vade, & veni ad eum, & disce quàm mitis est, & humilis corde. Non ibis ad eam quæ Domini tui pedes lacrymis rigavit, quærens indulgentiam gravium peccatorum; sed ibis ad eum, qui cùm daret indulgentiam omnium peccatorum, lavit pedes suorum servorum. Non ibis ad eum, qui oculos ad cœlum levare non audebat onere iniquitatis? sed ad eum, qui de cœlo descendit pondere charitatis. Novi dignitatem virginitatis tuæ, non tibi propono imitandum publicanum, humiliter accusantem delicta sua? sed timeo tibi Pharisæum superbè iactantem merita sua. Non dico esto qualis illa, de qua dictum est: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; sed metuo, ne cùm tibi modicum dimitti putas, modicum diligas. Et capite 39. cum adduxisset loca scripturæ terrentia magnos, ne cadant, ut est ille Job 7. *Nunquid non tentatio est vita hominis super terram?* & Matth. 24. *Refrigescet charitas, abundabit iniquitas:* & prima ad Cor. 10. *Qui se putat stare, videat ne cadat:* tandem cap. 40. concludit: *Inter hæc divina monita, & humana pericula, ita ne adhuc virginibus sanctis humilitatem persuadere laboramus? an verò propter aliud credendum est, permittere Deum, ut misceantur numero professionis vestræ multi, & multæ, casuri, & casuræ; nisi ut his cadentibus, timor vester augeatur, quò superbia comprimatur, quam sic odit Deus, ut contra hanc unam, se tantùm humiliaverit altissimus.*

84. Hæc Augustinus: quæ pio lectori clare demonstrant,tantam esse humilitatis sancto, ac perfecto necessitatem, quanta esse potest, ut qui talis est, non sit alius, neq; ut est Psal. 74. In finem corrumpat, ac per id, quod bonum est, operetur sibi mortem, secus quàm vult Apostolus Rom. 7. Eam ob causam noster quoq; D. P. Ignatius Parte. 3. const. cap. 1. par. 22. ad charitatem in qua est summa perfectionis, humilitatem requirit ubi sic ait. *Magnopere conferet devotè quoad fieri poterit ea munera obire, in quibus magis exercetur, humilitas, & charitas, & in universum loquendo, quantò aliquis se arctiùs Deo astrinxerit, & liberaliorem erga summam maiestatem se præstiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur,& ipse in dies magis idoneus erit ad gratias, & dona spiritualia uberiora recipienda.* Liberalitatem in Deum, humilitati, & charitati subnexuit, qui enim

motus

motus amore Dei se totum, & labores suos ipsi decrevit dicare, tutò dona sua ad illum perferet, si ea non sibi, sed ei, qui dat tribuit, ipseq; indies plura ab eodem accepturus est, quę iterum offerat eidem, ut sanctus, sanctior, & justus, justior evadat, & ad supereminentem semper tendat mensuram perfectionis religiosæ.

Sectio IX.

Quis graviùs Deum offendit eodem genere peccati, religiosusne, an secularis.

CVm perfectio religiosa exigat fugam peccatorum, etiam levium, & tamenin hac mortali vita crebro accidat, vt labamur, non abs re est quærere id, quod posuimus in tituli dubitatione, cuius resolutio commendat magis statum religiosum, perfectionemq; eius; si enim religiosus, committendo aliquod peccatū, minus offendit Deum, quam secularis idem patrando, minor hæc offensa perfectioni religiosæ tribuenda est. Dubitationem positam movit S. Thom. 1.2.Q. 186. art. 10. ad quam respondet in triplici eventu gravius religiosum peccare, eadem specie peccati quam sæcularem. Primo si peccatum sit contrarium alicui religioso voto, quia enim fornicatio v. g. est contraria voto castitatis, si religiosus illam committat, gravius peccat, quia duo complet delicta, unum contra castitatem, luxuriæ communis, alterum contra votum eius, sacrilegii, & sic de aliis votis: id quod verum est, non solum in culpa mortali, sed etiam in veniali: unde negligentia v. g. in repellendis immundis cogitationibus, & castitatis, & voti habet, etsi levem offensam. Secundo gravius peccat religiosus, si scandalum præbeat, vita enim servi Dei, est oculis hominum exposita, tanquam speculum, quod præferri debet, ut trahat alios ad obsequium Dei, non ab eo retrahat. Quare S. Paulus de se, aliisq; Apostolis dicit 1 Cor. 4. *Hac fratres transfiguravi in me, & Apollo propter vos, ut in nobis discatis*: & infra: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* 85.

Porro gravitas hęc scandali, aliquando est diversum, saltem numero peccatum à peccato sæcularis, aliquando idem, sed maius, quasi intentione, & pondere offensæ. Nam si sæcularis palàm se inebriet in illis præsertim locis, in quibus ebrietas, ob frequentem usum, iam non 86.

parit horrorem, aut admirationem; peccabit quidem contra sobrietatem, non tamen scandalizabit. Cæterum si religiosus eidem peccato obnoxius sit, non ebrietate tantum, sed & scandalo Deum offendet quia eius vita, norma sobrietatis esse debuit; nimirum, qui omnibus inordinatis renunciaverit voluptatibus, & ad renunciandum (quantum potest) aliis, præluceat necesse est. Aliquando vero utriusq;, tam religiosi, quàm sæcularis delinquentis, eadem est culpa, sed in uno gravior; ut si uterq; peieret, aut aliud quid faciat, quod & à seculari scandalum præbeatur, graviùs tamen a religioso, propterea quod ad omnia peccata vitanda, magis debet exemplo suo præire religiosus, qui maiorem a Deo supponitur habere gratiam, atq; auxilia. Hanc ob causam non dubito interdum fieri posse, ut veniale ex se peccatum commissum à religioso, pariat mortale scandalum. v. c. si proferat mendacium leviter noxium, & sit in æstimatione hominum persona gravis, pia, & sancta. Ad hoc ostendendum adducit S. Thomas illud Jerem. 23. *In prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij, & confortauerunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisq; a malitia sua.* Quod cum verum sit, cautam admodum debent habere religiosi, præsertim cum secularibus consvetudinem: qui nimirum, informi judicio, ac charitate, facile venenum hauriunt scandali, interdum etiam tum cum mel boni exempli sumere deberent: quanquam tunc passiuum est scandalum, nec vitandum; hic autem agimus de actiuo, cui semper occurrendum est.

87. Postremò gravius religiosus peccat, si ex contemptu idem faciat, quod & secularis pariter ex contemptu: hæc etiam gravitas, jam est novi scandali juxta supradictam, jam maioris, in eodem peccato, offensæ. Causam cur maior sit offensa putat S. Thom. esse ingratitudinem; nam qui ad maiora vocatus est, & præclarioribus à Deo præditus donis, maiorem eidem debet gratitudinem cavendo offensam ex vilipensione, seu contemptu. Gravitas hæc, non semel fuit per subsecutam pœnam mundo manifestata, ut videre est in Lutero, Ochino, aliisq; non paucis apostatis, qui traditi sunt in reprobum sensum, vitamq; sceleribus enormem, quam neque in obitu mutarunt, quia ingratos se præbuère vocationi religiosæ. Ad contemptum revocari potest quodvis religiosi deliberatum peccatum, sic enim delinquens magis lædit Deum, quàm sæcularis, quia plura habet auxilia, ad vitandam ex præsumpta malitia culpam, beneficio quorum debet conari, ut amorem, suum testetur in Deum, cavendo contemptum, ingratitudinem, & malitiam, amoris præcipuos

puos hostes : testetur, inquam, in Deum, à quo è multis electus sit, & à Deo dilectus. Merito de eiusmodi queritur Deus Jerem. 11. *Quid est quod dilectus meus in domo mea, fecit scelera multa?*

Jam si enumerata vitentur delicta à religioso, admittatur verò aliquid ex ignorantia, aut infirmitate, censet S. Thomas loco supra citato, minùs tum Deum offendi ab illo, quàm a seculari : *quia peccatum*, inquit, *eius si sit leve, quasi absorbetur à multis operibus bonis quæ facit; si sit mortale : faciliùs ab eo resurgit.* Primò quidem propter intentionem, quam habet rectam ad Deum, quę etsi ad horam intercipiatur, de facili ad pristina reparatur : juvatur etiam à sociis ad resurgendum, secundum illud Eccle. 4. *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur.* Hęc S. Thom. tres asserens causas levioris in religioso culpæ, intentionem serviendi, & placendi Deo, tot bona opera, quæ quotidie exercentur, & eorum quibus cum vivitur auxilium. 88.

Et intentio quidem ad Deum recta ac opera pia, sunt veluti advocati apud judicem Christum, ut minùs iis succenseat, qui aliàs ipsi & volunt sincere obsequi, & obsequuntur fideliter. Tales patronos habuit Rex Roboam, ut legitur 2. Paralip. 12. *qui dereliquerat Deum, & omnis Israel cum eo*; nihilominus testatur scriptura : *Aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus, siquidem in Iuda inuenta sunt opera bona.* Tām bona opera, quam intentio dicta, cum non sint in secularibus, qui, ut plurimum, genio suo serviunt, pluraq; mala, quàm bona patrant; hinc sequitur, ut eorum peccata graviora sint, quam religiosorum. 89.

Ad hæc eadem intentio recta, & obsequendi Deo jugis frequentia, reddunt aptiorem religiosum ad citò resurgendum, corrigendumque, erratum : nam qui ad Deum ut finem rectè afficitur, qui etiam habitu, ac consuetudinè pollet, rectè propter Deum agendi, mox tollit, ubi advertit aliquid suo fini, & consuetis mediis contrarium. Ad hæc omnia plurimùm conferunt ii, quibuscum in religione, vivitur, nempe superiores assiduâ vigilantiâ, sociiq; sanctis precibus, ac charitate. Cùm ergo citiùs à lapsu consurgit religiosus, minùs Deum offendit, quàm sæcularis, qui plerumque in admissis semper peccatis diu delitescit, quin & repetit, additq; alia, pœnitentiam in futurũ differendo. Vnde, & Dominus Matth. 21. filium, qui jussus à patre operari in vinea dixit, subitanea motus infirmitate: Nolo; sed mox facti eum pœnituit; hunc, inquam filium prefert alteri, qui obtulit se; nihil tamen unquam fecit : minus itaq; prior offendit patrem, qui citius correxit inobedientiam, quàm al- 90.

ter qui in ea diu permansit. Hæc sunt, quæ effic iunt leviores infirmitates atq; ignorantias religiosorum, quæ cùm statui eorum tribuenda sint, etiam ex hoc capite, ille laude dignus, multumq; alio præstantior, qui his caret adminiculis: quare perfectio eius non tantum desumenda est ex bonis operibus, eorumq; excellentia; verumetiam ex malis, quandoquidem minores in se continet culpas.

91. Quòd si quis dicat etiam à sæcularibus minùs Deum offendi, defectu voti, scandali, & contemptus, ac proindè eorum statum ex eo capite commendandum, & vel preferendum, vel æquandum religioso. Respondendum est defectum illorum trium, non in perfectione beneficiorum Dei: quia enim pauciora à Deo habent, pauciorum ab ipsis ratio exigitur; unde non frangunt votum, quia illud non emiserunt; non ita scandalizant, quia non sunt propositi mundo, ut spectaculum, non sunt adeo ingrati, quia non acceperunt tanta bona. Quod verò religiosi ex illis tribus causis magis offendant, est ideo, quia perfectioribus mediis ad finem salutis utuntur; semper autem maius percipitur damnum in re magis pretiosa: quemadmodum si ponamus parem quantitatem auri deperdi & ferri, maius longè est damnum in auro, quàm in ferro. Hæc de perfectione religiosorum.

Sectio X.

In quo sita sit operum perfectio in pastoribus Ecclesiæ.

92. Quoniam differentia inter pastores Ecclesiæ, & religiosos in eo est quod hi profiteantur studium perfectionis, illi ipsam perfectionē, priores conantur assequi, quod sibi proposuerunt; posteriores in eo, quod iam sunt adepti progrediuntur, ut ostendi hoc capite num. 15. Hinc facile est cognoscere in duobus prælatorum Ecclesiasticorum sitā esse operum perfectionem: primum est, ut triplex illud sanctè operandi genus, nimirum, sobriè, justè, & piè vivendi, in ea exprimant perfectionis excellentia, ad quam religiosi, ut hactenus vidimus, nituntur conscendere. Id planè & in eadem ad Titum Epistola in quâ cap. 2. iussit Apostolus omnibus prædicari fidelibus, ut sobriè, justè & piè vivant, prius cap. 1. pastoribus Ecclesiæ commendat: *Oportet*, inquit, *Episcopum sine crimine esse, sicut Dei Dispensatorem, non superbum, non iracundum*

cundum, non temulentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Quibus verbis exigit à pastoribus, ut sobrietatis, justitiæ, & sanctitatis laude sint decori: & quidem loco pietatis, quam posuit cap. 2. nominat sanctitatem; ita enim pastores omnibus virtutibus, maximè in Deum excellere debent, ut meritò sancti censeantur.

Porrò sanctitatem in tribus ponit, in quibus paulò ante diximus exerceri religiosos: Primò ut careant crimine peccatorum: Oportet enim, inquit, Episcopum sine crimine esse: simul etiam insinuat à levibus quoque culpis immunes esse debere, quantùm divina gratia fieri potest, nam non solum magna crimina, sed & modica delicta pariunt vitia, quibus vult carere Episcopum, cum ait: Oportet Episcopum esse non superbum, non iracundum, non vinolentum, & quæ ibi ponit. Secundò vult Apostolus sanctitatem prælatorum declarari, seu potius illustrem esse continua virtutum operatione, quando, addit: Oportet Episcopum esse hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem. Tertium quoq; requirit, ad omnimodam sanctitatem nempè magnam animi contentionem (sine qua, illa, ut vidimus in religiosis, non consistit) verè enim sanctus non satis habet, quòd à malo abstineat, & bonum operetur, insuper optimo modo, toto, scilicet, mentis conatu agit, quæ agit. Hoc, videlicet, in quovis sancto prędicare videtur Deus per Isa. cap. 3. *Dicite justo, quia bene*; quasi dicat. Justus est, non qui tantum bona agit, sed qui præterea bene agit. 93.

Ex hac Pauli doctrina non difficilè est notitiā assequi perfectionem, & sanctitatem Pastoris, prælatiuè Ecclesiastici. Primo liber is debet esse à crimine, seù quovis enormi facto, etsi levioribus carere nequeat id quod bene ostendit S. Augustinus Tom. 9. in cap. 8. Joan. Tr. 41. dans differentiam inter crimen & peccatum. *Quemcunq;, inquit, justum discusseris, non omnimodo est sine peccato*, etiam ipse Job dicit: *Quis enim mundus?* sed planè multi dicti sunt justi, sine querela, quod intelligitur sine crimine: crimen autem est, peccatum grave accusatione, & damnatione dignissimum. Ideo & Apostolus I. ad Timoth. 3. quando eligit ordinandos, vel pręsbyteros, vel diaconos, non ait: Si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, nullus homo ordinaretur, sed ait: *Si quis sine crimine est*, sicut est homicidium, adulterium, immunditia fornicationis, 94.

nis, & cœtera huiusmodi. Ad peccatorum carentiam inordinatarum quoq; affectionum dominium accedere debet, ne pullulent vitia, quæ prohibet ibi Apostolus; qui enim laborat passionibus facilè delinquit, ex quo deinde consequuntur vitia. Cùm tum necesse sit interdum in levibus deficere, ex quibus consequitur pravus habitus; is sine mora per facti pœnitentiam, oppositaq; opera bona delendus est, & in eius locum virtus sufficienda.

95. Hoc adeptus Pastor, debet esse ornatus virtutibus, cuiusvis ex tribus illis rectè operandi generibus: ac primò excellet prudentiâ, duce, ac regulâ virtutum moralium, solerter, providè, cautè, circumspectè, ac pacatè disponendo omnia. Hunc ducem sequenti, nihil deerit de solida, & perfecta sobrietate, cæterisq; eius comitibus, quales sunt inprimis temperantia cibi, potusq;, castitas, modestia, continentia, clementia, mansuetudo, humilitas, studiositas, seu, utilis cognitionis appetentia. Secundò comitabitur sobrietatem fortitudo quæ magna, aut etiam extrema adversa invicto fert animo; ad eandem spectat magnaminitas, magnificentia, tolerantia, constantia, perseverantia. Pari iure prudens justitiam, eiusq; sibi vendicabit asseclas, sive eas quæ ad commutativam, sive quæ ad distributivam pertinent justitiam. Tùm si judex fuerit, aut publica persona, debitè suum obibit munus; si privatus, in contractu quovis, emendo, vendendo, mutuum dando & similibus, ita se geret, ut sit semper memor illius quod Christus præcepit Mat. 7. *Omnia quæcunq; vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* In privatis, quoq; congressibus, ac ultro citroq; colloquiis ad illud attendet, ut fama, honorq; proximi tuta sint. Ad hæc nihil ab eo requiretur, quod pietas in patriam, parentesq; postulat: observans erit maiorum, superiorum obediens, verax ad omnes, gratus benefacienti, liberalis, cui, & quando fuerit opus, postremò debitum in vindicando tenens modum ac finem.

96. Denique pietatis in Deum officiis præstans, & clarus idem erit, credet integrè omnia, quæ Ecclesia sancta à Christo atq; Apostolis, credenda accepit, & quando fuerit opus, profitebitur eadem quantumvis immineat periculum ab hostibus Christi, veram publicè testantia fidem. Spe firmâ munietur, supremum à *Deo* auxilium expectando, sive in consequendis iis, quæ sunt super creatas vires, nempe gratia, & vita æterna sive in ijs, quæ ad tantam rem possidendam conferunt. His aderit comes religio in Deum, ipsum debitè exorando, reverenter adorando, in eius cultum, ut quisq; debet afferendo primitias, oblationes, decimas, sacro-

facroſanctum ſacrificium, vota, laudesq. divinas, & ſi aliquando fuerit neceſſe; ipsum in teſtimonium vocando. Ad omnes jam enumeratas virtutes morales ac Divinas accedet poſtremò regina decusq; omniũ charitas, videlicet, Dei ac proximi, tum in illum, tum in hunc pręſtantibus ſe prodens ſignis, & actionibus ſincera dilectione; ſpirituali gaudio concordiâq; non fictâ, utili correctione fraternâ, beneficentiâ, miſericordiâ, amplâ demum pro cuiusq; facultate eleemoſynâ. Porro has virtutes omnes perfectus, quem deſcribimus, prælatus creberrimâ renovabit frequentatione, non expectando, ut ipſæ eum ad ſe invitent; ſed ille eas quæret, inveſtigabitq; promptè ſe offerentes.

Et cum oppoſitorum ea ſit ratio, ut ſecũ pugnent, neceſſe eſt vitijs 97.
valedicere ei, qui enumeratas iam cupit tenere virtutes, vt paulò ante dixi obiter. De fidei,ſpei, & charitatis contrariis erit locus ſequenti libro, hîc de moralibus & acquiſitis agimus vitijs,quibus vult carere Apoſtolus Epiſcopos, cum ait: Epiſcopũ oportet eſſe non iracundum, non vinolẽtum; & jdem de cæteris intelligit vitijs. Ac inprimis de ijs, quę prudentiã,regulã virtutum moralium acquiſitarum turbant, atq; obcęcant, ut eſt præcipitatio, inconſideratio, negligentia, inconſtantia, fraus, dolus, aſtutia, prudentia carnis, nimia caducorum ſolicitudo. Deinde prohibetur intemperantia cibi, potusq;, ebrietas, luxuria, ac impertinens curioſitas. Ad hæc vetantur fortitudini oppoſita, nimirum, audacia nimia, & timor ſuperfluus, præterea præſumptio, inanis gloria, ambitio, puſillanimitas,impatientia,parvus in agendo magnifiçè animus,mollisq; aut pertinax in perſeverando. Deniq; procul abeſſe debent illa, quæ juſtitiæ ſunt hoſtes, nocentq; proximo in rebus eius, famâ, honore, vitâ corporis, & ſalute animæ. In rebus,eſt uſurpatio ſubſtantiæ alienæ,quæ variè committi poteſt, injuſtè emendo,vendendoq;, mutuum cum uſura dando, & aliis perverſis contractibus. In fama, eſt detractio; in honore maledictum, ſuſurratio, deriſio; in vita, eſt eius injuſta privatio; in ſalute eſt nocumentum animæ, quod ex juſtitia cavendum eſt, quemadmodum debent paſtores cavere in ovibus ſibi commiſſis. Atq; hęc damna jam privatim inferuntur à privatis, jam publicè à publicis, ut ſunt judices, & in dignitate conſtituti; ijq; qui obligantur ad rectè diſtribuenda bona communia.

Cùm his numerantur vitia oppoſita pietati, parentibus, & patriæ 98.
debita, item obſervantiæ in maiores, ingratitudo quoq;, inobedientia, ſimulatio, mendacium, Ironia, jactantia, litigium, vindicationis

 excef-

excessus, adulatio, inimicitia, prodigalitas, avaritia. Tandē sunt vitia religioni in Deum adversa, qualis est superstitio, variæq; eius species, defectus orationis, ac devotionis, tentatio Dei, sacrilegium, prævaricatio voti, periurium, simonia. Quæ omnia, quid in se sint, libri huius primi utrâq; parte explicatum est, sicut & virtutes illis oppositæ. Placuit hîc singula cursim recensere, eò quòd pastorum Ecclesiæ declaretur perfectio, qui non tantùm sancti debent esse sibi, sed insuper norma aliis sectandæ honestatis, cavendorumq; vitiorum, & à quibus, de his omnibus lux, notitiaq; sumenda.

99. Ita ornatus virtutibus, vitiisq; carens Ecclesiasticus præsul, tertium quoq; ad perfectionem operum addet, ut, scilicet, magno conatu, & contentione animi laboret in consequendâ honestate, eâ vel maximè, quæ reliquis vires, & vitam dat, qualis est charitas. Id vero accedente Dei gratia esse facilè, ac jucundum ijs, qui perfecti esse cupiunt, vel inde claret, quod res omnes in suos fines propensissimè ferantur, nisi aliquo detineantur repagulo. Quis enim gravibus auferat impetum tendendi ad ima? levibus alta petendi? brutis innatum amorem ad fœtum, & vitam? Hæc à natura fiunt.

100. Jam cum homini, anima eò fit ultra naturam gratiâ, ac misericordiâ Dei provecta, ut verè dixerit S. Augustinus cum Deo colloquens lib. 1. Confes. cap. 10. Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te; perfectus homo, qui nullo creatæ rei, aut inordinati affectus vincitur retinaculo, expedito celeriq; ad Deum suum finem fertur impetu, tantòq; expeditiore, & celeriore, quantò tum virtutum omnium, tum inprimis caritatis altiorem est assecutus gradum, ac præstantiam: is enim magis se urgeri intus, magisq; inquietum sentit, donec ad Deum perveniat.

101. Et cæteri quidem fines, rerum præsertim sensibilium, metaphoricâ, & imperfectâ ratione trahunt ad se; Deus trahit (in quo est nostra summa dignitas, ac fęlicitas) amando, & ea misericorditer largiendo, quibus ad ipsum feramur, perveniamusq;, vicissim amando. Id quod pulchrè expendit S. Augustinus Tom. 9. lib. uno medit. cap. 10. *Scio, inquit, Domine, scio, & fateor, quia non sum dignus, quem tu diligas; sed certè tu non es indignus, quem ego diligam: da ergo mihi Domine, unde tu es dignus, & ego ero dignus, unde sum indignus.* Et cap. 18. *Hoc, inquit, scio, quia malè mihi est præter te Domine, non solùm extra me, sed in me ipso: omnis enim copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est:* Ita S. Augustinus.

Sic

Sic quivis perfectus, omne quod agit extrà, *illud* secum rapit, & ad Deum defert, ubi virtus gemit, spirat, ardet, illudq; perenniter ingeminat: Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, deficit caro mea & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Ps. 72.

Eam jam explicatam, & in tribus sitam perfectionem, nempe in 102.
carentia culparum, & sedatione affectionum, in multitudine acuniversitate virtutum, demum in intenta exercitatione earundem, exigit S. Paulus Epistolâ illâ ad Titum cap. 1. à quovis Ecclesiæ pastore, quando exigit omnem virtutem, & sanctitatem. Cæterùm eodem loci prescribit & illud: Oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Atq; hoc est secundum, in quo continetur perfectio pastoris, ut sanctus jam Dei munere effectus, sciat sibi impositam necessitatem, quam significat Paulus illo verbo (oportet) pascendi oves sibi commissas sanâ doctrinâ, & eos qui ei contradicunt, hoc est lupos, abigendi. Secundâ istâ perfectionis parte præcellunt Pastores quibusvis religiosis, qui si quid agunt pro salute animarum, caritatis impulsu, non ex debito justitiæ agunt; aut si qui habent curam animarum, non tamen habent peculiarem illam obligationem, qua se obstringunt Episcopi, ut agendo de eorum statu supra cap. hoc à num 15 ad num. 21. explicatum est.

Jam verò quantâ perfectione obligationem dictam exequi debeant, 103.
non meliùs declarari potest, quàm testimonio eius, qui se hac in re prototypon esse voluit, & eius, qui in se illud expressit, atq; expressum cæteris imitandum proposuit. Salvator mundi exemplar se nominat ita Joan. 20. Apostolis locutus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; hoc cum dixisset insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* Ad quæ, & quanta pro salute hominum misit Pater filium scimus; ad quæ, & quanta misit filius Apostolos etiam hoc novimus: Ad quæ demum, & quanta successores eorum mittantur, Christus docet, cùm ait: Ita & ego mitto vos. Neq; enim Apostolos solos brevi victuros ad subsidium Ecclesiæ destinavit; sed omnes, qui deinde eorum locum obtenturi erant, quamdiu duratura est Ecclesia, hoc est ad consummationē sæculi. Apostolorum erat Christi, pastorale munus, veluti in imagine vivâ, & ad amussim efficta exprimere, nimirum, qui & tempore & gratiâ illi erant viciniores. Reliquis Pastoribus satis erit Apostolos referre, è quibus unum adducam S. Paulum, qui se exactiùs depingit, ut clarè appareat imitandum exemplar.

 Ergo

104. Ergo hic 2. ad Corinth. 7. inprimis vituperat eos, qui non veram normam tenent Ecclesiastici regiminis, etsi veritatis lineamenta fingant, ut inquit, *veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me, in Regionibus Achaiæ: quare? quia non diligo vos? Deus scit: quod autem facio, & faciam, ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos.* Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi, & non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis; non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundùm opera ipsorum. Ita expeditis pseudoapostolis, in se genuinam Christi summi Pastoris proponit effigiem, modestè præoccupans animos, ne quis putet eum vanè se jactare. Iterum, inquit, dico (ne quis putet insipientem me esse, alioquin veluti insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier) quoniam multi gloriantur secundùm carnem (id est secundùm ea, quæ in mundo sunt magna, ut est natalium splendor, opum abundantia, ingenium, facundia, humanarum rerum cognitio, splendor, favorq; hominum & similia) & ego gloriabor, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minùs accepi; ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in jeiuniis multis, in frigore, & nuditate.

105. His significat Apostolus, quæ egerit magno cum labore, & quæ passus sit pari cum dolore pro ovibus Christi: Addit præterea se paratum fuisse animo ad quævis alia, quę non poterat præstare: & si quando labori, ac dolori suo non respondit optatus fructus, commiserationi, quâ viâ tanto malo occurrendum esset, nullum dabat finem; ita enim caput illud concludit: Præter illa quæ extrinsecus sunt instantiâ mea quotidianâ, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non uror?

106. Qui in Apostolo Paulo ea, quę ipse egit, quæ tulit, & quæ assiduè volvebat animo, accuratè expendit, causam quoq;, quæ illum ad hoc movit, nempè amorem salutis hominum, quem ipse, antequam ita gloriatus est, præmisit: *Non diligo vos? Deus scit: quod facio, faciam:* qui, inquam, hæc trutinat, intelliget profectò, normam omnibus pastoribus

bus in se Paulum proposuisse ita quidem, ut, si diligunt oves suas, dicant cum illo: non diligo vos? Deus scit: quod facio faciam, hoc est factis meam testabor dilectionem. Non est necesse, ut singuli pastores tanta in obsequio Christi, ministerioq; salutis hominum ferant, quanta Paulus, cum nec alii Apostoli ea tulerint, teste eodem ibidem Paulo: Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico) plus ego. Neq; est necesse, ut unusquisq; martyrium subeat, sicut Paulus, cum nec Apostoli omnes illud sint passi: Sed quòd in se ipse commendat, est, ut quisq; Pastor tantùm agat, tantùmq; patiatur, demum eam gerat curam solicitudinemq;, quam postulat munus sibi commissum, oviumq; custodia, quarum (& quidem singularum omnino) sanguinem de manu eius requiret summus Pastor Deus, ut est Ezech. 3.

Pastor hic factus similis ovibus 30. & aliquot annos pascendis eis 107. concessit; Apostoli fortè non plures annos singuli: quo verò, tam ille quàm hi animi conatu, quibus sudoribus, quâ tolerantiâ, quis verbis exprimat? Tam operosam curam merebatur & dignitas animarum, & difficultas pascendi eas, id est à gehenna vindicandi, & deducendi ad cœlum; sed super hæc ita voluit ille, qui ad se creatum hominem, tanto suo, suorumq; labore statuit ultimâ donare felicitate.

Non alia erit Dei voluntas ad ipsum usq; mundi finem, non minus 108. expeditum est nunc, quàm olim lucrari Deo animam, non amisit illa suam, quam antea habebat dignitatem. Ergò si Christus, si eius Apostoli, tanti æstimarunt salutem humanam, toto quo hîc vixerunt tempore, & quo munus pastorum egerunt: non aliud erit judicium eorum omnium, qui ipsis pari in munere, atq; auctoritate dignè succedunt. Non deerunt illis vires animi (etsi deficiente interdum corpore) non industria, non libertas, pro Dei honore, animarumq; fructu, nullum deniq; aut terrebit adversum, aut prosperum flectet: quia eorum spiritu, animiq; magnitudine agentur, quorum se vident, & sedes occupasse, & potestatis exercendum suscepisse officium. Ac quemadmodum nihil est quod non sit à Salvatore relictum ad debitè promovendam hominum salutem; ita nihil in ipsis desiderabitur, ad cooperandum Salvatori in sua aliorumq; lucranda salute. Id demum Paulus Episcopo Timotheo 1. Tim. 4. præcipit: *Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.*

CAPVT. XIX.

De Obedientia.

QVoniam de omnibus virtutibus, quæ ad justitiam tanquam partes eius potentiales referuntur, ex proposito nostro agendum est, & jam de religione una ex his partibus, quantum ad eius necessariam requirebatur notitiam est actum: restat ut de reliquis dicatur, & quidem hoc ordine. Primo eas adducemus, quæ Deum concernunt creaturamq; rationalem, tum illas, quæ hanc solam spectant; prioris generis est obedientia.

Sectio I.

Quæ sit præstantia Obedientiæ.

DE huius virtutis prętantia, ac nobilitate, non pauca sunt dicta in eius libri parte priore cap. 1. à num. 36. Vt quòd sit prima inter omnes virtutes morales; quòd has, quin & Theologicas in ani-
1. mum inducat, & id genus alia. Porro inter causas, ob quas obedientia ita sit pręstans, diximus primam esse universalitatem materiæ & obiecti eius, nimirum, omnium virtutum etiam Theologicarum actus præceptos, quævis etiam alia indifferentia opera, si & hæc præcipiantur; ut est sustentatio corporis, vel abstinentia ab alimento, somnus, vel vigilia, & reliqua eius generis. Auget eandem, & illud præstantiam, quòd pręcipuas hominis regat facultates, judicium, videlicet, voluntatemq; propriam, subijciendo sententiæ, & voluntati divinæ, tanquam primę omnium honestarum operationum regulę. Deniq; præstans est obedientia ex eo, quòd sit vicina charitati: quidquid enim charitas Dei exigit, exigit illud omne obedientia. Quapropter dilectionem suam, non alii virtuti tanquam præviæ adscriptam refert Christus, quàm obedientiæ, ita enim Joan. 14. loquitur: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Hæc sunt quæ præstantiam huius declarant virtutis, primæ inter omnes morales.

2. Caietanus in 2. 2. scribens in quæst. 104. art. 5. præfert obedien-

dientię religionē in actu interno devotionis,eò quòd hæc interno voluntatis affectu feratur in honorandum Deum; Obedientia autem interno quoq; affectu tendat ad parendum divinæ voluntati: *Præstantiùs autem*, inquit ille, *est colere ipsum Deum, quàm obedire eius voluntati, quæ concipitur à nobis quasi quid distinctum, ab ipsa Dei dignitate, ac maiestate, & est quid posterius illo, in tali conceptu nostro*. Cùm igitur devotio feratur in cultum ipsius; Dei,obedientia verò in voluntatem eius, sequitur ut Religio cum devotione sumpta, sit præstantior obedientia. Quòd si religio accipiatur cum externis suis operationibus, quia, nimirum, contemnit opes, quas in cultum Dei expendit, sic Caietanus affirmat, religionem inferiorem esse obedientiâ, quia hæc contemnit proprium judicium, & voluntatem, quæ sunt altiora quibusvis opibus. Subtilis Caietani hic discursus ex eo non videtur intentum probare, quòd tam devotio, quàm obedientia spectet in Deo aliquid, quod à nobis concipitur ut distinctum ab eo. Nam sicut obedientia fertur in executionem divinæ voluntatis, ut distincti à Deo attributi; ita devotio fertur in cultum divinæ excellentiæ, tanquam distincti attributi: par ergo utriusq; ratio, in hac quidem consideratione.

Quapropter quod S. Thomas 2. 2. Q. 8. art. 6. in corpo. præferat religionem omnibus virtutibus moralibus, ac proinde etiam obedientię,duplici intelligentia id fecisse dicendus: Primam attuli hac parte cap. 1. num. 8. quam S. Thomas ibidem attingit. Si enim religio spectetur, ut tendit in honorem Dei, obedientia autem, ut moderatur judicium, voluntatem, cæteras potentias, ac bona externa, quæ ad obedendum concurrunt;: sic religio pręstat obedientiæ,quia fertur in honorem divinum, honor autem Dei est excellentior quibusvis, etiam animæ bonis, qualia sunt intellectus, & voluntas. Quod si obedientia consideretur, ut spectat subiectionem Deo debitam, sic revera par est religioni, ut enim hæc colit Deum tanquam supremum Numen, ita illâ paret Deo, tanquam supremo Domino. Potest etiam dici S. Thomam ideo prætulisse religionem obedientiæ, quia illa respicit excellentiam Dei entium primi & perfectissimi, obedientia autem jurisdictionem supremi Domini: cùm verò excellentia prior sit, nostro concipiendi modo, quàm ratio Dominii (ideo enim unusquisq; est Dominus, quia est prędītus aliquâ excellentiâ prosapiæ, doctrinæ, opum, virtutis & similium) ob hanc considerationem potest dici, præstantior esse religio obedientiâ Hanc tamen minoris præstantiæ rationem duplicem, compensat mul- 3.

ſat multis ſupra numero primo enumeratis: quod videlicet, contineat omnium virtutum etiam Theologicarum operationes, indifferentiaq; omnia. Adde quòd ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 4. art. 3. in corpore; *nulla bona opera ſint apud Deum meritoria, niſi referantur ad executionem divinæ voluntatis, quam perficit obedientia:* unde abſolutè aſſerendum eſt, præſtantiorem eam eſſe omnibus virtutibus moralibus, etſi ſecundum quid, hoc eſt ſecundum aliquam conſiderationem religio ex parte antecedat.

4. Quod ipſum inde confirmari poteſt, quemadmodum enim fides dicitur ſecundùm unam conſiderationem præſtantior charitate, quia eſt in altiore hominis potentia, nempe in intellectu: nihilominus charitas abſolutè eſt excellentior fide, ut omnes Theologi docent cum S. Thom. 2. 2. Q. 23. art. 6, in corpore, & expreſsè S. Paulus 1. Cor. 13. dicit *Maior autem charitas*; eò quòd totum hominem in ultimum finem Deum referat, & illi uniat ſuper omne quod creatum eſt: ita & religio ſecundùm dictam conſiderationem præferenda eſt obedientiæ, abſolutè verò poſtponenda illi, maximè cùm obedientia valde ſit vicina charitati; ut docet S. Thomas loco nunc citato, quem ſequitur ibidem Caietanus, hancq; ponit differentiam inter charitatem, & obedientiam, quòd utraq; idem velle & nolle habeat cum Dei velle, ac nolle; ſed charitas id præſtat pêrmodum amicitiæ, obedientia inſtar ſervitutis; illa enim omne agit ut placeat Deo, hæc ut obſequatur Domino.

5. Affert quidem ibidem Caietanus alterum, propter quod abſolutè cenſet obedientiam inferiorem religione, propterea quòd iſta colat ipſum Deum, illa autem ſervet præcepta Dei; præſtantior autem eſt Deus quam eius præceptum. Sed neq; ratio hæc Caietani convincit, religio enim non reſpicit immediatè ipſum Deum, quod proprium eſt virtutibus Theologicis, ſed cultum, & honorem Dei, quo eodem modo reſpicit obedientia mandatum Dei. Vtraq; ergo pari ratione mediante aliquo tendit in Deum, & id quod mediat totã ſuam præſtantiam à Deo ſortitur, nempe tam cultus in religione, quàm præceptum in obedientia: unde ex hac parte pares ſibi ſunt. Sed jam dicta ſufficiant de præſtantia huius virtutis, utrâq; huius libri parte declaratâ, eoq; omnia referenda, ut advertamus quantùm momenti in hac virtute poſitum ſit ad ſummam beatitudinem conſequendam; in hac, inquam, virtute, ſive communi omnibus fidelibus, ſive peculiari ſolis religioſis, ſcilicet, voto firmatâ.

Sectio. II.

In quo consistat ratio Obedientiæ, & num sit una specie.

Cùm in quovis superiore sit jus, & potestas regendi sibi subditum, obligandiq; illum ad executionem voluntatis suę; obedientiæ ratio in eo posita erit, ut præceptum impleat superioris, qui obligat ad parendum sibi, ferendumq; suum regimen, eos omnes quibus præeminet. Porro jus, potestas, & auctoritas prę eminentiæ, prima atq; originalis est in Deo, qui tanquam fons, & prima causa omnis creaturæ supremum sibi in illam vendicat dominium, cui ipsa non liberâ subiectionis electione, sed necessariâ, ac omnimodâ dependentiâ, ad nutum parere debet. 6.

Duplex autem est parendi ratio, quemadmodum duplex quoq; reperitur creatura, quædam intellectualis pollens libertate, alia expers liberi arbitrii. Posterior naturali impetu subest divino jussui; ita venti, & mare obsequebantur Christo imperanti, quando dicebat: *Tace, obmutesce* Mar. 4. Prior intellectum Dei præceptum liberâ exequitur electione; non quòd non possit perinde, atq; irrationalis impelli divino mandato ad obediendum, sine ulla deliberatione (sicut solet fieri in motibus, ut dicunt Theologi primò primes) sed quia relicta suæ naturæ (ut relinquit auctor libertatis Deus) sponi se determinat ad faciendum id, quod præcipitur. 7.

Quòd si rebellis resistat Deo, cogitur ab eodem ferre contraria perversæ suæ voluntati. Subiectionis huiusce necessitatem describit Salomon Proverb. 6. sententiâ illâ: Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoq; ad diem malum: ubi primò causam omnium, quæ extra Deum sunt, testatur esse ipsummet, vocatq; eum Dominum, altissimæ, & soli illi propriæ potestatis. Etenim alii Domini acquirunt jus in aliquid, quod est subditi, ita mancipia subijciuntur quoad facultates, & operas, ita sponte fambulantes locant dominis operas duntaxat: cæterùm Deus, in omnia habet absolutissimum jus, quia dat omnia, facultates scilicet, operationes, corpus, & animam. Itaq; hac tali dominationis potestate præest omnibus, regit omnia Deus Dominus, quęcunq; operatus est, & quidem propter semetipsum, scilicet, pro- 8.

propter obedientiam sibi præstandam, & ut sic glorificetur quemadmodum vult, & qui impiè non vult, id quod Deus vult, etiam impium ad diem malum operatus est propter semetipsum, scilicet, propter ostendendam suam justitiam.

9. Ex his clarè, liquet primam & summam eminentiæ auctoritatem esse in Deo, aliamq; quæ uspiam reperitur ab ipso tanquam à fonte derivari, atq; iis creaturis communicari, quæ ratione gaudent ad gubernandum necessariâ, quales sunt Angelus & Homo. Horum utriq; duplici ratione conceditur in alios potestas, primò mediante eo, quod ad præeminendum requiritur, ut nimirum, is qui aptiora nactus esset à Deo ad gubernandum dona, siue naturæ, siue gratiæ, præesset alijs: ex hac causa tam inter Angelos, quam inter homines, qui maiore pollet prudentiâ, suapte natura est idoneus ad regendos minùs prudentes. Hinc inter Angelos sunt tres hierarchiæ, & in singulis totidem chori, quorum inferior à superiore illuminatur, & in exequenda Dei voluntate per imperium dirigitur, ut docent Theologi cum Sancto Thoma 2. pag. Q. 108. art. 2. in corp. & q. art. 112. 2 in corp.

10. Ex quo capite Adam quamdiu vixit jure excellentiæ suę, debuit esse superior omnium hominum; maximâ enim inter universos ornatus erat prudentiâ, regendiq; facultate: post cuius obitum, quoniam nullus eum æquabat, penes quamlibet communitatem mansit hæc gubernandi auctoritas. Nam licet semper cæteris sagaciores aliqui reperiantur; quia tamen id non semper clarè constat, & alioquin daretur ambigendi litiumq; ansa, si quisq; superior esse vellet, qui cæteris se putat aptiorem: rationi consonum erat, ut communitas ius regendi sibi usurparet, tanquam quæ inter plures faciliùs potest habere idoneos ad hoc munus, & simul statuere formam regiminis aut plurium, aut pauciorum selectorum, aut unius pro placito cuiusq; gentis. Itaq; jam nunc tam democratia, quàm aristocratia, & monarchia in politicis non à Deo immediatè est instituta, sed à communitatibus, quibus id suapte naturâ competit propter plurium mutua auxilia, quæ conferunt siue ad regendam, siue ad determinandam formam regiminis. Auctoritas jam dicta est quoddam dominium, ordinans cuncta ad bonum commune temporale; quod tamen dominium extenditur in subditos ut in famulos, qui debent superiorem suis operis, & facultatibus sustentare.

11. Jam alter modus, quo Deus communicat auctoritatem superioribus, est per peculiarem institutionem, qua voluit quosdam aliis præficere, tan-

re, tanquam gubernatores. Atq; ut brevitatis causâ omittam ea, quæ in hoc genere facta sunt, in lege scripta, in electione Moysis, & Aaron Exod. 11. & alibi, aliorumq; etiam ad profana obeunda munia, ut Gedeon Jud. 6. Deboræ Jud. 4. & similium, certum in lege gratiæ hac ratione summum Ecclesiæ pastorem S. Petrum à Christo fuisse constitutum. Voluntatem hanc suam apertè declaravit Dominus Joan. ultimo, quando ita dixit Petro: *Pasce oves meas*, regimine videlicet rationis, neq; enim rationales oves aliter pasci possunt. Et cùm oves hæ ad finem mundi sint futuræ, nam & hoc eidem Petro Matt. 16. ita salvator promisit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* cùm, inquam, hoc certum sit. Sequitur ut reliqui summi Pastores successoresq; Petri, pari ratione à Christo immediatè præficiantur, ut pascant eius oves, electio autem eorum, quæ à Cardinalibus fieri solet, non est collatio potestatis, sed conditio, quâ positâ, confertur à Deo jus gubernandi. Ab his summis pastoribus, cæteris, qui reliquis inferioribus præficiuntur, datur potestas ad proprias cviusq; oves pascendas. Sed de hoc ex professo agetur lib. 2. cap. 9.

Quæcunq; autem illa sit, sive summa & à Christo immediatè data 12. potestas, sive quæ à vicariis eius aliis communicatur, non est dominii politici, velut in servum, aut in famulum; sed altioris cuiusdam excellentiæ, nempe jus continens liberandi hominem à summo æternę damnationis malo, & conferendi summam æternæ salutis felicitatem. Ita declarata triplex superioris auctoritas, divina in Deo, spiritualis in pastoribus Ecclesiæ, socialis in Angelis & hominibus, in quantum à præstantioribus gubernantur, ostendit duo, scitu digna in hac materia; primum in quonam consistat vis & natura obedientiæ; est enim virtus reddens promptam voluntatem ad exequendum præceptum à superiore impositum. Duos vero affert S. Tomas 2. 2. Q. 104. art. 2. in corp. modos, quibus præceptum imponitur; unus est expressum mandatum, alter tacita insinuatio voluntatis superioris: quæ rursus insinuatio duplex esse potest, aut præcepti, aut inclinationis voluntatis superioris, obedientiam taciti pręcepti, præfert S. Thomas illi, quæ expresso paret mandato; magis enim se accommodat superioris voluntati subditus, qui quacunq; ratione cognitum explet præceptum, quàm ille, qui expressam, & quasi adigentem, impellentemq; expectat mandati propositionem.

13. Et quia perfectiùs adhuc est non tantùm præcepto, sed propensioni superioris (quæ insinuatur, aut potest insinuari) morem gerere; perfectior obedientia est, quæ hac ratione paret: putatq; Lessius de jure & justitia lib. 2. cap. 46. Dub. 4. hanc perfectionem novam constituere obedientiæ speciem. Sed potest dici perfectionem eiusmodi esse accidentalem; Obedientia enim naturâ, & substantiâ suâ fertur in voluntatem superioris præcipientis, sive strictè, & ut solet dici, coactivè, sive latè, & directivè ac consultivè: neq; enim præceptum aliud significare videtur, quàm actum intellectus, & voluntatis, à qua alterius dependeat voluntas in subdendo se illi; qui igitur priori modo obedit, minùs perfectè id agit, qui posteriori, perfectiùs; semper tamen obedientia, est ex hac parte una specie, attendens ad voluntatem superioris. Quemadmodum charitas Dei suapte vi fertur in bonum divinum; illa tamen perfectior est, quæ in bono divino maiores amandi attingit rationes: cæterùm hęc perfectio accidentalis est, non substantialis.

Iam secundum quod hic sciri debet, est diversitas specifica virtutis
14. obedientię: etsi enim hęc, ut spectat auctoritatem superioris sit, una specie: ista tamen unitas est, ut docent Logici, generis subalterni; habentis sub se inferiores species. Videtur hoc S. Thomas docere 2. 2. Q. 104. art. 2. ad 3. ubi negat quidē variari specie obedientiam pro varietate superiorum (sic enim multæ nimis essent species, sicut & superiorum gradus multi sunt) concedit tamen obedientiam homini debitam esse unam speciem; qua sua concessione tacitè fatetur obedientiam Deo debitam esse alterius speciei, & ita omnino tenendum; quod probabile affirmat Lessius de justitia lib. 2. cap. 46. dub. 4. Ratio autem cur ita tenendum, est diversitas triplex potestatis in superiore, prima divina, altera supernaturalis; tertia socialis: quę cùm sint formâ, & specie clarè distincta, etiam obedientia, quæ ad illam tanquam ad terminos suos refertur, erit triplex specie, una Deo debita, altera Prælatis Ecclesiæ, tertia in sociali vita præstantioribus; plures obedientiæ species non dantur, quia hoc terno gradu sufficienter illa distinguitur, & quivis obedientiæ actus, ad harum aliquam revocatur.

15. Nonnulli quidem unam putant speci e esse obedientiam, eò quòd hæc tantùm concernat præceptum, cuiusvis autem superioris par est ratio pręcepti, sed hoc non videtur ad probandum illorum intentum sufficere; nequit enim etiam subtili mentis conceptu, secludi præceptum à pręcipiente superiore: qui habet triplicem, & valde diversam ut dixi aucto-

auctoritatis rationem, eandem quoq; præcepto communicat: quare & obedientiam, quæ spectat præceptum, pari numero, & modo variari oportet. Et certè si omnium sensu tantò gravior est intra eandem speciem inobedientia, quantò maiorem lædit auctoritatem: verbi causa, negligere jussa Pontificis, gravius est, quàm negligere mandatum Parochi, Regis, quàm Consulis; idq; ex eo, quia in præcepto includitur respectus ad superiorem pręcipientem; sequi necesse est, ut cùm hic respectus ad pręceptum connotet diversas specie superiorum potestates, obedientia quoq; sit diversa specie. Sicut quia religio spectat cultum cum relatione ad excellentiam iam divinam, iam Sanctorum, quæ utraq; distinguitur specie; etiam ipsa religio est distincta specie, una Deo debita, altera Sanctis, ut de religione est dictum; idem ob eandem causam tenendum de obedientia. Quare inter tres iam dictas obedientias, is ordo statuendus, ut prima & perfectione, & obligationis debito sit præstanda Deo, secunda Ecclesię, & Prælatis eius, tertia communitatibus, & gubernatoribus earum.

Sectio III.

Quanta sit Obligatio Obedientiæ.

COgnitâ huius virtutis naturâ, & distinctione, videndum jam qualis & quanta sit eius obligatio, ut subditi sciant debitum suę obedientiæ. Vt autem intelligatur dependentia eorum à suis superioribus; aduerti debet dispositio diuinæ providentiæ, quam in gubernanda adhibet creatura, movendo semper inferiora & ignobiliora, per superiora & nobiliora. Talem suæ dispositionis normam secutus, creato primùm homini stitit cuncta animantia, ut ille eis nomina imponeret, tanquam Dominus servis, quibus pro suo arbitrio, aut necessitate usurus esset. *Formatis* inquit Moyses Gen. 2. *Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea.* Hunc eundem modum tenuit Deus cum Noe, & filiis eius, qui tum post diluvium supererant; sic enim legimus Gen. 9. *Terror, vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cœli, omnes pisces maris, manui vestræ traditi sunt.* 16.

Modum, ac ordinem, quem in gubernanda creatura rationis ex- 17.

Digitized by Google

pertè tenuit Deus, eundem servavit in gubernandis hominibus, subdendo inferiores superioribus. In lege quidem naturæ laudat Dominus Abraham, eò quòd filios, & familiam suam rectè instituturus esset: *Scio*, inquit, Deus, Gen. 18. *quòd præcepturus sit filijs suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant iustitiam, & iudicium.* In lege scripta Exod. 3. *Moyses factus est dux populi*: deniq; in lege gratiæ, Lucæ 10. Christus pastoribus Ecclesię dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* De politicis autem dominis ita ab eodem mandatum legimus. Mat. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*; quod Paulus dilucidat ad Ephes. 6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, sicut Christo.*

18. Jam cùm certum sit Dei mandatum esse, vt ij qui pro conditione sua sunt subditi, obediant maioribus tanquam sibi; quemadmodum, si non pareamus Deo præcipienti, criminis rei efficimur; ita si non pareamus constitutis ab ipso potestatibus, simili obstringimur crimine. Comparationis huiusce vim urget Apostolus ad Rom. 3. ubi ita scribit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Certè damnatio, non nisi pro gravi timenda est scelere, ex quo constat inobedientiam grave esse delictum, quod damnatione ęterna puniendum est.

19. Hanc divinæ providentiæ ordinationem, & claram, atq; evidentem voluntatem contemnunt Hæretici nostri temporis, quos refert Bellarminus Tom. 1. Contro. 3. lib. 4. à cap. 16. per aliquot, & Suarez lib. 3. de legibus cap. 21 alijq. apud ipsum qui asserunt hominibus, etiam pastoribus Eccl. non esse præstandam obedientiã ad vitandum peccatum, sed solum ad ordinem forinsecus observandum. Id autem, quo potissimè nixi fundamento tenent, est libertas Christiana, propter quam putant se exemptos ab omni conscientiæ obligatione, quæ possit oriri ex præcepto humano. Cæterùm hoc illorum fundamentũ & subdola doctrina refutata est (ut erat proposito nostro satis) huius libri parte priore cap. 16. num. 4. Et præter ibi dicta, ac scripturam nunc allatam, Patrum item sanctorum, omniumq; Theologorum cum S. Thoma 1. 2. Quæstione 96. Art. 4. consensu, errorem illorum manifestè hęc ratio convincit sumpta ex S Paulo ad Rom, 13. qui sic loquitur. *Principes non sunt timori boni operis sed mali, vis autem non timere potestatem, bonum fac.* Hinc ita arguo; bonum & malum opposita sunt, sicut virtus, & peccatum;

tum; si ergo is qui præest, punit inobedientiam tanquam malum, punit peccatum, quod verè in conscientia committitur: quare obedientia debita superioris potestati ligat conscientiam, ita ut nisi præstetur, peccati reum faciat. Id quod disertè ibidem affirmat S. Paulus. *Ideo*, inquit, *necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Quibus verbis tacitè occurrit Hæreticorum obiectioni; possent enim dicere inobedientiam ab ijs, qui præsunt puniri debere, tanquam peccatum, quando transgrediuntur legem Dei, ut fures, adulteri, & similes, non autem quando faciunt contra legem purè humanam, ut cum non reddunt tributa. Occurrit, inquam, Apostolus præcipiens, ut subditi obediant superioribus, non solùm propter iram, id est pœnam, sed etiam propter conscientiam; unde qui transgreditur legem humanam, non solùm meretur iram ac pænam, sed simul etiam lædit conscientiam, utrumq; enim coniungit Apostolus.

Propter hanc læsionem conscientiæ, qui resistunt potestatibus, puniuntur in Ecclesia censuris, & aliis pœnis: in politicis communitatibus, suspendio, igne, ferro: in altero autem post obitum, mundo, æternâ damnatione: quas omnes tam graves pnœas, quis prudens dicat non pro culpis, sed pro non servato politico ordine infligi? Certum itaq; indubitatumq; sit, obedientię obligationem esse naturâ suâ sub gravi peccato, debitæ non solùm Deo, sed etiam ab ipso ordinatis potestatibus. Potest tamen fieri, ut interdum leviùs, & sub veniali obligemur obedire, quando scilicet exigua est præcepti materia, quæ semper levitate sua levem reddit transgressionem; ut videre est in furto, maledicto, infamiâ & similibus. Quod verò attinet ad grave peccatum, primò quidem tale censetur propter magnitudinem rei præceptæ, deinde cum contemnitur ipsa personæ præcipientis auctoritas, vel præceptum eius, ut relatum ad auctoritatem præcipientis. Dupliciter enim, ut docet S. Thomas 2. 2. Quæsti. 186. art. 9. ad 3. inobedientia committitur, vel per fragilitatem quando ex ira, pigritia, aliavè concupiscentia non fit quod mandatur: vel per contemptum, quando quis transgreditur præceptum, eò quòd nolit subdi superiori, aut eius iussui. In priori inobedientia iam mortalis iam venialis est culpa, pro materiæ diversitate: in posteriore semper est mortalis, quantumvis in exigua præcepti materia. Nam qui sic contemnit, directè tollit Dei ordinationem, ut nolit ab ipso institutum acceptare, id quod est manifesta quędam rebellio, & gravis iniuria Dei. 201

Sectio IV.

Qua cura, & quanto conatu servanda obedientia.

21. INtellectâ obedientiæ honestate, atq; obligatione, in promptu est nosse, quo studio illa observanda sit, non solùm ex eo, quia est juris divini, & simul naturalis, ut vidimus (lumen quippe naturæ dictat parendum esse superiori potestati) id enim multis virtutibus commune est; sed etiam ex eo quod habeat quædam sibi propria, propter quæ singulari cura & conatu est servanda. Atq; ut taceam alia, multitudo, ac universalitas eorum, quæ præcipi possunt, amplitudinem quandam, & resolutionem animi exigit ab eo, qui hanc virtutem consequi cupit: hac siquidem unâ re, à cęteris virtutibus moralibus illa differt, ut non unam aliquam definitam spectet materiam, sicut aliæ; sed omne illud, quod honestè præcipi potest à quovis habente potestatem. Itaq; is tantùm est obediens, cuius mens universa, & semper amplectitur: qui verò unum, aut aliquot duntaxat; semel, vel aliquoties; ab uno, vel aliquibus aliquod fuerit mandatum, paratus est opere complere; is nequaquam obediens censendus. In multis certè neq; semel paruit Saul Deo, per Samuelem mandata sua promulganti; aliquando id neglexit, propterea audiuit 1. Reg. 15. *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia, quàm victima: Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus.* Destitutus fuit Saul obedientiâ, quia non habuit amplitudinem, roburq; animi, ad quodvis & quovis tempore implendum mandatum. Hoc eodem conatu animæ caruit pius alioquin rex Juda Josias pronepos S. Ezechię regis: processerat ille in occursum regi Ægypti Nechao, dimicaturus contra ipsum, monitusq; ab eodem Dei nomine, ut reverteretur (neq; enim Nechao venerat illaturus ei bellum) refert scriptura 2. Par. cap. 35. noluit reverti, *nec aquievit sermonibus ex ore Dei, Nechao*, idcirco interfectus est. Necem, & causam eius, inobedientiam scilicet, luxit populus, & maximè Jeremias Propheta; cuius, inquit ibidem scriptura, omnes Cantores, atq; cantatrices usq; in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant: Duo ista duorum regum exempla, alterius mali, pii alterius, docent obedientiam tam à malis, quàm à bonis difficulter imple-

impleri, propterea quod omnia complectatur præcepta, omnia autem præstare nec in aliquo deficere rarum & magnum est.

Accedit huc, quòd omnium aliarum virtutum actus, & si non præcepti habeant quandam obedientiæ formam, ut docet S. Thomas 2. 2. Quæst. 104. Art. 2 ad primum: neq; solùm ex eo, quia omnes possunt præcipi; sed quia id, quod ad rectè operandum obligat, est veluti potestas superior, nempe jus, seu lex naturalis. Cum enim talis lex, imperet simul & dirigat, ac suo imperio cogat conscientiam ad rectè agendum facit id tanquam superior mandans: est ergo in omnibus ijs, quæ iure naturali sunt præstanda, quædam obedientiæ norma, vel saltem propinqua similitudo. Quod ad ius potitiuum attinet, clarum est hoc vti superiori potestati ad præcipiendam obedientiam, & quidem dupliciter; primò enim mandat, ut subditus præcepto pareat, faciatq; aliquid ex fine, ut dicunt Theologi, & ex motivo interno, ac proprio obedientiæ. Ita Deus precepit Prophetæ cuidam 3. Regum 13. ut admonito Jeroboam rediret domum non refecto ibi corpore: verùm invitatus ab alio Propheta sumpsit cibum ideoq; in pœnam inobedientiæ á leone interiit: secundo iubet superior, ut quispiam actus alterius virtutis exerceatur; quo in eventu, præceptum est velut conditio exercendæ alterius virtutis vel est imperium extrinsecum applicans virtutem ad operandum. Hac ratione Deus Gen. 2. præcepit primis parentibus nostris actum temperantiæ, sive abstinentiæ á fructu scientiæ boni & mali, vnde peccatum illorum fuit contra temperantiam. Jam cum obedientia in jure positivo manifesta sit, in iure autem naturali magna eius appareat similitudo; claré constat eam ad omnem prorsus honestatem vitæ unicé conferre, siquidem nihil unquam boni fieri potest, nisi vel ex motivo proprio obedientiæ vel ex imperio externo, aut per similitudinem eius. Tantùm igitur quisq; debet esse obediens, quantúm necesse est ut probé & honestè vivat; & in una obedientia acquirenda tantum laborandum est, quantùm in reliquis virtutibus omnibus; quandoquidem illa sola, ita ut dixi reliquas omnes suo quasi gremio complectitur, fine scilicet, proprio imperio, & similitudine adeo propinquâ. 22.

Ita in hac virtute expendens S. Augustinus, vocat eam matrem omnium virtutum, ad salutem necessariarum: parit enim ea numerosissimum in anima cæterarum fœtum, in qua pedem figit solidè. Ita de hoc scribit S. Augustinus Tomo 6. lib. de bono coniugali cap. 23. asserens id quod dixi, probansq; una virtute, quę ad salutem non est necessaria 23.

 ex præ-

ex præcepto, quin poteſt cum illa ſalus amitti, eò quòd deſit obedientia; ubi verò hæc fuerit, omnes adſunt neceſſariè ad ſalutem. *Virginitas* inquit *poteſt eſſe ſine obedientia, quia poteſt fœmina conſilio virginitatis accepto, & cuſtodita virginitate, præcepta contemnere, ſicut multas ſacras virgines novimus verboſas, curioſas, ebrioſas, litigioſas: avaras, ſuperbas: quæ omnia contra præcepta ſunt, & ſicut ipſam Evam inobedientiæ crimine occidunt.* Dat alterum ibidem exemplum, quo probat verè obedientem, eo eſſe animo, ut omne paratus ſit ſervare mandatū, omnemq; præceptam virtutem. *Ex hac* inquit *obedientia Pater ille* (ſcilicet Abraham Gen. 22.) *qui ſine uxore non fuit, eſſe ſine unico filio, & à ſe occiſo paratus fuit; quantò ergo citiùs, ut etiam ſine uxore eſſet, ſi hoc juberetur, audiret.*

24\. Propter eandem obedientiam fusè eodem lib. oſtendit hic Pater fieri poſſe, ut aliquis non præſtando re, id quod præſtat alter, ſit illi par ſanctitate, eò quòd paratus ſit illud præſtare, promptam, ſcilicet, in omnibus gerendo voluntatem. *Virtutes* inquit, *aliquando in opere manifeſtantur, aliquando in habitu latent: ſicut Martyrij virtus emicuit, apparuitq; tolerando paſſiones: ſed quàm multi ſunt in eadem virtute animi, quibus tentatio deeſt, qua id quod eſt in conſpectu Dei, etiam in hominum procedat, nec tunc eſſe incipiat, ſed tunc innoteſcat. Habebat utiq; Timotheus virtutem* 1. *Tim.* 5. *continendi à vino quam non ei abſtulit Paulus monendo ut vino modico uteretur propter ſtomachum alioquin perniciosè docebat, ut propter ſalutem corporis fieret in animo damnum virtutis. Sed quia poterat ea virtute ſalva fieri quod monebat, ita relaxata eſt corpori utilitas bibendi, ut maneret habitus in animo continendi.* Dat exemplum in Domino & Ioanne Baptiſta, quo Salvator ſine dubio continentior erat cibi & potus, & tamen dicit de illo: *Venit Ioannes non manducans, neq; bibens.* Poſtremò docet & hoc ibidem Aug. fieri poſſe, ut aliquis non præſtando quidpiam re ipſa, ſit ſanctior alio, qui præſtat quidem re, non tamen paratus ita eſt animo ad omnia. Vnde illis qui irrident cælibes, (ipſi matrimonio juncti, eò quòd nequeant continere, quin urantur, & dicunt: Tu ergo melior, quàm Abraham?) ita reſpondendum putat. *Dicat, ego quidem non ſum melior quàm Abraham, ſed melior eſt caſtitas cælibum, quàm caſtitas nuptiarum, quarum Abraham unam habuit in uſu, ambas in habitu: caſtè quippe coniugaliter vixit, eſſe autem juſtus ſine coniugio potuit, ſed tunc non oportuit. Ego verò faciliùs non utar nuptijs, quibus uſus eſt Abraham, quàm ſic utar nuptijs, quemadmodum uſus eſt Abraham: & ideo melior ſum illis, qui per animi incontinentiam non poſſunt quod ego; non illis, qui propter temporis differentiam non fecerunt, quod ego.* Hæc Auguſti-

gustinus. Quibus excellentiam quidem obedientiæ, quod nimirum, sit aliarum virtutum mater, satis declarat, sed simul acquirendę eius summam insinuat difficultatem, viresq; exigit robustas ad ferendum obedientiæ iugum. Quemadmodum enim is robustus esse debet, qui portat vas ingens refertum plumbo, aut alia re quapiam gravi; ita cum obedientia sit omnium virtutum prole fæcunda, robustissima præparatione, ac conatu animi esse debebit, quicunq; solidè, id est, verè, ac integrè obediens est.

Sectio V.

Ratio assequendi obedientiam.

Quòd si quis quærat quâ viâ tanta consequenda sit virtus. Inter multa, quæ solent assignari media, mihi videtur illud apprime conducere, ut studiosus eius, omnia sua nempe substantiam, famam, membra, sensus, ac vires, ipsum præterea corpus, atq; animam, postremò summa utriusq; bona, vitam, scilicet, honestatem, virtuti huic in perenne mancipet obsequium; ratus se nullo horum tanquam re propria posse uti, nisi accedat obedientiæ arbitrium. Ita qui paratum se sentit, omne jus divinum humanum, naturale, positiuum facile adimplebit: Quidquid enim sive ex obedientia, & jure positivo præcipitur, sive ad similitudinem eius jure debetur naturali; in iis versatur, quæ diximus offerenda esse huic, universas complectenti virtutes. 25.

Accedit quòd quædam præcipiantur valde difficilia etiam sub ammissione bonorum, famæ, & vitę ipsius, quando, scilicet, quispiam in eo constituitur articulo, ut vel offendendus sit Deus, vel cum observantia pręcepti damnum insigne perferendum esset: magna igitur tunc corporis, animiq; contentione agendum, ne lex vel præceptum violetur ut fecit Zuzanna Danielis 13. tuendo legem castitatis. Quanquam quod ad ipsam virtutem obedientiæ, in eius propria ratione consideratam pertinet, ea non ita obligat, ut obediens cum quovis, & quantumvis gravi suo damno debeat parere pręcipienti homini: qui si jubeat aliquid cum detrimento animæ, clarum est in hoc eventu nequaquam esse obsequendum, inferior enim non debet abuti potestate à superiore sibi collata (qualis est Deus suprēmus Dominus) mandando aliquid contra illius vo- 26.

luntatem. Quod si precipiat homo citra damnum animæ; sed tamen internos, aut certè externos actus cum grandi dispendio naturæ, vitæq; corporeæ, quale dispendium potest esse in matrimonio, cęlibatu, servitute, vita religiosa & aliis, quæ vel vitam, vel vivendi statum notabiliter variant, in talibus tenet S. Thomas 2. 2. Q. centes. 4. art. 5. in corpore, cum aliis Theologis non obligari subditum. In internis enim soli sibi notis, externis item, sed valde gravibus Deus tanquam cordium scrutator, & supremus Dominus, reliquit sibi præcipiendi authoritatem in cæteris, quæ minora sunt, contulit eandem inferioribus se, ut docet idem S. Thom. 2. 2. Q. 104. art. 4. Potest tamen evenire, ut & in magnis pręstanda sit obedientia, tum, videlicet, cùm quis se sua sponte ad ea obligat; ita milites cum periculo vitę, imperatori suo debent parere, quia ad id stipendio conducuntur. Hac etiam ratione religiosi ut sect: sequenti dicam, magna quędam ex obedientia exequuntur, quia se voto ad illa obtulerunt: pari modo reus suâ culpâ, & mala voluntate ad gravia se ferenda obligat. Possunt etiam rectores urbium, & religionum gravia quædam iniungere, ad quę privati, ob bonum commune obligantur. Quare si obedientia, impropriè sumatur, in omni eventu, & cùm ardua etiam præcipiuntur, tenenda est, si propriè, aliquando magna, & summa sunt præstanda, aliquando minora; semper tamen adest non modica difficultas; nam rarò præcipiuntur ea, quę levissima sint, & facillima.

Sectio VI.

Quæ sit ratio obedientiæ religiosæ, & quo studio ea prosequenda.

27. HActenus de obedientia dicta, ostendunt eius honestatem naturamq;, ut est virtus ad iustitiam spectans, tanquam eius pars potentialis: eadem verò obedientia assumitur ab omnibus, qui amplectuntur religiosum statum, velut medium, & instrumentum perfectionis, & tanquam id, cuius votum, est unum ex tribus substantialibus. De hac religiosa obedientia, quantùm ad perfectionem Christianam conferat, & ad ascetici status observantiam, sunt non pauca dicta hoc libro, parte priore cap. 10. à num. 36. Ad maiorem tamen eius commendationem aliqua hîc afferenda, duoq; potissimè explicanda, materia, seu obiectum eius, tum animi dispositio, quam illa requirat.

Quod

Quod ad materiam attinet eam S. Thomas 2. 2. Q. 186. art. 7. ad primum, & secundum, & art. 9. in corpore, ponit duplicem, quædam enim aut in regula prescribuntur, aut à superiore præcipiuntur, quæ ipsam continent perfectionem Christianam; cuiusmodi est dilectio Dei, ac proximi; cæterarumq; virtutum actus, ut humilitatis, patientiæ, & similium, quæ dilectionem velut effectus causam consequuntur, aut tanquam signum eam significant. Atq; hæc ab obedientia iniuncta servanda sunt sub ea obligatione, quam cuiq; imponit charitas, cæteræq; virtutes: quia enim detractio famę ex. c. in gravi materia sub mortali peccato à justitia prohibetur; si eadem prohibeatur ab obedientia religiosa, sub gravi & mortali peccato prohibebitur. Et communiter quidem talia non mandantur in religionibus peculiari obedientiæ præcepto; sed tantùm commendantur, & inculcantur magis. Si tamen aliquid horum præcipiatur peculiariter, transgressio duplex continebit peccatum, & contra virtutem v. g. detractio contra justitiam, & contra votum obedientiæ. 28.

Quod ad alteram attinet materiam obedientiæ religiosæ, eam S. Thomas docet esse: observantias partim communes omni religioni, partim cuiq; proprias: communes sunt vota paupertatis, castitatis, & ipsius obedientiæ; hæc enim quæ Deo per votum oblata sunt, possunt mandari per obedientiam. Propriæ observantiæ sunt varia quæ cuiusq; ordinis fundator, tanquam media ad consequendam perfectionem conducentia adhiberi à suis voluit, cuiusmodi est silentium, vigiliæ, jejunia, carnis maceratio, orationum, meditationumq; usus, & id genus alia. Hæc omnia obedientia religiosa, partim scriptâ regulâ, partim viva superioris voce præcipit. Et vota quidem observanda sunt sub peccato etiam mortali, quando adest notabilis materia; non solùm ex eo, quia in iis substantialiter consistit vita religiosa ad consequendam perfectionem destinata, cui contraire in substantialibus, notabile est delictum; sed etiam ex eo, quia violatio voti ex genere suo gravis est culpa. Vnde non illa tantùm tria communia vota, ita, ut dixi, obligant religiosum; sed etiam alia si quæ sunt peculiaria cuipiam ordini, ut est in Societate Jesu quartum obedientiæ votum summo Pontifici debitę, in missionibus ad partes gentilium, & Hereticorum propter eorum conversionem. 29.

Etsi enim omnes religiosi debent Pontifici obedire, sive exempti ab ordinariorum potestate, sive non, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 186. art. 5. ad tertium (ubi asserit non exemptos debere etiam Episcopis parere) 30.

Digitized by Google

rere) nimirum, tanquam universali animarum pastori, & tanquam ei, qui instituta religiosa confirmat sua auctoritate, estq; principalis eorum fundator; nihilominus in iis tantum illi obedientia prçstanda,quę quisq; in suo ordine acceptavit. Id planè omnes Theologi docent cum Thoma 2. 2. Q. 186. art. 5. ad 4. quo in loco ostendit non ad omnes actus extendere se obedientiam religiosam sed tantùm (ut explicat Q. 104. art. 5. ad 3. in eadem 2. 2. ad eos qui promovent disciplinam in regulis cuiusq; ordinis contentam. Quare in aliis quæ vel contraria sunt regulis, vel sua difficultate superant ordinis institutionem, non tenentur pontifici obedire, ut proximâ secti. num. 26. ex eodem S. Thoma ostendi. Cùm verò obedientia, quam Societas professa, voto offert summo pontifici contineat magnum vitæ gravamen, in tribus communibus religiosis votis, aut in ordinariis ascetarum statutis minimè contentum, nempe missiones cum periculo etiam vitæ à pontifice iniunctas acceptare; sequi necesse est, ut talis obedientiæ votum, sit quartum, & distinctum à voto communis religiosæ obedientiæ, propter singulare, & extraordinarium obsequendi Deo studium, ac devotionem. Hac eadem ratione S. Franciscus de Paula, quarto perennis ieiunii voto, suos obligavit, neq; enim ex communi religiosorum obedientia id ab eis exigere potuit, cum non tenerentur obedire in re naturæ corporeæ adeo molesta.

31. Præter hæc quæ ex voto sub gravi obligatione ex vi observantiarum religiosarum, sunt adimplenda; illa quoque compari jure exequenda sunt, quæ à superioribus prçcipiuntur, in materia gravi, siue lege, & regulâ, sive voce; ita possunt imponi aliqua jeiunia, corporis castigatio, labores juvandorum proximorum gratiâ, & plurima talia, jam pro necessitate subditorum, quibus iniunguntur, jam pro bono communitatis prçcipi solita. Quæ licet contineant molestiam; ferenda tamen ea est, propter perfectionem, quam quisq; in suo ordine proposuit sibi sectandam. Sicut enim fideles qui tenentur conniti ad charitatis perfectionem, saltem in eo gradu ut Deum non offendant mortali culpa; debent obedire pastoribus suis aliqua molesta mandantibus: tale est, jeiunium quadragesimæ, Sacri in die festo auditio, & ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 186. art. 5. ad 6. omnia ea quæ in Baptismo promiserunt, sanè non levia, pugnam videlicet, cum dæmone, & cum vanitatibus mundi: ita cùm religiosi maiorem sibi proponant Christianę vitæ perfectionem, plura, & molestiora ferre debent, quoties illis à prçlatis iniunguntur.

32. Duplex porro est modus huiusce præcepti: nam aliquando simplici

plici forma mandatur aliquid; ut cùm superior dicit subdito sacerdoti: volo te pœnitentibus præbere aures: aliquando utitur tali forma: in virtute obedientię præcipio; priori modo jam magnum, jam parvum exprimitur præceptum, pro diversitate materiæ. Tenent quidem nonnulli ut Fernandez in examine Theologiæ moralis paragrapho secundo de obligatione voti, parte prima cap. 6. non violari pręceptum mortaliter, si hoc simplici modo mandetur. Sed hoc videtur nimis laxum: quis enim non graviter putet delinquere religiosum, si v. c. ob aliquod delictum jussus jejunare unum mensem, flagellareq; se ter in septimana, aut quid simile, nihil horum faciat? Quoties ergo grave quid præcipitur, & constat de voluntate, non suadentis, sed pręcipientis, exequendum est sub gravi obligatione.

Jam in posteriori modo duo denotantur expressa, videlicet, declaratio authoritatis superioris, cui proprium est mandare, exigendo à subdito id, quod ille, ut talis ipsi debet, nempe virtutem obedientiæ. Alterum quod denotatur est, magnitudo materiæ; neque enim in levi, adeo sonantibus, & debitum exigentibus utendum esset verbis. Quapropter transgressio pręcepti in virtute obedientię iniuncti, nisi constet de intentione pręcipientis (potest enim joci gratia hic modus usurpari) est gravis culpa: sicut quando ex contemptu potestatis, etsi in levi materia jussa violantur, semper est mortale, ut dixi Sectione 3. hoc capite. 33.

Expositâ obedientiæ religiosæ materiâ, de animi ad eam præparatione agendum, ad quam duo videntur apprime conducere, primò ut studiosus religiosæ vitæ, sciat nullam ex omnibus asceticis observantiis ita ad perfectionem conferre, atq; obedientiam, ac proinde statuat apud se hanc præ reliquis summo sectandam studio: solidè, ut omnia, declarat id quod dico, S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 8. in corp. docens votum obedientiæ esse pręstantius cæteris duobus votis religiosis, itaq; id probat hac triplici ratione. *Primo quidem quia per votum obedientia aliquid maius homo offert Deo, scilicet ipsam voluntatem, quæ est potior, quam corpus proprium, quod offert homo Deo per continentiam, & quam res exteriores, quas offert per votum paupertatis. Unde illud quod fit ex obedientia, est magis Deo acceptum, quam id quod fit per propriam voluntatem secundum illud Hieronymi, quod dicit ad Rusticum Monachum: ad id tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum; & post pauca subdit. Non facias quod vis, comedas quod iuberis, habeas, quantum acceperis, vestiaris, quod datur. Unde & jeiunium non redditur Deo acceptum cum propria voluntate*, secundum illud Isaiæ 38. 34.

ſaiæ 38. Ecce in diebus jeiunii veſtri, invenitur voluntas veſtra. Secundò quia votum obedientiæ continet ſub ſe alia vota, ſed non continetur: nam religioſus & ſi teneatur ex voto continentiam ſeruare, & paupertatem; tamen hæc etiam ſub obedientiam cadunt, ad quam pertinent multa alia, præter continentiam & paupertatem ſeruare. Tertiò quia votum obedientiæ propriè ſe extendit ad actus propinquos fini religionis; quantò autem aliquid propinquius eſt fini, tanto melius eſt. Et inde etiam eſt, quod votum obedientiæ eſt religioni eſſentialius: ſi enim aliquis abſq; voto obedientiæ voluntariam paupertatem, & continentiam etiam voto ſeruet non propter hoc pertinet ad ſtatum religionis, qui præfertur etiam ipſi virginitati ex voto obſeruatæ; dicit enim Auguſtinus in libro de virginitate cap. 76: Nemo quantùm puto auſus fuerit virginitatem præferre monaſterio.

35. Hucusq; S. Thomas ex qua doctrina eius duo habemus, quę mirè commendant obedientiam religioſam. Primum eſt, illam cæteris religioſis excellere votis, ut ipſa potiſſimè, & completè conſtituat ſtatum religioſum: poteſt enim quis, teſte S. Thoma, eſſe pauper, & continens in ſæculo, nec tamen erit religioſus, niſi accedat votum obedientiæ, quæ transfert hominem ex libertate vivendi ad ſervitutem Chriſti, hoc, ipſo, quòd omnes humanas, id eſt liberas actiones totamq; vivendi rationem alieno ſubdat arbitrio. Quòd ſi quis dicat poſſe etiam obedientem quempiam eſſe ex voto in ſæculo, non tamen religioſum, niſi accedant reliqua duo vota, quare paria erunt omnia tria. Ad hæc reſpondet ibidem S. Thomas: ab obedientia religioſa comprehendi reliqua duo vota, & plurimas humanæ vitæ operationes, quas pręcipit: quapropter licet poſſit quis vovere obedientiam prælato alicui v. c Parochus Epiſcopo; hæc tamen obedientia erit alterius cuiusdam ordinis, ab obedientia religioſa, quia non obligat voventem ad obediendum in iis omnibus, in quibus obligat obedientia religioſa. Neq; enim Parochus qui vovit Epiſcopo obedientiam debet ex mandato eius eſſe pauper, aut choro intereſſe, aut docere in ſcholis, cæteraq; præſtare, quæ ex obedientia præſtant religioſi: Sed tantùm illa faciet, ad quæ eius extenditur votum, nempe Parochiæ curam geret, Eccleſiaſtica bona tuebitur, & id genus alia præſtabit. Certum igitur hoc primum eſt S. Thomę dogma, ab obedientia religioſa potiſſimè conſtitui aſceticum vivendi genus.

36. Alterum quod in doctrina illius continetur, eſt, obedientiam religioſam, adeo inter reliquas excellere obſervantias, ut ipſa ſola ſit propinqua fini religionis; qui finis duo habet, uſum, ſcilicet, mediorum ad perfe-

perfectionem conducentium, & ipsius perfectionis adeptionem. Itaq; cætera omnia quæ in ordinibus religiosis usurpantur sunt adminicula perfectionis religiosæ, *obedientia*, inquit S. Thomas, *est propinqua eius consecutio, & interior, ac essentialior ipsi. Illa quantumvis quis seruat, longè adhuc à fine religionis aberit, ista in proximo locat, & magis interne essentialiter, ac tutò inserit statui religioso, neq; ab eo avelli patitur, donec perducat ad optatum perfectionis finem, modo tamen constanter teneatur, & in sua servetur integritate quod ipsum precipit obedientia.* Meritò propinquam asserit obedientiam fini religionis: cum enim finis perfectionis Christianæ sit amor Dei, illi autem diligant Deum, qui servant mandata eius teste Christo Joan. 14. sequitur ut obedientia mandatis vicina, amori quoq; divino, qui est finis tam religionis, quam christianę perfectionis, sit vicina.

Præter hæc duo, addit & tertium obedientię religiosæ S. Thomas 37.
elogium, illâ eadem Q. 186. art. 5. ad 6. in 2. 2. ubi respondet ad dubitationem de excellentia obedientiæ religiosæ. Posset enim quis dicere illam ex eo non esse perfectiorem cæteris virtutibus, quòd obedienti necessitatem imponat serviendi Deo; laudatiora autem sunt, gratioraq; obsequia ex libertate, quàm ex necessitate; ad hoc ita respondet. *Necessitas coactionis facit involuntarium, & ideo excludit rationem laudis, & meriti; sed necessitas consequens obedientiam, non est necessitas coactionis, sed liberæ voluntatis, in quantum homo vult obedire: licet forte non vellet id, quod mandatur, secundùm se consideratum implere. Et ideo quia necessitati aliqua faciendi, quæ secundùm se non placent per votum obedientiæ homo se subijcit propter Deum, ex hoc ipso quæ facit, sunt Deo magis accepta, etiamsi sint minora: quia nihil maius potest homo Deo dare, quàm quod propriam voluntatem, propter ipsum voluntati alterius subijciat. Vnde in collationibus patrum (collatione 18. cap. 7.) dicitur deterrimum genus Monachorum esse Sarrabaritas, quia suas necessitates curantes, absoluti à seniorum jugo habent libertatem agendi quod libitum fuerit. Et tamen magis, quàm ii qui in cænobiis degunt, in operibus, diebus ac noctibus consumuntur.* In hac S. Thomæ responsione habemus unum commune voto castitatis, & paupertatis: Nam quidquid ex illo fit, fit ex necessitate consequente voti obligationem, quæ necessitas non est violentæ coactionis, sed sponte, ac liberè susceptæ obligationis, atq; hæc nihil de honestate virtutis, laudeq; minuit, cum propriam supponat libertatem.

Cæterum ibidem expendit, id quod est proprium soli obedientiæ, quia 38.
 ea ra-

Digitized by Google

ea radicem, & fundamentum omnium liberarum actionũ offert Deo, scilicet voluntatem propriam. Quare cum verè dicant Philosophi: Propter quod vnum quodq; est tale, & illud magis; si votum religiosæ castitatis, paupertatisq; ideo acceptũ est à Deo, quia libere suscipitur, multò gratius erit votum obedientiæ, eò quòd ipsam libertatem consecret eidem.

39. Ex quo & aliud infert ibidem S. Doctor, minora etiam aliàs opera gratiora esse Deo ex obedientia facta, quàm sine ea maiora, idq; totum ideo quia quod exhibetur ex obedientia religiosa, à voluntate Deo voto dicata procedit, sicut autem nihil habet homo præstantius voluntate, ita nihil potest esse illi gratius, quam quod fit ex oblata voluntate. Est quidem in homine vltra voluntatem intelligendi facultas, quæ naturâ suâ illam superat: sed & hæc simul offertur Deo, vt ostendimus hoc libro parte priore cap. 3. num. 37. & hoc cap. sect. 1. Tot & tam præstantibus obedientię religiosæ elogiis explicatis, facilè quisq; videre potest, qua animi dispositione debet ferri religiosus in hanc virtutem. Atq; inprimis necesse est vt velit id quod præcipitur, nisi enim velit, fieri non potest, ut exteriùs expleat mandatum, cum membra corporis nihil agant nisi id, quod à rationali imperatur appetitu. Et hoc, ut dixi, necessitatis est ad implendum præceptum, potestq; non ex obedientia impleri, sed alio bono, malovè respectu; semper tamen fit satis præcepto, quod, non fines, aut internas aliquas mentis intentiones attendit, sed externum opus. Jam si de perfectione obedientiæ agamus, ad hanc exigitur, ut obediens velit facere id quod iubetur ob finem S. obedientiæ, reflectatq; se sua voluntate supra opus quod præcipitur, & ideo quia præcipitur, coniungendo voluntatem suam cum voluntate præcipientis.

40. Perfectus est hic obediendi modus; nam duplex in eo concurrit actus, unus, quo rem pręceptam volumus implere, alter, quo finem intendimus præcepti, ut nempe obediatur superiori: prior actus in servanda quavis lege est necessarius; posterior non requiritur nisi ab eo, qui magis subdit se superiori. Hac ratione cum Ecclesia præcipit jejunium quadragesimæ, eo fine ut mortificetur corpus, fit satis præcepto, si jejunetur, nec requiritur intentio mortificandi corpus; nisi quis velit magis se accomodare præcipienti Quòd si insuper judicium quoq; accedat, conformans se obedientiæ, & se reflectens ita, ut & voluntas, dicat: Faciendum est quod jubetur, & faciendum quia rectè jubetur, in tali obediendi modo, continetur tota perfectio huius virtutis, quam Doctores, & Patres Sancti variè describunt, promptitudinem, integritatem,

tatem, cæcitatem quandam illi tribuendo. Sed hæc omnia in tribus quæ attuli includuntur, ut velit obediens id quod jubetur, idq; ob finem obedientiæ, & judicet obediendum tanquam rectè mandanti: his enim præcipuis duabus hominis facultatibus, nempe intellectu, & voluntate sic ad obediendum vt dixi instructis, facilè appetitus, membra quoque corporis subordinabuntur.

Ita qui obedit ex perfecta humilitate, contemptuq; sui, nec non cum præstantissima animæ facultatum, ratione, scilicet, & voluntate obediet, plenè ac integrè Deo se immolabit, accepturus ab eo, pro tali huiusmodi sacrificio, quasi mercedem in qua vera, & tota (cum plenitudine, scilicet virtutum) sanctè vivendi continetur ratio, quam sacra scriptura crebrò vocat veritatem. Jta Samuel dicebat Jsraeli 1. Regum 12. *Timete Dominum & seruite ei in veritate* sic hortabatur David Salomonem filium suum verbis Dei 3. Regum 2 *Si custodierint filij tui vias meas & ambulauerint coram me in veritate.* Idem sæpius in scriptura habemus. Hanc ergo veritatem perfecto contemptu, at submissione sui consequitur à Deo obediens, vt testatur S. Augustinus ep. 56. scribens ad quendam. *Non aliam*, inquit, *ad obtinendam veritatis viam tibi munias, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum verus Deus videt infirmitatem, ea autem prima est humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas; sic fiet ut illud Annæ impleatur (1 Reg. 2.) sterilis peperit plurimos & quæ multos habebat filios, infirmata est.* Jta Augustinus; cuius ego verba ad nostrum propositum audeo usurpare sine vlla tamen exaggerationis figura. Cum enim in obedientia includatur sui plenus cotemptus ac totalis submissio, se siquidem sua omnia, etiam summa (voluntatem, scilicet & intelligentiam) superiori subijcit; verè sic sentire, & dicere possum: via ad veritatem prima est humilitas obediens, secunda obedientia humilis, tertia, humilitas & obedientia, vel obedientia & humilitas. Per utramq; ergo sibi individuè cohærentem, fiet ut illud Annæ impleatur: *Sterilis peperit plurimos*, omnium, videlicet multitudinem virtutum, perfectionemq; sanctitatis. Multa de huius virtutis præstantia commodisq; afferri possent; sed sufficiant dicta, ut qui plura velit, experientiâ potius in se probet, quam ab alieno mutuetur labore. 41.

Digitized by Google

Sectio VII.

Quid sit, & quale inobedientiæ vitium.

42. EXpositâ virtutis obedientiæ honestate, quæ sit contrarij vitij natura, liquet; est enim inobedientia, transgressio præcepti superioris, quæ transgressio in se spectata, & ex suo genere est culpa mortalis nisi excusetur, aut levitate præcepti, aut defectu iudicii minùs considerantis mandatum. Cæterùm quando præcipitur aliquid grave & præceptum clarè cognoscitur, semper transgressio letalis est, continetq; in se iam plùs iam minùs offensę; cuius inęqualitatis ratio ex duplici desumitur capite, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 104. à 2. ⊙ & Q. 105. art. 1. & 2. ⊙.

43. Et quod inobedientia sit culpa letalis, clarum est; turbat enim tolliteq; ordinem ab auctore naturæ præscriptum, ut nempè inferiora à superioribus regantur. Quando ergo inobedientia committitur, semper resistitur Deo, cuius resistentiæ gravis enormitas, vel inde patet, quia contra ipsum insurgit Deum, eiusq; providentiam. Directè quidem tum, cùm illi præcipienti rebellatur; cùm verò aliis, interpretatiivâ quadam ut solemus dicere ratione: nam voluntate Dei cęteris parendum est, quare qui his resistit Dei ordinationi resistit ut testatur S. Paul. ad Rom. 13. Accedit huc, quod inobediens perversè vtitur præcipuis facultatibus, intellectu scilicet, & voluntate, tum propriâ, superbè repugnando; tum alienâ, perturbando superioris decreta: quanto autem abusus, vel iactura est rei præstantioris tanto gravior noxa. Quapropter inobedientia est maior ex genere suo culpa omni aliâ per quam minora perduntur bona, v. c. corporis castitas, aut bona externa. Hoc tamen est intelligendum cæteris paribus; potest enim dari casus, in quo ingens iactura bonorum externorum, sit gravior simplici aliqua inobedientia: ut si totum regnum spolietur, gravior tunc committitur culpa, quàm committeretur non obediendo consuli in oppido quopiam. Cæterùm hęc maior gravitas in spoliatione regni sumitur ab accessu ingentis damni, non autem ex genere delicti, & obiecti, ut hîc loquimur.

44. Quod vero attinet ad ipsam inobedientiam in se spectatam, & collatam cum altera inobedientia, docet S. Thom. 2. 2. Q. 104. art. 2. in corp.

⊙. ex duplici cap. augeri gravitatem eius; primò ex excellentia præcipientis: cum enim obedientia spectet auctoritatem iubentis, quanto illa est maior, tantò maior eius despectus. Jtaq; gravior est offensa non obedire Deo præcipienti, quàm non obedire alicui homini, & inter homines maius est transgredi præceptum regis, quàm consulis cuiuspiam. Secundum caput, ex quo crescit gravitas inobedientiæ, est materia præcepti, quæ sua parvitate, aut magnitudine, efficit parvitatem, aut magnitudinem actus mali: hinc est, ut transgressio præcepti de diligendo Deo, gravior sit, quàm de diligendo proximo, quia Deus maior est proximo.

Et quoniam, ut supra hoc cap. sect. 4. vidimus, præcepti, ac obedientię ratio in omnibus aliarum virtutum operibus includitur, partim clarè, partim obscurè: quisq; prudens videt, duo necessariò inde inferenda. Primum est, obedientiam adeo esse ad salutem necessariam, ut illa sola eam donet; præsente enim obedientia cætera adsint necesse est. Id quod præclarè ostendit S. August. Tom. 7. lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 21. vbi cum proposuisset quæstionem, cur Deus non aliud ab Adamo exegit, quàm ut abstineret à fructu scientiæ boni, & mali; respondet non ideo id factum esse, quasi ille fructus malus fuerit naturâ suâ; sed quòd voluerit ostendere Deus, non aliam esse rectè vivendi, sibiq; serviendi, ac merendi vitam æternam, viam, quam obedientiam: *Serviebat*, inquit, *Deo* (scilicet homo) *vehementer sibi commendatâ pietate obedientiâ, quâ unâ colitur Deus, quæ per se ipsam quanta sit, quamq; sufficiat ad tuendam rationalem, sub Creatore creaturam, non potuit excellentiùs intimari, quàm ut à ligno prohiberetur non malo, ut ostenderetur homini, cui esset sub tali Domino utilissima servitus, quantum esset solius obedientiæ bonum, quàm solam de famulo exegerat, cui obedire, non propter ipsius dominatum sed propter servientis utilitatem, potiùs expediret.* Illud tantum judicio S. Augustini obedientię elogium, non probat quidem illam cæteris omnibus etiam Theologicis virtutibus esse potiorem, de qua re jam hoc cap. egimus; cæterùm hoc evidenter convincit, quòd cum obedientia alia omnia bona, atq; honesta in sua contineat societate, meritò illi Deus tribuat salutem nostram. Nam sicut Dei voluntati, atq; ordinationi, & salus, & media ad illam adscribenda sunt, ita secundùm illum hoc ipsum est tribuendum obedientiæ, (ut famulanti Theologicis virtutibus) quæ est custos, propugnatrix divinę voluntatis. Optimè igitur, & verissimè testatur August. ideo Deum exegisse ab homine id unum 45.

 num

num parendi obsequium, ut ostenderetur quantùm esset solius obedientię bonum.

45. Ex hoc primo facilè quoq; infertur secundum; si enim sola ad salutem requiritur obedientia, inimica eius inobedientia, sola eripit illam, privatq; æterno bono. Quapropter, quæ de aliorum vitiorum, ac peccatorum dicuntur pernicie, quæque ego quoque huius libri utraq; parte de eadem re disserui, expendendo damna superbiæ, luxuriæ, impatientię, aliorumq; vitiorum, & adhuc dicturus sum: hæc omnia soli inobedientiæ, veluti fonti meritò tribui possunt. Nam ex superbia v. g. quæ dicitur esse radix peccatorum, ideo pullulant mali frutices, quia non reprimitur illa ab obedientia, sed ab inobedientia permittitur luxuriare; idem judicium de quavis inhonestate. Et clara huius est ratio; ut enim sola obedientia ad omne bonum confert, id quod hoc capite ostendimus; ita sola inobedientia ad omne perducit malum, tanquam ea, sine qua alia vitia, & scelera, non tantas habent nocendi rationali creaturæ vires, nec tot illam afficerent malis, nisi ex rebellione inobedientiæ, tanquam ex fonte virus inficiendi haurirent. Concludamus igitur caput hoc, pronunciato illo S. Spiritus Prov. vigesimo 1. *Vir obediens loquetur victoriam*. Habet fortis spiritu vir tot hostes, quot sunt, fuerunt, & erunt peccata in mundo; ab his patitur, & patietur, unquam: verùm, hosce hostes, obediens promisso Dei vincit: *vir enim obediens loquetur victoriam*. Ergo inobedientiam, ut caput, & ducem omnium scelerum fugiat, obedientiæ totum se mancipet, quisquis victor cupit æternùm triumphare.

CAPVT XX.

De gratitudine.

POst obedientiam sequitur gratia, seu gratitudinis virtus: nam & hæc, ut infra ostendetur, non solùm rationali creaturæ, sed etiam ipsi Deo exhibenda est, quemadmodum & obedientia.

Sectio I.

In quo sita sit ratio gratitudinis.

1. GRatitudinem ita describit Aristot. 8. Eth. cap. 13. *Est virtus, qua*

qua refert patrem beneficiis gratiam, si modo possit, & quidem ultro. Cùm enim, ut ibidem docet, ea sit hominum (& idem judicium de quavis creatura rationalis) conditio, ut unus nequeat omnia in se habere, sed egeat alterius adminiculo; si hic non ex debito, sed gratis auxilium confert, beneficium prǽstabit, & gratiam, cui par referenda est. Atq; ita æqualitas servatur, non quidem illa stricta, & legalis justitiæ commutativæ; sed amplior, ac moralis, qua homines amicam inter se retinent societatem, mutua sibi exhibendo officia. Sicut ergo beneficus, ex debito honestatis in alterum confert gratiam, nimirum ex amicitia, & charitate, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 30. art 4. ita vicissim gratus ex debito honestatis recompensat datum, non ex debito justitię commutativæ. Propterea rectè addit Aristot. recompensationem debere esse ultro; alioquin non erit paritas gratiarum: nam benefactor non coactus facit bene, sed gratis, & ex affectu benevolentiæ; is quoq;, qui gratum se exhibet, non invitus reddere debet, sed gratuito affectu, qui simili affectui respondeat benefacientis. Ex quo etiam patet gratiam referendam esse pro beneficiis ab eo in quem illa sunt collata; non ab alio; ab eo enim benefactor exigit affectum suo affectui parem. Postremò in eadem descriptione rectè sunt posita illa verba, si modo possit: nam crebro evenit ut affectus grati nequeat reddere par beneficium, eò quòd intercedat impotentia; si tamen habet animum ad reddendum proptum, satisfacit tantùm, quantùm ab illo exigit gratitudo: neq; enim virtus ultra vires se extendit. Accedit huc, quod, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 106. art. 5. in ipso benefactore magis debet attendi affectus, quam effectus; gratius enim solet esse beneficium ad quod benevolus incitat animus, quam quod fit ob utilitatem propriam, aut ex necessitate: quare & in grato affectus devinciendi mecœnatem præcellit effectui, & cùm aliter fieri non potest, locum eius abunde supplet. Atq; hæc dicta declarant, quo pacto inter benefactorem & gratum, debeat esse paritas.

Cæterùm Aristoteles, quem sequitur S. Thomas. 2. 2. Q. centesima sexta art. 6. ⊙. in hoc etiam ponit inter utrumq; paritatem, ut sicut dans contulit primò merè gratis, scilicet, nihil ab altero expectans beneficii; ita reddens rependere debet plus, ut ita id in quo superat datam rem vicissim merè donet gratis: unde erit paritas utrinque, cum uterq;, det omninò gratis: quod si reddens nequeat dare plus re ipsa, satis est, si velit dare. 2.

Hanc ultimam paritatem ideo requirit Philosophus, ut nunquam cesset 3.

cesset inter homines mutuum gratificandi, amicitiæq; augendæ studium: *Est*, inquit, *ei qui gratificatus est referenda ratio, vt ille iterum meat gratiam.* Cùm enim is, qui præstitit primò beneficium, videt sibi collatum aliquid novi, ultra quod ipse obtulit; movetur ad reddendum; & cum vicissim is qui primò accepit datum, ac semel jam rependit, novo iterum obligatur beneficio, rursus incitatur ad bene merendum de benefactore; ita continuatur ultro, citroq; gratificandi vicissitudo. Neq; est inconveniens non dari in eiusmodi processu finem; rectè enim ad hoc, sic loco citato ad secundum respondet S. Thomas: *Debitum gratitudinis ex charitate delibatur, quæ quantò plus soluitur, tantò magis debetur, secundùm illud ad Rom: Nemini quidquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis.* Ex his intelligitur gratitudo, esse virtus reddens par beneficium gratis suo benefactori; gratis, inquam, non ex amicitia, (sic enim operatur charitas) sed ex peculiari honestate rependendi vicem pro vice.

Sectio. II.

An gratitudinis virtus, Deo, vel ipsi inferiori debita sit ab aliis virtutibus distincta?

4. S. Thomas Q. 106. art. 1. videtur asserere gratitudinem quandam esse generalem virtutem, quæ ut Deo debetur, vocatur religio, ut est habenda in parentes dicitur pietas; quatenus vero superioribus exhibetur, sic nominatur observantia: cæteris autem, qui particularia præstant beneficia, putat deberi propriam, & ab his distinctam gratitudinem. Rationem huius suæ doctrinæ sumendam censet ex benefactorum diversitate. Deus enim, quia est primum & universale omnium principium exigit à nobis cultum, tanquam signum gratitudinis, qui cultus, prçstatur à religione, quemadmodum & parentibus, qui sunt secundaria generationis, & disciplinæ principia, redditur gratitudo per pietatem, denique superioribus, in quibus continentur etiam communia regiminis principia, redditur gratitudo per observantiam. Hinc Lessius de jus. & jure lib. 2. cap. 47. dub. 1. licet sententiam asserentium dari gratitudinem distinctam à religione, pietate, & observantia sequatur, ut valde rationi conformem, tamen ex mente S. Thomæ, non putat distinguendam esse à religione.

Sed

Sed contrarium est multò probabilius, nempe dari virtutem gratitudinis specie, & forma duplicem, unam ad Deum, alteram ad creaturam rationalem, idq; esse consonum S. Thomas qui ut se clarè citato art. ad secundum explicat, gratitudinem bifariam accipit, putatq; vnam dari superexcellentem, qualis implicitâ quadam intelligentiâ in religione includitur: qui enim colit, & adorat Deum, refert illi gratiam quodam modo pro beneficiis, quæ ab ipso, ut à primo accipit principio. Verum hac ratione, non in religione duntaxat, sed in aliis quoq; virtutibus includitur gratitudo, v. c. in charitate Dei: nam qui eum amat, bene ille vult, & redamando prius amantem, refert gratiam pro gratia. Hoc eodem modo in pietate eminenter continetur gratitudo, in parentes, & in observantia, gratitudo in superiores, ut consideranti liquidò constat. 5.

Jam verò si agamus de gratitudine in limitata, formaliq; notione sumptâ, sicut dixi, una erit per comparationem ad Deum, distincta à religione, vel charitate; altera per comparationem ad creaturam rationalem, distincta à pietate, observantia, & aliis virtutibus. Primò ergo Deus duplicem potest habere in nostra mente considerationem, vel ut est primum, ac universale principium omnium rerum, quibus dat esse, & cætera præsertim communia multis; vel ut est beneficus collator maximè peculiarum bonorum. Priori modo spectato debetur Deo cultus à religione, tanquam fonti omnium bonorum, & primæ excellentiæ; posteriori, debetur à gratitudine honor, tanquam ei, qui amore impulsus benefacit. Atq; sic secundo modo consideratus Deus potest vocari, particularis benefactor (id quod requirit S. Thomas loco cit. ad strictè sumptam gratitudinem) non solùm, ut cum schola loquar ex obiecto, quia dat certa quędam, & definita beneficia (hoc enim pacto etiam, ut ex fonte, ac primo principio definita in unumq; emanant) sed ex subiecto; quia, videlicet, benevolentia divina gratuita fertur definito modo in creaturam rationalem, ut ei det ita, prout cuiq; peculiariter affecta est: Affectio autem in unumquemq;, est certa, & peculiaris. Exemplo doctrina reddetur clarior; David rex accepit à Deo multa, ut à fonte bonorum, communia aliis, nempe esse, vivere, intelligere, & alia complura, pro quibus debuit Deo cultum religionis. Idem electus est præ cæteris in regem super Israël, ex pastore, 1. Reg. 16. vicit Goliath, quod nullus in toto regno præstare potuit, primo Reg. 17. erat Sanctus, & vir secundùm cor Dei, primo Reg. 13. & plurima eiusmodi prę cæ- 6.

Digitized by Google

teris peculiaria dona sortitus est à Deo, ex singulari eius in se affectu, atq; amore, pro quibus omnibus gratias illi referre debuit, ex speciali gratitudinis virtute.

7. Eandem Dei duplicem considerationem, ut fontis, & benefici largitoris, clariùs intelligemus deductâ ex processionibus personarum Sanctissimæ Trinitatis doctrinâ. Nam Pater est fons, & primum principium filii, qui, ut talem honorat Patrem; quemadmodum ipse de se testatur Joan. 8. *Ego honorifico Patrem.* Non honorat Patrem tanquam maiorem se, cùm sit par & unus cùm illo Deus; sed ut fontalem excellentiam; sicut è contra Pater honorat filium, tanquam summam, & æqualem sibi excellentiam, quod Christus Joan. 17. exposcit à Patre: *Pater clarifica me claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Quia verò Pater non ex gratuita beneficentia dat filio suam divinam naturam, sed naturali necessitate; ideo filius non potest illi referre gratiam, ex virtute gratitudinis. Igitur datur honor, cultusq; in divinis mutuus, ac æqualis humanæ excellentiæ, non tamen datur gratitudo. Quod rectè ostendit, in Deum, ut est munificus peculiarium beneficiorum dator, requiri à nobis peculiarem gratitudinem, ultra eam quæ pro communibus à religione debetur. Et cùm sit ipse excellentior omni alio benefactore, nimirum, ob munificentiam infinitam; gratitudo quoq; ei debita, est distincta virtus ab ea, quâ creaturæ rationabili reddimus grates. Quòd si adhuc mentem cuiuspiam subeat, ideo non dari distinctam à religione gratitudinem in Deum, quia quando consideratur ut fons, & primum principium omnium, debet simul in illo cogitari benefica, liberalisq; voluntas, quæ illum impellat ad derivandum aliquid ex se creaturæ, non ergo beneficentia gratuita, erit obiectum gratitudinis, tanquam distinctæ virtutis à religione, sed erit religionis, quæ ad Deum refertur, tanquam ad fontem, & simul liberalem datorem. Ad hoc respondendum, non posse quidem Deum ex se, ut ex fonte deducere id, quod dat creaturæ sine benefica voluntate; id tamen religio spectat tanquam quid materiale, ut formale autem respicit Deum tanquam primum, & fontale principium. E contra gratitudo attendit in Deo beneficentiam liberalem, ac singularem, quòd autem illa fonti sit coniuncta, id habet pro materiali, quod in aliis quoq; Dei considerationibus solenne est.

8. Itaq; gratitudo ita se, ut dixi, habet & præter eam, quę debetur Deo, est alia quæ spectat in benefactore benevolentiam, quali potest moveri

veri creatura, rationalis in similem sibi ut homo in hominem, vel in Angelum, in quo quia est finitus amor, atq; amicitia, & ex tali fit quod in alterum fit gratitudo quoq; alterius, & inferioris est speciei, qualis homini, vel Angelo potest deberi, eademq; parentibus & in dignitate positis est rependenda, pro iis, videlicet, beneficiis, quæ conferuntur ab ipsis, non ut sunt communia generationis, aut gubernationis principia, sed ut peculiari affectu in illos feruntur, quibus benefaciunt. Ita S. Joseph, duplicis virtutis affectu debebat prosequi suum Patrem S. Jacob Patriarcham; & pietatis, ut progenitorem, & gratitudinis, ut sui, præ cæteris filiis, amantissimum, quod testatur sacra scriptura Gen. 37. Pari de causa idem Joseph Pharaonem regem Ægypti, & observare debuit, nimirum, in dignitate constitutum, & gratus illi esse tanquam suo singulari benefactori, à quo toti Ægypto præfectus erat, & secundus à rege habitus, ut est Gen. 41. Ita quisq; gerere se debet erga eos, à quibus percipit beneficia, videreq; quanam ex virtute iis sit obligatus.

Sectio III.

Quonam pacto, & per quos actus exhibenda sit gratitudo aliis, à Deo.

IAm constat duplicem esse gratitudinis virtutem, distinctam ab aliis virtutibus, ostendendum deinceps quonam pacto unaquæq; exercenda sit, & primò ea, quæ debetur creaturæ rationali. Porro virtus quævis, ex duobus plenè cognoscitur, ex materia, quâ occupatur, & ex operationibus suis. Materiam seu obiectum gratitudinis diximus esse parem gratiæ redditionem, de actibus per quos id fiat videndum. Et in genere quidem hi sumpti in duas referendi sunt classes: Nam aut affectu simul, & effectu fit recompensatio, aut affectu dumtaxat. Affectum intelligo promptam reddendi voluntatem, seu actum quo quis velit, modò possit par pari referre: quę voluntas semper necessaria est, quoties occurrit gratitudinis opportunitas, & moralis necessitas; quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. Q. 106. art 4. Neq; verò semper animo voluenda est dicta promptitudo, cùm multa crebrò mentem distrahant. Porro opportunitas, moralisq; necessitas gratiæ reddendę est imprimis tum, cùm accipitur beneficium: Sicut enim quando dat quispiam ali- 9.

quid manu, manus viciſſim alterius porrigitur, quæ accipit, niſi circa alia ſit occupata, ita benevolo affectui, gratus itidem obuiet affectus neceſſe eſt, niſi aliò ſit avocatus. Ad hæc opportunitas gratiæ tum quoq; occurrit, cùm adeſt tempus, & occaſio illius reddendæ, nec per difficultatem poteſt reddi, niſi prompta voluntate.

10. Jam affectu, & effectu exhibetur gratitudo, quando prompta voluntas ſigno quopiam declarat id, quod intra ſe verſat, quod ſignum voce, aut re aliqua demonſtratur. Voce, ſi palam magni fiat collatum beneficium; ſi prędicetur is, qui benefecit, citra tamen adulationem, ſi acceptetur libenti animo, hilariq; vultu benefactum: nam ſi triſti, & rugata fronte, hoc ipſo repudiabitur, tanquam indignum nomine beneficii, & debitâ gratiâ. Huc quoq; ſpectat gratiarum actio, per quam recognoſcitur benefactor, & illi acceptum fertur beneficium. Quæ omnia poſſunt quidem abſenti exhibere, multò tamen gratiùs declarantur præſenti, tanquam ſpectatori, & non teſtes, aut argumenta redditæ gratiæ conquirenti. Re demonſtratur gratitudo, cùm factum facto, obſequium obſequio, donum compenſatur dono, vel alia re quapiam. Qua in compenſatione duo obſervanda ſunt.

11. Primum exigit Ariſtot. Ethic. 8. cap. 14. ut in ea attendatur qualitas benefactoris; probo enim, & honeſta ſpectanti plus tribuendum cenſet, quàm alteri qui utilitate ducitur, quantumvis uterq; rectè benefaciendo agat. Et cùm bonum honeſtum maius ſit utili; probo ea reddenda, quæ alunt honeſtatem amicitiæ, ei verò, qui utilibus delectatur, utilia refundenda, quò ita foveatur amicitia utilis. Hinc eſt, ut magnis viris, obſequium honoris maius ſit, quàm aliquod donum: *Virtutis,* inquit Ariſtoteles, *& beneficentiæ merces eſt gloria; inopiæ, & indigentiæ præſidium quæſtus.* Meritò id obſervandum eſt, ut ſic explicata ſupra retineatur paritas inter utrumq;: nam qui benefacit, id offert, quod putat fore gratum, acceptanti, & quo antea ille carebat. Tale ergo quid viciſſim reddendum, quod ſit futurum acceptum, & tanquam novum accedat, pro cuiusq; placito, & deſiderio.

12. Alterum in eadem compenſatione ſervari vult S. Thomas 2. 2. Q. 106. art. 4. ut non ſtatim poſt acceptum beneficium fiat ſolutio, citatq; Senecam ita lib. 4. de beneficiis hac de re loquentem: *Qui nimis cito cupit ſolvere, invitus debet, & qui invitus debet, ingratus eſt.* Cæterùm hoc non ita puto ſervari debere, ut nunquam ſtatim ſit ſolvendum, ſed conſiderandam eſſe diſpoſitionem eius, cui referenda eſt gratia: nam ſi id futurum

turum est gratum, statim reddendum, sin minùs, differendum. Præterea videndus est animus, ac intentio eius, qui solvit; si enim ideo properat, quia se cupit exonerare debito futuræ gratitudinis, talem rectè docet Seneca invitum facere; ad reddendum enim statim, cogit illum fuga debiti; cùm tamen gratitudo exigat, ut qui accepit beneficium, fateatur se esse, & fore debitorem; quinimo gratus animus, etiam cùm solvit adhuc se obligatum, & debitorem judicat. Talis ergo & invitus est, quia coactus facit, & ingratus, quia non vùlt obligari.

Sectio IV.

Qua ratione gratitudo in Deum declaranda sit.

SI agamus de æqualitate relatæ cum collata gratia, certum est non posse ullam creaturam rationalem reddere par Deo; imprimis effectu rerum, cùm neq; tam multa, neq; tanta Deo rependere possimus, quæ, & quanta ab illo accipimus. Et quod ad multitudinem attinet, ne unum quidem pro innumeris eius bonis reddimus nostram proprium, testante ipso Deo Psal. 49. *Si esurièro non dicam tibi; meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.* Quòd si vel illa referamus, quæ sunt aliàs in nostram possessionem, libertatemq; adscita, quis tot ei det, quot ab illo accipit? quis ei reddat terram, aquas, cælum, astra, & similia innumera? deinde quis ita det, ut se datorem privet ûsu eorum, quæ offert & nihil sibi retineat? deberet enim non amplius uti corpore suo, anima, cæterisq;: sicut qui gratiæ declarandę causâ donat alteri equum, non ampliùs eius sibi usum retinet. 13

Adhæc, cùm fide verâ constet, Deum ad eam beneficentiæ amplitudinem devenisse, quam cum admiratione quadam deprædicat Christus Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Quis tantùm pro tanto valeat refundere? itaq; in compensatione rerum deficere nos omnino oportet: idem quoq; fatendum, si compensare conemur, voce, honore, cultu, & ipsa mentis æstimatione. Quis enim dignè prędicet Deum benefactorem? aut quis ita expendat benefacia eius, ut merentur, si præsertim non tantùm ipsa in se, sed amorem infinitum, è quo emanant, dignitatemq; amantis velit assequi? Quod demum obsequium honoris condignum erit tanta maiestate? Prorsus con- 14.

 fiten-

fitendū est cum Eccl. c. 43. *Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, sicut est ab initio?* à tali, scilicet, initio, quale in omni eius perfectione, atq; excellentia nullum est, sed est initium fine initio, sicut & finis, fine fine.

15. Quod cùm ita sit, re ipsa, & effectu nunquam Deo dignas referre possumus grates, id quod à fortiori, &, ut sic dicam, à fortissimo clarum est: Si enim, ut docet Aristoteles Ethic. cap. ultimo, parentibus nunquam par refertur; multò magis Deo nunquam par redditur, à quo parentes habent, ut dent proli, id quod dant: unde idem Philosophus ibidem dicit: *Diis, & parentibus neminem esse, qui parem gratiam referre possit.* Nihilominus addit ille exigere ab uno quoq; amicitiam, non quod cuiq; debetur, sed quod quisq; efficere potest, idem ergo & Deo præstandum.

16. Atq; imprimis is, qui vult ipse esse gratus, faciet id, quod potest, referetq; grates, mox atq; aliquod noverit se percepisse beneficium. Ad hæc magni illud æstimabit, gratias pro eo aget, cultum, & obsequium exhibebit; deniq; amabit benefactorem, & si quid aliud facere poterit, offeret in signum gratitudinis. Nec verò hîc timendum est, ne coacti, coactè & invitè facere videamur, si statim solvamus id, quod suprà hominibus fieri diximus non expedire, ob ingratitudinis metum. Ideo enim homo homini non statim debet solvere, ne ubi par reddiderit gratitudinis debitum à se excutiat. Cùm verò Deo quantumcunq; referamus, nunquam par reddimus, sequitur, ut licet statim aliquid præstemus, semper tamen remaneat obligatio præstandi ampliùs. Quapropter Christus, ut legimus Luc. 17. reprehendit novem leprosos, quòd non statim redierint actum illi gratias pro sanitate accepta; laudavit autem decimum, qui id fecit: *Nonne*, inquit, *decem mundati sunt, & novē ubi sunt? non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.*

17. Quo eodem loco præclarum habemus documentum, quantæ sit apud Deum efficacitatis, quantaq. nobis pariat emolumenta, debita, hoc est ea, quæ fieri potest in tantum benefactorem gratitudo. Etenim huic alienigenæ, infideli scilicet, propterea quòd reddiderit gloriam, pro sanitate corporis, animæ quoq; salutem largitus est, sic ei locutus: *Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit*, id quod aliis novem non legimus dictum.

18. Etsi enim sanando corpora, sanabat & mentes; ab omnibus tamen videtur exegisse aliquam gratitudinem, saltem per recognitionem facti, hinc

hinc ut plurimum fidem requirebat à petentibus aliquod beneficium; requirebat, inquam, ut & crederent eum posse facere, quod volebant, & factum ipsi tribuerent, gratos se hoc pacto exhibentes. Ita illi paralytico, videns eius fidem, dixit Matth. 9. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua:* ita Marci 5. Archisynagogum solatus est: *Noli timere*, tantummodo crede, ita aliàs faciebat. Quia ergo isti novem non recognoverunt beneficium, reversi ad Christum; aut non obtinuerunt salutem animarum, aut si obtinuerunt (quia fortè erratum suum agnoscentes, compuncti, egere illi suspiriis grates) id tamen non expressit Evangelista, ut sciremus eos dumtaxat, maioribus à Deo affici beneficiis, qui ad ipsum per gratitudinem revertuntur. Quod quia hi novem non fecère, palam quid sit de illis actum in occulto, Dei relictum est judicio, cuius ignorantia, timorem in nobis parit, ne minorum ingrati, privemur à Deo beneficiis maioribus.

In facto eodem Domini præter documentum, quod jam retulimus, 19.
aliud non minus elucet: nam gratus iste decimus, pro relata gratia rem tantam consecutus est, quanta est salus, novem ingrati, non leguntur adepti illam: quid igitur gratus non speret à Deo? aut quid ingratus non timeat?

Subtiliter id expendit S. Augustinus Tom. 7. lib. uno de natura, 20.
& gratia, scribens contra Pelagium, qui asserebat nos viribus naturæ, sine gratia Christi, posse quævis vitare peccata; è contra S. August. catholicè ostendebat id falsissimum esse, eò quòd natura nostra in pœnam primi peccati. Adæ parentis nostri vitiata sit infirmitate, à qua non nisi per Christi adiutorium sananda est, & si non sanetur, quivis homo facilè in mala pronus ruit. Docet deinde inter alios animæ languores esse superbiam, quæ licet ab aliis infirmitatibus, atq; hinc secutis peccatis sit distincta; tamen de ea rectè loco citato cap. 9. ita loquitur: *Et quidem superbia cùm magnum sit ipsa peccatum, ita sine aliis per se ipsa est, ut etiam plerumq; non in peccatis, sed in ipsis rectè factis pede celeriore superveniat, & obrepat.* Cur autem superbiam ita se omnibus nostris factis insinuantem, eaq; suo veneno inficientem, non sanet Deus, aut non citò sanet, ostendit causam esse necessitatem gratitudinis, ut quoties homo aliquid boni agit, aut cavet aliquod malum, non sibi superbè id tribuat, sed Dei gratię, semperq; sit gratus, & ut gratitudinis sit memor, à superbia, quæ intus torquetur, reducatur ad officium. Ita ergo de hoc August. loco citato cap. 30.: *Vitium quo committitur* (scilicet culpa) *nondum*

dum omni ex parte sanatum est; quod quidem ut invalesceret, de non rectè usa sanitate descendit: ex quo vitio jam malè valens, vel infirmitate, vel cæcitate plura committit: Pro quo supplicandum est, ut sanetur, & deinceps in perpetua sanitate vivatur, non superbiendum, quasi homo eadem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est.

21. Post hanc recognitionem Dei gratiæ, ostendit ulterius S. Doctor expectandum esse novum beneficium maius priore: nam qui Dei gratiæ tribuit bona, fatendo suam infirmitatem, in hoc quidem tempore consequetur, ut infirmitas illi non prævaleat, quantumvis ad mortem usq; duret; in futuro autem ut perfectam sortiatur sanitatem. Et ne ante hoc tempus sanitatem sibi tribuat, si quando ab aliquo vitio non impetitur, iterum à superbia molestatur, & sic ad officium gratitudinis reducitur.

22. Atq; hanc talem Dei cum homine grato providam, illiq; utilem procedendi rationem, vocat S. August. citato loco cap. 1. *altum consilium*, quod ita explanat. *Et hæc quidem ita dixerimus, ut altius Dei consilium me fatear ignorare; cur etiam ipsam superbiam, quæ & in rectè factis animo insidiatur humano, non cito Deus sanet, pro qua sananda illi, pia anima cum lacrymis, & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam, & quodammodo calcandam, & obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere, se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit, & dicit: Ecce ego vivo, quid triumphas? & ideo vivo, quia triumphas. Ante tempus enim fortasse de illa quasi victa triumphare delectat, cùm extrema eius umbra, illo meridie, quantùm arbitror absorbebitur, qui meridies scriptura dicente Psal. 36. promittitur: Et educet sicut lumen justitiam tuam, & judicium tuum sicut meridiem; si fiat quod supra scriptum est: Revela Domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.*

23. Ita Augustinus, cuius discursus magnam gratitudinis ostendit necessitatem, si velimus, & collata à Deo retinere beneficia, & maiora referre semper: Propterea Pelagiani, quia naturę tribuebant non gratiæ Christi; si quando boni quidpiam agebant, in pœnam ingratitudinis, privati sunt gratiâ prius datâ, permissiq; labi deinceps in pestilentes circa fidem errores, cæteraq; peccata, in quibus obstinati perierunt. Ita cuiq; timendum, ne, si, ingratus fuerit Deo, & datis privetur, & ad maiora nunquam pertingat.

24. Quòd si quis inquirat causam, quæ convincat, meritò Deum à nobis exigere gratitudinem, & nisi ea sit, justè nos ut dixi punire: Si, inquam,

quam, causam scire velit, eam in leprosis illis decem Christus insinuat. Cum enim Deus Isa. 42. dicat: *Ego Dominus gloriam meam alteri non dabo*, sequitur ut is, qui accipit ab illo quidpiam, reddere illi gloriam debeat (neq; enim aliud dare potest) & ita glorificando ad eum quasi redeat recogniturus benefactorem, ut quemadmodum S. Paulus 1. Cor. 1. scribit: *Qui gloriatur in Domino glorietur.* Hoc est, quod docet S. Dionysius cap. 3. de divinis nominibus, quem sequitur S. Thom. 2. 2. Q. 106. art. 3. in corp. *Deus*, inquit, *omnia in se convertit, tanquam omnium causa.* Modum autem conversionis dat ibidem S. Thomas, vocatq; modum utriusq; id est similem utrinq; ; ut sicut Deus benefacit voluntate amicâ, ita & accipiens beneficiũ, rependat voluntate vicissim benevolâ. Quod cùm non fit, interrumpi amicitiã necesse est, quę in mutua consistit benevolentia, justèq; Deus beneficentiæ suæ imponit finem, quando in eo, cui benefecit, deficit mutua benevolentia: imponit, inquam, finem nec nova dando, neq; data conservando dona, quod utrumq; à benefico Deo, præstatur ijs, qui sunt grati, ut & det nova, & conservet vetera data.

Atq; hoc est, quod de quibusdam legitur Isai 5. ubi imprimis queritur Deus: *Quid est*, inquit, *quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* post beneficia deinde numerata subnectit ingratitudinem: *An quod expectavi ut faceret uvas*, & *fecit labruscas*; tandem quid deinceps facturus sit, & quòd finem impositurus beneficentiæ subnectit: *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ, auferam sepem eius, & erit in direptionem*; hoc dederat ante, quod aufert. Deinde sequitur futurorum negatio: *Ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, ascendent vepres, & spinæ, & nubibus mandabo ne pluant super eam*, imbrem novarum, scilicet, gratiarum. Hic locus velut imaginem proponit oculis, quòd ingratus certò polliceri sibi debeat duo, nempe ut data amittat, & dandis frustretur. 25.

Cùm igitur constet meritò Deum à nobis exigere gratiam, quisq; etiam, habeat ab ipso innumera beneficia, quæ conservari, augeriq; in dies, & illud tandem ultimum, maximumq; omnium salutis videlicet æternę, consequi velit; duo videntur præstanda, unum ab omnibus, alterum ab ijs, qui suo muneri magis sunt attenti. Omnes saltem in die semel (commodum ad hoc tempus videtur ante somnum) agant, ut possunt gratias Deo, pro omnibus eius donis, quę unquam ad illud momentum à Deo sortiti sunt. Atq; , si tantùm judicio, memoriâq; pollent, majore 26.

animi conatu, atq; affectu id agent, si aliqua in specie commemorent, quæ à Deo Patre, ut Creatore, à Filio, ut Redemptore, à Spiritu Sancto ut supernaturalium gratiarum Largitore perceperunt. Hunc ob finem S. Thomas 2. 2. Q. 106. art. 2. instituit quæstionem, quisnam è duobus gratior Deo esse debeat, pœnitensne post lapsum, an innocens, qui præservatus est à lapsu mortalis culpæ? Quod idcirco quærit, ut quisq; distinctè proponat Deo beneficium ab ipso acceptum, & pro magnitudine eius agat gratias. Ad hanc quæstionem respondet, innocentiam, & pœnitentiam, bifariam considerari posse, in se, & comparatè ad hominem cui datur. Si in se utrumq; sumatur, maius est donum innocentiæ; quia per eam continuatur cum Deo amicitia, quæ non interrupta, maius quid est, quàm reconciliata.

27. Quòd si comparatè hæc sumantur, maius est donum pœnitentiæ; nam datur homini indigno gratiâ, & digno pœnâ, magisq; datur gratis, cùm in peccatore præcedat culpa, quæ contrariatur gratiæ: in innocente autem nihil tale supponitur, saltem quod ipse sua voluntate commiserit, nam originale à parente Adam dependet. Cùm ergo peccator plus accipiat propter suam indignitatem, plus Deo gratus esse debet: Sicut reus criminis, & ob illud ad maxima destinandus supplicia, magis debet esse gratus regi, si ab illo in amicitiam recipiatur, quàm is, qui semper est amicus regis. Id planè testata est pœnitens Magdalena continuis fletibus, maiorīq; fortè gratitudine pro collata sibi divinitus pœnitentia, quàm fuit Martha eius soror grata Deo, pro beneficio innocentiæ.

28. Quòd si tam innocentia, quàm pœnitentia, sumantur per comparationem ad radicem, & fundamentum gratiarum omnium, nempe ad Dei misericordiam; sic videtur tam innocens, quàm pœnitens æqualiter Deo debere: nam, & innocentia etiam summa (qualis fuit in Beatissimæ Virgine, ab omni culpa præservatâ) & pœnitentia quævis fundatur in Dei pura liberalitate, qua ille nullo alio habito respectu, præterquam gloriæ suæ & innocenti dat gratiam in priori (ut dicunt Theologi) rationis negativè indigno, & peccatori positivè indigno. Quamobrem sive innocens, sive pœnitens quivis, expendendo Dei munificentiam, illud in ore, & in corde Psal. 88. habere debet: *Misericordias Domini in æternum cantabo*, &: *In æternum misericordia ædificabitur in cœlis.* Hæc tria qui diligenter considerat in beneficiis divinis, Deum, scilicet, dantem, se recipientem, & donum acceptum, habebit immensum campum excurrendi in gratias Deo debitas, simulq; trutinandi, tum Dei miseri-

cordia

cordiam, tum suam indignitatem, tum magnitudinem beneficiorum, pro quibus saltem semel, ut dixi, in die grates Deo referat.

Cæterùm qui non contentus hoc, perfectiùs id facere voluerit, id ea ratione assequetur, ut quoties aliquid beneficii perceperit, currat (nisi excidat memoriâ) pio affectu ad benefactorem Deum, quasi gloriaturus coram illo, & de illo, parvuli hac in re exprimens similitudinem; qui nactus aliquid à Patre, vel matre, currit, & recurrit ad illos, eis deniq; & datum, & se dati possessorem ostentat: gratum id fit parentibus, applaudunt sic facienti; idem putandum de Deo. Nec certè ad hoc requiritur aut temporis, aut orationis multum: Sufficit Deo, qui intuetur corda momentaneum suspirium: applaudet bonus Pater materno affectu, maioraq; pollicebitur. Talem ut se gereret Tobias junior à Raphaele Archangelo edoctus fuit, Tobiæ 11. *At ubi*, sunt verba eius, *introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum.* Verùm multò meliùs idem faciebat, nosq; docebat, unigenitus Dei Patris in carne mortali nobiscum adhuc degens: jam gemitu, & suspirio; jam actione gratiarum: jam confessione laudis, & æstimatione beneficiorum, gratum se pro ijs Patri præsentabat, in se tanquam in hominem collatis. Marcus cap. 7. scribit eum ingemuisse surdum, & mutum sanando: apud Joannem cap. 11. egit gratias Patri, quod illius semper audiverit postulata: Matth. 11. confitebatur eidem, qui revelaret abscondita parvulis; sic talia sæpe. Vtilissimè imitabitur Christum, qui assuescet ad tria hæc, scilicet, ad suspirium mentis, ad gratiarum actionem voce, & ad confessionem laudis, quoties jam petit, jam fruitur impetrato beneficio. 29.

Atq; hæc sunt, quæ gratus in Deum effectu debet exhibere. Quod ad affectum attinet, eâ, ut idem præstemus, utamur doctrinâ, quam supra hac parte cap. 1. à num. 32. retulimus, in virtute non semper requiri rem, aut opus externum; sufficere interdum animi electionem. Etenim non ille tantùm fortis dicendus, qui fert moderatè ardua, cùm occurrunt; sed qui paratus est ferre, si occurrerent: sicut temperans non ille tantùm dicendus, qui juxta regulam rationis reficit corpus, sed ille, quoq; qui ad idem promptam habet voluntatem, quoties aderit uescendi occasio. Hoc supposito facilè est cognoscere qua nam ratione affecti in Deum, grati esse possimus. Nam cùm, vt probatum est, re ipsa Deo nunquam par ri ferre valeamus; cum etiam id, quod reddimus, modicum admodum exileq; sit; postremò cum animus noster adeo sit, ut sic dicam 30.

latus, & in suis affectionibus interminabilis, ut prohiberi nequeat, quò minus velit, id quod re ipsa non potest præstare (ita quippe multi appetunt dignitatem, felicitatemq; mundi, quam non assequuntur) cùm, inquã, hæc certa sint; sequitur, ut qui affectu Deo cupit esse gratus, rectè faciet si voluerit ea, quæ nunquam perficiet, vellet tamen perficere, si sibi possibile esset.

31. Ita gratus est, qui cupit gratitudinis ergò tantùm colere Deum, quantùm omnes homines, qui vivunt, vel (quod maius est) qui fuerunt eruntve, idem facient, aut fecère; hoc ipsum de similibus affectibus virtutum, nedum de vna gratitudine intelligendum. Ne tamen eiusmodi animæ operationi, imprudentia associetur, debent appeti ea, quæ sint citra displicentiam Dei: neq; enim rectè vellet quispiam, ita laudare Deum, ut ille seipsum laudat; nam sic appeteret divinitatem, quæ nec sub conditione quidem appeti debet, cùm absolutè, & omni ex parte id sit impossibile. Hac de causa nec Christi dignitas, aut Matris eius expetenda: non quòd non sit absolutè possibile ut altera humanitas, uniatur divinæ hypostasi, sicut Christi humanitas unita est, aut alia virgo fiat mater Dei, sicut est facta Virgo Maria; sed quia de facto hæc est voluntas Dei, ut Christus solus sit unitus Deo, & sola hæc Virgo sit Mater Dei; quare excellentia eorum solis ipsis debetur, neq; ab aliis citra imprudentiam expeti potest. Cæterùm seclusâ tali appetendi imperfectione, quantùmquisq; potest concipere mente, sit paratus illud exhibere, erit animi pio affectu gratus. Huc etiam spectat & ille modus affectus conditionalis, nempe, si per impossibile aliquid fieri posset: secundùm hunc possumus cupere ita amare vel colere Deum, ut v. c. Christus Materue eius amat aut colit, si fieri posset. Non ambitur hic dignitas Christi vel Matris, sed pius affectus in Deum declaratur, eo modo, quo quis declarat, dum dicit: volarem, si possem ad videndum amicum.

32. Quàm verò talis animus, talisq; gratitudo accepta sit Deo, multis sacræ paginæ clarum est testimoniis, unum & alterum hoc loco sufficiet. Ludebat ut legimus 2. Reg. 6. coram arca David, quod videbatur reginæ Michol indignum regia maiestate: Verùm David memor beneficiorum Dei plura exoptavit, quæ tamen non constat eum fecisse, facturus certè, si aut necessarium, aut sibi possibile putaret. Sic igitur irridenti se Michol respondit: *Ante Dominum, qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum, & præcepit mihi, ut essem dux super populum Domini Israel, & ludam, & vilior fiam, plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.*

Non

Non lusit deinde, nec vilior factus est coram arca, nimirum Deo satis erat bonus, & gratus animus. Non minùs illustre est, quod legimus Luc. 21. de vidua, quæ misit duo minuta in gazophylacio actura pro Dei beneficiis grates, ut faciebant reliqui, qui tum ad altare deferebant munera. Ob hoc ipsius factum prætulit eam Dominus divitibus; non quia maius donum dedit, sed quia maiore affectu, & ad quidvis, quod sibi esset p ssibile, se extendente: dedit enim, ut testatur Christus, omnem victum suum. Victum omnem illa vidua habuit in duobus minutis; si haberet illum in centum millibus, dedisset centum millia, si in millione, dedisset illum, si in centum, aut quotcunq; millionibus, dedisset tot: nam dando omnem victum, conclusum duobus minutis, parata erat dare omnem, quacunq; clauderetur summâ, modò ea sibi possibilis esset.

Eam animi promptitudinem, quanti esset apud se ponderis, veritas testata est: *Verè*, inquit, *dico vobis, quia vidua hac pauper, plusquam omnes misit*. Audiemus ampliores divini oris laudes, cùm in extremo judicio manifestabuntur consilia cordium, loco, & tempore proprio, & tunc erit laus unicuiq; à Deo (prima Cor. 4.) & huic ipsi viduæ, paucis à Christo in terris laudatæ. Quamobrem verę, quę à Deo est laudis, nos quoque cupidi, agamus quoties menti occurrit memoria tanti benefactoris, ipsi gratias, eo, quo valemus affectu: duo minuta de marsupio cordis promamus, mittamusq; in altare divini itidem cordis, ac dicamus: Ago tibi Deus gratias, ut possum, ago ut vellem, si possem: potentia unum, voluntas alterum erit minutum; utrumq; acceptum Deo, quia utroq; totum & omne vitæ nostræ continetur, non quo terræ victitamus, sed quo vivimus cœlo; terræ satis est animam uniri corpori, cœlum rapit cor, ut uniatur Deo. 33.

Quæ de gratitudinis potentia, & conditionali voluntate dicta sunt, serviunt (ut supra monui) cæteris virtutibus amori v. c. divino, cultui, spei, & aliis, quę Deum concernunt maximè; possumus enim ita corde Deum alloqui: Vellem te amare ut quisq; sanctissimus, si possem. Idem judicium de cęteris virtutibus, in quarum tali exercitio dilatatur affectus mentis, & ad magna erigitur. 34.

Sectio IV.

In quo sit & quàm noxia ingratitudo.

Cùm gratitudinis proprium sit referre gratias benefactori jam voce & si- 35.

Digitized by Google

& signis, jam re ipsa: ingratitudo erit, quæ nihil horum benefactori præstat, quando debet & ita ut debet; oppositorum enim opposita est ratio. Addo benefactori; si enim aliqua non fiant, in commodum alterius, non quia benefactor est, sed quia alius quispiam, v. c. pater, vel superior, officium his negatum non erit ingratitudo, sed aut impietas in parentes, aut non observantia superiorum, aut aliud vitium in proximum. Etsi enim in cæteris peccatis appareat aliquod vestigium ingratitudinis, v. c. in impietate, aut inobedientia; tamen ingratitudo talis, generalis quædam circumstantia, & materialis vocatur, ac interpretativo quodam modo explicatur: inobediens enim censetur ingratus esse superiori, sicut impius parentibus, eò quod eorum in se factis non respondeant. Qua eadem ratione superbia, aut contemptus Dei in quovis peccato generaliter continetur, & est quid materiale: Cæterùm hîc agimus de ingratitudine formali, & particulari, quæ non refert grates benefactori suo, præcisè, ut tali considerato.

36. Porrò rectè docet S. Thomas 2. 2. Q. 107. art. 3. in corp. ingratum duplici modo se gerere, aut omittendo grates, aut aliquid committendo iis contrarium. Omittit, qui non æstimat beneficium, non gratias agit, non rependit, ut potest: committit, qui elevat benefacta, aut benefactori exprobat, irridetve eius promptitudinem, vel insuper molestiâ illum afficit. Quæ omnia habent quosdam perversitatis gradus; nam non rependere cùm possis, magnum quidem est, maius tamen, non agere gratias, id quod facillimum est, & adhuc maius, ne quidem æstimare; atq; hæc ipsa superat, si molestiâ afficias beneficum, vel quod deterius est, si eleves contemptim, deterrimum tandem, si subsannes, exprobres, irrideas.

37. Tot & tam perversi malitię gradus, unam constituentes ingratitudinem, jam levem, jam gravem continent culpam; est proinde ingratitudo ex suo genere mortalis, (nisi materię levitas, aut non aduertentia excuset) ut cum S. Thoma 2. 2. Q. 107. art. 3. docent Theologi. Quis enim leviter putet eum offendi, qui pro benevolentia ac benefactis referat sannas, opprobria, contemptum, ludibria, damna, & injurias graves? quæ tantò magis contristant, quantò is, in quem fiunt, merebatur ob beneficentiam digniùs tractari. Cruciat profectò, & satis acerbè pungit cor ingratitudo, quasiq; aculeum ipsi figit, qui tamdiu torqueat, quamdiu vivit in notitia; totiesq; reviviscat, quoties renovatur notitiæ, atq; acerbitatis memoria.

Et

Et cùm tanta sit offensa ingrati in beneficum, sibi tribuat, si quando illud experiatur: Ab ingratis tollitur beneficium. In hoc tamen, ne secus quàm par est agatur, censet S. Thomas 2. 2. Q. 107. art. 4. non statim, atq; aliquis ingratum se exhibet, puniendum subtractione beneficentiæ: potest enim fieri, ut justa aliqua de causa prætermittat officia gratiarum, quę deinde mox relumat. Quòd si quis verè ingratus fuerit, iterum, iterumq; beneficiis provocatus, poterit agnoscere, corrigereq; erratum. Quem repetita non movent, benefacta, quin potius in obstinatione ingratitudinis firmant, augentq; eam; de hoc ita faciendum putat S. Thomas loco citato in corp. si, inquit, ex beneficijs multiplicatis ingratitudinem augeat, & peior fiat, debet à beneficij exhibitione cessare. Rectè id asserit S. Doctor, nam in tali eventu benefacia sunt occasio ingratitudinis ei, in quem illa auferuntur, qualis occasio semper vitanda est ex debito charitatis. Hoc ipsum jubet Christus Matth. 7. dum inquit: *Neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.* 38.

Illud hîc cuiq; occurret, quoties sit benefaciendum ingrato, ut tandem provocatus beneficiis gratus fiat, qua in re adhibenda est regula Salvatoris apud Matth. 18. Petierat ab illo Petrus, quoties esset dimittendum fratri deprecanti culpam, septies ne tantùm; cui Dominus respondit, *etiam septuagies septies*, dimittendum esse, statimq; attulit parabolam de rege, qui voluit ponere rationem cum servis suis: & cùm unus repertus esset debitor, nec haberet unde redderet, petenti dimisit debitum totum. Quoniam verò idem servus, suo conservo, itidem debitori noluit dimittere; iratus rex tradidit illum tortoribus. In hac Salvatoris parabola duo continentur; primum non posse dari certum numerum beneficiorum, quæ in ingratum sunt conferenda, aliqui enim paucis, alii pluribus ad gratias permoventur, propterea dixit Dominus: *Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagesies septies*: quasi dicere voluisset, toties benevolum te ingrato exhibe, quoties putas benevolentiam tuam ei profuturam. Alterum, quod continetur in eadem parabola, est, ut ei, qui malitiosè & obstinatè abutitur beneficiis, pręcidatur beneficentiæ filum, eò quòd talem se exhibeat, ut nullam præseferat spem gratitudinis futuræ. Ita fecit rex ille, qui servum semel ingratum, eò quòd non condonasset conservo pauca, cùm ei multa essent dimissa, statim punivit. 39.

Quo docere nos dignatus est Dominus, posse interdum, & debere sta- 40.

re statim subtrahi beneficia, si quis una etiam, sed grandi, hoc est malitiosâ, & obscenatâ ingratitudine id mereatur. Ita judicio Christi ingratus est, qui non condonat proximo deprecanti, cum certus sit sibi multa à Deo condonari: Sic enim eodem loco apud Matthæum concludit: Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus vestris. Negatio veniæ, proximus exposcit potest esse vera, & formalis ingratitudo in eo, qui meminerit facilè sibi à Deo debita, pœnasq; æternas per Christum donari, quod ut ingens beneficium extollit S. Paulus Epist. 1. Gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ eius. Ipse quoq; Christus se tantum benefactorem ita commendat Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cùm igitur condonatio peccatorum per merita Christi sit tantum Dei beneficium; nolle vicissim fratri suo in gratiam eiusdem benefactoris paucula donare, magna est ingratitudo, quæ meretur, ut Deus remissionem culpæ.

41. Ex hac una ingratitudine, eiusq; pœna, nempe subtractione beneficii, remissionis peccatorum, de aliis idem judicium ferendum, vitandaq; quævis in Deum ingratitudo; non ideo tantùm, quia culpa est; sed quia valde noxia quà huic, quà futurę vitę. Et cùm ignoremus, quænam decreto divino sit tanta ingratitudo, ut in eius pœnam, tollantur ab ingrato beneficia; semper timendum, ne si gratias debitas non referamus, eo pertingamus, ubi sit finis bonorum, & malorum initium. Querebantur olim de Deo Judæi, ut refert Isaias cap. 58. quòd non exaudirentur ab ipso, jeiunantes & orantes: ut liberarentur ab hostibus; ut successus fælices in bellis haberent; ut fruerentur pace, & similibus huius vitæ commodis. Querelæ occurrit Deus per eundem Prophetam, causamq; cur non audirentur, respondit fuisse voluntatem eorum. *In die*, inquit, *jeiunii vestri, invenitur voluntas vestra: omnes debitores vestros repetitis; ad lites & contentiones jeiunatis, & percutitis pugno impiè.* Huiusmodi Judæorum voluntas, non correspondebat divinæ benevolę & beneficæ in ipsos voluntati, nimirum tot bonis, in terra lacte, & mele manante donatos. E contra eorum voluntas fuit malevola, & malefica in proximos (quos Deus præcipit diligi propter se) cùm tamen ut suprà hoc cap. vidimus inter benefactorem, & eum cui fit bene, debeat intercedere mutua benevolentia. Hinc erant illi (de quibus querebantur Judæi) infelices successus domi, forisq;, pacis, scilicet, turbatio; bellorum tumultus, sterilitas

litas agrorum, fames, pestes, & id genus plurima vitæ caducæ mala, quæ pollicebatur se sublaturum Deus, ubi mala eorum voluntas fuisset mutata: *Tunc*, inquit ibidem Isaias, *sanitas tua citiùs orietur, & requiem tibi dabit Dominus semper.*

Nec verò corporis tantùm bonis nocet ingratitudo, animę quoq́; 42. salutiq́; eius plurimùm obest. Queruntur hodie, & nunquam lamenta finient, quotquot sunt recensiti à S. Paulo Rom. 1. *pleni omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, & aliis sceleribus:* queruntur, inquam, infelices hi, quòd morte æterna sint damnati, quam meriti sunt ingratitudinis vitio, propterea quòd, ut ibi scribit Apostolus: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, & in passiones ignominiæ*, quibus morem gerentes, *digni habiti sunt æterna morte.*

Vltra hæc duo malorum genera præsentis, & futuræ vitæ, sicut 43. non est tertium, aut ęquale aut maius; ita cùm utrumq́; pariat ingratitudo, omnis mali dicenda est mater radixq́;. Testatur id S. Augustinus Tom. 9. lib. uno soli loq: cap. 18. sic hanc matrem incusans coram Deo: *Scio quod ingratitudo tibi multùm displiceat, quæ est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desicans, & vrens omne bonum, obstruens fontem divinæ misericordiæ tuæ super hominem, quâ & mala mortua jam oriuntur, & viva jam opera moriuntur, & ultra non adipiscuntur.*

Totum malum, & totum bonum spirituale (ad quod corporalia, 44. ut ad finem referuntur) sunt duo, quorum prius fugere, ac horrere, posterius summis votis expetere homo debet, utrumq́; habet suam radicem oppositæ efficacitatis. Ingratitudo est radix totius mali; quidquid enim adversi est, vel in vita pullulans, vel post illam mansurum, ex hac nascitur progenie. Omne item bonum, & felix, sive quod jam tenetur, sive quod expectatur, proles est gratitudinis, germenq́; quod à fonte misericordiæ divinæ, ubertim irrigatum, excrescit in arborem, nunquam siccandam, & profert fructus copia, atq́; æternitate perennes. Quod cum ita sit, tum ipsa rei naturâ, tum scripturæ testimoniis, Doctorumq́; sensu, ut jam vidimus, certum est, tantùm unumquemq́; vitium ingratitudinis odisse, & studiosum oppositæ honestatis esse debere, quantùm sincero in se amore, totum malum timet, ne sentiat, & totum bonum cupit, ut eo fruatur: neque parcet omni studio, atq́; exercitationi in referendis Deo pro posse gratiis, cùm constet omnia

esse tentanda, ut tale, ac tantum consequamur bonum, cui omne malum nihil unquam nocere possit.

CAPVT. XXI.

De Pietate, & Observantia.

POstquam illæ virtutes, quas ut partes potentiales vendicat sibi justitia, sunt explicatæ, & jam ad Deum, jam ad creaturam referuntur rationalem, percurrendæ sunt reliquæ, communiter inter homines ipsos solitæ usurpari, quarum prima est pietas: sicut enim justitia colit per religionem Deum, tanquam primum rerum principium, à quo omnia sunt, & gubernantur; ita eadem justitia colit per pietatem parentes, qui secundùm Deum sunt principium suæ prolis, communicans illi naturam, eandemq; instituens.

Sectio I.

In quo consistat virtus pietatis.

1. PIetas ad principium refertur ortus, ac generationis, & propterea rectè S. Thomas 2. 2. Q. 101. art. 3. asserit eius obiectum, & materiam esse debitum cultum iis, à quibus progeneramur. Et nomen quidem pietatis sumitur interdum pro religione, aut charitate: quare S. Paulus eos, qui colunt, amantq; Deum vocat pios, ita ad Titum cap. 2. scribens: *Sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo.* Aliquando idem nomen accipitur pro benignitate, & clementia, in qua usurpatione Deum, ac homines dicimus pios, eò quòd commiseratione ducantur. Postremò significat pietas idē, quod & probitas vitę: probos enim, & virtutibus claros vocamus pios: cæterùm hîc strictam habet notionem pietas, quâ solis progenitoribus obligamur.

2. Jam verò per progenitores intelligit S. Thomas loco cit. in corp. cæteriq; Theologi, primò parentes, tum consanguineos eorum, adhæc patriam, deniq; concives, & parentibus, ac patriæ benevolos. Parentes primo ponuntur loco; hi enim sunt ortus nostri principium, & genitos à se ipsi alunt, educant, instituunt. Quod si non corpori solum hisce

hisce officiis prosint, sed etiam animæ, veri Dei cognitionem instillando, virtuteq; formando, tantò est maius debitum cultûs, atq; obsequij ijs deferendi, quantò dant maiora.

Post parentes sequuntur consanguinei, & ij priori loco, cuiuscunq; sexus fuerint, à quibus magis noster dependet ortus, etsi mediantibus parentibus; ut sunt avi, proavi, & similes. Secundo loco ponendi alii, de linea collaterali; quales sunt avunculi, patrui, amitæ & cæteri, qui omnes maiores dici debent, eò quòd vel concurrant ad rationem principii (parentes enim ab avis accipiunt virtutem generandi) vel ab uno eodem procedunt, quo pacto parens, & patruus, ab uno generantur. Sequuntur deinde consanguinei æquales, fratres v. g. hi etiam honorare se debent, etsi comparati ad se non dicantur maiores, propterea quòd in illis eluceat processio ab uno principio. Hac de causa, naturâ ipsa docente interdicitur matrimonium, vel inter maiores, & eos qui ab ipsis procedunt; vel inter æquales in propinquo gradu, ut videlicet, honor debitus, vel principio, vel qui ab illo viciné oriuntur, servetur, qui inter coniuges (nimirum liberè, & audaciùs secum agentes) nequit observari. 3.

Quarto numero succedit patria, cuius nomine intelligitur locus nativitatis, tum parentum, tum consanguineorum, præsertim eorum à quibus descendit ortus, ut sunt avi, tum eorum, qui progignuntur à parentibus. Tali loco debetur, non quidem cultus, & honor (cum sit rationis expers) sed obsequium, tutela, ac defensio ab hostibus aliisq; incommodis, ut hac ratione quasi gratitudo ostendatur in id, quod ad ortus initium, & ad prosequendam vitam suo modo concurrit. Quapropter qui hoc pietatis in patriam motivo in defensione eius occumbit, piè id, honesteq; agit; & si supernaturali quoq; movetur fine, ideò videlicet, defendendo patriam, quia in ea fidem, moresq; Christianos est edoctus, & in ijsdem servire Deo ad finem vitæ velit, mors illi martyrij affert laudem, ut dictum est supra hac parte cap. 1. num. 44. 4.

Quinto loco ponuntur concives, qui etiam colendi sunt, nimirum parentibus, consangvineis, & patriæ vicini, unumq; quid tum loco, tum patria, tum societate, cum parentibus, ac sanguine iunctis. Vltimo piè colendi restant illi, qui enumeratis jam exhibent se benevolos, nempè parentibus, consanguineis, patriæ, & concivibus; nam & hi ad principia ortus nostri conservanda, & promovenda conferunt benevolâ amicitiâ. His omnibus obligata est pietas, tantò maiorem cultum, obsequi- 5.

sequiumq; præstare, quantò aliquid magis est principium ortus. Primò ergo parentes honorandi sunt, tum consanguinei maiores, minoresq;, postea patria, tandem concives, & amici jam dictorum, ut ijs semper plus rependatur, à quibus plus est acceptum.

Sectio. II.

Quid pietas debeat enumeratis Sectione prima?

6. QVamobrem parentibus reddendum est debitum, tanquam ijs, à quibus prolis natura dependet, & per dependentiam, naturali quodam instinctu testatur progenitores esse maiores se, & excellentiores; *beatius* enim *est dare, quàm accipere* ait Dominus Acto. 20. Et cùm parentes hac ratione magni sint, excellantq; à se progenitis, excellentiæ autem debeatur honor, & cultus; meritò Deus Exod. 20. post tria prima mandata, quibus sibi deferendum præcepit cultum, quartum posuit de honorandis parentibus, ut ostenderet post se, primo his nos esse obligatos deferre honorem, cultum, reverentiam, amoremq; & quidem duplici ratione. Primò interna animi æstimatione, atq; affectu, magni eos faciendo, quippe qui sunt principia vitæ, regiminis, ac institutionis, amandoq; ut tales; tum externa protestatione, signisq;, ex quibus constet nos reddere id, quod illis debemus. Post præfatos pietatis actus, addendum est obsequium, non ut famulantium pro mercede, sed ut testantium pro tantis beneficiis debitam quandam gratitudinem. Postremò si eò devenerint parentes, ut egestate premantur, debent sustentari ad mortem usque, neque ex superfluis tantùm sed ex necessariis, ad propriam vitam tolerandam: æquum enim est, ut sicut parentes cum molestia, etiam ex necessarijs, succurrunt proli, ita & ab hac, idem refundatur ipsis.

7. Hæc porro subveniendi ratio quousq; se extendat, & num præferendi sint parentes aliis, aut etiam ipsis filiis, aut filiabus, ut nimirum hi teneantur potius mori, v. c. egestate, quàm ut permittantur illi mori; & idem judicium de alia quapiam comparatione: commodius declarabitur, cùm agemus lib. 2. de charitate, eiusque debito ordinè. Plura de obligatione exhibenda à parentibus, & de præmio longæ vitæ eorum, qui ipsos honorant; denique an teneantur religiosi quoque susten-

tare

tare suos parentes, dicta sunt huius libri parte priore cap. 9. à num. 25.

Sed hîc non prętermittendum puto egregium, quod possent sibi omnes proponere exemplum Tobiæ juvenis à Raphaele Angelo edocti, quemadmodum se in suos parentes gerere debuisset. Igitur redeunti ex itinere longo, præcepit inprimis Raphael ut est Tob. 11. *Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum*, tristem videlicet, & ob cæcitatem, quam Dei voluntate contraxerat, & ob absentiam unici filij. Hic discant filij, filiæq;, non solùm non contristare parentes, sed neque omittere ea, quæ possunt facere ad consolandos ipsos, quoties aliqua premuntur necessitate. Neque expectent, ut parentes ab ipsis exigant solatium, quin potius ipsi pręveniant, & præcurrant, ut docuit Angelus Tobiam: *Præcedamus, inquit, & lento gradu sequantur iter nostrum familia, simul cum coniuge tua.* Negant id officij progenitoribus suis, qui ad ægros non accurrunt; mærentes non recreant, afflictis non adsunt, vel si aliquid tale exhibent, non nisi rogati, aut lamentis adacti. 8.

Alterum quod suasit Tobiæ, erat cultus, amor, ac reverentia: *At ubi, inquit, introieris domum tuam statim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum.* Hîc discant omnes, magnum esse beneficium, pro quo Deo gratiæ agendæ, quòd diu conspiciant vivos suos parentes; & quoties post longam absentiam, eos viderint, testentur in illos reverentiam, atq; amorem. Non faciunt hoc, qui optant illis finem vitę, ut potiantur hæreditate, qui quòd vel pauperes sint parentes, pudore abstrahuntur à reverentia, amoreq; illis declarando; vel, quòd senes, ægri, cæci, surdi, claudi sint, horrorem concipiunt, ne propius accedant, nedum osculentur. 9.

Vltimum fuit Raphaelis consilium, ut succurreret, obsequereturq; genitori: *Statim, inquit, lini super oculos ex felle isto piscis, quod portas tecum: Scias enim, quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aspectu tuo gaudebit.* Tertium nobis hîc adfertur documentum, non esse satis, quòd nostra substantia subveniamus parentibus si egeant (quemadmodum fecit Tobias, qui copiosas in domum intulit opes) sed & obsequendum ijs est pro viribus, & facultate, qualem se hic juvenis præstitit, chirurgum agendo patris. Gavisus est senex Tobias conspecto filio, & moriturus benedixit illi, ut legimus Tob. 14. ita profectò gaudent parentes, experti prolis pietatem, offeruntq; illi benedictionem, quam magnificiendam esse censuit Deus, sicut & maledictionem timendam; ita enim Eccl. 3. prædicit, quid ab altero horum, 10.

expectandum sit: *In opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Optimum hunc filium, juvenem Tobiam, ante oculos cordis ponamus, induamusq; ejus & mores, & viscera pietatis, si tam insignia, raraq; divinę providentię circa nos argumenta, angelorumq; tutelam experiri cupimus.

11. Jam alijs post parentes, quid, & quantùm debeatur à piis, ex dictis conijcitur facilè, quantò enim illi, aut viciniores, aut remotiores sunt principio generationis, tanto plùs, aut minùs, eis tribuendum honoris, reverentiæ, amoris, obsequij, tutelæ pro cuiusq; gradu, ac dignitate, ita ut mensura, & regula debiti, sint parentes, quibus primò honor, obsequium, & sustentatio necessaria sit exhibenda, alijs secundò, pro commoditate, & ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 101. art. 2. ad tertium, secundum propriam facultatem, & decentiam personarum. Quinimmo, & inter ipsos parentes plus deferendum patri, quam matri censet Arist. 8. Ethicorum cap. 2. eo quod pater sit caput, pluraq; curâ, ac providentiâ in prolem conferat, quàm mater.

12. Hæc præstanda sunt parentibus, & alijs ad ipsos relatis ex virtute pietatis: verùm duo adhuc restant explicanda, primum an possit parentibus par referri, id enim Aristoteles 8. Ethico. cap. ultimo negat, cùm ait neminem diis, & parentibus parem posse referre gratiam. Hoc quidem quod ad parentes attinet, verum est, si ea spectemus, quæ communiter illis exhibentur, nempe honor, obsequium, & sustentatio, minora enim ista sunt vita, quam à parentibus sortimur. Quòd si tamen maius quid vitâ, illis à prole rependatur, non dubium quin æquentur, immo superentur beneficia eorum. Tale esset fides Christiana, probitas vitæ, salusq; æterna, si ad eam pater, materue opera prolis perducatur. Quis enim neget plus accepisse Virginem Mariam à Filio, quàm illi dederit? Dedit Deo ut esset homo, fieretq; Creator creatura: accepit ab eo dignitatem Matris Dei & sanctitatem tantæ dignitati congruam, id est summam inter omnes sanctos, quemadmodum & dignitas Matris Dei, est maior quavis dignitate quorumvis servorum Dei. Christus eo, quod à Matre sortitus est, exinanivit semetipsum formam servi accipiens Philip. 2. & factus vermis Psal. 21. Maria excelsum à filio nacta donum, suam fœlicitatem prædicat Lucæ 1. *Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quapropter, ut hic unus talis filius plus, procul omni dubio, contulit in unam talem Matrem, quàm ab ea accepit; ita suo modo fieri potest,

test, ut aliquis alius spiritualia parentibus reddat pro corporalibus, ac proinde maiora pro minoribus, nedum paria.

Alterum quod hîc restat explicandum est officium parentum, quid, & cuius virtutis operatione debeant suæ proli: & de priore quidem, nimirum quod sit eorum munus, actum est hoc libro parte priore cap. 9. à num. 29. Qua autem ex virtute id agere debeant, Lessius lib. de justitia 2. cap. 9. dubit. 26. num. 152. tenet lege pietatis debere parentes curare prolem; Aristoteles autem 8. Ethicorum cap. ultimo asserit, ex naturali amicitia eos facere, quod faciunt proli, & hoc videtur verius. Nam ita se habet pietas ad parentes, tanquam ad principium vitæ, ut se habet religio ad Deum, velut ad primum principium: quemadmodum ergo Deus non ex religione nobis providet, sed ex amore, & misericordia (religio enim semper refertur ad quid maius, qualis est Deus, non ad minus ut sunt creaturæ) ita parentes non ex pietate dant id, quod dant proli, sed ex amore, & benevola in eos amicitia: Siquidem pietas majus quid semper spectat, quales sunt parentes, non minus, ut sunt progeniti ab illis. Quidquid ergo his parentes præstant, ideo prestant, quia illis bene cupiunt, ex amicitia quadam naturali, quando tantùm naturæ optant bona, ex supernaturali autem charitate, quando ea, quæ illis volunt, ad gratiam, & gratiæ auctorem Christum referunt. 13.

Sectio III.

Impietas quid sit, & quàm detestanda,

Pietati opposita impietas, negat inprimis honorem, atq; obsequium parentibus, consanguineis, patriæ, atq; horum amicis, vicinisq;: quod quidem satis est mali, sed non impietati satis, quæ progressa ultra, contraria etiam agit debito pietatis, afficiendo dedecore, & contumelia eos, qui colendi sunt; spoliando, cędendo, occidendo, quo quid magis impium? Ad demonstrandam vitij huius turpitudinem, & ad declarandam Dei in impios indignationem, sunt aliqua dicta hoc lib. parte priore cap. 9. num. 27. præter quæ duo afferam, unum ex naturæ, alterum ex gratiæ lege, quibus magis comprobetur, magisq; appareat detestanda impietas. Illusit Cham patri suo Noe casu inebriato, nuditatemq; eius spectantibus duobus fratribus Sem, & Japhet ludibrio 14.

dibrio exposuit, ut legimus Gen. 9. hoc impio facto meruit illud audire à patre: *Maledictus Chanaan, Servus servorum erit.* Maledictio prolata tam ipsi, quàm eius posteris, velut stigma quoddam perpetuæ notę, ita impressum est, ut à sequentibus sæculis, usq; ad hæc nostra, gens Chananæa vilis, abominandaq; censeatur, & qui aliquando nequam fuerunt, ad eam dedecore progeniei referebantur, velut sordes ad cloacam.

15. Ita quippe Daniel exprobravit impuro Seni: Dan. 13. *Semen Chanaan, & non Iuda, concupiscentia subvertit cor tuum*, ita etiamnum nulla gens, nullusq; hominum se de gente, esse Chanaan aut fateri vult, aut sibi id objici æquo fert animo: tantùm in statu naturæ horruit ipsa natura impietatem, relinquens horroris insita animis hominum vestigia.

16. Noluit Christus in statu gratiæ deleri eadem de corde, quin altiùs impressit; nam ut refert Matth. cap. 15. acerbè indignatus scribis, & Pharisęis, eò quòd perperam explicarent illud Dei pręceptum; Deus, ait Salvator dixit: *Honora patrem, & matrem, & qui maledixerit Patri, vel matri, morte moriatur vos autem dicitis: quicunq; dixerit patri vel matri, munus quodcunq; est ex me, tibi proderit:* quasi, scilicet, non ex debito pietatis deferendus sit honor, & obsequium parentibus, sed gratis, & velut ex liberalitate. Itaq; sic explicantibus Dei mandatum, iratus Dominus in illa prorupit verba: *Hypocritæ bene prophetavit de vobis Isaias* (cap. 29.) *dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Magna hîc dignitas parentum declaratur; nam Christus honorem illorum honori suo divino adiungendum putavit; & quia malè Pharisæi colebant suos parentes, perversè, & ad apparentiam quandam divino intellecto mandato, Deum quoq; ore tantùm honorari ab eis asseruit, & ad speciem externam, minimè corde, talesq; qui ita fecerunt Hypocritas appellavit, illos videlicet, quibus Matth. cap 24. minatur: *Veniet Dominus, & dividet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Agant jam parentes Christo grates, qui pro illis adeo zelat, ut quasi alteri sibi, ipsis debitum velit fideliter reddi. Noverint deinde impij posteri, non aliud se mereri à Christo nomen, quàm Hypocritæ, cui divisio, fletus, & stridor dentium servatur.

17. In lege quidem naturæ, Noe carne pater omnium hominum duraturorum ad finem mundi, satis habuit dicere impio filio: *Maledictus Chanaan*; verùm Christus pater spiritu omnium in æternum regnaturorum addidit impio, hypocritæ probrum. Quapropter instigante naturâ, aucto-

auctore quoq; utriusq; Christo judicante omnis, qui duo hæc nomina, maledicti, scilicet, & hypocritę tulerit ad extremum tribunal, sentiet eorum vim, eritq; semper & nomine & re hypocrita maledictus.

Sectio IV.

Quid sit observantia latè sumpta, ubi de Latria, dulia & hyperdulia.

Cùm observantia ex ipsa impositione nominis significet eam virtutem, quæ defert alteri honorem, cultumq; pro cuiusq; excellentia (huic enim debetur honor, laus, & gloria ut ostensum est hac par te cap. 1. num. 2.) potest eadem latè sumi, ut solùm respicit excellentiam alterius, non attendendo qualis illa sit. Atq; ita obiectum eius est deferre honorem, cultumq; dignitate quapiam prædito; deferre inquam, partim interna æstimatione, partim externo aliquo signo significante internam æstimationem, sive illud signum sit vox prædicans, sive adoratio aliqua, cultusq;, & obsequium; quæ omnia continent in se honorem externum, laudem, & gloriam, seu famam. 18.

Et honor quidem externus potest exhiberi voce, vel signo, modo hoc sit nota opinionis de aliquo bonæ; laus voce dumtaxat perficitur, quando prædicamus quempiam, eò quòd sua ad bonum referat finem, quemadmodum docet Aristoteles 1. Ethic. cap. 12. sic, inquit, justos, fortes, viros bonos & virtutes laudamus, propter opera ad quæ referuntur. Postremò gloria est idem, quod laus, nisi quòd gloria habeat annexam claram famam excellentiæ, ex prædicatione consequentem. Eodem loco docet Philosophus beatitudinem, Deum, hominesq;, qui ad Deum proximè accedunt, non esse laudandos sed honore divino afficiendos: quia videlicet beatitudo, & Deus est finis omnium; homines etiam beatitudinem ac Deum adepti, jam fruuntur ultimo fine, non ergo his laus debetur, cùm non tendant ad finem, sed eo fruantur. 19.

Quę doctrina vera quidem est, si propriè laus, & gloria sumatur; cæterum utrumq; sumptum pro prædicatione, & encomio excellentiæ, admirationi, honoriq; adiuncto, bene etiam ultimo fini, atq; ijs qui illo fruuntur, quadrat; ita quippe glorificamus Deum, ac beatos; ita beati mutuo se ad extollendum Deum incitant, ut legimus Apoc. 19. *Salus,* 20.

& gloria, & virtus Deo nostro est, laudem dicite Deo nostro omnes servi eius pusilli, & magni.

21. Tria jam enumerata, honorem, scilicet, laudem, & gloriam latè accepta, observantia defert excellentiæ, pari etiam in latitudine considerata & continet in se multas species, ut innuit S. Thomas 2. 2. Q. 103. art. 3. in corp. & art. 4. in corp. Primò latriam, seu religionem, quæ potest vocari observantia Deo debita, ob ipsius infinitam excellentiam. Secundo continet duliam, seu observantiam servilem, qua reddimus illa tria creaturæ rationali, præditæ donatâ à Deo excellentiâ. Sicut autem religio divina, si feratur in Deum naturali lumine cognitum, ut est auctor naturę, est naturalis; & si feratur in auctorem gratiæ, est supernaturalis; ita dulia duplex quoq; est: nam ea, qua colimus propter naturalem excellentiam, qualis est virtus acquisita moralis, est quoq; naturalis; qua verò colimus ob supernaturalia dona, est supernaturalis, quę dicenda est religio inferioris ordinis, distincta à religione Deo debita.

22. Dulia naturalis, seu observantia servilis, triplex est, una, qua redditur honor excellentię virtutis, seu aptitudinis ad gubernandum, quæ est strictè sumpta observantia; alia qua servi dominis cultum, & obsequia deferunt; tertia est obedientia, qua redditur cultus superioribus per executionem mandati. Et S. quidem Thomas Q. illa 103. in 2. 2. tam duliam servorum, respectu Dominorum, quàm obedientiam non ponit quasi species condistinctas, à tertia observantia strictè sumpta, sed tanquam species ipsa inferiores, ut ut est, in idem recidit, modo sit omnium trium distinctio.

23. Jam dulia supernaturalis una est, quæ ob excellentiam potestatis supernaturalis debetur eâ præditis, qualis est ecclesiastica Pontificia, scilicet, episcopalis & similis, hac dulia veneramur prælatos Ecclesiæ. Alia supernaturalis dulia vocatur hyperdulia, qua colimus creaturam, ob insigne, & super reliquas creaturas concessum supernaturale donum, per quod illa ad Deum viciniè, & miro quodam accedit modo. Talis creatura est inprimis humanitas Christi, ad unionē Divinæ personę, ingenti gratiæ dono elevata: talis post Christum est Mater eius, insigni gratiæ item munere eò evecta, ut verè Dei filij genitrix, & dicatur, & sit. Ad eandem duliam supernaturalem, refertur ut species, obedientia supernaturalis, quando obeditur superiori, ob aliquam supernaturalem rationem, v. g. episcopo, prælato spirituali, aut alteri tali. Eodem

quoq;

quoq; ſpectat dulia illa ſupernaturalis,quæ debetur ſanctis ob gratiæ dona; minora tamen quàm ſunt in Chriſto & Matre eius. Tam dulia hęc, quam hyperdulia habet quandam ſpeciem duliæ ſervilis; concernit enim altitudinem dominandi in eo quem colit.

De his omnibus virtutibus quæ ſunt Obſervantiæ latæ ſpecies, dictum eſt, cùm ageremus de religione, ac de obedientia: & cùm hæc ſuperioribus, audiendo illos, reddat debitum; facilè pręter ibi dicta intelligitur, quid debeant ex dulia naturali ſerui ſuis Dominis, ſiue ut mancipia eorum, ſive ut liberi famuli Dominis politicis, aut quid ex ſupernaturali dulia debeant præſidibus Eccleſiaſticis ſubiecti. Dulia ergo mancipiorum præter honorem, cultumq; debet Dominis ſuis operas ac obſequia, ita ut pro ijs nihil mercedis expectare poſſit, præter vitæ neceſſaria, quia ſi quod nacti ſunt peculium, ac ſubſtantiam, ea ſub jure Dominorum eſt, id quod antiquo gentium placito, tanquam ex jure naturali deductum ſervabatur, ſicque ſemper de ſervitute, & Dominio ſuper illa inter omnes conveniebat. Qua autem ratione, & quot modis inducatur ſervitus, dictum eſt hoc libro parte priore cap. 8. n. 11. & 12. 24.

Dulia libera reddit quoque honorem, atq; obſequia, ſuis politicis Dominis, & obſequia quidem ea, ad quæ quis ſe obligat, & pro quibus congruum accipit ſtipendium. Quare miles tenetur defendere patriam, etiam cum periculo vitæ, quia ad hoc conducitur. Et cùm famuli non minùs, immo plus accipiunt interdum à Dominis ſuis, quàm miles à republica, videntur obligandi ad defenſionem Domini, rerumq; eius etiam cum periculo vitæ, aut rerum ipſius: cui oneri etiam ſervi ſubijci poſſunt, non quidem titulo mercedis, quod nullum accipiunt; ſed conditione ſervili, qua ad quævis obſequia, ac proinde ad defenſionem Domini cogi poſſunt. 25.

Quamquam quod ad famulos attinet, præter ſtipendij proportionem, pro cuius qualitate inducitur obligatio, conſideranda quoque eſt in quavis republica conſuetudo in conducendis hiſce famulis ab hominibus recepta: atq; juxta hanc, talem defenſionem debent illi dominis ſuis, qualis ab omnibus jure recepta exigitur. Laudem, & gloriam, nec ſervi, nec famuli dominis rependunt, niſi eam quam cuiusq; meretur excellentia, quod ſi hęc non ſit alia, præter ſolam præeminentiam dominandi, contenti debent eſſe domini honore, atq; obſequio: Si ultra dominationem, virtus quoq;, & quidem præclara acceſſerit, laus, & fama tanquam debitum, meritò adiungenda. Verùm hoc debitum & excel- 26.

excellentia ad obſervantiam ſtrictè ſumptam ſpectant, de qua mox; hic enim agimus ſolùm de illa excellentia, quæ in dominatione conſiſtit, cuius intuitu, ſi non præſtent ea, quæ debent ſervi, ac famuli non dubium eſt quin peccent, & tantò graviùs, quantò maiora omittunt ſui officij, de quo dictum eſt hoc libro parte priore cap. 9. à num. 16. & parte poſt cap. 8. à num. 14. Quæcunq; ergo in hoc genere committuntur, fiunt à vitio duliæ mancipiorum, & politicæ oppoſito: hæc de dulia naturali.

27. Dulia ſupernaturalis reſpectu prelatorum eccleſiæ qui habent poteſtatem quandam dominandi in ſubditos, qua poſſunt malos punire, bonis gratiam Dei conciliare, & vitam æternam; hæc, inquam, dulia præter cultum honoris, vitæ quoq; ſubſidia debet ſubminiſtrare, de quo infra etiam dicetur. Ab hyperdulia non ſolùm colendus eſt Chriſtus, ſed omni obſequio etiam vitæ, & mortis proſequendus, deniq; laudandus, & glorificandus ſummè, & ut ſummè ſanctus, & ut primus poſt Deum Dominus, Paſtor, & quis non? Poſt Chriſtum, glorioſę Virgini eadem exhibenda; ſicut enim hi duo poſt Deum ſunt primi inter omnes creaturas, ſanctitate, dominatione, & regimine, ita iiſdem poſt Deum quidvis præſtandum. Obedientia ſupernaturalis debet executionem mandatorum, ſalutem æternam concernentium, ſicut & dulia ſupernaturalis defert ſanctis honorem, cultumq; ipſis proprium. Plura de his in religione, & obedientia dicta ſunt, & dicentur infra à num. 31.

Sectio V.

Quod ſit munus obſervantiæ ſtrictè ſumptæ?

28. Cùm dulia naturalis, ſeu obſervantia ſtrictè ſumpta ut ſupra numero 22. annotavimus, ei ſe obligatam teneat, qui ſit prædictus gubernandi facultate, quidquid ad regendum confert, confert quoq; ad excellentiam ab hac virtute obſervandam. Primò ergo prudentia eſt quæ obſervatur, tum virtus ad regendum conferens, qualis eſt v. c. fortitudo, deinde ipſe titulus dignitatis, ut regis, imperatoris, nobilis, (primi enim nobiles ob virtutem ſic ſunt nuncupati) poſtremò naturalis ad idem aptitudo, ut quod ſit animoſus, quòd ſocietatis amans, hæc inquam omnia merentur obſervantiam, propterea quod faciant aptum

ptum, ut possit esse principium aliorum in regendo. Quemadmodum enim religio colit Deum, quia est primum naturæ, & simul gubernationis principium, & sicut pietas defert parentibus, quia sunt secundarium principium vitæ, & regiminis, ita observantia veneratur eos, qui sunt aliis causa, & principium gubernationis.

Neque requiritur ut quis ista omnia simul habeat, quæ faciunt idoneum ad gubernandum, aut ut re ipsa gubernet, præsideatq; ei à quo observandus sit, ut rectè docet S. Thomas 2. 2. Q. 103. art. 2. nam qui habet omnia, excellentior censendus, magisq; observandus, qui aliqua tantùm, minore colendus est observantia: cuicunq; enim excellentiæ debetur proprius, & congruus honor. Quare S. Paulus Acto. 23. cùm increpuisset Ananiam, eò quòd sibi iniustè colaphum infligi iusserit, ubi didicit esse principem sacerdotum respondit: *Nesciebam fratres, quia princeps esset sacerdotum*: *Scriptum est enim (*Exod. 22.*) Principem populi tui ne maledicas*, censuit ergo honorandum Ananiam, ut principem, etsi iniquus esset. Pari de causa, qui non regit actu, pollet tamen regendi facultate, magni faciendus est, cùm revera gaudeat excellentia: neque enim à subditis duntaxat, & inferioribus observantia reddenda, sed à paribus etiam, & maioribus omni ei, qui habet excellentiam gubernationis. 29.

Jam verò id, quod sic excellenti debeat observantia, est inprimis honor externus, consequens internam æstimationem, honori adiungitur laus, & gloria pro cuiusq; præstantia, obsequium quoq; addendum tributi, aut defensionis, ei qni re ipsa gubernat, ut præcipit S. Paulus 1. ad Tim. 5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt*, cultus, scilicet, & auxilij. 30.

Ex his observantia ita describi potest: Est virtus quę colit excellentiã gubernandi: & cùm hæc excellentia jam naturalis jam supernaturalis esse possit: duplex quoq; observantia dicenda, naturalis, & supernaturalis. Naturalis reveretur eos, qui ad humanã, & politicam, gubernationẽ sunt apti, quales sunt imperatores, reges, duces militum, magistri scholarum artiumq;, Patresfamilias, & plurimi similes: Supernaturalis colit, præditos facultate regendi animas ordinata ad cultum Dei, salutemq; æternam: quales sunt Pontifices, Episcopi, Abbates, cæteriq; Prçlati, quã sæculares, qua religiosi. 31.

Et si quidem hi, qui sunt idonei ad regendum, re ipsa non gubernant, sola observantiâ sunt prosequendi, quod si actu regant, duliæ servili 32.

vili ſpectanti dominium, & obedientia adiungenda eſt, atq; utraq; jam naturaliter, jam ſupernaturaliter peragit munus, prout naturalem, aut ſupernaturalem concernit excellentiam, ut ſupra dixi.

33. Quapropter paſtores Eccleſię v. c. Epiſcopos obſervare debemus, & obſequi, non ſolùm honorando, ſed etiam ſuppeditando vitæ neceſſaria, poſtremò, & obedire ijsdem, quibus ſubſumus. Sancti autem qui jam in cœlo regnant, inprimis obſervandi ſunt, tanquam revera aptiſſimi ad gubernandum, deindè duliâ, & hyperduliâ (quæ refert formam ſervils duliæ) colendi velut domini quam dominandi, & ſupereminendi altitudinem, nacti ſunt in dono ſanctitatis, & beatitudinis ultimæ. Obedientia quoq; ijsdem debetur, quoties ut ſuperiores à Deo præficiuntur, quemadmodum præfectus eſt Angelus Hebræis, ut legimus Exod. 23. *Ecce*, inquit Deus, *ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem præparavi, obſerva eum & audi vocem eius.* Idem præceptum Domini, extendi poteſt ad omnes Angelos noſtros cuſtodes; vere enim mittuntur, ut nos præcedant, ut cuſtodiant in via, & introducant in locum, quem Deus cuiq; in cœlo paravit. Sanctis adhuc mortalibus obſervantia, & dulia, (quæ ut Dominis debetur) eſt deferenda, ſicut & obedientia; dulia quidem propter ſanctitatis eminentiam & dominationem quandam, obſeruantia autem ſi pollent gratiâ gubernandi, quemadmodum obedientia ſi re ipſa gubernant.

34. Ad maiorem dictorum declarationem, aliqua hîc dubia diſſolvenda; ac inprimis quæri poteſt, quonam pacto hyperdulia Chriſto debeatur, cum enim ille ſecundum id, quod ſuper omnem naturam eſt nactus, ſit verè Deus, Deus autem à religione ſit colendus, non videtur illi hyperdulia deferenda, quippe quæ minor eſt religione virtus. Ad hoc reſpondendum; in Chriſto duo conſiderari, quæ utraq; ſunt ſupra naturam, primò perſonam filij Dei, & Divinitatem, ſecundò, dona creata ſupernaturalia, ſanctitatis, vnionis ad Divinam perſonam, gratiarum, altiſſimarumq; virtutum. Priori modo conſideratus Chriſtus, à religione eſt colendus, nimirum primum creationis, redemptionis, & gubernationis principium: *Portans* inquit S. Paulus ad Hæb. 1. *omnia verbo virtutis ſuæ.* Vt verò conſideratur ſecundo modo, ſic ei debetur hyperdulia, nempe ſupra omnem creaturam elevato, & ut idem S. Paulus ibidem teſtatur: *Quem conſtituit hæredem univerſorum.* Hac igitur duplici virtute, religionis videlicet, & hyperdulię colendus eſt Chriſtus.

35. Alterum dubium eſt, num hyperdulia, quæ debetur Chriſto, ſolùm reſpi-

respicit excellentiam sanctitatis, an etiam simul, & eminentiam principii gubernationis? & si ita est, observantia supernaturalis strictè sumpta, qua colimus Prælatos Ecclesiæ, nihil ei debebit, tanquam quæ nequeat ad tantam excellentiam ascendere cultu, & honore suo. Ad hoc respondendum etiam puto, excellentiam Christi decere ut in una hyperdulia includatur observantia eminenter, quæ debetur prælatis Ecclesiæ, sicut & cultus qui defertur sanctitati eius, continet in se cultum debitum excellentiæ gubernationis. Cuius ratio efficax videtur sumi ex religione: ut enim hæc respicit Deum, qui est primum principium in esse, & gubernari, ita hyperdulia fertur in Christum, ut est primum post Deum principium, tum in esse tum in gubernatione supernaturali. Vna ergo hæc virtus, & colit Christum ut pastorem, rectoremq; omnium fidelium, & veneratur eum qui ad altissimam elevatus est sanctitatem, quâ Dominus, & dives factus, nobis quoq; de eadem communicat, ut, quemadmodum testatur Baptista Joan 1. de plenitudine eius nos omnes accipiamus, & gratiam pro gratia, quia *lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum.*

36. Quæ de Christi hyperdulia dico, eadem sua proportione affirmari debent de Matris eius hyperdulia, hæc enim & observat eam tanquam Reginam, ac cooperatricem Christi, in promovenda salute nostra, & defert excellentissimæ eius sanctitati honorem, qua post filium dominatur in omnes, communicatque etiam nobis de gratia, qua est plena.

37. Tertium dubium fit, quonam modo dulia supernaturalis, & hyperdulia concernendo sanctitatem, donaq; Christi, Mariç, & sanctorum simul in eadem sanctitate, Domini quandam spectant rationem, quemadmodum supra insinuavimus. Id quoq; solvendum, ideo sic à me dictum, quia Dominus (præcisa potestate, superioris aut excellentiæ gubernandi) aliud non continet, quàm opes, & divitias: ita, enim qui habent servos, aut famulos, dominantur eorum, idcirco, quia opes habent, quas illis communicant pro sustentatione, aut mercede ipsorum pro obsequijs, quæ si non præstentur debitè, puniuntur ab ijsdem. Jam cùm sanctitas Christi, Matris eius, & sanctorum, sint opes supernaturales quemadmodum scribit Paulus 1. ad Cor. 1. *Divites facti estis in Christo in omni verbo & in omni scientia, ut nihil vobis desit in ulla gratia:* & Isai. 33. *Divitiæ salutis, sapientia, & scientia, timor Domini, ipse est thesaurus eius.* Cum etiam has opes communicent nobis Sancti, Christus, ut Redemptor, Mater, ut cooperatrix, cæteriq; suo modo sancti, sequitur ut verè dican-

dicantur, sintq; Domini, quos duliâ, & hyperduliâ tanquam tales colimus, ac proinde tanquam veros, & supereminenti quadam ratione Dominos, quibus si non rectè obsequamur, pœna est timenda.

Sectio VI.

Vitia observantiæ, duliæ, ac hyperduliæ opposita diligenter sunt cavenda.

38. CVm ad observantiam generalius acceptam hæ virtutes revocentur, religio, scilicet, divina, hyperdulia, dulia, concernens dominium, & observantia pressiùs sumpta, postquam de virtutibus actum est, restat ut de vitiis eis oppositis agamus. Et de illis quidem quę adversantur divinæ religioni, ac cognatis ei virtutibus, dulię supernaturali, hyperduliæ, ac obseruantiæ etiam supernaturali, dictum est cum de religione ageretur, ostensumq; grave facinus esse, non reddere Deo debitum cultum, sanctisq; eius, aut supra naturam collatæ ab eo potestati, ac excellentię qualis est in pastoribus Ecclesiæ. Ista, inquam, ibi dicta sunt, hîc agendum de vitijs potissimè duliæ, ac observantiæ naturali oppositis: de inobediêntia autem, quæ resistit potestati superioris, actum est cap. de obedientia 19.

39. Dulię ergo, ac observantię hostis negat cultum, obsequiumq; domino, ac excellentiæ potestatiq; debitum, sive à multis in communitate degentibus, sive ab uno quopiam, id quod grave potest esse delictum, neque leve etiam in hac vita afferens detrimentum. Absalon, ut est 2. Reg. cap. 15. negavit Davidi non solùm ea quæ pietas, ut patri deferenda præcipiebat, sed & illa, quæ dulia, atq; observantia debent ut Regi, & Domino: itaq; perduellis factus utramq;, caducam scilicet, & æternam incurrit mortem. De caduca constat: æternam quoque huic successisse, magno est argumento, fletus ille, & singultus dolentis David illaq; verba ingeminantis: *Fili mi Absalon, quis mihi det, ut pro te moriar?* Mori huic mundo eligebat, pius parens, modo infelix filius non moreretur alteri. Melior filius Arcadij Augusti Theodosius, qui ut refert Socrates lib. 6. cap 44. negatum à parentibus, præsuli Sancto Chrysostomo cultum, humili deprecatione compensare est conatus: nimirum videbat sublato è vivis Sancto Episcopo, mortem Eudoxiæ, & Arcadij, homi-

horribilemq; Constantinopoli grandinem, postq; maiora timens, suâ pœnitentiâ alienam luit culpam, quo facto iram Dei à se, suisq; avertit.

Noverat pius heros id, quod Ecclesiasticus monet cap. 4. *Presbytero humilia animam tuam, & magnati humilia caput tuum:* animâ deferendum censet Spiritus S. Presbytero, capite magnati, presbyter enim, hoc est senior in Ecclesiastico cœtu, plus animæ, quàm externis attendit, è contra magnas in republica externa magis curat: utrique tamen persolvenda dulię, atq; observantiæ officia. Id debiti exigebat pro sua persona S. Paulus 2. ad Cor. 10. ita scribens: *Si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus, non erubescam.* Et quia nonnulli è Corinthijs externa in Apostolo viliora cernentes, eminentiam potestatis, dignitatisq; apostolicæ minùs reverebantur, arguit eos ob id Paulus, monetq; ut sive absens, sive præsens is à fidelibus habeatur, quem esse voluit Deus. Quoniam, sunt verba eius, *epistolæ quidem, (inquiunt) graves sunt, & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis, hoc cogite: qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas, absentes, tales & præsentes in facto.* 40.

Quæ Apostoli verba duo nos docent, primum, citra superbiæ notam fieri, quando is, qui aliquâ eminet excellentiâ, honorem expetit illi debitum: nam ut eodem capite asserit Apostolus, talis divina commendat dona, ut magni fiant: *Qui gloriatur*, inquit, *in Domino glorietur, non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Alterum quod docet Paulus est, ut quisq; in aliorum convictu attendat diligenter, qua quis poleat dignitate, atq; priori, & maiori, priùs, magisq; deferat, spectato in quavis regione, ac societate hominum, usu, modoq; colendi, neque enim eadem cuicunq;, aut ubicunq; exhibenda, cum quod in uno loco honoris est signum, in altero erit contemptus, & quod uni sat datur, alteri detrahitur. 41.

Id omnino necessarium putat esse idem Apostolus ad conservandam mutuam charitatem, idcircò ita fieri debere, quia unusquisq; habet aliquid excellentiæ, quivis ergo in eo in quo excellit honorandus est; quare præter ea, quæ in citata ad Corinthios epistola scribit, hæc etiam ad Romanos 12. scripta reliquit. *Habentes*, inquit, *donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam, secundùm rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet, in doctrina, qui exhortatur, in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate, charitatem fraternitatis invicem diligentes, honore invi-* 42.

 cem

cem prævenientes. Omnes hæ ab Apoſtolo enumeratæ excellentiarum differentiæ, & quæcunq; aliæ, à Deo ut auctore naturæ, aut gratiæ conceſſæ, duplicem à nobis exigunt honorem, duliæ, ſcilicet, & obſervantiæ, qui non poteſt, niſi malè negari.

43. Ita, quicunq; eſt prudens expendendo, inveniet ſemper quod in alio colat, ſive ſit poteſtate ſuperior, ſive ſubditus, ſive par, ſive Dominus, ſive pauper, aut ſerviens: neque putabit detractum ſibi aliquid de dignitate, ſi id in altero honoret, quo vel caret, vel habet; & quia caret, habentes honorat; quia habet, honorandus, & ipſe. Summi dignitate, ut Pontifices coluntur ab omnibus fidelibus, ſummo poſt Chriſtum honore, tanquam vicarij eius: ijdem tamen reos ſe culparum agnoſcentes, procumbunt ad genua ſacerdotis pro tribunali ſedentis, ſententiamq; ferentis: quia, videlicet, poteſtas judicij à Chriſto collata ad dimittenda peccata, in quocunq; paruo, vel magno, ſemper eſt mira dignitas, veneranda excellentia. Idem à fortiori fit à politicis Monarchis, qui quando & ubi opus eſt declarare Domini politicæq; poteſtatis eminentiam, etiam ab Eccleſiaſticis viris honori habentur, quibus tamen è contra à mundi principibus deferendum eſt, quoties illi utuntur poteſtate præcellente omnem mundanam dignitatem; aut quoties excellentia ſacerdotalis eſt demonſtranda, ut fit in judicio peccatorum & in aliis.

44. Id ſi ſano judicio perciperent hæretici, non iniquè ferrent ſummos Pontifices oſculo pedum coli à Monarchis terrę. Sciunt fideles, creduntq; Catholicè, Romanos Epiſcopos locum Chriſti in terris obtinere; atque, ut nihil eſt maius, & altius tali dignitate, ita eidem ea ratione ſe ſubijciunt, qua poſſunt infimè, capita, ſcilicet, ac ora ad pedes demittendo, & velut veſtigia, pulueremq; Chriſti exoſculando. Id futurum prænunciavit Iſaias cap 49. ubi inter alias Eccleſiæ Chriſti laudes, hæc habet: *Reges vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*. Id certè non gentiles, aut hæretici facturi ab Iſaia prædicuntur; ſed fideles, qui ſciunt Chriſtum eſſe Dominum, neque confunduntur id ei exhibendo, in gerentibus eius vices. *Et ſcies*, inquit, *Propheta, quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui expectant eum, ego Dominus ſalvans te, & Redemptor tuus fortis Iacob*. Hęc ſi expenderent cæcitate gentilium, aut hereticâ infecti minimè vitio verterent, tantum ab ipſis deferri honorem Pontificibus.

45. Præter paganos, & hereticos, ut jam dixi, peccant contra prædictas virtutes, qui quod ſe vident, aut putant in aliquo excellere, alios in qui-

quibus simile quid non cernunt, habent neglectui quod quidem si fiat ad retinendum sibi debitum honorem (neque enim Dominus servo obsequi debet) non improbandum, quòd si ideo fit, ut excellentia sua extollatur, aliorum deprimatur, vel obscuretur, vitium erit mandato Sancti Pauli adversans, qui mutuo honore jubet invicem prævenire.

Hunc mutuum honorem facilè comitatur charitas, fraternitas, & 46.
amicitia, quæ simul jungit Sanctus Paulus; merito enim ab alio reddenda dilectio ei, qui prior detulit cultum, signum dilectionis. Quod si honoris loco contemptus appareat, quid aliud expectandum, quàm id quod audimus, & videmus plerumq; sequi, jurgia, scilicet, simultates, discordias, odia, pestes humanæ societatis? Ad quas evitandas cavenda diligenter vitia, quæ duliam, ac observantiam de animis, moribusq; honorum tollunt; atq; sublato humanitatis, benignitatis, & Christianæ humilitatis sensu, ingenerant superbiam, elationem, contemptumq; aliorum.

Quæ dicta sunt hactenùs de observantia, quia videntur continere 47.
subtilitatem, eò quòd species eius non ita apparentem habeant inter se differentiam, placuit omnes compendiariò proponere, ut obscuritas tollatur. Observantia ergo respicit excellentiam eius, qui observandus est, excellentia rursus alia est naturalis, seu naturæ congrua, alia superans naturam. Naturalis triplex, una quę ad gubernandum confert, altera ad præsidendum, quæ est in superioribus, tertia ad dominandum in Dominis. Priori debetur observantia strictè (defectu vocabuli) sumpta; posteriori obedientia, ultimæ, dulia servilis. Jam supernaturalis excellentia est quintuplex; in primis in Deo, ut est primum principium omnis excellentiæ in esse, & in gubernatione, prima item dominandi auctoritas, & potestas supremi superioris. Secunda excellentia est in Christo, ut est post Deum esse, & in regendo primum principium, primus item Dominus, & superior Tertia est in Matre eius, eadem, licet inferiore modo quàm eius filius, sibi vendicante tum in sanctis beatis, ac mortalibus, qui etiam polent excellentiâ gubernandi, dominatione, & potestate superioris; postremò in prælatis Ecclesię eadem tria suo modo habentibus. Deo debetur religio latriæ, ut supremæ ac omnimode excellentiæ, & dominationi, Obedientiæ item, ut summæ auctoritati. Christo reddenda est hyperdulia, ut secundæ post Deum excellentiæ, ac dominationi, obedientia quoque ut secundæ etiam auctoritati superioris. Beatissimę virgini eadem duo simili de causa, sed post Christum,

stum, debentur. Sanctis in cœlo observantia reddenda supernaturalis ob excellentiam gubernandi, qua sine dubio polent; dulia servilis, ob dominandi copiam, denique obedientia, ob potestatem superioris, quam etiam solent sortiri à Deo, ut Angeli custodes, fundatores Ecclesiæ, nempe Apostoli, & religionum Patriarchæ, aut his similes. Hi quemadmodum in terra viventes peculiarem curam eorum habebant, quibus præerant, ita & nunc etsi insensibili modo, eandem gerunt, parendumq; proindè est illis, quoties divina voluntate manifestant quid à nobis ad Dei gloriam velint exhiberi. Sanctis in terra debetur observantia, qui habent excellentiam gubernandi, obedientia, si sint superiores, dulia servilis omnibus, abundant enim divitijs spiritualibus, quas possunt suis à Deo precibus aliis communicare. Tandem prælatis Ecclesiæ reddenda est obedientia ut superioribus, observantia, ut excellentibus in gubernando, deniq; dulia servilis ut ijs, qui subditos ditant donis supernaturalibus, quâ verbi Divini prædicatione, quâ collatione sacramentorum alijsq; modis.

CAPVT. XXII.

De affabilitate, & vindicatione.

OBservantiæ subnectimus affabilitatem, propterea quòd illi affinis sit; qui enim alios, ut debent observant, affabiles se, & morigeros eisdem præbent, neq; sua consuetudine contristant alios sed potius oblectant jucundè.

Sectio I.

Quid sit affabilitatis virtus.

1. OBlectatio quam adfert convictus hominum, duplex potest esse, quædam in ludicris, & jocis honestis, alia in debita agendi, & conversandi ratione, priorem affert virtus eutrapeliæ de qua diximus hoc libro parte priori cap. 12. à num. 11. ut de parte temperantiæ, ordinata ad moderandas delectationes. Altera ad affabilitatem spectat tanquam pars justitiæ, eò quòd habeat aliquod honestatis debitum alteri per-

persolvendum, ut nempe cum illo decenter, & congruè agatur; id enim homo, propterea quòd sit animal sociale jure quodam humanitatis exigit ab alio. Eandem virtutem vocat S. Thomas 2. 2. Q. 104. amicitiam, non illam quâ alteri bene volumus, sed quæ ita hominem in externa conversatione componit, & ordinat ad alium, ut solent illi, qui sibi sunt veri amici. Nam cùm homines constent animâ, & corpore, & utroq; mutuò conveniant, sicut animâ bene sibi velle debent, ita corpore congruè, & decenter secum agere.

Quare affabilitatis materia, & obiectum est, decens ac congruus agendi cum alio modus. Decens imprimis debet esse, non solùm ut nihil admisceatur dedecens rationem, sed etiam ut interponatur delectatio, non tristitia. Etenim ut docet Aristoteles 8. Ethicorum cap. 5. nemo potest cum tristi, nec cum eo, in quo nihil est jucunditatis vivere: & S. Thomas loco nunc citato art. 2. ad primum ex eodem Aristotele probat etiam unum diem cum tristi non posse transigi, idq; ideo, qui à natura sociali expetit jucundum convictum, etiam in ipsis beatis, ut ibidem asserit Philosophus. 2.

Quia tamen interdum ratio præscribit severitatem, aut vindicationem adhibendam, non ita delectatio ad affabilitatem referenda, ut ea semper adsit, sed tunc tantùm, cùm contristandi non fuerit necessitas, aut utilitas avocandi quempiam à malo. Hac motus Christus (de cuius affabilitate legimus Isa. 42. *Non erit tristis, neq; turbulentus, non clamabit, calamum quassatum non conteret*) voluit, contristare Judam Matth. 26. quando dixit: *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Secunda necessitas, aut utilitas est vindicandi malum: hac ductus contristavit Dominus flagello cædens ementes, & vendentes in templo, ut scribit Joan. cap. 2. 3.

Atq; hæc duplex vtilitas tristitiæ ad alios se extendit: potest verò esse quę in nobis resideat, cùm, scilicet, tristamur, neq; possumus aut debemus præ nobis ferre iucunditatem mœrore prohibente, qui ut Ec. cap. 3. scribit occupat cor: *Omnia* inquit ille, *tempus habent, tempus flendi, tempus plangendi*, & Christus Math. 5. *Beati qui lugent*. Quo in euentu, & si alij conspectis nobis ad tristitiam provocantur; nihil tamen præiudicatur tunc affabilitati, si dolorem signo duntaxat manifestemus, neq; agamus quidquam turbulentè aut morosè: virtutis enim moralis est munus ita se semper gerere ut exigit ratio temporis, personæ, & aliarũ circumstantiarum. Hac ex causa tristabatur in horto Salvator noster exi- 4.

 gente

gente tempore, loco, & imminente malo, ita suos allocutus: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem* Math. 26. Eadem ex causa flentes Martham, & Magdalenam sorores, ob mortem fratris Lazari lachrymis est prosecutus suis Joan. 11. Extra hanc necessitatem, avocandi, scilicet, aliquē à malo, corrigendi pro comm isso, & doloris proprij manifestandi; semper cavenda sunt in consvetudine illa, quæ alios contristent, atq; in hoc est decens cum proximis agendi modus.

5. Debet prætetea & congruus esse, neq; enim omnes æqualiter tractandi sed aliter atq; aliter, ut docet Arist. 4. Ethicor cap. 6. Quare cū notis familiaritas est opportuna, cum ignotis paucus sermo, cauteq; amicitiæ ostendenda signa: ne dum volumus devincire nobis alium, offēdamus potiùs, ignari, quid quenq; recreet aut molestè afficiat. Eam ob causam magni, cum reverentia alloquendi, minores, aut pares liberiùs, senibus pauca afferenda læta, iuuenes lætiora exhilarant: ita de singulis iudicandum, ut congruè agatur, habita ratione personæ, loci, temporis, & id genus aliorum.

6. Postremò dictum est affabilitatem debere habere decentiam congruam in agendi modo, per quam intelligitur sermo, & opus seu factū & quia usus consvetudinis potissimùm sermone se prodit, idcirco affabilitas ab illo suum accipit nomen: cum tamen factis quoq; agendum sit interdum, quale est salutatio, manuum, genu, aut capitis inclinatio, & similia, pro cuiusq; gentis more, affabilitas non in sermone tantùm, sed & in operatione servanda est, ut ab utroq; suam sortiatur laudem.

Sectio. II.

Quam sit affabilitas vtilis ad multa.

7 QVàm verò in communi hominum usu sit necessaria, & utilis hæc virtus; Deus nostratem spiritum, corpusq; humanum nactus, & exemplo, & mandato demonstravit. Agendum illi erat nobiscum, ut de se ipse scribi iussit Baruch 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quis autem finis, quę necessitas, quive modus conversandi futurus erat, alter Propheta Zacharias cap. 9 expressit; *Ecce Rex tuus venit tibi Saluator, & ascendens super asinam.* Venit salvatum nos hic finis adventus, & consvetudinis eius: neq; solum magnis, sed & infi-

& infimis attulit salutem, idcirco magnis se accommodando magnificè, & ut rex comparuit, in præcipua illius terræ in qua natus est civitate, scilicet, Jerosolymis: ipse tamen pauper, & sedens super asinam; quo & parvis affabilem se præberet, pauperiem, & utilitatem illorum consectando. 8.

Experti sunt talem Christum, inprimis Apostoli, quorum primos in suum collegium vocaturus, invitavit benignè ad hospitium, ut est Joan. 1. *Videns enim sequentes se duos discipulos Baptistæ, & quærentes: Rabbi ubi habitas? respondit, venite, & videte, venerunt, & apud eum manserunt die illo.* Eiusdem affabilitatis tanta fuit in Christo loquendi gratia, ac dulcedo, ut Petrus dixerit: *Domine quò ibimus verba vitæ æternæ habes*, Joan. 6. sic affabilem præstitit se alijs quoq; non Apostolis tantùm, parvula etiam infantium ætas ab humanitate eius non fuit exclusa, quippe quos ad se adductos mulcebat, amplectebatur, fovebatq; ut narrat Marcus c. 10. Hæc est illa humanitas Salvatoris nostri prædicta à Paulo ad Tit. 3. quam videntes, sed finem eius non attendentes, neq; intelligentes misericordiæ Divinæ arcanum mysterium, malevolorum nonnulli scandalizabantur dicebantq; teste Mat. cap. 11. *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Verum hæc passiva scandala non revocarunt à cæptis benignum & affabilem Deum, qui sicut se filium hominis libens appellabat; ita quod hominis erat, & talis; ac talia in hominibus quærentis, nunquam destitit agere, cum præsertim bene ante de se dixerit. Proverbior. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* 9.

Neq; solùm ipse salvator talem se nobis præbuit, salutis quoq; nostræ cooperatores Apostolos voluit esse similes sibi, quibus hæc monita affabilitatis dedit: *Intrantes domum, salutate illam dicentes: Pax huic domui*, Math. 10. Et ut non essent molesti differentia victus, à jeiunijs extraordinarijs eos liberos fecit: *Manducate*, inquit, *quæ apponuntur vobis.* Lucæ 10. Tum & beneficiorum etiam corporalium quæ possent, in alios conferre exhibitionem præcipit: *Curate infirmos.* Talem vivendi modum secuti discipuli Domini, quantùm profuerint mundo, tota testis est fidelium Ecclesia. Sanctus certè Paulus, hoc de se reliquit testimonium 1. Cor. 9. *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucri facerem, & factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer: His qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) ut lucri facerem eos, qui sine lege erant: factus infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos.* Talis

10. Talis Paulus, talis Petrus, tales reliqui Apostoli, tales fuerunt, & erunt omnes Christi atq; Apostolicæ vitæ sectatores, qui in sua cum hominibus agendi ratione duo præ oculis habebant; primum erat salus proximi, hanc dictis, hanc factis operabantur, non aliquid terrenum, & caducum, quemadmodum mandavit Dominus Joan. 7. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Alterum quod spectabant erat, ut eos se cuiq; præberent, eaq; adhiberent, quæ minime impedirent, aut retardarent optatum salutis fructum, sed maximè promoverent: quo fiebat ut jucunda affabilitas nunquam se solam visendam exponeret, verùm associatam pluribus alijs virtutibus; modestia, scilicet, hilaritate, prudentia, temperantia, sobrietate, castitate, aliisq; & potissimè zelo, ut sincero boni alieni amore. Atq; ita cùm multa inter conversandum dicenda, multaq; sint agenda, & cùm non sint facienda mala, ut eveniant bona, quæcunq; affabilitas profert aliquando in medium (etsi fortè aliquid videri posset minus rectum, sicut & in Christo visum est Pharisæis, quem vocabant voracem, & potatorem Matth. 11.) bona illa, & ad finem intentum congrua sint oportet.

11. Quod de Apostolis, & eorum sequacibus dico, idem de alio quovis dicendum, cuicunq; enim inter homines agenti affabilitas est necessaria, multasq; parit, in quavis societate utilitates, etiam in politicis, modo illud unum semper adsit, ut retineatur honestum, ac decentia. Hæc virtus inter coniuges concordiam facit, eadem vicinis pacem conciliat, in eos qui præsunt excitat illa in subditis amorem, aliis qui subsunt, donat apud superiores gratiam, hac demum, quicunq; sunt in aliqua una communitate, tanquam vinculo ligantur ad invicem, quæ meliùs in hac virtute cognoscentur, ubi perspexerimus, quanta communis vitæ dispendia ex vitiis illi contrariis consequi soleant.

Sectio III.

Quæ vitia tollunt affabilitatem, & quàm sint noxia.

12. Cùm affabilitatis virtus honestè oblectet secum agentes, vitium erit omne illud, quod oblectationi dictæ opponitur aut per excessum, aut per defectum. Deficit ab oblectando qui contristat suo agendi modo,

modo, & vocatur à S. Thom. 2.2. Q. 116. art. 1. litigiosus, non is qui discordias excitat, charitatemq; lædit, sed qui displicentiæ, mæstitięq; sua morositate est aliis causa. Rectè is potest dici asper & durus in agendo, seu ut eum vocat Aristoteles 4. Ethicorum c. 6. difficilis, & fastidiosus. Propterea idem philosophus 8. Ethicorum cap. 6. Severis, & Senibus putat difficilem esse affabilitatem, quia, inquit, sunt morosiores, minusq; delectantur vitę consuetudine. Jam verò mæstitia dicta duobus modis intendi potest, aut tanquam malum proximi, atq; ita opposita erit charitati: aut tanquam id, quod consuetudinem reddit acerbam, & ingratam, & sic ad duritiem pertinet, & ut plurimùm venialis est culpa. Potest verò esse mortalis, si, ut docet S. Thom. loco citato art. in corp. prævidendo durus aliquod grave secuturum, nihilominus morosè se gerat, ut si sequatur contemptus gravis alterius: si veritatis impugnatio cum nocumento audientium, si morbus, aut culpa non levis. Dixi quidem suprà numero tertio, posse adhiberi in conversando ea, quæ contristant alios: verùm id nunquam faciendum ob finem malum, aut intentum, aut prævisum etsi non intentum, quod si fiat, peccatum erit duritiei: quis autem finis bonus debeat præfigi in contristando, ibidem notavi.

Jam alterum vitium, quod per excessum tollit affabilitatem est adulatio, oblectans ultra debitum modum, neq; attendens ad tempus, locum, personam, cæterasq; circumstantias. Quare is, qui semper oblectat etiam tum, cùm contristare deberet, adulator est, sicut è contra, fastidiosus est, qui semper morosè se gerit. Et adulatio quidem in se spectata, venialis est culpa, aut enim oblectationem tantùm intendit aliorum, aut ultra hanc lucrum, commodumq; proprium: ita parasiti, & scurræ plerumq. peccant recreando nimis ob commodum suum. Addo, plerumq; possunt enim immunes esse à culpa etiam levi, si ideo iucundos se præbeant, ut oblectent serijs distentos aut ob aliquem eventum mœrentes. Quod si adulationi admisceatur, aut ex ea sequatur aliquid grave, ut est nocumentum aliorum, sive illud intendatur; sive præuideatur secuturum, licet non sit intentum, mortale tunc contrahet delictum: sic peccant, qui adulando occulta aliorum referunt peccata, aut laudant malefacta, vel incitant ad illa. 13.

Vtrumq; hoc tam adulationis, quam litigii vitium, quàm sit in communi uita crebrum, inde facilè deprehendemus, quod turbulentas animi affectiones, tristitiam, videlicet, iram atq; odium, concupiscentias item delectationum, refrenare sit grave, & rarum, ut vidimus tra- 14.

Digitized by Google

ctando de patientia, & temperantia, ex quo fateri necesse; eos plerumq; fastidiosos esse, qui irâ, aut aliis turbulentis agitantur motibus: illi verò qui oblectationibus gaudent, facilè admittunt adulationem, & blanditias. Ex fastidiis nascuntur rixæ, contentiones, discordię, lites, displicentiæ, odia, & multa talia. Ex adulatione sequitur vana complacentia, jactantia, elatio animi, præsumptio, audacia, illecebra mali, securitas, & confirmatio in eo, aliaq; non pauca; quæ cum non leviter nocent, in communi hominum usu, vitia quoq; affabilitati inimica, ex quibus hæc oriuntur, odio sunt habenda.

Sectio IV.

In quo consistat vindicationis virtus.

15. Cùm affabilitas debeat interdum asperiùs agere, ut jam diximus, eget comite virtute vindicante, quæ suo proprio distincto ab affabilitate gaudet honesto. Quod ut intelligatur adverti debet vindicationem bifariam sumi posse, aliquando pro inflictione pœnæ, quæ sit culpę atq; iniurię commensurata, ut per commensurationem fiat æqualitas inter culpam, & pœnam, seu inter offendentem & offensum. Sic accepta vindicatio est actus justitiæ commutativæ à judice exercendus, quisq; enim habet jus, ut in sua integritate per judicem reponatur, atq; ut compensetur ei ad æqualitatem, quod ab altero ablatum fuerit: quare vindicta talis est actus judicis æqualitatem decernentis, & exequentis.

16. Aliter sumitur vindicatio pro debita correctione errati voluntariè commissi: cùm enim liberum agens, qualis est homo debeat uti ratione, honastatemq; sequi; si ab illa deviet corrigendus, & reducendus est ad rectum, in quo ab initio constitutus est homo, ut testatur Eccl. cap. 7. *Inveni*, inquit, *quòd fecerit Deus hominem rectum*. Vnde qui non rectus est per pœnam rectificatur, ut quæ contra Dei voluntatem agendo commisit eadem contra suam voluntatem patiendo solvat: atq; ita homo reducitur ad rectitudinem à Deo intentam, ut si non manet semper bonus, puniatur factus malus. Porro in correctione dicta, non attenditur ęqualitas compensationis inter culpam & pœnam, ut de justitia vindicante diximus; sed solum errati, moralis quædam correctio: æquum enim

bim est, ut culpa habeat suum remedium pœnæ. Vt verò sic explicata correctio, sit opus virtutis, modum & mensuram in puniendo habeat necesse est, non tantùm quia pro culpa est infligenda, sed etiam quia certâ, & à prudentia præscripta ratione, ne exorbitet ira, aut tristitia. Propterea in quavis ordinata republica, sunt constitutę pœnæ, pro furto, homicidio, & similibus.

Itaque vindicatio jam dicta spectat ad virtutem vindicantem, quæ corrigit malos actus inflictione ordinatæ pœnæ. Sanctus quidem Thomas 2 2 Q. 101. art. 2. in corp. asserit propulsationem iniuriæ, esse operationem huius virtutis: Verum hęc propulsatio, ut ipse eadem quæstione art. 1. in corp. declarat, adiungitur correctioni: castigatio enim delinquentis depellit consequenter iniuriam, quę fit per peccatum Deo, proximo, aut etiam animæ peccanti, recte enim S. Job dixit cap. 10. *Qui faciunt peccatum, hostes sunt animæ suæ*, nedum proximi & Dei. Tollit vero pœna inflicta iniuriam, ut vel punitus non delinquat deinceps, vel alii non inducantur ad peccandum, pœnâ deterriti peccantis, vel saltem culpa non maneat impunita: magnâ enim Deus, & omnes boni, iniuriâ afficiuntur, si crimen non correctum, quasi de illis triumphet, & contrarietate culpæ, & evitatione pœnæ. 17.

Jam virtus hæc vindicans, potest esse tum in superioribus, tum in subditis, isti exigunt debitam peccantium vindictam, illi exequuntur potestate sibi à Deo data: semper autem debet subesse culpa, aut re ipsa, aut saltem apparens præsumpta, & probata apud homines, qui non nisi ex signis occulta norunt. Et cùm pœna sit duplex, animæ, videlicet, & corporis, anima punitur æterna damnatione, vel subtractione gratiæ, corpus tum æterno igne, tum in hac vita, morte, mutilatione, privatione bonorum, & similibus. 18.

Deus, nimirùm, Dominus absolutus animæ, & corporis quavis ex his castigat pœna, & æterna quidem, pro culpa letali, temporanea autem, interdum sine culpa pręsertim gravi, ut diximus hoc libro parte priore cap. 14. à num. 15. Homo non nisi corpus punit, idque semper pro qualitate errati, & usu cuiusvis regionis. Rursus Deus animam æternâ pœnâ castigat, tum pro propria, tum pro aliena culpa, pœnâ damni, & sensus ab igne punit pro culpa propria, pœna tantum damni, pro peccato primorum parentum: pœnam damni vocant Theologi privationem æternæ glorię, pœnam sensus incendium infernalis ignis. Tandem temporalem corporis pœnam infligit aliquando Deus, pro aliena 19.

liena culpa (non semper pro propria, aut pro nulla, probando tantùm virtutem) *visitans* ut est Exodi 20. *iniquitatem patrum in filiis in tertiam, & quartam generationem:*

20. Quod ad homines attinet, hi gravi, & personali pœna, ut est mors, vel mutilatio, proprias cuiusq; corrigunt culpas, interdum tamen bonorum internorum subtractione, puniunt aliena errata: ita in pœnam perduellionis posteri perduellis privantur bonis, & nobilitate. Id quod rectè fit ob multas quas refert S. Thomas 2. 2. Q. 109. art. 4. in corp. utilitates. Cùm enim communitas quævis sit unum quid, & singuli partes eius, quemadmodum in corpore hominis pars compatitur parti aut etiam congaudet, ita in communitate, uno punito, alii quoque pati debent, vel de bonis eius participare, ut ita unitas illa declaretur, & singuli se juvent, tum pœnâ pro malo, tum præmiis pro bono.

21. Pœna spirituali non punit homo animam, non solùm quia hæc effugit sensum corporeum, quo homines in vindicando diriguntur, sensibiliterq; agunt, occidendo corpus, mutilando, & similia infligendo: Sed etiam quia pœna spiritualis excedit vires potestatis humanæ, soliq; Deo est propria, ut ille ex suo alto in creatum spiritum Dominio, puniat eum spiritualiter. Per accidens tamen etiam homo spiritualibus castigatur, quo pacto Ecclesia, in pœnam gravium criminum, denegat sacramenta, ad quorum subtractionem, sequitur privatio gratiæ & interdum vitæ æternæ. Hæc tamen puniendi ratio, diversa valde est ab illa, quâ utitur in animam Deus; nam Ecclesia more medici tamdiu arcet à Sacramentis, quoad resipiscat reus, Deus autem damnat, ut judex in æternum, nullum relinquendo pœnitentiæ locum.

Sectio V.

Quæ sint contraria debitæ vindicationi.

22. EXplicata vindicantis virtutis munia, clarius intelligentur ex oppositis vitiis, quorum unum per defectum, est remissio, & neglectus debitæ vindicationis: Si enim, ut scribit Paulus ad Rom. 13. *Principes sunt timori operis mali, & qui malum feceru timeat potestatem, non enim sine causa gladium portat:* Semper contra hanc virtutem peccat potestas, si gladium ad vindictam non evaginat, quando & quomodo debet.

bet. Et quidem si agatur de iniuria, in ipsum Deum commissa, aut in communitatem, non dissimulandum sibi putet is, qui præest, ea peccata puniendo, quę pluribus nocent, & quibus graviùs suprema Dei maiestas offenditur: alia enim vel privata delicta, vel non ita enormia, divino relinqvuntur, post hanc vitam, judicio: quare in quavis communitate bene ordinata, certa definiuntur crimina, publicis luenda pœnis. Rectè proindè fecit David 2. Reg. cap. 1. qui Amalecitam, quod Saulem (etsi hostem eius) interfecisset, occidi præcepit, motus gravi offensâ Dei, quia in Christum eius levavit manum, & iniuriâ regni Israel; quia privatus regem interemit. Non ita se gessit Heli, qui ut est 1. Reg. 4. filios suos in Deum, & fidelium cœtum liberiùs peccantes, non corrigebat ut merebantur, idcircò sensit Dei manum, vitâ propriâ filiorumq́; & dignitate sacerdotali in posteris privatus.

Jam, si sit sermo de offensa privati, ea etiam vindicanda, quanquam minùs, eò quòd privato, & non communitati sit nocens. Et quidem, ut exigatur privatæ culpæ vindicta, iuterdum est necessarium, interdum laudabile solùm. Necessarium tum, cum nisi delinquens corrigatur, evadit insolentior, & in lædendo magis obfirmatus, talis indulgentia præstita, est proxima ruinæ ansa, exigenda ergo de eiusmodi vindicta, ut à malo avocetur. Nonnunquam dixi honestum, laudabileq́; tantùm esse, & non necessarium exigere vindicationem, quo casu si omittatur, aut æquè laudabile erit exigere & non exigere, aut multò laudabiliùs non exigere. Æquè laudabile, cùm ob finem æqualis virtutis id fiet, laudabiliùs, si ad parcendum maius quid moveat. Nam cùm una virtus aliâ sit præstantior, finis quoque præstantioris maiorem parit laudem, & meritum. 23.

Quapropter qui iniuriam suam condonare decrevit, neq́; à judice petit mulctam, ob consilium illud Christi Matth. 5. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium: & beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me:* qui, inquam propter hoc à vindicando supersederit, longè præstantiùs faciet, nimirum propter amorem, & imitationem eius, de quo habemus Isaiæ cap. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Charitas enim pręstantior est virtute vindicante, ac proinde maioris meriti, id quod Dominus ibidem testatur: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* 24.

25. Eandem rem pulchrè declarat Augustinus Tomo 8. illa Psalmi 93. verba explicans: *Deus ultionum liberè egit*, ubi arguit eos, qui à Deo exigunt vindictam de peccatis aliorum, quibus vel etiam maioribus ipsi sunt subiecti, hi si amarent perinde proximum atq; se, sicut secum benignè agi cupiunt, ita & aliis idem vellent. *In eo*, inquit, Augustinus, *murmuras, quia non vindicatur in malos, noli murmurare, ne inter eos sis, in quos vindicatur. Facit ille furtum, & vivit, tu murmuras, quia non moritur: Vide si jam non facis furtum, aut vide ne aliquandò fecisti, invenis te furem fuisse, & alium stomachatum, quia & tu furtum faciens vixisti. Quod autem tu, quando faciebas, ideo vixisti, ut postea non faceres, noli, quia tu transisti, velle misericordiæ Dei pontem subvertere.*

26. Ex hoc Augustini consilio agnoscimus interdum expedire, non exigere vindictam, cùm scilicet ipsi tales sumus, quales videmus eos, qui essent puniendi. Idem Doctor eodem Tomo, concione 2. in Psalmum 36. asserit melius esse Deo relinquere vindictam, ut monet Apostolus ad Rom. 11. *Mihi vindicta, & ego retribuam*, modumq; eius ac tempus, quàm exigere, & præscribere illi: quod faciendi crebra est occasio. Nam justi & iniusti perenniter secum in hac vita pugnant, justi malis optant vitam æternam, mali etiam temporalem volunt justis auferre: quid jam Deus? *Dominus* autem *irridebit eos*, (sunt verba Psalmi citati) *quoniam prospicit quod veniet dies eius*, nimirum ultionis & retributionis, cuius tempus, & modum justi Deo relinqvunt. Sic ergo ibi Augustinus: *Nonne*, inquit, irrisit Dominus prospiciens dies duorum iniquorum, Judę traditoris, Sauli persecutoris? Vnius diem prospexit ad pœnam, alterius ad justitiam: in utrumq; vindicatum est. Solatur jam justum patientem: Dic, inquit, tibi, iste aut correctus mecum erit, aut perseverans mecum non erit. Ita Augustinus, præter alia vel ob hoc laudabile censens nolle vindictam, quòd credat meliùs, & utiliùs id Deum præstare, quam possint homines. Ista consideret qui vindictam molitur, atq; si ob aliquam ex dictis causam, ab ulciscendo destiterit, non aget ex vitio remissionis, sed ex virtute æque præstanti, atque est honesta vindicatio, aut præstantiori.

27. Altero extremo, nempe excessu contra eandem virtutem peccatur multis modis, excedit qui se ipsum vindicat de alio non propulsando injuriam, quæ infertur, neq; defendendo se ab ea, quod est licitum, sed post illatam, resarciendo damna: ita faciunt qui ad duellum provocant eos, à quibus sunt aliquid passi. Excedit & ille, qui plus exigit pœnæ, quàm

quàm meretur delictum. Est quoq; excessus cùm ira, & tristitia dominante, quando fiunt contra rationem aliqua inter vindicandū, ut fecerunt Judæi adiungentes, sputa, ludibria, & id genus alia ad vindictam de Christo (quem habebant tanquam reum) sumendam.

Quòd si non correctio intendatur delinquentis, sed nocumentum & sensus mali, erit tum excessus non tam contra virtutem vindicationis, quàm charitatis, eritq; odium proximi. Debet quidem illud quod infligitur sentiri, nam ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 108. art. 3. in corp. vindicta est per ea, exhibenda, quæ quis maxime diligit, nempe in vita, bonis honore, tamen ei qui vindicat, aut petit vindictam, non in sensu mali sistendum, verùm in honestate correctionis, quæcunq; tandem ex illa secutura sint molesta, qualis est dolor, paupertas, mors in corporalibus, in spiritualibus autem, peccantis tristitia, & fletus, aliorum terror, ne deliquenti socientur. 28.

Et præter honestatem correctionis, possunt etiam adiungi aliarum virtutum fines, quantoq; præstantiora ad Dei gloriam, & proximorum commodum annectuntur, tantò appetitus vindictæ est laudabilior. Ita sancti, ut est Apocalypsis 6. poscunt vindictam: *Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum, de iis qui habitant in terra?* cupiuntq; malum, sed simul optimum intendunt finem, ut interpretatur S. Augustinus Tomo 4 in Q. Evangelicis lib. 2. Q. 46. Cur, inquit, electi Dei se vindicari deprecentur, cùm apertissimè moneamur ut pro nostris inimicis, & persecutoribus oremus? Intelligendum est eam vindictam esse justorum, ut omnes mali pereant: Pereunt autem duobus modis, aut conversione ad justitiam, aut amissa per supplicium potestate. Itaq; etiamsi homines omnes converterentur ad Deum, inter quos sunt etiam inimici, pro quibus jubemur orare; diabolus tamen, qui operatur in filiis diffidentiæ, remaneret in fine seculi damnandus. Qui ita ut interpretatur hic sanctus, cupit vindictam, excedit quidem ille, non tamen virtutis metas, sed gradus perfectionis, nimirum non contentus inferiore, nisi ad superiorem conscendat. Optima ergo est vindicatio, cupere proximis talem correctionem, ex qua illud sequatur, ut nullus, & nunquam Deum offendat, omnes ei serviant, ipsum ament, salventur omnes. 29.

CAP.

CAPVT. XXIII.

De Veritate Simplicitate, & Fidelitate.

AD agendum humano, & civili modo inter se, non satis habent homines, jucundè secum conversari, nisi & illud addant, ut quæ exterius exhibentur, vera & non ficta sint: alioquin jucunditas simulata, molestiam potiùs, quàm voluptatem pariet in animo. Quapropter præter affabilitatem, exigit etiam vita communis, veritatem cum simplicitate, & fidelitate, de quibus jam videndum.

Sectio I.

In quo sit veritas, & quantum conferat ad communem vitam.

1. NOn est hic quæstio de veritate speculativa, seu quæ consistit in conformitate cuiusque rei ad intellectum, præsertim divinum, tanquam ad normam, & regulam rerum omnium creaturarum, ut illa sit, dicaturque vera, quæ suæ ideæ, atque exemplari est consona. De hac veritate non agimus hîc, nimirum ad scientias comparandas necessaria, ille enim scit, qui vera certò, & clarè cognoscit. Nostrum ergo propositum est, eam explicare veritatem, qua voluntas disponitur ad manifestandum, id, quod cognoscitur verum, duoque habet in suo objecto, ac materia. Primum est cognitio alicuius rei, alterum, est manifestatio illius cognitionis, sive per verba, sive per facta, & signa aliqua. Nihil verò refert, veranè, an falsa sit cognitio, utrum scientiæ an opinionis, aut fidei: modo illa manifestetur, quæ habetur in mente.

2. Hinc jam veritas, seu veracitas (utrumque enim nomen virtus hæc sortitur) sic describi potest: Est honestas ordinans hominem ad manifestandam eam cognitionem, quæ habetur de re quapiam.

3. Descripta ita veritas quam sit necessaria, atque utilis ad vitam socialem, inde liquet. Cùm enim nullus sit, qui noverit, omnia, plurima etiam circa aliorum vitam, factaque scienda occurrant, notitia eorum ab aliis petenda, qui sciunt. Et quoniam cognitio in mente aliena residens nequit

nequit in se ipsa percipi (sic enim Angeli secum loquuntur suos mutuò patefaciendo conceptus) verbis illa,aut signis manifestanda est.

Atq; ut manifestatio sit conformis menti, exigit duplex honestatis debitum ; ex parte quidem patefacientis, est rectus usus verborum, & gestorum : nam utrumq; hoc concessum est homini ad propalanda cordis secreta, quare qui aliud manifestat, quàm quod habet in corde, abutitur signis. Est & aliud debitum, ex parte eius cui fit manifestatio, nempe ius quoddam morale societatis, ut qui instruitur, sincerè, & non fictè instruatur, sitq; communicatio, non signorum tantùm, sed & animorum, quò ita socialis vita integrè, & totaliter corporis, scilicet, & animæ conservet mutuam consuetudinem. 4.

Hanc rationem honestatis; virtuti qua de agimus, tribuit Aristoteles 4. Ethicorum cap. 7. duplicem agnoscens inter homines veritatem, unam justitiæ, cuius debitum oritur ex contractu, & pactis, ut cuique verè reddatur id, quod suum est, alteram viri probi, cuius debitum fundatur in decentia sociali jam explicata. Non de eo, inquit ille, instituimus dicere, quis in pactis, rebusq; contrahendis verus est, aut ijs oneribus quæ ad iniustitiam, justitiamve pertinent, sed de eo, qui in quibus rebus nihil tale postulatur, & agitur, se & vita (hoc est factis) & oratione bonum virum, ac veracem præstat, hoc ipso, quòd ita sit animo constitutus, quem eundem bonum virum appellare licet. 5.

Sectio. II.

An veritas citra mendacium possit celari.

ETsi veritas teste Aristotele, det nomen, laudemq; probi viri, eò quòd ad sincerè cum proximo agendum reddat habilem, huius tamen sinceritatis nullum erit præiudicium, si ipsa interdum taceatur aut non tota aperiatur, id quod fit exigente aliquo honesto fine. Id fieri posse, & interdum debere docet Salomon Prov. 5. *causam* inquit, *tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles, ne forte insultet tibi cùm audierit, & exprobrare non cesset* : quibus verbis monemur, ut,reticeamus secreta cordis coram illis,qui si scirent possent revelando nocere. 6.

Ita egit ipse Deus Regum 16. mandavit enim Samueli, ut ungeret Davidem in regem clam Saule : dumq; metueret Samuel, ac diceret : 7.

Quomodo vadam? audiet enim Saul & interficiet me. Respondit Dominus: *Vitulum de armento tolles de manu tua & dices ad immolandum Domino veni*. Hoc suo mandato Deus ostendit non esse necessarium totam aperire veritatem, sed sufficere si manifestetur pars eius, ut hîc notificata est immolatio non unctio regis, idq; ideo, quò tutus esset Samuel. Idem fecit Salvator, ut scribit Lucas cap. 20. interrogatus enim à Pharisęis in qua potestate ea faceret, quæ ab illo magnificè fiebant, eosq; vicissim percontatus de baptismo Joannis, de cœlo ne an ex hominibus esset, fatentibus ipsis se nescire, sic respondit: *Neq; ego dico vobis, in qua potestate hæc facio*. Sciebat Christus, non sibi eos credituros, si id, quod erat aperuisset, nempè se divina potestate illa facere, maximè cùm aliàs sæpissimè idem & miraculis, & prædicatione manifestavit: quare ut surdis noluit verum detegere, &, quemadmodum ipsemet docuit Matth. 7. margaritas mittere ante porcos, sed maluit dissimulare veritatem divertendo aliò sermonem.

8. Idem faciendi crebra inter agendum cum hominibus occurrit necessitas, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 210. art. 3. ad 3. & 4. citans Sanctum Augustinum libro contra mendacium cap. 5. & 10. estq; communis Theologorum sententia, asserentium posse interdum citra mendacium celari veritatem, quod varij viri probi Deum in hac re imitati fecerunt. Celavit Abraham Gen. 20. dicendo Saram esse suam sororem (id quod erat verum, patris enim erat filia, etsi ex alia matre) & subticendo, quod simul fuerit coniux, ne ut maritus occideretur. Sic sancti manifestant suas imperfectiones, occultando dona Dei, & sanctitatem, ne vel honorentur plùs æquo, vel inanem admittant complacentiam. Sic institores occultant preciosas merces in diversoriis, viliores ostentant, ne à prędonibus spolientur: idem fieri potest in plurimis humanæ vitæ negotiis, atq; occasionibus.

9. Porro modi, quibus in toto, vel in parte celatur veritas sunt varij, aliquando enim clarè id fit: clarè, cùm aut tacetur tota veritas, dissimulando, & dextrè omittendo responsionem, vel ad alia respondendo, aut pars veri aperitur, alia silentio restringitur. Quod dum fit nunquam negandum est, id quod tacetur (id enim esset mentiri) sed affirmandum aliquid veri. Quapropter rectè Aristoteles Ethicorum 4. cap 7. veritatem asserit in minus deflectere potiùs, quàm in maius, eò quòd non semper omnia aperiat, sed minùs ob aliquem honestum finem qualis est v. c. modestia, & gratia conversationis, magis enim sunt illi gratiosi, qui pauca

pauca dicunt ad suam spectantia laudem. Quòd si maius manifestetur verum, tamen non erit quidem mendacium, nihilominus molestum audientibus esse potest, & affabilitati adversum: ut plurimùm enim iis cum familiariter, & jucundè agimus, qui suarum laudum non sunt plus æquò cupidi.

Ad hunc quoq; primum modum dissimulandi veritatem refertur honesta fictio, recreandi animi gratiâ qua utuntur, ut docet S. Thom. 2. 2. Q. 111. art. 2. in corp. qui in comœdijs personas variorum referunt, celant hi veritatem in parte, vel in toto, neq; enim verè sunt ij, quos se gerunt, aut non omnia dicunt, monstrantve, quæ sunt de facto, sed aliqua duntaxat, modò recreent animos: id quod interdum eo modo fit, ut spectatores, aut auditores decipiantur, ita putantes esse, ut vident, aut audiunt *Hac* ratione Dominus recreaturus amatricem suam Magdalenam, ut refert S. Joannes c. 20. specie hortulani visendum se, audiendumq; illi præbuit, non eum, qui erat, & quem deinde agnovit. Satis erat ad veritatem hominem se verum monstrare, hortulanus verò apparuit, ut figuratè significaret se in vinea sua, id est Ecclesia S. laborare instar hortulani: duo vera manifestavit, tertium placuit occultare. 10.

Itaq; eutrapeliæ, & affabilitatis gratiâ licet citra mendacium dextrè celare veritatem, in toto, vel in parte: in toto, cùm quis dissimulat responsionem, aut non exhibet factum, per quod tota veritas pateret. Hoc modo quædam, ex abdita Mathematices, aut Physices scientia, fiunt, quæ ut miracula prædicantur, quia celatur causa eorum: qualia exhibent funambuli, histriones, & similes. In parte celatur veritas, cùm quis gerit personam eius, qui non est, dicendo, & ostendendo aliqua, quæ vera sunt, ut vidimus in Christo: nam specie hortulani, quæ, ut dixi vera fuit, & illa interrogatione: mulier quid ploras? quid quæris? etiam vera (plorantem enim & quærentem reperit) dextrè suppressit partem veritatis, de sua persona. Id quod totum fecit, ut maiore perfunderet voluptate Magdalenam, ex ignoto notum se illi præbens. Hac ratione illi jucundè audientes afficiunt, qui unum dicunt, aliud subticent, ex quo deinde fit ut lętitia excitetur: potest etiam his admisceri amphibologia, de qua mox. 11.

Nam quod ad alterum modum veritatis rectè celandæ attinet, is etiam non unus est: aliquando amphibologia, sive dubia locutio adhibetur justa de causa: quia, ut docet S. Augustinus Tomo 4. lib. 1. de Mendacio 12.

dacio cap. 15. *ubi est duplex intelligentia verborum, ibi unam promere, alterâ retentâ in mente, nullum est mendacium. Ita*, inquit ibidem, *Christus cùm esset percussus in maxilla, non dixit: Ecce altera, quemadmodum* Matth. 5. suasit, *sed cur me cadis*: quia scilicet, illorum verborum: præbe & alteram maxillam percutienti, duplex est sensus; unus corde & animi præparatione præbere percutienti maxillam; alter re ipsa præbere. Christus percussus, corde præbuit alteram maxillam non re; verum ergo & consonum suis dictis fecit. Idem dilucidat S. Thomas 2. 2. Q. 101. art. 3. ad. 6. asserens omnem enunciationem ad id, quod enunciat referendam esse; hinc est ut qui verbis enunciat id, quod intelligit, etsi ab audiente non ita intelligatur, verè dicit, accedente causa vitandi damni, aut commodi cuiuspiam consequendi.

13. Hæc tamen causa in arduis negotijs, non levis debet esse, quæ cogat, relicto uno, & simplici usu signorum, ad duplicem & varium recurrere: Sicut non licet extraordinarijs uti remediis ad sanitatem unius membri recuperandam, scissione, aut ustione alterius notabili, nisi grave immineat corpori malum. Sanè in corpore mystico, id est in communitate hominum, sanitas quædam est in arduis negotijs veritas, & sinceritas agendi: nulli ergo huius corporis membro, id est homini neganda illa, nisi forte accedat gravis causa. Hac motus Patriarcha Jacob, ut est Gen. 27. amphipologicè dixit patri suo se esse Esau fratrem maiorem; verè enim erat maior jure primogeniti, etsi non persona fratris; quod nisi fecisset amisisset primogenita, quæ ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 101. art. 3. ad 3. alijq; Doctores, illi voluntate divina debebantur. Hinc communiter docēt Theologi licere cuiq; uti æquivocis verbis, imminente, scilicet, morte, aut alio gravi malo: ita potest is, qui à prædonibus spoliatur promittere se non delaturum ad judices, habendo promissionis sensum alium ab eo, quàm quem prædones concipiunt, idem in simili casu fieri potest.

14. Dixi supra non licere uti amphibologiâ in arduis negotijs, nisi adsit gravis causa: ardua enim in suo robore retinenda semper, nisi quid urgeat. Hac ratione in juramentis, simplicia verba, & in uno sensu sunt adhibenda, nisi ad æquivoca magna cogat necessitas: ut ostendi tractando de juramento hac parte cap. 16. num. 62. idem de contractibus, pactisq; inter homines, & similibus affirmandum.

15. Quanquam si agatur de doctrina fidei, & eius professione, (urgente præcepto manifestanda) in ea nunquam licitus est usus amphibologiæ,

giæ, ut docet Augustinus Tomo 4. lib. 1. de mendacio cap. 9. & 10. (& cum ipso omnes Theologi, ut ostendit Suar. opere de fide disp. 14.) ubi cùm docuisset licere occultari veritatem materiali mendacio, seu æquivocatione ad evitandum v. c. stuprum, ad quod aliqua persona quæritur. Addit duo, primò, ut talis æquivocatio non sit innocenti noxia. *Nescio*, inquit Augustinus, *utrum alterius fama mendacio violanda sit, ne alterius corpus aliena libidine violetur.* Bene id docet S. Pater, nam violatio corporis potest esse sine ullo peccato, modo quæ violatur non consentiat: at nocumentum famæ certò est illicitum, præferendum ergo est certum incerto: quod si utrumq; esset æquè certum, abstinendum tunc ab amphibologia, cùm nullus eius prævideatur fructus. Alterum quod addit S. Augustinus est, tali amphibologia nunquam utendum in materia fidei christianæ, ut si cui proponatur mors, nisi thus offerat idolo, non licebit ficte, & exteriùs tantùm thus offerre. Affert rationem in hac materia sanè efficacem Augustinus veritatis, scilicet, divinæ constantem, atq; immutabilem firmitatem, quæ sicut semper in se eodem, modo se habet, ita & proponenda est uno immutabiliq; modo sine ambagibus variorum sensuum. Verba Augustini sunt hæc: *Quamobrem à doctrina religionis omnia penitus mendacia* (scilicet etiam materialia) *removenda sunt, nec ulla omnino inveniri causa posse credatur, cur in rebus talibus mentiendum sit; quando nec ideo in ea doctrina mentiendum est, ut ad eam quisq; faciliùs perducatur: fractâ enim, vel leviter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt.* Hac S. Aug. quæ pluribus confirmant Theologi, & nos dicemus lib. 2. cum agetur de fidei confessione.

Jam si non agatur de fidei materia, & arduis negotiis, licebit uti amphibologiâ minore etiam utilitate, aut necessitate exigente. Certè Salvator agendo cum discipulis cæterisq; crebro usus est amphibologiâ ob aliquam instructionem spiritualem: ita Matth. 16. dicendo: *Cavete à fermento Pharisæorum*, ambiguos reddidit discipulos, quid per fermentum intellexisset. Nam illi putabant eum locutum de pane in domibus Pharisæorum cocto; sed ambiguitatem hanc sustulit deinde Dominus docendo illos, asserendoq; se per fermentum intellexisse doctrinam Pharisæorum. Simili forma loquendi usus est Luc. 22. *Qui inquit, non habet sacculum, & peram, vendat tunicam, & emat gladium:* dubiè dictum Apostoli intellexerunt de ferreo gladio, unde & subiunxerunt. *Ecce duo gladii hîc*; quibus Dominus, *satis est*: quasi dixisset, sit ita, ut vos ignari adhuc intelligitis. Cæterum per gladium turbationem, mœ- 16.

 roremq;

roremq; Christus intelligi voluit, qui ipsorum, & in primis Matris animam erat pertransiturus. Ita aliàs sepè in familiari usu gessit se Dominus, nobisq; eum licebit imitari, ut vel instruendi ignorantis causâ, vel recreandi tristis gratiâ, vel ad Eutrapeliam, & affabilitatem ostendendam, ambiguis utamur verbis, seu factis.

17. Ad eundem modum rectè celandi veritatem pertinent etiam variæ figuræ, ut docet S. Augustinus lib. contra mendacium cap. 3. & lib. 1. de quæstionibus Evang. cap. 51. quem citat, & sequitur S. Thom. 2. 2. Q. 101. art. 3. ad 1. 24. & quæst 101. art 1. ad 1. Atque hic modus est creberrimus in sacra scriptura veteri, & nova: & ut appareat eum licitum esse, rectè monet, citato illo loco de quęstionibus Augustinus: *Non omne*, inquit, *quod fingimus mendacium est, sed quando id fingimus, quod nihil significat: cùm autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis.* Per has figuras excusantur à mendacio plurima dicta, factaq; sanctorum, qui quia nobis proponuntur tanquam perfecta virtutum exemplaria, non est putandum eos mentitos, si quid ambiguè egerint, aut dixerint. Non est mentitus Jacob Patriarcha Gen. 27. fingendo se verbis, & pellibus Esau primogenitum; non solùm quia ipse se amphibologicè primogenitum præseferebat, sed quia Spiritus Sancti instinctu (& forte etiam notitiâ ab illo ipsi communicatâ) allegoricè, vel anagoicè significabat fore aliquando, ut maior serviret minori, hoc est (quemadmodum interpretatur S. Paulus ad Romanos 9.) Judæi, qui, & tempore, & externis ceremoniis divini cultus, erant quasi primogeniti Dei, concessuri deindè erant primogenitorum jus, & dignitatem infidelibus in Christum credituris, per cuius electionem novissimi erant futuri primi & primi novissimi ut ipsemet testatus est Matth. 20. Simili de causa & Apostolus Joannes procul fuit à mendacio, quando cap. 21. scripsit de Christi factis: *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Verè id ab Evangelista dictum est, sed per figuram hyperbole, ad denotandam multitudinem miraculorum Christi. Non affero plura, ut brevior sim, dicta, factaq; in sacra scriptura figuris consperssa, quibus quoq; usi sunt Sancti Patres, & Doctores, nobisq; licebit uti, modò verè aliquid illis significemus, doctrinæ, vel alterius honesti commodi gratiâ, neq; velimus ita nobis credi, ut primus, & simplex præ se fert sensus.

18. Illud tamen hîc notandum, non omnia quæ in sacris literis referuntur,

tur, etiam de sanctis, vindicari posse ab aliqua, levi præsertim mendacij culpa, poterant enim ut homines labi, etsi alia præclara habuerint. Quare S. Thomas 2. 2. Q. 101. art. 7. ad 3. non excusat à mendacio Judith referentem quędam de se Holoferni: laudatur tamen ea à Spiritu Sancto, non ob talia, sed ob indolem quandam virtutis, affectumq; pium (qui illa fictione tegebatur) in suum populum à periculis liberandum. Ex omnibus jam dictis constat veracitatis virtutem eò semper ferri, ut dicta, & facta consentiant menti, atq; hic ipse consensus, manifestetur modis jam explicatis. Idem clariùs patebit cognitis oppositis vitiis, interim de simplicitate, & fidelitate agendum.

Sectio III.

Quid sit simplicitas.

Simplicitas trifariam sumi poteſt, primò pro negatione experientiæ, 19
& doctrinæ, Secundò pro ea animi dispositione, quâ in finem tenditur rectum: tertiò pro tali affectu, quo cavetur duplicitas, teneturq; unitas, & uniformitas. In prima acceptione vel nulla est virtus, sed pura ignorantia (unde Idiotas simplices appellamus) vel si est virtus, ad secundam, & tertiam pertinet significationem, Secundò ergo simplicitas spectat ad omnem virtutem, quævis enim suum intendit finem rectum, cavetq; contrarium prauum. Huiusmodi simplicitatem laudat Christus Mat. 6. *si oculus inquit, tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit:* hoc est si intentio fuerit recta & pia, omne opus ex illa factum rectum sit necesse est. In tertia acceptione idem est simplicitas quod & veritas, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 109. art. 2 ad. 4. & Q. 102. art. 3. ad 2. solumq; ab ea differt intelligentiæ conceptu. Nam veritas, est concordia signi, & signati seu cordis; simplicitas autem est unitas, seu uniformitas inter interna, & externa, ut non aliud intendatur interiùs, quàm exteriùs prætenditur. Vtrobique est concordia, in veritate quidem inter signum, & id quod in mente servatur; in simplicitate autem inter intentionem, & prætentionem: neque plura de hoc occurrunt.

Sectio.

Sectio IV.

Quid ſit fides, ſeu ſidelitas.

20. Aliqui è Theologis fidem ad veritatem revocant, ex quibus id tenet Caietanus commentar. in 2.2.Q. 103. art. 1. aſſerens eandem eſſe S. Thomę ſententiam. Verum communiter alij diſtinguunt, ut ſcribit Leſ. de juſtitia lib. 2. cap. 18. dub. 8. id quod ex ipſo S. Thoma conſtat: Nam 2. 2. Q. 80. art. unico, ad 3. dicit veritatem in plus ſe habere quam ſe habet fidelitas, vnde etiam diſtinguit mendacium ab infidelitate Quæſt. 101. art. 3. ad 5. Quod verò Caietanus ideo putat S. Thomam pro una has virtutes reputare, quia nullibi de fidelitate ſeorſim tractavit, parùm id facit: nam cum Quæſt. illa 80. aſſeruerit fidelitatem in vertice includi, ut mox oſtendemus, & hanc in plus ſe habere, ſatis eſt ut dicatur diſtinctè de illa egiſſe.

21. Itaq; in fidelitate duo conſideranda ſunt, primum ut dicta conſonent factis, nam qui promittit, tum fidelis dicitur, cum quod verbo ſe recepit facturum opere verè implet: Atq; ex hac parte rectè docuit S. Thomas fidem includi in veritate, dictorum enim conſonantia cum factis eſt quędam veritas: ſed cum ultra hoc, habeat & aliud veritas, nempe ſignorum cum mente concordiam, in eo differet à fidelitate. Ad hæc ſecundum quod in fidelitate conſiderari debet eſt obligatio quædam libertatis, ut qui promittit det jus alteri in ſe ad exigendum id, quod promittit: atq; hoc ſecundo diſtinguitur ſpecie fidelitas à veracitate: Etenim hęc ut de ea diximus non confert ius proximo ad exigendum aliquid in ſuum commodum, ſed proximus ex ſe in alterum habet ius, ut cum eo decenter hoc eſt veraciter agatur: ſicut ergo ueritas includendo in ſe ſimilitudinem fidelitatis (eò quod hęc habet dictorum, & factorum conſonantiam) differt adhuc ab illa peculiari ratione, nempe mentis, & ſignorum concordiâ, & propterea ſecundum S. Thomam in plus ſe habet quam fidelitas: ita fidelitas continendo in ſe ſimilitudinem veritatis illa ut dixi conſonantiam, diſtinguitur adhuc ab eadem obligatione, ſcilicet libertatis. Atq; ita veracitas, & fides ſunt reuera duæ diſtinctæ virtutes diſtinctam habentes honeſtatem.

22. Porro id ad quod promittentem obligat fides, vel eſt res quępiam, vel

vel opus personale; res, ut pecunia, vestis, & cetera huius modi; opus; quale est labor in gratiam alterius, & obsequium, & quid simile: quidquid horum promissum est, in debitum cadit, ut est vetus proverbium, confert enim promittens jus alteri in id, ad quod se præstandum obligavit.

Ceterùm hoc jus duplex esse potest, alterum rigidi debiti, pactis, contractibus, iuramento, aut voto firmatum, & tale ad alias spectat virtutes, scilicet, ad iustitiam commutatiuam, ad iuramentum, & voti religionem. Quare qui promittit se soluturum debitam pecuniam, ex iustitia commutativa promissis stare debet, & qui promisit cum iuramento, aut voto se condonaturum iniuriam, ex religione id tenetur implere, jam alterum jus quod promittens dat proximo in suam libertatem, est jus liberalitatis, & honestatis cuiusdam, consistens in gratuita subiectione sui, ad alterius commodum: quisq; enim promittendo quasi ita dicit alteri: Subijcio tuæ voluntatem meam, ut ab ea liberè exigas id, quod gratis offero. 23.

Hoc jus liberalitatis est mediū, inter rigidum debitum & illud quod nascitur ex firmo proposito: non enim ita graviter obligat, ut jus iustitię commutativæ, aut religionis divinæ, illa quippe æqualitatem faciendo rei ad rem, grave imponit solvendi debitum, pro magnitudine rei, damni; & iniuriæ, religio quoq; non minus contrahit debitum, ob excellentiam divinæ maiestatis, cui exhibenda est. Cæterum fides, cùm neq; æqualitatem justitiæ constituat, nec tantam personę spectet dignitatem, sed gratuitum dumtaxat offert animum minus invehit debitum. Quapropter ei, cui fit promissio non infert damnum negata fides, sed tantùm spem & expectationem fallit experiendæ gratuitæ obligationis, in quo est parva offensa. Nihilominus debitum fidei maius est, quàm firmi propositi, nam in hoc nullum datur alteri jus aliquid exigendi, sed proponens, apud se facienda statuit: & propositum quidem est actus ad varias spectans virtutes, quælibet enim intendendo suum finem, proponit se eum velle in effectu ponere. 24.

Cæterùm fides, est peculiaris virtus habens etiam suum propositum, & ultra hoc continet promissionem cum obligatione alteri in promittentem collata, tanquam peculiarem suam operationem. Ex dictis jam intelligitur quid sit fides; est enim virtus, qua gratuitò promittitur in commodum alterius quidpiam exequendum, ut jam explicatum est. 25.

Sectio .V.

Quàm ſit veritas cum ſimplicitate, & fide inter homines utilis, ac neceſſaria.

26. IPſa ſocietatis humanæ unio, naturæq; integritas, jure quodam exigit has virtutes, ultro citroq; ita quidem, ut niſi eæ ſua exerceant munia, multum generi humano dematur oportet. Sane cùm Deus Gen.
2. dixit creato Adam: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus adiutorium ſimile ſibi, non ideo ſolùm mulierem ſociam illi dedit, ut ſenſibus corporis ſibi familiares eſſent, manca certè eſſet hæc talis ſocietas. Aliam ergo, nempè humanam à ratione petitam voluit inſtituere familiaritatem, cùm illi dedit adiutorium ſimile, è quo progeniti homines continuarent, promoverentq; rationale conſortium.

27. Porro inter omnia, quæ homines ut prædìti ratione tractant, aguntq; creberrima eſt communicatio internarum mentis cogitationum per ſigna, præſertim vocum, quæ promuntur, ut quiſq; manifeſtet, quid de rebus ſentiat, quid ſciat, quid velit alteri officiorum, ac beneficentiæ. Quod dum fit, veracitas, ſimplicitas, & fides ſuum debent exercere munus, ut non contenti homines quod ſe conſpiciant, loquentes audiant, manu, genu, collo ſalutent: animis quoq; ſecum pertractent. Et cum in anima duæ ſint præcipuę facultates, intelligendi, ſcilicet, & appetendi, illa veritatem, hæc bonum ſpectat: non melius animis agitur, quam ſi ſimplici veritate, & bonis mutuò certetur, ergo veritas ſimplex vera nunciat, fides quę offert, præſtat bona.

28. Conſcius & commodi, & diſpendii conſequentis ex obſervantia, aut neglectu harum virtutum dæmon, ſtatim ab initio conditi hominis, falſa pro veris incauto vendidit promiſitq; ea, quæ nunquam præſtitit. An non mentitus eſt? an non fefellit? quando dixit Gen. 6: *nequaquam morte moriemini, ſcit enim Deus, quòd in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii.* Hoc tum jacto falſitatis, & perfidiæ velut fundamento, quot deinde mendaciſſima in mundum invexit dogmata, tum de diis, tum de vivendi, agendiq; modo: ut rectè de illo Chriſtus teſtatus ſit Joan. 8. *Ille in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo, mendax eſt, & pater ejus.*

Falſi

Tali patre geniti sunt, quotquot mendaciis, fraudibus, & falsis promissis infatuarunt aliquando alios: eiusmodi erant ethnici, philosophi, hæretici christiani, omnes demum à veritate alieni. Ab hoc genitali Deo, tales trahere prosapiæ suæ genus, affirmat eodem loco Christus: *Vos, inquit, ex parte diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille ex propriis loquitur, quia mendax est: ego autem si veritatem dico non creditis mihi.* 29.

30. Ex quo Salvatoris cum mendacibus filiis, & de mendaci patre, habito colloquio, duo ad rem nostram infero Primum est, virtutes has de quibus agimus, vel ob id solùm diligenter sectandas esse, quod opposita vitia transferant in familiam, ac progeniem dæmonum, hæredesq; constituant sanguinis, (reatus scilicet) quem ex proximo homine effudit sceleftus ille pater, in alijs quoq; appetentissimus sit eiusdem. Ille, inquit Christus Joan. 8. homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: de hæredibus quoq; Spiritus Sanctus sapien. 1. testatur: *Os quod mentitur occidit animam,* Quot damna, & iniurias inferunt deceptis mendacia? & horum quidem non semper nocent saluti, nisi ad malum inducant, mentientis certè, semper lędunt animam, creberrimè occidunt.

31. Quantum deinde illud est, quod scribit Salomon proverb. 12? *Qui mentitur testis est fraudulentus, est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientiæ.* Eum qui aliquando testatur in judicio publico falsum, oderunt ut plurimùm homines, maleq; tali ominantur; quòd & animam & veritatem prostituat pro vili nummo, aut vano timore. Ita Salomonis judicio odibiles sunt mendaces, qui non judicia tantùm publica, sed socialem vitam, quin & seipsos reddunt exosos. Odij huius duplex est causa, prima quòd cùm natura duce monstra humana abominemur, v. g. hominem bicipitem, aut tripedē; mendax autem sit monstrum quoddam cordis humani; quid mirum si sit odio apud omnes? Et quòd mendax sit tale monstrum docet S. Augustinus Tomo 9. in cap. 1. Joan. 7. ubi sic ait: *Quando aliquid in corde aliquis agit, & aliud loquitur, dolus est, & duo corda habet, unum sinum ubi videt veritatem, & alterum sinum ubi concipit mendacium:* unde dictum est, (Psal. 11.) in Psalmis: *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* Altera deinde causa, cur tales oderimus, est, quia in communi vita timendi ij, & cavendi sunt, quærendiq; cum lucerna Diogenis, qui sinceros se in dictis, & promissis offerant; qui non gestent occultum gladium conscientiæ, quo & se, & alios pungant, vulnera ac cicatrices relinquendo, nocumentorum magnorum sensu, & numero.

32. Ac quemadmodum pater mendacii diabolus, quotquot in suam pertrahit sententiam, mendacijs, fictisq; promissis eos decipit, pollicendo, scilicet, longam vitam; offerendo securitatem; misericordiam Dei extollendo; elevando justitiam, mala quę re vera falsa sunt commendando tanquam bona, à bonis tanquam à malis retrahendo, atq; ita à se illusorum, & tandem damnatorum sanguinem bibit: ita qui inferni genij vipereo infecti sunt veneno in omnibus hisce ipsi allaborant, ut similes effecti patri suo moribus, parem quoq; referant mercedem, illudq; illis serviat elogium proverb. 12. *Abominatio est Domino labia mendacia*, hoc demum promissum certò expectent, ut ibidem legitur: *Non inueniet fraudulentus lucrum; sed (quod lucro, scilicet, est contrarium) damnum, ac perniciem.*

33. Alterum quod ex eodem sermone Domini de mendacibus habito inferri potest, est veritatis simplicitatis, & fidei studiosos tanquam filios Dei jus quoddam hæreditatis nancisci ad illa occupanda in cœlis loca, in quibus diabolus & angeli eius non steterunt, quia non permanserunt in veritate. Hoc planè indicat Dominus Joan. illo cap. 8. nam Judęis se filios Dei iactantibus ac dicentibus: Nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum, ita respondit: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utiq; me.* quasi dicere voluisset Dominus: cum ego sim veritas, (ut de se Joan. 14. testatur) & cum sim ille homo, quem vos quæritis interficere, quia veritatem dico: profectò qui me diligit, recipit veritatem, est filius Dei, frater hominis veritatem dicentis (*quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, teste Ioan.* cap. 1. post enim est hæres locorum in quibus ego regnaturus sum, & ex quibus decidit diabolus.

34. Magna Ius, præclara spes, ut digni censeantur societate Dei atq; regnantium cum illo quotquot retinent veritatē. Hac de causa inter mortales adhuc constituti, tanquam magni prædicantur à Deo ij qui fuerunt recti, simplices, sinceri, ab omni obliquitate, & duplicitate cordis alieni. Talis describitur Job. c. 1. *Erat vir ille simplex & rectus*: tales sunt pleni spe Divinæ Misericordiæ, & sanctitatis, Psal. 35. *Prætende misericordiam tuam scientibus te, & justitiam his qui recto sunt corde*: cum talibus dulcis, & amica Dei consuetudo, proverb. 3. *Abominatio est Deo omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.* Quod si apud Deum hi sancti dignią; quibus etiam in hac vita utatur familiariter; quid mirum si apud homines sint ijdem in delicijs? quorum ambiatur consuetudo, atq; ami-

amicitia? Parvuli amabiles sunt, ob simplicitatem naturæ, candorem, atq; innocentiam: propterea Christus arguit Apostolos quod prohiberent illos ad se venire, ut est Matth. 19. *Sinite parvulos venire ad me*: meritò veraces, simplices ac sinceri in promissis amantur ab omnibus, non jam ob naturæ, sed ob morum simplicitatem candoremq;. Hunc candorem commendatum esse voluit Apostolus Petrus 1. Petr 2. *Deponentes* inquit, *omnem dolum, & simulationes, sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite*. Ab eadem simplicitate laudavit Dominus Nathanael Joan. 1. *Ecce verè Israelita in quo dolus non est*. Tales quoq; elegit sibi discipulos, pauperes, scilicet, de plebe, inter quos, ut plurimùm viget synceritas cordis, (neq; enim norunt fingere) unùs ex eis teste Christo ipso Joan. 6. diabolus erat, qui fictè quærebat: *Nunquid ego sum Rabbi*: Matth. 26. propterea à simplicium remotus collegio, abijt in locum diabolo patri mendaciorum paratum. Qualibus usus est familiariter, non dissimiles adhibebat quoq; ad convictum, nempe turbam è plebe abiectam. Quo suo facto, vitaq; & consuetudine in terris habita cum hominibus, liquidò nobis constare, voluit Dominus illud quod dixit Matth. 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: illi congregantur in nomine Christi, qui in veritate congregantur, Christus enim veritas est. Quare qui veraces, simplices & sinceri sunt, gaudent socio Christo, qui omnia illorum dirigat, & ad felicem deducat finem, ad hoc enim se medium pollicetur fore. Hæc est, & sanè magna veracitatis, simplicitatis fideiq; utilitas, Deo & hominibus reddere gratam consuetudinem, felicemq; negotiorum sortiri eventum. Jam videndum quid tantæ obsit utilitati.

Sectio VI.

Quæ sint vitia, veritatem & simplicitatem, corrumpentia.

DE vitijs simplicitati oppositis non quæro hîc, cùm enim supra Sectio. 3. dicimus simplicitatem cum veritate unam esse virtutem, vitia quoq; eadem erunt utriq; contraria. Jam ergo veritatem oppugnat mendacij falsitas, quæ est discordia mentis, & signorum, in hoc sita, ut mentiens velit aliter manifestare, quàm sciat, sive per hoc decipiat alterum, qui non assequitur mentientis intentum, sive non, si- 35.

ve aliter sit in re, quàm sciat, sive non: hæc enim mendacio, accidentalia sunt, substantialis est intenta discordia mentis & signorum. Hæc discordia semper mala, atq; inhonesta dicenda, id quod fusè probat S. Augustinus Tomo 4. lib. 1. contra mendacium, multis scripturæ locis, in quibus semper reprehenditur, nunquam laudatur mendacium. Talis est ille præ aliis asperior contra mentientes locus Psalmo 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium:* & Sap. 1. *Os quod mentitur occidit animam:* interdum lenius prohibetur, falsitas mendax, ut est ad Collos. 5. *Nolite mentiri inuicem.* Quare S. Aug. loco citato cap. 6. sic scribit: *Quærere vtrum sit mentiendum est quærere utrum iniquus aliquis esse debeat.*

36. Ne verò quis putet licere mentiri propter consequendum suum, vel alterius bonum, addit ibid. *Sicut non licet iniquum esse pro bono nostro vllo etiam spirituali*; *ita nec pro alterius.* Eodem Tomo lib 1. ad Crescentium cap. 6. ostendit malè mentitum Petrum Apostolum negando ore Christum, propter se aliosq; discipulos occultandos: *Quis inquit, ita euanescat, ut existimet Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, quod in ore, quando Christum negauit? nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat: cur ergo lachrymis diluit, quod ore negauerat, si saluti sufficiebat quod corde credebat? nisi quia magnam vidit esse perniciem, quod corde quidem credidit ad iustitiam, sed ore non confessus est ad salutem.*

37. Quod si quis putet S. Augustinum de materiali mendacio ibi locutum & Sanctum Petrum non mentitum verè, sed tantùm occultasse veritatem: id quoq; in confessione Christi non licere supra num. 15. ostendimus. Cæterum hîc agimus de vero mendacio, & hoc asserimus in nullo euentu, aut prætextu cuiuspiam boni, posse committi licitè mendacium. Id quod tenet cum S. Augustino S. Thomas 2. 2. Q. 110. art. 1. & 2. & omnes prorsus Theologi, Philosophi quoq; cum Aristotele cap. 4. Ethicorum cap. 7. ubi sic inquit: Per se quidem omne in malo vitiosq; mendacium est, veritas honesta, & laudabilis, ita etiam verus homo est omnis laudabilis.

38. Rectè ita sentiunt cuncti, quia omne signum ad hoc assumitur, ut aliquid significet verè, alioquin non erit signum, sed aliud quid, aut falsitas signi. Cùm ergo voces, & alia quibus utuntur homines ad manifestanda mentis interna, sint à Deo, & à natura instituta, ut signa, verè id significare debent, quod mens intra se reconditum habet. Ex quo sequitur mendacium jure naturali, & divino esse prohibitum, ipsam enim naturam, & Dei statutum evertit, signis abutendo.

Et cùm

Et cum hæc signa alia sint linguæ, factorum, seu gestorum alia, falsitas quoq; seu mendacium in genere sumptum duplex est unum in propria specie, quod lingua committitur, est enim mendacium quasi contra mentem dictum, aliud vocata simulatio, cum aliter se quis exterius gerit, quàm sciat se debere gerere. Vtrumq; hoc vitium, communi illa vitiorum divisione, iam per excessum, iam per defectum opponitur veritati, excessus plus manifestat, quam est in re, defectus minus: Et si plus manifestetur, ex ijs quæ ad propriam spectant laudem: iactantia est, non illa quæ vanè gloriatur (hæc enim ad vanam gloriam spectat) sed quæ plura mentienti adscribit. Quòd si minus significetur, est ironia, non illa quę continet jocum, vel figuram quampiam, ut diximus supra hoc cap. sect. 2. sed quę, ut docet Aristoteles 4 Ethicorum cap. 7. oppositum habet jactantiæ. 39.

Hæ omnes divisiones mendacii communis in mendacium particulare, in simulationem, & in utrumq;, jam per excessum, iam per defectum, tandem in iactantiam & ironiam possunt dici specie distinctæ: uni quippe virtuti, multa vitia opponuntur, quando singula peculiares, & notabiles continent honesti deformitates. Rectè enim dicit Dyon. de divin. nom. cap. 4. *Bonum fit ex integra causa, malum ex singularibus defectibus.* Sanctus quidem Thomas 2. 2. Q. 101. art. 2. in corp mendacium per excessum, & defectum ad jactantiam, & Ironiam refert, proindè non alium videtur admittere excessum, & defectum, quàm qui est in jactantia, & ironia: Sed cùm infra Q. 102. & 113. jactantiam, & ironiam definiat esse vitia, quę propriam mentientis personam, aut ostentant, aut occultant falsò, potest autem excessus, & defectus mendax esse circa alia, & non tantùm circa personam mentientis, sequitur ut teneat distincta esse mendacia, per excessum & defectum (& si nominibus peculiaribus careant) à iactantia,& ironia. Rectè tamen asserit mendacia per excessum, & defectum referri ad jactantiam, & ironiam, per quandam similitudinem: quia sicut illa in excessu, & defectu peccant, ita & hæc. Neque plura sunt mendaciorum genera, aut species. 40.

Sectio VII.

Quanta sit in mendacio ratio culpæ.

QVodcunq; mendacium, si in se sumatur, venialem duntaxat continere 41.

tinere culpam, docent cum S. Thoma 2. 2. Q. 110. in corp. omnes Theologi, ratioq; est in promptu, quia sinistra, & non sincera internorum manifestatio modicam sociali vitæ iuurit notam, ex qua levis sequitur offensa. Quemadmodum enim, qui alienis vestibus comparet indutus, nec fatetur esse alienas, quin cupit videri ut proprias, modicè quid lædit spectantes: quid enim illis magni demit aut irrogat per hoc? ita qui aliena signa, & aliud quid significantia adhibent, tanquam si essent propria internæ notitię, nil magni afferunt incommodi. Id quod, ut dixi, verum est, si mendacium spectetur in sua præcisè inhonestate: Quod si in eo aliquid intendatur directè, vel indirectè, cum prævidetur aliquid mali ex ipso secuturum, sic quævis ex dictis speciebus mendacii, potest obnoxia esse culpæ graviori, si nimirum id quod intenditur, sit grave damnum, aut iniuria sive Dei, sive proximi, sive ipsius mentientis, ut idem Theologi cum Sancto Thoma loco citato sentiunt.

42. Quapropter mendacium ratione huius consequentis mali triplex assignatur, jocosum, videlicet, officiosum, & perniciosum: jocosum est, in quo mentiens intendit risum, aut oblectationem suam, vel aliorum: officiosum, in quo spectat utilitatem propriam, aut alterius, denique perniciosum est, quod adhibetur ad damnum alterius, aut sibi inferendum. De jocoso, & officioso mendacio nihil est, quod plus dicatur, aut enim in illis sola est mendacii culpa, aut si alia adiungitur, ut in jocoso jucunditatis superfluæ, in officioso, lucri sordidi: utraq; hæc levis est. Quod ad perniciosum attinet, illud præter falsitatis delictum, potest habere annexum grave damnum, quo in eventu, & mendacium erit leve, & insuper aliud grave peccatum. Ita mentitus est primus à creatione mundi mendax dæmon in paradiso quando dixit matri nostrę Gen. 3. *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, quod in quacunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.* Hic præter mendacium nocuit saluti nostrę perniciosè,& commisit in Deum blasphemiam,affingendo ipsi simulationem, quasi non verè dixisset: Morte moriemini, tantæ blasphemiæ, & nocumenti, mendacium est causa ex hoc enim utrumq; est securum. Talia crimina sunt Ethicorum, & hæreticorum, falsa dogmata seminantium, ex quibus sequuntur blasphemiæ, honori, gloriæ, & naturæ divinæ contrariæ, damna item salutis proximorum, & ipsorum mentientium: quorum omnium sunt causa isti magistri, quoties repugnante, & mordente conscientia falsa docent. Post hoc & illi perniciosè mentiuntur, qui mendacio, nocent aliis in vita, bonis, caducis, fa-

cis, famâ & virtute, committuntq; præter mendacium homicidia, detractiones, luxurias, & similia.

43. Atq; hæc omnia, quacunq; specie mendacij [illegible] præcedente explicata possunt patrari, siue lingua, sive externa simulatione. Linguâ perniciosè mentitur, qui v. c. falsa narrando detrahit, vel qui iactat suam scientiam, & peritiam, ut habeatur medicus insignis, aut dignus officio iudicis, vel beneficio ecclesiastico: aut qui occultat suas opes, ut egenti graviter non succurrat proximo. Simulatione perniciosè peccat, qui inter pretiosas merces, ut sunt margaritæ, pannus, sericum, vasa aurea, reponit aliqua vilia, ut pari pretio æstimentur, & vendantur.

44. Perniciosa quoq; simulatio est illa, quam scriptura, & ecclesiastici Doctores græco vocabulo appellant hypocrisim, quando, scilicet, simulatur probitas, & sanctitas vitæ, quę revera non est, seu quando assumitur persona justi. Nam hypocritæ, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 111. art. 2. in corp. ex Isidoro, olim dicebantur illi, qui in spectaculis, varias fingebant personas, vestitu colore, & gestu corporis. Quo pacto Pharisæi fingebant personas sanctorum; quia, ut de illis testatur Christus Matth. 23. *Dilatabant phylacteria sua, & magnificabant fimbrias*, hoc est notas quasdam, & signa illis imprimebant, ex quibus apparerent sanctitatis, probitatisq; custodes, atque amatores. Cæterùm hęc & alia, inquit ibidem Christus, ideo faciebant, ut non Deo placerent, sed ab hominibus magni æstimarentur.

45. Simulatio hypocriseos in se spectata venialis est, ut & quodvis mendacium, ex intentione tamen damni gravis, potest esse mortalis, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 111. art. 4. in corp. & reliqui Theologi. Nam qui simulat viri probi personam, & tamen vult esse improbus, insignem infert perniciem sibi, vult enim esse nequam, Deo ingratus. Eiusmodi sunt politici, qui fingunt se bono communi & Ecclesiæ, proborumque commodis favere, interea clàm maximè nocent. Ita quoq; perniciosus est, qui speciem sancti præsefert, ut inducat in aliquem circa fidem errorem, quod faciunt hæretici ministri: vel qui proba, & honesta simulant, ut dolo decipiant, & ad peccatum alliciant. Sic faciunt, qui quasi coniugij pretextu, aut decentis consuetudinis, insinuant se in amicitiam honestarum fœminarum: revera autem id agunt, ut concupiscentiæ morem gerant, capiantq; incautas. Quapropter hypocrisis semper erit mortalis, qua directè, vel indirectè grave damnum, vel iniuriam intendit Dei, proximi, aut ipsius hypocritę, ut de mendacio diximus.

46. Jam verò hypocritis mortalis, quam sit odibilis Deo, vel ex eo clarè liquet, quòd Christus magnam partem suarum concionum, & consuetudinis cum Judæis habitæ, insumpserit in persequendo hoc vitio: quod faciendo invidiam sibi apud scribas, & Pharisæos adeo comparavit magnam, ut ea nece illius terminari debuerit. Novit quod dico, qui legit vitam Christi ab Evangelistis descriptam: vel unum caput Mat. 23. tot fulmina contra tales continet, quale est illud: *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis scribæ, & Pharisæi qui comeditis domos Viduarum, orationes longas orantes; propter hæc amplius accipietis judicium. Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplo quam vos.* Hæc & similia dicta salvatoris, aliàs mitissimi, & patientissimi: evidens præferunt testimonium, quanto odio Deus hanc persequatur impietatem, & quàm illi designarit pœnam

47. Si rationem tantæ aversionis inquiramus, occurrit illa ex S. Paulo Rom. 7. vbi dolet vicem eorum, qui lege abutuntur ad peccandum, cum bono ad bonum uti deberent, sic ibi ille: *Peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Si mandati abusus supra modum auget peccatum quantò id magis facit, probitatis & sanctitatis abusus, quàm præcepit lex: vt qui simulatione virtutis peccant, supra modum peccent, & abutuntur sanctitate, quasi ipso Spiritu S. qui est sanctitatis auctor, velint abuti, sociumque habere suum doli. Ista considerarent, qui formas, vel potiùs larvas hypocritæ assumere norunt; & cum non audiant illa, ex ore mortalis olim (ut audierunt Judæi) Christi fulmina; timeant ne à judice eodem cogantur audire, non iam prędicentis sed infligentis væ æternum.

Sectio VIII.

Quæ Vitia lædant fidelitatem.

48. HÆc de peccatis contra veritatem, superest ut de illis agamus, quæ sunt contra fidem: & hanc quidem pauciora impetunt vitia, nimirum quæ non tot occupatur humanis actibus, quot veritas: excessus tamen, & defectus fidei, sicut & aliis, adversantur virtutibus. Ergo

Ergo defectu delinquitur, cùm vel non solvitur promissum, vel non ita solvitur ut debuit, vel tardè, neque tempore statuto. Excessus est, cùm fit quod promissum est, sed in ea, aut temporis acceleratione, ut ea incommodum pariat acceptanti potius, quàm utilitatem. Ita facit qui subministraturus unum, vel alterum famulum ad obsequendum amico, mittit decem, cum onere eius, & difficultate alendi: vel si mittat eos ante tempus, quo necessarii essent; sic in similibus potest excessu peccari. Tam defectus, quàm excessus levis est culpa, ut dixi supra sec 3 nisi intendatur directè, vel indirectè magnum proximi damnum: quo accedente, perniciosè & graviter violatur fides: ita peccat qui promisit alteri mutuam pecuniam, nec tamen dat cum possit, ex quo prævidet secuturū magnum illius damnum.

Et cùm crebri fiut eiusmodi eventus, ut is cui promittitur quidpiam, nixus fidei prommittentis securus fiat, fallus deinde spe, patiatur non leve detrimentum; cum etiam & hominum ingenia, nunc præsertim iam frigescente vt inquit Christus Matth. 24. charitate sint inconstantia leviaq;, ut rarus reperiatur cui promisso fidenti illud poetæ non serviat: pollicitis dives quilibet esse potest; diligenter monet S. Spiritus officii omnes quotquot sunt faciles ad promittendum: ita enim Eccl. 8, legimus: Non spondeas super virtutem tuam, quòd si spoponderis, quasi restituens cogita. Spondent super virtutem? qui multa possunt, nimirum divites opum, fortes manu, magni gloria: sed fit crebrò vt virtus & potestas putetur esse, quæ revera non est. Nam vel non prævidentur futura, ad quę viribus est opus (ita iuvenes promittunt multa, quæ deinde non soluunt, quia splendidè viuendo, ipsi fiunt egeni) vel parva ut magna æstimantur, neq; expenduntur ut sunt: quo pacto mero incalescentes sunt liberales, mox ut evigilaverint dolent se promisisse, quia non habent unde solvant fidem. His suadet S. Spiritus, non spondere super virtutem suam; si tamen spoponderint, non revocanda censet promissa, verum ita solvenda, quasi restituendum esse aliquid, quod ab altero sit acceptum. Sunt nonnulli, qui non mobilitate animi facilè spondent, sed pudore urgente rogati promittunt id, quod sciunt se non posse præstare: hos quoq; non laudat Spiritus Sanctus Eccl. 20. Est inquit, qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum: tum videlicet, cum non præstat promissa. Hæc duo cavere debet fidei studiosus; ut nec levitate ac imprudentiâ suâ, nec aliena importunitate, prorumpat in promissa, nisi & possit, & velit ea implere, quoties fide urgente se obligat. 49.

CAPVT. XXIV.

De Liberalitate.

HÆc est ultima inter virtutes à iustitia contentas quæ cum illa habent similitudinem, propterea quòd communiter in alterum sit demonstranda, ut plurimùm enim non tam in se quis liberalis dicitur, quam in alium, ut infrà ostendimus.

Sectio I.

In quo consistat vis huius virtutis.

1. VT verò, quid in se sit cognoscatur liberalitas, ex bonis quę triplicia numerantur petendum: nam sicut horum quædam ad animam referuntur alia ad corpus tandem ad fortunam reliqua, ita & amor (quem sequuntur aliæ affectiones appetitus nostri) triplex est. Et bona quidem animæ sunt partim creata, qualis est sapientia, & honestas, partim increatum, & hoc unum dantaxat, nempe Deus: corporis bonum est voluptas, fortunæ, gloria, honor, & opes; quæ singula alio atq; alio honesto expetuntur amore, ad varias spectante virtutes. De amore Dei dicetur libro 2. de amore sapientię actum est in virtute studiositatis hoc lib. parte priore, sicut & de amore honesti in genere, in principio eiusdem libri, aliquot primis capitibus. Amor honesti particularis, continetur in singulis virtutibus, de quibus omnibus hactenus lib. hoc primo tractatum est, & inter ea dictum quoq; parte priore cap. de abstinentia,& cap. de castitate quæ operantur ex honesto amore voluptatis. Dictum etiam eadem parte cap. de humilitate in qua est decens excellentiæ (cui debetur honor & gloria) amor: tandem actum est hac parte posteriore de magnanimitate, quæ appetit debitè honorem, & gloriam.

2. Restat ut dicatur de amore opum: ut autem sciri possit an & qua ratione amandæ sint; advertendum est opes esse bonum de se indifferens ad honesti & inhonesti speciem, posseq; benè, vel malè appeti: Benè appetuntur si honestum habeant finem; malè si finis contrarius sit honesto. Nam cum sint infimum, inter omnia iam enumerata bonum, nimi-

num terrestri constans materiâ, & quod extra hominem reperitur, vitæq; expers, indignum est quod in se ametur, nisi ad aliud referatur v. c. ad vitam hominis sublevandam, aut ad comparandam excellentiæ cuiuspiam gloriam, vel quid simile.

Dixi opes terrenum quid esse, aut enim est terra, ut ager, aut in terra constitutum ut aquæ, aut è terra ortum auxilio solis, & siderum, ut metalla, aut in eadem genitum concurrente quapiam vegetante, & sentiente naturâ, ut sunt pecora, aut postremo ars, cum terra aliqua effingit, talia sunt numismata pecuniæ. Atq; hæ ultimæ opes, pecunia scilicet, dicuntur artificiales, aliæ enumeratæ naturales vocantur, eò quòd à natura sine arte habentur. Quamquam usu jam recepto, divitiæ, & opes pecuniâ continentur, nam ea omnia, quæ reddunt opulentos, aut sunt pecuniæ, aut res pecuniâ æstimabiles, ut ager silvæ, & similia. 3.

Dixi etiam opes non posse in se appeti, ea siquidem in se appetuntur, quæ tanquam finis propter se amantur, qualis est Deus, ultimus omnium finis, honesta, secundarius post Deum finis, & ea quæ honestate, tanquam formâ in se (non relata aliò) condecorari possunt, ut est vita hominis, & excellentia consequens virtutem: hæc omnia honestè in se amantur. Cæterum opes (& idem de honore, & gloria diximus hac par. cap. 3. num. 31. & 32.) nihil horum sunt, sed ut dixi extra hominem, terrenum, & infimum quid, nequeunt ergo amari in se, sed ut medium utile ad aliquem finem, ut omnes docent cum Aristotele 4. Ethicorum cap. 1. & cum S. Thoma 2. 2. Q. 117. art. 3. in corpore. 4.

Porro duobus modis possunt referri ad honestū finem. Primò tanquam ad finē extrinsecū sibi, scilicet, à varijs virtutibus, ut à religione ad cultū Dei, à misericordia ad sublevandā alienam miseriam. Secundò ad finē sibi intrinsecum, qui est mediocritas in habendis (de quibus nunc agimus) opibus, seu ut loquitur Aristoteles 4. Ethicorum cap. 1. est medietas circa pecunias. Hanc medietatem in quo sit, perspectam habebimus, si prius intelligamus quas appetitiones moderetur liberalitas. Etsi enim unaquæq; virtus omnes appetitus nostri actus exerceat, amoris, scilicet, desiderij, delectationis, & alios, tamen, ut hactenus, in singulis virtutibus perspeximus, quævis habet unam, atq; alteram operationem, in qua temperanda potissimùm desudet, ita castitas delectationes carnis refrenat, fortitudo timores, ita aliæ virtutes alia. 5.

Quod ergo ad liberalitatem attinet, hæc quoq; habet duos actus, quos ad medium reducit ut docet Aristoteles 4. Ethicorum cap. 1. & 6.

S. Thom. 2. 2. Q. 117. art. 1. ad tertium. Primus est amor, & concupiscentia pecuniæ, quæ si fuerit nimia, impediet actum externum huius virtutis, à quo præcipuè illa, liberalitas vel largitas nominatur nempe effusionem, seu ut loquitur S. Thomas loco citato art. 2. in corpore, emissionem opum: *Quod enim*, inquit, *largum est, non est retentivum, sed emissivum*, emittuntur autem pecuniæ jam in proprios sumptus, tam in alienum commodum. Quod si amor opum fuerit modicus, alteri item externo actui ponet obstaculum, qui actus vocatur retentio, seu conservatio, ac præparatio opum ad largam emissionem. Præter amorem, est alter, actus appetitus, à liberalitate in medium reducendus, usus scilicet opum, non ille qui in dando vel retinendo consistit (hic enim externus est actus, manu v. c. vel alio instrumento exerceri solitus) sed qui in appetitu intus residet, & cui paret actus externus. Hic ergo externus usus temperandus est, nam si fuerit nimius, effundet simul omnia nihil relinquendo propriis, aut alienis commodis, si exiguus, neq; sibi, neq; aliis utiliter conservabit aut partietur.

7. Et quanquam dictus usus amorem sequitur, eiq; se ita accommodat, ut si amor fuerit pecuniæ nimius, parcus, & difficilis sit usus, si modicus, usus sit largus & facilis, tamen fit non rarò ut discrepet ab illo, idq; ex eo quia nova difficultas in usu sentitur, quæ non sentiebatur antea in amore pecuniæ. Quapropter crebrò evenit, ut quis liberaliter promittat datum, eò quòd tunc non sit nimis affectus pecuniç, ubi tamen ad usum, & executionem ventum fuerit, retractat promissa ob difficultatem, scilicet, quæ supervenit usui, & quæ ipsum etiam mutat amorem, ut sit deinceps maior, quàm fuerat antea. Quare utramq; hanc operationem internam, & amorem, scilicet, & usum pecuniæ, moderatur sigillatim liberalitas, & in debita temperie collocat.

8. Porro regula ac norma constituendi medij in liberalitate potest sumi ex Aristotele Ethicorum 4. cap. 1. ubi ait: Ex facultatibus omnis moderanda liberalitas est. Id quod distinctiùs declarat. 2. Cor. 9. Apostolus ubi sic loquitur: *Vnusquisq; prout destinavit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum: sicut scriptum est* (scilicet Psal. 111.) *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* In quibus verbis tria expendo, primum est, quod Apostolus velit illos liberaliter largiri, qui omnem sufficientiam habeant, nam qui carent

rent

rent sufficientibus ad proprium usum, non habent quod expendant in alios, charitas enim à seipso incipit, ut certum est ex eo, quod Christus Matth. 19. jubeat diligere proximum sicut nos, à nobis ergo & amor, & liberalitas in alios initium sumere debet. Quapropter sufficientia velut fundamentum est liberalitatis, ut quidquid ultra eam superfuerit, possit dari, & datum tale vocabitur largum: Similiter quod ad sufficientiam requiritur poterit retineri, & talis retentio dicetur liberaliter in proprios usus expensa. Rectè autem S. Paulus omnem sufficientiam pro fundamento ponit liberalitatis, latè enim patet multosq; quasi gradus continet: cùm alia sit Regis, alia Nobilis, alia Prælati, & Episcopi, alia in inferiori forte constituti Sacerdotis. Quædam quę uni tantùm tuendo satis sit, altera quæ multis, nempe proli, familiæ, subditis, & sic de alijs sufficientiæ diversitatibus. Quæ & similia prudenter expendi debent à liberali, ut vel distribuantur, vel retineantur, prout postulaverit sufficientia, & variarum circumstantiarum consideratio, nempe quantùm, cui, quando, & quomodo sit largiendum.

Ne tamen angustis stringatur cancellis, nimis ad sufficientiam jam explicatam attendens liberalitas, duo eodem loco affert Apostolus, unum est divina potentia, quæ omnibus quidem, sed maximè ijs, qui eius causâ largi sunt, abunde providet. *Potens est*, inquit ille, *Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum* additq; ibidem tantò fore retributionem divinã copiosiorem, quantò opus bonum fuerit liberalius: *Qui* inquit *parcè seminat parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet*. Alterum dicit esse Apostolus proprium laborem divinę potentię cooperantem: nam Deus qui dedit liberali manus, industriam, & ea quæ fructus producunt, dabit quoq; labori prosperum successum. Hoc significat Paulus illis verbis. *Qui autem administrat semen seminanti & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Ex quo deinde & illud sequitur teste Apostolo, ut quò quis liberalior fuerit, eò plura habeat ad largiendum: *Ut in omnibus*, inquit, *locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.* Ista duo, nempe spes in divina potentia, & labor proprius dilatant liberalitatem, ut non se à largiendo excuset fictâ necessitate sufficientiæ. 9.

Atq; hæc data à S. Paulo regula ad substantiam pertinet liberalitatis, assignat deinde aliam quæ continet perfectionem eiusdem, & illis expri- 10.

exprimitur verbis: *Non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Metus à necessitate incussus, & dolor tristitiæ, etsi non tollunt substantiam liberalitatis (cùm non obstantibus hisce affectibus datur vel retinetur prout oportet) indicant tamen deesse id, quod ad perfectam requiritur virtutem, ut nimirum promptè, & jucundè operetur. Nam qui in operando bene, sentit rebellionem passionum, aut primò incipit operari, non ex præcedenti habitu, aut hic exigvus est, qui necdum triumphat de hoste. Quare qui cum tristitia, aut alio simili affectu ab appetitu excitato largitur, minus perfectè agit: & cum perfectiora magis Deo placeant, rectè ibidem subdit S. Paulus: *Hilarem datorem diligit Deus.* Neq; solum Deo displicet donatio tristis, hominibus quoq; non est grata: certè sunt pleriq; præsertim ingenui, qui malent nihil accipere, quam accipere ab eo, qui vel exprobrat vel vultum, frontemq; rugat, testaturq; se dare invitum: id quod contristat accipientem, in easq; redigit angustias, ut quid facere debeat perplexus sit. Nam si acceptet oblatum, molestus atq; importunus, dicetur exactor: si renuat, ingratus videbitur, contemptorq;: quodcunq; horum amplexus fuerit, dubitabit fecerit necne rectè. Vt igitur, & Deo, & hominibus gratiorem se exhibeat liberalis, hilari, si non mente (quia adhuc passio urget, & contristat) saltem vultu det quod dat.

12. Preter hanc perfectionem liberalitatis, affert & aliam eodem loco Apostolus: Sciptum, inquit est: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia eius manet in sæculum sæculi:* Perfectio hæc rara est ut totum dispergatur, nihil sibi relinquendo, ijsq; familiaris qui consilium illud sequuntur, quod adolescens Matth. 19. bonus alioquin à juventute sua, amplecti noluit. Audito enim Christi suasu: *Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me:* hoc, inquam audito: *Abiit*, testatur Mat. *tristis, erat enim habens multas possessiones.* Moderatè hic juvenis amabat pecuniam, utebaturq; eâ debitè, quantùm ad substantiam liberalitatem, sed non quantùm ad perfectionem illam eximiam, quæ sive multùm, sive parum quis habeat, totum largitur, spe in eo collocata qui dicit: *Date, & dabitur vobis*, Luc. 6. & *Veni, sequere me*, Matth. 19.

13. Perfectionem, talem primò illi amplectuntur, qui amore Christi dant sua omnia egenis, victum sibi labore proprio comparantes, ad quod invitat S. Paulus fideles suum præferens exemplum: sic enim 2 ad Thess. 3. scribit: *Neq, gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione operantes, ne quem vestrum gravaremus, non quasi non habuerimus potesta-*

potestatem, sed ut nos metipsos formam daremus vobis ad imitandum nos, vos autem fratres nolite deficere benefacientes. Duo exigebat à Thess. Apostolus, & ut omnia relinquerent imitando ipsum, & ut operatione propriâ se, aliosq; sustentarent.

Rectè exigebat Paulus laborem à talibus, qui enim omnia sua dant pauperibus, interim verò, neq; sibi, neq; alijs, quos alere debent, querunt labore proprio victum, sed otio se tradunt, curiosasq; peragunt peregrinationes, aliud non spectando, quàm ut à labore vacent, hi minus rectè agant, siquidem otium ad multa vitia parat aditum. Tales eodem illo cap. 3. ad Thess. sic arguit Apostolus: *Audivimus inter vos quosdam ambulare inquiete nihil operantes, sed curiose agentes: ijs autem denunciamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Huic S. Pauli monito parent studiosi perfectæ vitæ, qui suis in Dei honorem distributis, victum labore quærunt. 14.

Eandem perfectionem sectantur religiosam profitentes paupertatem, qui amore, & imitatione Christi, non solùm sua omnia dant in pauperes (multa illa, aut pauca sint, nihil attendentes, modò omnibus se, etiam spe habendi privent) insuper seipsos ad sequendum illum offerunt, fide, & spe pleni, quòd is, cuius id gratiâ faciunt, & in hac vita non sit permissurus eos destitui necessariis, & in futura amplam daturus, ut promisit Matth. 9. mercedem. Nihilominus tamen & hi, non debent esse immunes à labore cuiusq; instituto congruo, ut vel psalmodiæ, orationiq; vacent, vel auxilio proximorum spirituali totos se impendant, vel infirmos, aut moribundos curent, vel quid simile agant. Atque ut id commodè præstent, Christo à piis hominibus donato patrimonio, utuntur ad sustentandam vitam, referuntq; etiam in hoc sæculo centuplum, quò eximia ipsorum largitas in Deum abundè compensetur. Centuplum, inquam, primò in devotione, & hilaritate Spiritus, quâ contemptores opum perfruuntur, deinde in piorum hominum benignitate: ubique enim terrarum, tanquam servi Dei promptè excipiuntur, & à sui ordinis fratribus, & ab alijs quibusvis, qui Christum in illius servis honorant, & tractant. 15.

Ex dictis jam facilè innotescit, quid sit liberalitas, est enim virtus, quæ amorem, usumq; moderatur pecuniæ, est pecunia quidem est materia remota obiecti eius, moderatio verò iam explicata, formalis ratio: amor usůsq; pecuniæ, sunt materia proxima, seu operationes ipsius. Et cum unaquæq; moralis honestas, extrema vitare debeat, excessum, vi- 16.

 deli-

delicet, & defectum habeatq; actiones, quarum quædam ad unum horum, aliæ ad aliud vergunt: liberalitas quoque in dando excessum temperat, in retinendo, & accipiendo defectum.

17. Porro rectè Aristoteles 4. Eth. cap. 1. ex duobus his docet magis proprium esse liberalitatis dare, quàm accipere: Est inquit, liberalis in dando valde excellere, neq; solum id ideo verum est, quia liberalis colligit pecunias, ut habeat unde expendat, non autem ut semper servet (quare ad dandum tanquam ad finem ordinat acceptionem, ac conservationem pecuniæ) sed quia dare, maiorem continet honestatis rationem, eò quod dans communicet bonum, faciatq; bene aliis, retinens autem, vel moderatè accipiens abstineat ab iniuria alterius, sive non faciat malum: maius autem est facere bene, quam non facere malè, cùm illud sit ponere actum, seu rem in mundo, hoc autem nihil ponit.

18. Ex quo & illud deducit ibidem Philosophus, quòd liberales plerumq; minus sint opulenti, quia ad honesta potiùs, magnaq;, & bene de aliis merendum, feruntur illorum animi, quàm ad utilia, ut, scilicet, accipiant, colligant, servent opes, tales, inquit, non admodum laudari solent. Rectè tales non multum laudari asserit, & propter minorem minusq præstantem honestatis speciem, ut iam dixi, & quod proclive sit iis, accipiendo, recondendoq; collecta, ac collectorum possessione fruendo, ut potius semper retinere, & augere malint, quam largiri quando opus fuerit. Quapropter docet eodem loco Aristoteles, eos ad liberalitatem promptiores esse, qui partis utuntur, pigriores, qui à se collecta servant, tales sunt pleriq; senes, & qui ex egenis fiunt opulenti: hi enim quia diu colligunt, & servant, assuescunt tenere, dare non norunt, neq; id placet: sua enim, inquit Aristoteles, cuiq; facta magis placent, ut parentibus, & Poetis; proprium autem, & suum talium est, parta tueri.

Sectio. II.

Quantùm conducat liberalitas ad honestatem Vitæ.

19. Aristoteles 4. Eth. cap. 1. ita laudat liberalem: Jam omnium, in quibus virtus inest ij fere diliguntur maxime, qui famâ, & laude, valent liberalitatis: prosunt enim aliis, quod in largiendo quidem posi-

positum est, virtuti autem consentaneæ actiones præclaræ sunt, honestatisq; causâ geruntur. Laudis ac famę liberalitatis unam dat causam, quod prosit aliis, & ob hoc actiones eius præclaras censet: meritò sane; nam & David Psal. 8. à liberalitate Deum maxime laudandum esse à fidelibus censet, cùm ita eum prædicat: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in uniuersa terra:* laudum subnectit causam: *Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Quid est homo, quod memor es eius:* & quæ sequuntur. Talium testimoniorum plena est sacra scriptura, quæ hanc ob causam præcipit laudare Deum. Et cùm duo sint quę dignam reddunt personam laude, atq; gloriâ, quædam quæ in ipsa manent, nec possunt derivari in alios, præstant tamen excellentiâ, eiusmodi est sapientia, prudentia & similia: alia sunt quæ communicantur cæteris virtute quapiam insigni concurrente, ut charitate, misericordiâ, aut aliâ: tam Deus, quàm homo prædicantur, & ab ijs, quæ in ipsis resident, & ab aliis, quæ se tanquam è fonte in alios effundunt: quo ipso agnoscuntur abundare bono, siquidem illud cæteris communicant; nemo enim dat quod non habet. Maximè ergo liberalitas reddit laudabiles, quia per eam innotescit excellentia dantis.

Quapropter bene liberales plurimùm laudari putavit Aristoteles; 20. hac enim virtute, similes efficiuntur Deo, qui ab omni creatura (si omnis intelligentiâ, & lingvâ polleret) laudandus esset, nimirum, quæ ex eius liberalitate habet id quod habet, multum autem habet, unde & Christus Dominus dixit aliquando, teste Paulo Act. 20. *Beatius est dare quàm accipere.* Propterea quod datores magis accedunt ad beatissimam excellentissimamq; Dei altitudinem, ac bonitatem quæ ut docent Theologi est communicativa sui.

Ex hac doctrina non in philosophia tantum sed in Christi etiam fide 21. certa, aliquod ad vitę vsum deduco practica documenta. Primum est volvisse Deum, & ita instituisse, ut aliqui essent mendici, neq; omnes haberent, quod liberaliter possent largiri. Ex qua Dei voluntate, inferet nonnemo, non omnes licet vellent, posse esse liberales, cultoresq; tam præstantis virtutis. Verum id aliter se habere advertet quivis qui intelligit, virtutem in affectu, & proposito animi potissime sitam esse, non in externo actu: id quod sæpius dictum est in explicatione variarum virtutum ut fortitudinis cap. 1. à num. 33. & aliarum. Quare pauperrimus licet, si habet deliberatam voluntatem largè expendendi id quod ei supererit, liberalis est. Optimè Aristoteles 4. Eth. cap. 1. dicit: Ex facul-

cultatibus omnis ponderanda est liberalitas, neq; enim ex numero beneficiorum, quæ dantur, sed ex animi habitu eius, qui dat omnis est spectanda liberalitas. Quamobrem nihil prohibet liberaliorem esse eum, qui minora confert beneficia, si ex minoribus quæ suppetunt copiis largiatur.

22. Quod Philosophus dicit de minoribus copiis, hoc ego dico de nullis, modo sit animi habitus dandi, si copiæ suppeterent: quisq; ergo etiam egenus potest, si vult cultor, esse liberalitatis. Jam quod attinet ad externam largitionem, equidem negare non possumus voluisse Deum, ut aliqui acciperent tantùm & non darent, sed isti duplicis sunt generis. Quidam qui semel dederunt totum, quod habebant, & poterant habere aut saltem sperare, quales sunt religiosi, vel alii pij homines privantes se omnibus amore Christi opibus: hos supra à numero 12. diximus esse liberales, & quidem eximiè. Quòd vero ijdem petant, ad sui imitationem excitant reliquos fideles, ut liberalitate quâ possint, emant sibi cœlum. Alij necessitate sunt mendici, sed in eorum potestate situm est, affectu & habitu esse liberales, quales revera nonulli se exhibent: petendo enim dicunt illud Christi: *Date & dabitur vobis*: vel adduut sua: miseremini ut Deus det vobis omnem prosperitatem bonorum, vitæ, & quorumvis aliorum. Itaq; pollicendo à liberali Deo ea, quæ in ipsum indubitata fides largientibus promisit, quantum in illis est, offerunt ab eodem Deo omnem liberalibus copiam. Vnde mendici hi egentesq; sunt calcar & incentiuum liberalitatis tum suæ, tum alienæ: neq; enim & ipsi offerrent multa bona à Deo suis Mæcenatibus, si non peterent, neq; hi sua profunderent, nisi essent tot, qui egent.

23. Secundum deduco, qui accipiunt quidquam ab aliis, & non sunt è numero verè egentium duplicis, quos jam adduximus sortis (dico verè egentium, potest enim minor esse indigentia, quàm est, accipiendi aviditas) aut carent virtute liberalitatis, suntq; avari, aut in exiguo gradu illam habent. Nam ut constat ex dictis liberalitas non movet ad accipiendum, nisi ut servet ad dandum, expendendumve, recteq; dicit Philosophus Ethicorum 4. cap. 1. Nec verò liberalis unquam accipiet, unde nefas sit, quippe cùm ita non soleat accipere, is qui pecunias contemnat: nec idem ad petendum proclivis est, quòd non libenter beneficium accipiat, is qui dare solet. Quare qui accipit plura, & plura, non ut det, sed ut servet, neq; accipit ut in suos expendat usus, quia hos aliunde habet, revera accipit ex nimio amore rerum, qui amor est avaritia.

ritia. Neq; verò ab hac excusari potest si non preciosa auri, & argenti, verùm viliora corradat: Sicut enim virtus magis in affectu, quàm in opere externo consistit ut paulò ante diximus: ita & vitium, non ex magnitudine eius, ad quod perperam afficitur, sed ex ipso affectu pensandum, & multò magis pensandùm quam virtus: bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet effectu. Igitur defectus circa parva, & pauca, magnum efficiet vitium, si ex magno proficiscatur affectu.

Tertium deduco, asseroq; utramq; quidem tam largitionis, quàm acceptionis operationem ad liberalitatem pertinere, si tamen occurrat alterius ex his electio, & in eo eventu, in quo utralibet honestè eligi potest, præferendam esse acceptioni largitionem. Assero ita à Christo edoctus, qui ut est Actor. 12. testatur *beatiùs esse dare, quàm accipere.* Non negat quidem Dominus beatum esse accipere, immò hoc tacite innuit: tamen utendo comparatione diserte affirmat beatius esse dare: sicut qui dicit melius esse aurum argento, tacitè asserit bonum esse argentum, clarè tamen præfert ei aurum. Neq; caret mystica intelligentia, nomen beatius, pro quo non est positum aliquid aliud v. c. melius, vel liberalius aut quid simile, forsan ideo id factum ut agnoscamus dantes ex liberalitate, ad illos propius accedere, qui in cœlo sunt beati, hi enim nulla re egent, nihil ab ullo accipiunt, verùm in Deo habent omnia, cui nimirum infinito bono proprium est se communicare. Quare qui dat liberaliter, beatitudinis fonti Deo efficitur similior excelsa quadam latitudine animi, ad quam Christus nos excitat, pro minoribus caducis maiora æterna pollicendo Luc. 6. *Date & dabitur vobis, mensuram bonam, consertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* 24.

Quod non in illa tantùm vita putandum fore, verùm in hac quoq; & quod magis mirandum, etiam servis suis, qui semel omnibus, pro eius amore profusis largè (quantum licite possunt intra limites voti paupertatis) largè dispensant bona ipsius, his etiam, inquam, rependit mensuram bonam. Refert Cæsarius. lib. 4. cap 69. rem jam multis notam de duobus Abbatibus, quorum unus liberalis fuit in hospites, ac pauperes, similesq; sibi constituit administros, qui eius humanitati morē gererent. Mortuo illi successit alter Abbas, hic futuram aliquando prævidens sterilitatem, liberalitatem antecessoris putavit arctandam: unde & dispensatoribus præteritis, ab officio semotis, aliisq; ad genium suum designatis tantæ hospitalitati, pauperumq; tractationi interdixit. Brevi adeo magna omnium egestas est secuta, ut ne fratres in monasterio 25.

 degen-

degentes haberent, quibus alerentur. Adfuit aliquando peregrinus ſpecie veneranda, petiitq; hoſpitium, non negavit janitor clandeſtinum, cauſam tamen quod parciùs exciperetur, inopiam rerum eſt faſſus. Tum peregrinus: Duo, inquit, fratres monaſterio ſunt procul abacti, & ni revocentur, par erit ſemper penuria, uni ex his nomen eſt, Date, alteri, Dabitur vobis: his dictis evanuit. Retulit viſum, auditumq; janitor Abbati, qui agnovit ſe ab Angelo parcitatis reprehenſum, priſtinamq; monaſterio hoſpitalitatem reſtituit. Chriſtus quoq; memor ſui promiſſi, affluentem largitus eſt rerum copiam. Vterq; horum Abbatum ex liberalitate dabat, & accipiebat, uterq; tanquam voti paupertatis ſtudioſus, cuſtos, atq; adminiſter diſpenſando ſervabat, ſervando diſpenſabat: prior tamen plùs dabat, quàm ſervabat, & propterea ille copia affluebat, hic premebatur inopia. Largè liberalis, in ſe probavit vere dixiſſe Chriſtum: *Date, & dabitur vobis*, Luc. 6. liberalis item, ſed ſtrictè, ſibi dictum ab eodem agnovit: *Videte quid audiatis, in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis*, Marc. 4. Quia ergo exiguâ ille menſura metiebatur datum, exiguâ etiam recipiebat adiectum, Chriſto igitur & doctore, & remuneratore veriſſimum eſt illud: *Beatius eſt dare, quàm accipere*. Sed jam videamus quænam impediunt explicatas liberalitatis operationes.

Sectio III.

Quæ ſint vitia Liberalitati oppoſita, & quantum noxia ſaluti, prodigalitas.

26. OMnes cum Philoſopho 4. Ethicorum cap. 1. tenent duo eſſe vitia, utrinq; ab extremis mediocritatem liberalitatis impetentia, quorum unum eſt prodigalitas, avaritia alterum: nec verò liberalitatis tantum medio adverſantur iſta duo, ſed etiam ſibi ipſi: eò quòd ſemper unum extremum, diſtet ab altero nec cum illo conveniat. Cùm enim, ut jam vidimus, ſupra hoc capite ſectione 1. liberalitas amorem, uſumq; pecuniæ temperet, prodigalitas deficit à debito amore, atq; uſu, & aut nihil, aut modicè afficitur pecuniæ, unde & profundit illam, abutendo, & dando ubi, cui, quantùm & quomodo non eſſe dandum prudentia dictat,

Jam

Jam eadem prodigalitas, duplicem habet sui considerationem sicut 27.
& alia vitia, primò in sua deformitate spectatam, deinde per respectum ad alia, in quæ potest deflectere vitia. Vtrâque consideratione minùs turpitudinis continet, quàm avaritia ut affirmat Aristoteles 4. Ethicorum cap. 1. quem sequitur S. Thomas 2. 2. Q. 19. art. 3. primò quidem ideo, quia prodigus facilè ad sanitatem reduci potest, progressuq; ætatis, & inopiâ coactus ad mediocritatem pervenire: atqui avarus, & ætate, & usu obfirmatior evadit in proposito. Ætas certè frigidior, adstringendum potiùs juvat, multa quoq; collecta, alliciunt ad retinendum plus quàm si pauca sint, semper enim maius bonum, magis ad se trahit. Ad hęc ex eo etiam asserit Aristoteles meliorem esse prodigum avaro, quia ille multis prodest largiendo, scilicet, hic nemini, ne sibi quidem, eò quòd nec aliis det, nec suæ necessitati, aut utilitati, ut decet consulat S. Thomas art. illo 3. ex eo etiam prodigalitatem meliorem asserit avaritia, quia est similior liberalitati, dando videlicet, cùm avaritia ad non dandum inclinet.

Atq; hæc habet in se spectata prodigalitas, quod si consideretur ut 28.
relata ut alia vitia, sic etiam meliorem adhuc putat prodigalitatem Aristoteles avaritiâ, nam plerumq; in pauciora, & minùs fæda inducit peccata, quàm avaritia. Et communiter quidem prodigi sunt libidinosi, quia dando ultra modum sua cum delectatione: etiam corpus proprium, ultra debitum modum facilè ad voluptatem tradunt, eosq; ditant, qui libidini serviunt, lenones, histriones, assentatores, meretrices, relictis aliis, qui verè egent, meritoq; juvandi essent. Iidem quoque ebrietati vacant propter eundem delectationis percipiendæ finem, sicut & aleis, lusibusq; nimiis, non ut servent lucra, sed ut fundant id quod habent, & ut habeant quod fundant: Vanitatem etiam captant, laudemq; inanem ex eo quòd non parcant pecuniæ. Interdum quoque & ad avaritiam declinant, postquam non suppetit, quod dent: Cùm enim, inquit Aristoteles, loco citato dando egere celeriter cæperint, alienis bonis manus afferre cogantur, & quia nullam honestatis rationem ducunt, sine delectu undecunq; possunt rapiunt. Comitatur postremò & illud prodigalitatem, ut nimiis largitionibus impotentes se reddant ad expensas necessarias familiæ, & ad solvenda debita. Verùm hæc ultima rariùs, & pauci committunt prodigi, neq; ideo, inquit Aristoteles loco citato, quòd scelerati sint aut ingenerosi, sed quòd sint stulti & ut tales finem modumq; in largiendo transeunt. Ex eadem stultitia, etiam illa alia amplectuntur vitia.

Cæte-

29. Cæterum avaritia, quorum animos occupaverit insatiabili studio ad multa maiora, & plura cogit peccata, ad fraudes scilicet, dolosq; ad rapinas, & furta, ad artes sordidas acquirendorum lucrorum, quas exercent lenones, fœneratores, aleatores, latrones, & alij huius fæcis, ac sordium, ut infrà ostendetur fusius. Feruntur autem in hæc avari non aliqua mobilitate animi citò transeunte, verùm tenaci morum, ac ipsius vitæ instituto, sic agendi depravatam consuetudinem, quasi vivendi genus amplectendo stabile. Prorsus de utroq; hoc vitio rectè ita concludit Aristoteles 4. Ethicorum cap. 1. Prodigus, inquit, cùm nullam sequitur rationem, in has miserias (supra jam enumeratas) incidit, qui si curam diligentiamq; adhibuerit, facilè ad virtutem decorumq; perveniet: at verò avaritiæ malum, insanabile est. Mox affert causam cur sit insanabile: Nam senectus, inquit, omnisq; imbecillitas avaros efficit, ita ille. Et senectus quidem tardè, neque omnibus supervenit avaris: cęterum imbecillitas frequens, & communis est, valetudinis nimirum, adversæque fortunæ. Ex his sequitur, ut quando in corpore, aut bonis patimur (quàm multa autem ferenda, à tot morbis, bello, fame, lucrorum amissione, quantitate damnorum, expensis litium, & sexcenta talia, in quibus semper pars deperditur opum) quando, inquam, hæc patimur, multis nos putamus egere, ut & pręterita resarciamus, & futuris prospiciamus damnis, qua supposita animi sententia, facilè permittimus nos impeti ab avaritia, ex imbecillitate dicta.

30. Sed ea interim relicta, cum prodigalitate nunc agendum, quæ in se accepta venialis est, propterea quòd abusus propriorum bonorum nulli afferat grave incommodum: non Deo, aut eius cuipiam excellentiæ, sicut mendacium in juramento, refragatur divinæ veritati, aut desperatio misericordię, sed solùm voluntati ipsius est dissonum, sicut & verbum otiosum, aut quid simile. Non proximo, nihil enim accipit alienum, denique ipsum prodigum non afficit plùs quàm quòd sua inordinatè dispenset. Et quia divitiæ sunt infima omnium bona, & quidem propria, subiectæq; prodigi dominio, sequitur ut abusus earum levis sit culpa, quemadmodum & abusus linguę ad verba otiosa, quę nulli nocent, levis est, quantumvis bonum corporis maius sit, quàm bonum pecuniæ.

31. Atque hæc verè dicuntur de prodigalitate in se spectata, nam si ex ea sequantur aliqua gravia mala, ut sunt rapinæ, aut si ad aliquod scelus ordinetur committendum, quale est illicita corporis voluptas, aut ebrietas, jam

tas, jam prodigalitas rea erit talium criminum, qualibus admiscetur. Et quoniam hæc neque pauca, neque parva sunt, ut paulò ante vidimus, ijs obnoxij, eorundem radicem (scilicet, prodigalitatem) extirpent de solo sui animi. Quod ut faciant, cogitent oportet ab hac radice duos veluti truncos enasci, unus est amor sensibilium, quæ cum hoc mundo transeunt, tanquam figura evanido impressa aeri, quemadmodum scribit Apostolus 1. ad Cor. 7. Dissipas prodigè bona tua, ut inde lauderis à parasitis, & assentatoribus, ut sint qui voluptati tuæ conducti serviant, potatores, comessatores, lenones, cæteriq; turpitudinis fæda mancipia. Quis tandem laudum & voluptatum finis? egestas, lites, si (ut fit) non suppetat unde solvantur debita, & quæ lites sequuntur, pœnæ, atque hæc in bonis. Quæ deinde in corpore, tot & tanta quæ parit luxus, ægritudo, scilicet, membrorum deformitas, brevis vita, mors. Quid interim in anima? tot supra recensita scelera, ac crimina: denique post mortẽ, quid cum uniuscuiusq; prodigi agatur anima sciri non potest; de una unius habemus historiam, quæ quia vera est, nimirũ ab ipsa veritate, Christo relata, libet recensere totam: nec quenquam moveat quod nota sit, nam & nota, si magna fuerint utiliter narrantur, sic ergo apud Lucam cap. 10. legimus scriptum, *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam eius ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: mortuus est autem, & dives, & sepultus est in inferno. Levans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui, in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem ille consolatur, tu verò cruciaris.*

Hucusque historia in qua illud mirum, quòd epulonis huius damnati, nulla recenseantur alia facinora, sed tantùm duo quorum unum jam diximus esse leve, neque dignum inferno, nempe luxum epularum, & vestium splendorem, in quo effundebat sua prodigè. Alterum fuit, quod Lazaro mendico in magna necessitate constituto, non subvenerit, quòd reverã fuit mortale, dignumq; gehennâ. Si igitur huius unius prodigi, quia tantùm immisericors fuit, damnata est in æternum anima, videant 32.

jam alij prodigi, quid suis animabus putent expectandum? qui quoniam in vana profundunt, non habent quòd egenis, pupillis, viduis, extremè laborantibus tribuant, qui aliena rapiunt, qui in voluptatum cæno volutantur, qui tot alijs sunt causa damnationis, quot inducunt ad compotationes, aut quibus ad fædas abutuntur voluptates.

33. Illius prodigi luxus edendi, vestiendi, venialis, non merebatur orci cruciatus, sitimq; tantam, ut petierit guttulam aquæ à digito, & quidem ulcerosi quondam mendici pendentem. Quia tamen elemosyna omissa æternâ fuit digna pœnâ, venialis quoque prodigalitas, per accidens ut dicunt Theologi, seu propter adiunctum mortale in æternum punitur. Ergo prodigus ille ob levem culpam delectationis cibi, potus, & vestium, ingentibus, & æternis cruciatur tormentis, sitique nunquam levanda. Qui cruciatus, quæ tormenta, quanta sitis timenda alijs prodigis, qui ad leviorem prodigalitatis culpam, addunt enormia luxuriæ crimina, aliaque nefanda? Verebatur idem epulo (quod etiam continetur in historia) ne quinq; fratres sui, epularum olim socij, venirent in eundem locum ad maiorem eius pœnam: quàm multò magis verendum potatoribus, luxuriosisq; ne complices turpitudinum trahant post se ad augendos suos cruciatus.

34. Profectò vel hæc una à Christo narrata historia, quotquot aut sunt jam prodigi, aut possunt esse, nimirum juvenes, divites, ad delicias, & luxum proclives, vel hæc, inquam, una historia tenaciùs, & altiùs memoriæ impressa à prodigalitate deterrere deberet, & ad debitam reducere liberalitatem. Non sciebant veteres, à vera fide alieni tanta, à morte imminere prodigis mala, sed illa solùm huius caducæ vitæ, & tamen ut scribit Stob. ser. 42. ex Nicolao de moribus gentium: apud Lucanos lex erat, ut qui luxurioso mutuasset aliquid, per judicis sententiam mutuo privaretur. Quid fideles agere debent, ut luxui fręna imponant? & quam illi perperam agunt, qui suggerunt luxuriandi materiam? de quibus rectè Salomon prov. 28. Qui comessatores pascit confundit patrem suum: confundit certè, & quasi exprobrat illi, quòd tam multa reliquerit sibi, quibus ad comessandum abutatur. Plerumq; nunc non judicantur, qui sua prodigunt, aut prodigendi sunt auctores, vel adiutores: qui tamen judicavit, & jam damnavit unum de quo scimus, epulonem Deus: ideo decreti sui quasi authographum retulit in evangelium, ut sciant reliqui se ab eodem certò judicandos, & puniendos.

Sectio

Sectio IV.

Quid sit, & quàm turpis, noxiaq; avaritia?

Cùm hoc vitium opponatur tum virtuti liberalitatis tum prodigalitatis vitio ut Sec. præcedenti diximus, primò quidem excedit mediocritatis regulam plus æquo amando opes, & de his exiguè utendo, atq; ita tollit liberalitatem, quæ tenet rationis medium, pugnat etiam cum prodigalitate, quę nimis effundit. Sic in se considerata avaritia venialem continet culpam, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 118. art. 4. & 6. Sicut & de prodigalitate diximus, par enim est ratio utriusque, cùm solùm inordinatam quandam pariat in animo delectationem in habendis opibus, ex quo nullum alteri sequitur grave damnum. 35.

Avaritiæ in se sumptæ duas assignat species Aristoteles 4. Ethicorum cap. 1. una est quę propendet ad retinendum, seu ad non dandum non item ad accipiendum, idq; vel ex eò, quòd timeat aliquid inordinati committere in congregandis opibus, vel quod vereatur, ne si alijs iniuriam fecerit, ipse vicissim eam patiatur: & tales si non dent, vocantur tenaces, parci, aridi & inhumani. Alij sunt, qui dant quidem, sed in accipiendo sunt nimij; eiusmodi, inquit Aristoteles, in sordidis artibus, turpique quęstu versantur, propter exigvum lucrum probra, & dedecora sustinent, viles res divendunt, parasitos, & assentatores agunt, dant munera, ut venentur lucra, & commoda, uno verbo plùs sunt amantes utilis, quàm honesti. Tam retinendi tenacitas, quàm aviditas accipiendi, turpis, & homine indigna est, eo quod excelsam animi mentem in vilissimis, & infimis, inter omnia bona detineat (in terra, videlicet, & ijs quæ è terra eruuntur) ita vero detinendo, figit eam in ijsdem, ligatque solicitudine, ut magna pars humanæ vitæ, in quibusdam etiam tota, quærendis, & occultandis eiusmodi rebus occupetur. 36.

Dicant qui tales sunt, quanto studio, curisque torquentur nocte, dieq; ut non amittant parta, utque illud agant: Adde parum pauco, magnus cumulatur acervus. Ab hac tyrannide cupit Spiritus Sanctus miseram vindicari animam, eius præsertim, qui ultra communem hominis, à natura petitam dignitatem, est pręditus insuper aliâ civili, & dominan- 37.

minante, sic ergo de talibus loquitur Proverb. 28. *Dux indigens prudentiâ, multos opprimet per calumniam, qui autem odit avaritiam, longi fient dies eius.* Dux hic vocatur rector populi, & princeps, qui certè indiget prudentiâ (ut se scilicet corrigat) si aliena per calumniam, variasq; artes ac potentiam (quæ talibus facile suppetit) occupat: sed enim qui neq; aliena appetit, neque suis inhiat, longos vitæ dies meretur, non solùm quia curis non conficitur, sed quia habet plures se pauperiores, qui illi à Deo optant, & petunt longam vitam, ut sub umbra eius securi, & in pace degant. Quin & Deus tales donat longâ vitâ tanquam dignos qui (quantum quidem hæc mortalitas concedit) longitudine dierum ad immortalem illam vitam accedunt, in qua ab infimis huius vitæ bonis, procul aberunt omnes ad alta & æterna, felici possessione intenti. Cæterũ qui longos dies vitæ pollicetur detestantibus avaritiam, non est dubium quin breues det amantibus eam: oppositorum enim, quemadmodum oppositi sunt effectus ita & præmia, ac pœnæ.

38. Quis verò neget avaritiam morbum esse animæ, quæ ita ipsam cruciet, ut etiam in corpus redundet? testis utriusq; est rex Achab 3. Reg. 21. Voluit ille non quidem per calumniam eripere, sed justo emere pretio vineam Naboth suo subdito, ut vidit recusantem, animo & corpore consternatus decubuit, non surrecturus tunc forsan, nisi avidior alieni Iezabel regina, pestilenti morbo virus propinasset, ita illud commendans: *Quid est hoc, unde anima tua contristata est, & quare non comedis panem? Surge, & comede, & ego dabo tibi vineam Naboth.* Jam cùm avaritia sit mentis, corporisq; ægritudo, quid mirum si mortem non animæ tantùm, sed & corpori accersat? Morbum hunc sordes, ab antiquo appellant Latini, nimirum indicare volunt, cæteris quidem vitijs malè nos affici, hoc uno sordidè etiam infici, revera enim tanquam in immundissimam cloacam, & fædam deiicitur latrinam, quisquis tam excelsam, (quàm est rationis divinæ particeps) mentem in infimis, hoc est ortis de cæno, luto, fimo immergit, quæ nisi ad breve tempus, vitæ sustentandę necessaria forent, non essent digna etiam eâ curâ, quam homines honestè gerunt. Meritò igitur avari sordidi nuncupantur, nimirum sordido infecti morbo.

39. Ab his sordibus cavebat Romanis Tiberius Cæsar Augusti successor, qui ut scribit Nicephorus Callistus lib. 1. cap. 17. Eccle. histor. rogatus ab amicis, cur magistratus, & præfecturas rariùs mutaret; respondit se ideo id facere, quòd sciret eos, qui rerum, administrationi

præ-

præsunt, pecuniæ esse cupidos, multumq; studij, ad rem magis augendam collocare: si verò diutius in magistratu versentur, segniores fieri ad quæstum faciendum. Atque ut ostenderet opum cupiditatem fædum esse morbum, utebatur similitudene muscarum, quæ si longiùs corporum ulceribus insideant, minùs graves, & molestæ fiunt, quippe sanie ulcerum ad sanitatem usque refertæ. E contra eum, qui ulceribus scatet, dicebat duriùs acceptum, afflictumq; iri, si saturis jam repulsis, famelicas alias ad vulnera immittat. Egregium certè, & dictum, & factum magni principis, cuius præclaro hac in re judicio nimiæ habendi cupiditates, sunt ulcera, sanies, sordes. Muscas ille ad vexationem ulcerosorum retulit, nos qui novimus malorum originem, non abs re illas intelligemus cum Apostolo ad Eph. 6. muscas, *quæ sunt potestates mundi, rectores tenebrarum, spiritualia nequitiæ*. Ergo isti è tenebris orci emissi vermes, per aera volitantes, neque ut testatur Christus Matth. 12. in aridis, sanisq; mentibus requiem invenientes, ad saniem ulcerosorum trahuntur, ibi quiescunt, pascunturq;, & tantò acerbiùs cruciant (nimirum famelici, & insatiabiles) quantò ulcera sanie avaritiæ recrudescunt magis. Tanta est vitij huius lues, ignominia, & abiectio tanta, uteo contaminata anima, immundorum spirituum, sit receptaculum, quies, pastus.

Non miror jam Apostolum ad Eph. 5. avaritiam servitutem nominasse idolorum: ut enim hunc locum interpretatur S. Thomas 2. 2. Q. 118. art. 5. ad 4. in hoc est par avarus idololatræ, quòd sicut hic rei vili se subijcit, colendo eam, serpentem v. c. statuam è lapide, aut ferro fabricatam, aut quid simile, cui assistit seductor cæcorum dæmon: ita avarus abiectis rebus se subijcit non quidem ut eas colat, sed ut servus, & mancipium sit illarum, ad nutum rectoris mundi, seductis à se imperantis. 40.

Neque omittendum hîc est, quod diximus hoc cap. Sect. 2. num. 23. avaritiam esse etiam in modicis, si illis congerendis, & accipiendis studeatur, nullâ aut levi necessitate: ex quo hîc inferendum est, non eos tantùm, qui in magnis parci, tenaces, avidiq; sunt ulcerosos esse, sordidos, ac muscarum infernalium illecebram: verumetiam eos, qui in vilibus tales deprehenduntur ab eodem morbo, non esse immunes. Quapropter videant illi, qui amore Christi magna vel re, vel spe relinqvunt, ne in parvis, aut veriùs nugis hinc inde corrasis, vix sibi ad aliquos usus commodis avari esse convincantur. Quod si aliqua in commo- 41.

 dum

dum multorum petant, nec nimis importunæ debent esse preces, ne fastidium pariant, & vera supponenda est indigentia, ut supra hoc cap. Sect. 2. num. 23. dixi. Quæ vero pro privato collecta sunt, neque usui crebro serviunt, communitati reddenda, hæc enim cum multos foveat, multis pro multis eget.

42. Atque ut ad id ab initio assuescant asceticæ vitæ sectatores, moris est in nonnullis ordinibus ludicra quædam S. paupertatis præmittere, velut quasdam athletarum luctas, jubentur enim tirones, omnia quæ ad usum habent in commune conferre, ut inde accipiant non quod cuique placet, sed quod à moderatore datum fuerit. Id verò faciunt retinendo piam consuetudinem, quam Apostoli, principio ferventis Ecclesiæ, fidelibus commendarunt, ut ij ad pedes illorum sua deponerent, quemadmodum legimus Act. cap. 4. & 5. Hoc modo discunt Christi Athletæ, quales debeant esse totâ vitâ, ut & paucis contenti sint, & ijs quæ sponte offeruntur, non quę precario, præsertim importunè corrogant.

43. Quæ huc usque diximus serviunt avaritię in se spectatæ, quam venialem esse supra cum S. Thoma & communi Theologorum sensu asseruimus. Verùm si ea considerentur, quæ ex avaritia nasci solent, aut ad quę illa impellit, crebro letifera, atque enormia esse possunt. Et certè si in se est tam sordidum, & scabiosum hoc genus vitij, quid erit si associet sibi alia tanquam spiritus septem nequiores se? ut est Matth. 12. Omnes hucusq; doctores Ecclesiæ tenuêre avaritiam unum esse, è septem capitalibus peccatis, idq; ideo ut testatur S. Thomas 2. 2. Q. 118. art. 7. quia cùm capitale vitium illud dicatur, ex quo alia velut è fonte scaturiunt, secundum rationem finis, hoc est ad finem illius tanquam media assumuntur, ita quidem, ut quantò finis magis est appetibilis, tantò plura adhibeantur ad eum consequendum: cùm inquam hoc sit vitium capitale, sequitur ut avaritia sit omnino talis, siquidem multis utitur, ad consequendum id quod optat malis.

44. Nam scopus ad quem illa collimat, sunt opes, & pecuniæ, in quibus ratio apparens, est felicitas, plerumq; enim homines, eos fælices, sibique sufficientes existimant, qui affluunt bonis. Hinc est ut plurimi, & innumeri prorsus, quâ possunt viâ ditari cupiant, atque non contenti auxilijs honestis, ad inhonesta se conferunt, totque adhibent, quot insanabilis avaritię cupiditas reperire potest, & tanquam capitale vitium, alia de cerebro suo promere.

45. Multa hęc vitia sunt, quę refert Aristoteles 4. Ethicorum cap. 1. S. Gre-

S. Gregorius 31. Moral. cap. 31. S. Thomas 2. 2. Q. 118. art. 8. plura etiam cogitanti occurrunt: ego in tres ea referam classes. Etenim sunt quædam quæ in ipsum committuntur Deum, alia in proximum, tandem sunt quæ in avaro manent. A primis inchoando, quot ab avaris periuria committuntur, ut vel obtineant quod prætendunt alienum, vel malè possessum teneant? An non eò impietatis alij veniunt, ut dæmonis operam invocent, ad inveniendos thesauros? Sunt qui ex hac vita decessuri, eorum, quæ dum uiuerent, magno suo labore & sudore congregarunt, ipsum hæredem instituunt, illi defossos in terra consecrant nummos. Omitto neglectum cultus, & obsequij divini familiarem ijs, qui telonijs, mercatura, & id genus quæstuosis, ultra quam par est, distenti negotijs queruntur sibi deesse tempus, ad adeundum templum, divinaq; in illo peragenda. Illos nonne avaritia dementavit? qui ne cogantur restituere aliena, differunt converti ad Deum, aut certè nunquam convertuntur, sive ab hæresi ad fidem, sive à fæneratione atque usuris ad justitiam? quippe norunt, nemini in Ecclesia veniam peccatorum dari, qui aliena tenet, immemor Catholici dicti à Sancto Augustino prolati: *Non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum*, Tomo 2. Epist. 53.

Hæc, & fortè plura parit contra Deum peccata capitalis avaritia, ego quæ crebriora sunt recensui. Jam contra proximum non pauciora erunt, tamque fæda, quàm possunt in illum patrari. Nunquid levis est fraus, dolus, mendacia perniciosa, falsa testimonia, nequitia illa, de qua supra cap. 6. Sect. 10. usurarum? his velut asseclis stipatus avarus, facilè, occupat aut retinet aliena. Adsunt & rapinæ, furtaq;, quando alia non suppetit ad opes industria. Non verentur avari infames esse, proditores amicorum, & mæcenatum, dummodo ipsi ditentur: an non talis Judas infamis Christi proditor, cui similes sunt omnes proditores civitatum & rerum publicarum? Quàm turpe meretricari? quàm crudele agere latronem? utrumque fit turpis quæstus gratiâ, illud à lenonibus, hoc à grassatoribus. Illud verò quantum, quod quasi proprium est, avaritiæ, *claudere*, videlicet ut scribit Apostolus, 1. Joan. 3. *Viscera sua fratri necessitatem habenti*, itaque illa obdurare, ut ne morienti, aut in extremis constituto, subvenire velit: certè sic indurescere, est charitatis sensu privari & veluti ex corde in lapidem verti. Neque satis isti habent non misereri egentis, tantâ insuper habendi æstuant cupiditate, ut illum spolient eo quod habet. 46.

Pro-

47. Proprium dixi hoc eſſe avaritię, quia enim ardent opes, ſua ſemper conſpicere volunt intacta, aliena cæci rapiunt, non attendentes pauperum, an divitum ſint? Verùm is, in cuius ſunt egeni tutela, perſtringet oculos, ut non videant quæ antea intueri ſemper cupiebant, videantq; id quod nolebant videre, perſtringet & cor ut velint quòd nolebant, ſed nullo ſuo bono, ſic enim Proverb. 22. loquitur: *Non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt, neque conteras egenum in porta, quia judicabit cauſam eius Dominus, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Configunt avari animam egentis jaculis immanitatis, & crudelitatis, configetur viciſſim illorum mens, ut deſtituti opibus, nunquam eas conſpiciant apud ſe retentas, illud verò clarè videant, quam ſtultè egerint, quod pro vili re proximo negata aut erepta, pretioſas in æternum perdiderint animas. Atque ut ſciant, quàm ſit utrumq; hoc acre, & acerbum futurum, in eodem Proverb. lib. cap. 23. ſic legitur: *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas, propinquus enim illorum fortis eſt, & ipſe judicabit contra te cauſam illorum.* Tria Salomon tutori pupillorum Deo tribuit, quòd ſit eorum propinqvus, quod fortis, quod judex Si propinqvus, quis ut ille zelabit pro afflictis contra avaros. Si fortis, quis duriùs illo feriet? Si judex, an eo juſtior ullus?

48. Plura quæ in proximum committit avaritia non refero ob brevitatem: pro epiphonemate futuræ avarorum calamitatis, libet hîc verba Apoſtoli Jacobi in eius Ep. cap. 5. ſcripta proponere, quibus deplorat miſeros: *Agite nunc divites*, loquitur ille, *plorate ululantes in miſeriis veſtris quæ advenient vobis: divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt: aurum, & argentum veſtrum æruginavit & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus: ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit. Epulati eſtis ſuper terram, & luxuriis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis, addixiſtis, & occidiſtis juſtum & non reſtitit vobis.* Hæc ille quæ legant nunc avari, & nunc meminerint ad ſalutem, ſi nolint olim ad tormenta meminiſſe.

49. In tertia claſſe malorum, ad quæ avaritia inducit, ſunt illa quæ avari in ſe admittunt, pauciora ea quidem, quàm quæ in proximum fiant, neque enim à ſe ſed ab alijs rapiunt, non levia tamen etiam hæc. Num bene dixeris ita eſſe in limo ſordidæ avaritiæ infixum, ut quemadmodum teſtatur Spiritus Sanctus Proverb. 20. *Impius cum in profundum venerit*

nerit contemnat. Famam scilicet, suam, vitamq; prostituendo, conscientiam, damnationemq; nihili ducendo, ita demum vesano amori pecuniæ implicando se, ut nulli, ne quidem sibi nummos utiles facere velit, qui avarus est, sed eos recondere: non promendos quacunq; necessitate utendi emergente, aut jubente lege.

Hæc & si quæ sunt alia, avaritiæ militant, nempe capitali vitio, cui ne nos mereamus, à Deo edocti Proverb. 30. ipsum ita, neque semel compellemus: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus, furer, & periurem nomen Dei mei?* 50.

Sit jam satis dictum de avaritia, & opposita illi liberalitate, atque adeo de justitia, omnibusq; virtutibus acquisitis, in quibus moralis vitæ humanæ continetur honestas. Agendum hîc esset, quantùm justitia confert ad salutem, ut de temperantia, fortitudine, ac prudentia, dictum est: quia tamen id in singulis justitiæ partibus est tractatum, hîc non repetendum.

CAPUT. XXV.

Quæ, & quot sunt obstacula virtutum, & quæ remedia contra illa.

Cùm virtutes, ad quatuor cardinales relatæ, ideo acquisitæ dicantur, quia studio, & labore cuiusq; comparandæ sunt, peracta singularum explanatione, ad integram, plenamq; de ijs doctrinam, unum restare videtur, ut de modo agatur adipiscendi illas. Nam quid ad honestè vivendum facit, nosse virtutes, nec tamen eas, aut acquirere, aut nosse acquirere? nisi illud quis velit, quo Dominus Luc. 12. terret: *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis.* Voluntatem Dei, & Domini nostri esse, ut prædictis virtutibus instructi vitam hanc decurramus ita, ut est declaratum per Apostolum ad Titum 2. *Sobriè, & justè, vivamus in hoc sæculo:* in sobrietate includuntur virtutes, quæ nos concernunt, temperantia, scilicet, & fortitudo, in justitia eæ, quæ alios spectant, prudentia est in singulis earum. Ergo ut ij, qui domini cuiusquam obsequijs se mancipant, aut scire, aut discere debent voluntatem eius, obsequendiq; rationem, ita hominum singuli,

guli, naturæ conditione servi Domini Creatoris sui, cognita ipsius voluntate, parendi illi viam ac rationem teneant oportet, neq; tenere possunt, nisi sciant, deniq; non scient, nisi, ut cætera, quæ usu conquiruntur, discant.

1. Quoniam verò virtus, ac honestas, qua de agimus, sit res quædam, perfectioq; creata, quemadmodum omnes aliæ res habent ea, quæ secum pugnant (Deo solo excepto, cui, ut testatur David Psal. 75. *Quis est qui resistat*) qualia sunt negatio, privatio, contrarietas, & similia, ita & illa nacta est quædam obstacula, quæ nisi removeantur, aut non erit, aut non ita perfecta, aut ubi fuerit, mox desinet esse. Modum igitur honestatis consequendæ proposituri, primò de ijs agamus, quæ illi obstant, ut hoste sublato, securam, & tranquillam in anima sedem virtus sibi locet.

Sectio I.

Quæ sint obstacula virtutum moralium, quæ impediunt ne illæ in animam inducantur.

2. QVæ virtuti morali repugnant, in duo genera aptè dividi possunt, quædam impediunt eam ne fit, cùm ante non fuerit, alia non tantùm impediunt ne sit, verùm etiam tollunt, postquam esse cœpit. Ad hæc illa quæ impediunt, jam extrinseca dici possunt, jam intra hominem latentia, de quibus hac Sect. agendum. Igitur prioris generis sunt inprimis res, & bona creata extrinseca homini, quę quonam pacto prohibent virtutem, indicat divina sapientia Sap. 14. ita loquens: *Creaturæ Dei in odium factæ sunt & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

3. Tria creaturis hîc tribuuntur, odium, tentatio, muscipula: non merentur certè creaturæ odium, sed amorem, cùm ut legimus Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona*, bonum autem amore est dignum non odio. Eædem creaturæ non debent esse tentatio homini ad aliquam eorum deceptionem, aut perniciem, sed adminicula ad veram, eamq; necessariam Creatoris Dei notitiam comparandam, sic enim scribit Paulus ad Rom. 1. *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur:* sempiterna quoq; eius virtus, & divinitas,

nitas, ita ut nōn sint excusabiles. Postremò bona præfata, & adminicula non debent muscipulæ esse pedibus hominum, id est cordi, atq; affectibus (pedibus enim non raro in sacra scriptura affectus indicantur) sed expedita quædam via ducens ad Deum, supremum bonum, puro, sinceroq; amore prosequendum, & ad serviendum ei. Hâc viâ lętus currebat David, illud cantans Psal. 91. *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo, quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Ita David per creaturas expeditus ad Deum properabat.

Jam cùm creaturę amabiles & adeo utiles sint homini, à quonam factæ sunt in odium, tentationem, & muscipulam? ab insipientibus, inquit, sapientia, *Vir enim insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc* inquit, ex eadem sapientia David citato nunc Psalmo. Qua autem ratione ad eam veniat insipientiam homo, ut per creaturas pereat, declaratur eodem Sap loco, in odio, tentatione, & muscipula unius peccati idololatriæ. *Acerbo*, inquit sapiens, *luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus erat, nunc tanquam Deum colere cæpit.* Imago est creatura bona & utilis ad memoriam absentis excitandam, verùm ab illo patre effecta est mala, nempe idolum detestabile privans Deum vero cultu, facta item est tentatio, ut conspecta, ad idololatriam provocaret. Denique & in muscipulam conversa est, ut vice cultus & religionis Deo debitæ, sit in affectu hominum vitium fædæ idololatriæ in perniciem eius; tantum enim sui contemptum Deus æterna puniet morte. 4.

Horum omnium causa est insipientia, quæ non ita creaturas, ut conditę sunt, neq; ad eum, ad quem sunt conditę finem, cordi, & affectui humano proponendo, vertit eas in odium, tentationem, & laqueum. Quod in una idololatria, eiusque origine, occasione imaginis (unius è creaturis) fieri videmus, idem de omnibus alijs dicendum peccatis: ita enim intemperantia, libidine carnis illaqueatur, ebrietas potu, cędes vindictâ, furta, rapinę opibus, ita omnia prorsus facinora, creaturis, duce stultitiâ abutendo, mundum deturpant, ut cap. illo 14. descripsit latè sapientia divina: *Neq; vitam*, inquit, *neq; nuptias mundas jam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat, & omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & perjurium, tumultus, bonorum Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia inordinatio* 5.

 mœchia,

mœchiæ, & impudicitiæ. Hucusque sapientia de insipientia, hæc verò unde sit, mox ostendetur.

6. Jam alterum, quod impedit virtutem (etiam inter extrinseca computandum) est id, quod primò illâ privatum est, neq; unquam eam recuperare potest, dæmon, scilicet, cui vitijs, sceleribusq; fœdato, ac propter hæc jam miserrimo gaudium est, (si tamen aliquod in gehennæ flammis cogitari potest) socios habere, quâ criminum, quâ deinde pœnarum. Quantùm virtuti adversetur dęmon, & quot de illa obtinet victorias, latiùs explicatum est hac parte cap 2. à num. 33. neque est opus longiùs in hoc immorari, cùm constet eum hoc unum die, nocteq; agere, ut nobis præcludat viam ad omne, & virtutis, & fælicitatis bonum.

7. Qua autem id præstet ratione, explicat S. Thomas 1. 2. Q. 80. art. 1. & 2. ponitq; duos modos, quibus dęmon inducit in peccata. Nam cùm homo in mortali quidem vita nihil agat intellectu, ac voluntate, nisi à phantasia, sensibusq; moveatur, sequitur ut dęmon nihil quoq; in intellectu, & voluntate nostra efficere possit, nisi per sensus, per hos ergo decipit incautos, proponendo quędam obiecta, id quod ut ex philosophia constat variè efficit, jam in externis, jam in internis sensibus, in his species componendo ordinandoq;, in illis sensibilia colorum, sonorum & similium offerendo. Adhæc idem præstat alterando corpus caloris, frigoris, cæterarumq; qualitatum perturbatione, & commotione, qua efficitur ut etiam sensus moveantur, quod dum in sensibus efficit, rapit appetitumad id, ad quod inducit sensibilium jucunditate, quâ deinde obnubilat intellectum ne recte judicet, & tandem unâ cum voluntate, illecta consentiat in peccatum. Atq; ita non pręcipiendo, aut cogendo, sed suadendo, est auctor dęmon eorum duntaxat peccatorum (neq; enim ad omnia ipse inducit, cùm multa nostro placito fiant) ad quæ præfatis utitur artibus.

8. Post allata duo extrinseca honestatis obstacula, quę illam impediunt, seqvuntur interna, duo item, quorum unum est natura in nobis corrupta, quàm S. Augustinus Tomo 7. lib. 1. cap. 10. & 11. de correptione & gratia, & alibi sæpe nominat *massam perditionis*. S. quoque Thomas 1. 2. Q. 82. art. 3. ex eodem S. Augustino vocat, *reatum originalis peccati, fomitemq; concupiscentiæ*.

9. Cæterùm quocunque nomine hoc malum appelletur in tribus situm esse ijdem cum omnibus Theologis docent: primò in privatione justitiæ,

stitiæ, sanctitatisq; originalis, id est, per originem, caputq; hominum Adam, posteris (nisi ille peccasset) communicandæ. Cum justitia originali, amissa sunt dona, & amplissimæ gratiæ, quæ,& exornabant, & adjuvabant potentias hominis, intellectum, voluntatem, & alias. Secundò situm est idem malum, in apprehensione recti minùs perfecta, ob absentiam illorum donorum. Tertiò in appetitione honesti minùs firma, & sana ob eandem causam. Huic tanto malo obnoxij sumus in pœnam prævaricationis Adæ: atque ita nascimur privati justitia originali, quo fit, ut obscura, & in multis cæca sit honesti apprehensio, appetitioq; debilis, hinc deinde ulteriùs sequitur, ut magna, & difficilia honesta ignoremus, neq; ad illa conscendere possimus, ad parva, & levia utcunq; apti. Ante peccatum Adæ mens divinitus adiuta, præibat cum sensu, sequebatur voluntas cum appetitu, jam in pœnam illius peccati factum est, ut ubi potentiæ cognoscentes, honestum obscurè perceperint, langueat ad idem appetitus, voluntasq; : si verò quid inhonestum fuerit apprehensum, mox (per naturalem sympathiam, & subiectionem) excitetur vis appetendi, rapiatq; secum intellectum, ac voluntatem ipsa in præceps ruendo, nec cohibetur ab ijs, nimirum privatis auxilio jam dicto. Atque hoc est unum ex internis virtutum moralium obstaculis, naturæ videlicet corruptio, quæ facit ut ne quidem possimus rectè, honesteq; agere, nisi adiuvemur: à quo autem, & quomodo juvamur, infra dicetur. Sectione 3.

Alterum virtutum etiam internum impedimentum est, liberi arbitrij creati fragilitas, ut docet S. Augustinus Tom. 7. lib. unode correp. & gratia cap. 10. & cum eo omnes Theologi asserentes quamvis rem creatam liberam, esse de se labilem, pronamq; ad peccandum. Cuius inter alias hæc ratio esse potest, nam cum vis intelligendi, & volendi sit tantæ excellentiæ, ut illa quidvis cognoscere, hęc quidvis cognitum expetere possit, unde illius obiectum est omne ens, & verum, huius omne bonum: tam intellectus, quàm voluntas nequit ultimò quiescere, nisi in eo, in quo est omne ens, verumq; infinitè intellectui conforme, ac bonum, voluntati infinitè etiam conveniens, qualis est solus Deus. 10.

Porro Deus Moysi inquirenti hoc tantum verum, ac bonum, ita respondit Exod. 33. *Ego ostendam tibi omne bonum*, & eidem Moysi ibidem de hoc tanto bono nempe de se ita testatus est Deus: *Non poteris videre faciem meam:* Christus etiam Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam*, ex quo cognoscimus Deum viribus proprijs à nullo videri posse. Ac 11.

 quod

quod non possit videri, rationem affert S. Thomas par. 1. Q. 11. art. 4. in corp. sumptam ex natura facultatis cognoscendi: quævis enim accommodat se, ut aiunt Philosophi, essendi modo eius cuius est. Nam si hic materia sensibili constat, materiali modo, & sensibili cognoscit, ut homo per sensibilia phantasmata, sensibili modo, ac ratione quęvis etiam insensibilia percipit v. c. Angelum, quasi esset corporeus iuvenis, Deum, quasi esset persona quæpiam maturæ ætatis. Si cognoscens materia quidem caret, (ut quivis purus spiritus creatus) habeat tamen in se, ut dicunt Theologi potentiam ad non esse, & ad nihilum, quia etiam ex nihilo est factus: talis quoq; spiritus non videt clarè, nisi sibi conforme, nempe id quod habet illam potentiam ad non esse. Cæterùm Deus est purus actus prout de se Exod. 3. testatur: *Ego sum, qui sum*, cuius, scilicet, essentia est esse, nec posse non esse: quare Deus à nullo intelligente creato videri clarè potest, nisi ad id peculiari ipsius lumine elevetur.

12. Hinc verò est, ut quęvis creatura intelligens, naturâ suâ sit labilis: cùm enim non reperiat id quod intellectu, ac voluntate quęrit, & in quo satiata quiescat: Vbi sibi simile, vel par, & conforme repererit, illecta ab eo, & quasi oblita maioris, aut non considerans illud, denique tędio in inquirendo affecta, quiescit in inferiori, neglecto superiore. Quod quia contra rectam agit rationem, ordinatumq; appetitum, peccat, & quia huius inordinationis prima, & potissima causa est, apprehensio, non recta (vis enim intelligendi primum obtinet locum inter facultates cuiusq; intelligentis rei) hinc est, quòd, ut supra vidimus num. 5. omnia peccata insipientię tribuit Deus, sive hęc insipientia, sit in natura corrupta, vt est nunc in nobis, siue in integra, ac sana (in puris tamen, ut dicunt Theologi, naturalibus spectata) carente donis supernaturalibus, sive in ornata donis huiusmodi, qualis erat in primis parentibus nostris ante peccatum, & in Angelis ante lapsum.

13. Omnes hi suapte natura proni sunt ad peccandum, & nos quidem ad fragilitatem, adiunctam habemus corruptionem, qua labimur, reliqui sine corruptione, sola fragilitate possunt labi, & de facto sunt lapsi Angeli in cœlo, parentes nostri in paradiso. Hæc sunt quatuor virtutum obstacula, quæ illas impediunt ne sint, res, scilicet, creatæ, dęmon, natura corrupta, & fragilitas naturæ intellectualis. Prima duo externa dixi, reliqua interna, nam res creata deforis invitant ad peccandum tanquam

quam occasio, dæmon etiam extrinsecus advenit, velut suasor, corruptio, & fragilitas, ut proxima & nobis insita labendi causa.

Sectio. II.

Quæ sint virtutum moralium acquisitarum obstacula tollentia illas jam existentes.

QVatuor explicata obstacula obsunt virtuti ne sit, seqvuntur illa quæ jam existentem corrumpunt. Porro duo modi à Philosophis assignantur, quibus unum tollit alterum, negatio, seu privatio, & contrarietas: negatio cùm nihil sit, (est enim, ut ijdem loqvuntur rei non esse) non tollit pugnando propriè id, cuius est negatio, sed potiùs sequitur illius corruptionem. Vbi enim in homine separata fuerit anima à corpore, sequitur eius negatio, ut dicatur, non esse anima in corpore. Contrarietas est vera, & in re oppositio, pugnaq; mutua, qualem experimur in calore, & frigore, humore & siccitate, calor enim tollit frigus, & e contra. Atque talis contrarietas est quoq; inter virtutem moralem acquisitam, & inter vitium cuiq; oppositum: quæ autem sint hæc vitia, explicuimus de singulis agendo virtutibus, nunc afferenda est ratio pugnæ. 14.

Ad quam intelligendam duo sunt supponenda, unum ex naturali, alterum ex morali Philosophia. Naturalis docet ad pugnam contrariorum, duas concurrere causas, efficientem, videlicet, & formalem: efficiens producit id quod adversatur oppositæ formæ, formalis se ipsa tollit eam, cum qua non potest simul in eodem subiecto se compati, & quâ est in aliquo gradu perfectionis superior. Exempli gratia, vis calefaciens ignis producit calorem in parte aquæ sibi superfusæ, è contra vis frigefaciens aquæ in eadem parte inducit frigus; & si nihil esset frigoris in illa aqua, ignis totum calorem quem intensissimum, (quemadmodum Philosophi dicunt ut octo) potest produceret; quia verò resistit frigus in aqua, tantus calor in ea producitur, quantum ignis pugnando cum ea, & vincendo eandem potest efficere. 15.

Ad eum planè modum facultates hominis, intellectus, voluntas, appetitusq; agunt, ut vel virtutem, vel vitium in animam inducant: atque si honesta est harum facultatum operatio, virtutis habitus tanquam termi- 16.

terminus actionis relinquitur, si inhonesta, generatur vitium. Et ab initio quidem operationis humanæ deliberatæ, qualis est tum, cùm primùm ratio viget (sive id fit in septennio, sive alia maturiore ætate) à tali, inquam initio, cùm nullus habitus virtutis, vel vitij supponatur (neque enim nascimur cum virtutibus, aut vitijs, sed hæc temporis successu, acquirimus) in eo gradu virtus, aut vitium producitur, ad quem liberè contendit facultas producens, siquidem nullum præsupponitur contrarium, quod productioni renitatur, sed in eo tunc statu est posita anima, in quo supra diximus ab igne, si non supponeretur in aqua resistens frigus, intensissimum productum iri calorem, ageret enim ignis tota virtute.

17. In quo differt agentis liberi modus, ab alijs naturalibus agentibus, hæc enim quia libertate carent, necessitate naturæ, totaque vi agunt, & producunt statim id quod possunt: cæterùm anima libera, quemadmodum potest, si vult abstinere ab operando, ita & conatum eum adhibere, qui illi placuerit. Ergo prima bona, vel mala operatio, primusque habitus non erit summus gradu, ac perfectione, nisi summo nisu operari placeat animæ.

18. Est & alia differentia in modo operandi liberi, & naturalis agentis: nam hoc ubi produxerit totam qualitatem quam potest, v. c. ignis calorem ut 8. non ampliùs operatur, aut enim ultra octavum gradum intenderet calorem, aut secundum calorem, ut octo efficeret: quorum neutrum conceditur in Philosophia. Non primum, quia agens ultra suas vires ageret, produceret enim v. c. ignis calidus ut octo calorem ut 9. non secundum, quia darentur duæ formæ in uno subiecto solo numero distinctæ, duo, scilicet, calores ut 8. quod natura tanquam superfluum non admittit, cum una forma dat tantùm, quantùm subiecto est necesse. Aliud dicendum de vitali, & libera animæ operatione, quæ licet summo conatu operando, in pari sibi, hoc est summa perfectione produceret habitum, adhuc potest, quoties vult iterum operari, ex eo videlicet, quia agenti libero nunquam adimitur agendi potestas.

19. Accedit huc, quòd eius operatio, non à subiecto solo cui inhæret, conservatur, materiali, ut dicunt Philosophi, causalitate, sive per sustentationem, sed & ab ipso agente, quod vitali motu in se agendo, perinde influit in conservandam suam operationem, ac sol conservat suo influxu radios. Quare talis operatio ne sit in sua efficacitate otiosa, vel augebit summum jam præsuppositum habitum, vel novum alium producet;

ducet: quorum quid sit verius, ad Philosophos naturales remitto: nostro proposito satis est declarasse, semper nos, & posse bene, vel malè operari, & debere operari, bonisq; ac semper perfectioribus aut pluribus animam imbuere habitibus. Ex hac libera operandi ratione & illud constare debet, ut augeri virtus possit (modò non supponatur contrarium) quocunq; actu, sive æquali habitui, sive minori, sive maiori. Nam quicunq; actus productus, non debet esse otiosus, itaque priorem augebit habitum. Neque hîc locum habet ex Philosophia: Simile non agit in simile, aut minus in maius. Id enim verum est in naturalibus & materialibus, necessarioq; agentibus non liberis causis. Plura de augmento quarumcunq; virtutum dicentur Lib. 2. cap. 18. Sect. 9.

Illud quoque postremò annotandum de pugna inter virtutem & vitium, in eo eventu quando unum alteri præsupponitur, nam hoc in statu ita se in anima res habet, itaque peragitur pugna inter vitiosas, & honestas qualitates, ut inter quævis alia naturalia contraria. Quemadmodum enim calor v. c. & frigus tamdiu inter se pugnant, quoad unum prævaleat alteri, & uno victo, ac corrupto alterum inducatur: sic virtus, exempli gratia, castitas, tamdiu impugnat luxuriæ vitium, donec illud expugnet, vel ab illo expugnetur. Et sicut ante completam victoriam inter calorem & frigus, utrumque compatitur se in remisso gradu (unde si calor fuerit ut 4 frigus etiam erit ut quatuor, vel in alia quapiam combinatione, quod tamdiu est quoad alterum ab altero per pugnam inter agentia prorsus tollatur) ita castitas quoque, & luxuria possunt societatem secum inire in gradibus remissis, quo ad unum ex his alterum vincat per pugnam, ope & conatu animæ operantis, & vel castitati, vel luxuriæ plùs faventis. Hæc est tota ratio pugnæ inter virtutem & vitium, quod obstat illi se ipso, eam physice tollendo, id quod ex Philosophia naturali deduximus. 20.

Cæterùm unde fit, & in quo consistat contrarietas inter eadem duo quam consequitur explicata pugna, ex philosophia morali petendum est, quod me supra num. 15. ostensurum promisi hoc in cap. Docent ergo morum institutores Aristoteles 3. Ethicorum cap. 1. S. Thomas 1. 2. Q. 7. art. 1. 3. 4. & alij, tria ad virtutem moralem, & vitium ei oppositum concurrere, obiectum, finem, & circumstantias. Nomine obiecti, intelligunt materiam cuiusq; propriam, ut sobrietatis v. c. materia est, potus, per finem, significant primò internam rationem formalem, sub qua materia quæpiam tractatur, ut in exemplo dato sobrieta- 21.

tis, potus sumi debet juxta exigentiam naturæ. Secundò finis nomine significatur extranea aliqua ratio formalis, seu alius finis, ad quem internus cum sua materia dirigitur, velut si sobrius actus dirigatur ad pœnitentiam pro delictis faciendam. Tandem nomine circumstantiarum volunt ea intelligi, quæ ad neutrum duorum finium jam explicatorum referuntur tanquam fines, sed annectuntur fini, & simul cum illo in societate ponuntur, à voluntate, scilicet, atq; appetitu, qui & finem appetit, & alia ipsi adiuncta, ut locum, tempus, similiaque. Omnia hæc tria, illo versiculo comprehenduntur, quem refert S. Thomas supra art. 3. *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Quid, obiectum denotat, cur, finem tam internum, quàm externum, reliqua circumstantias.

22. Porro dicta jam tria appellantur interdum circumstantiæ actus humani, cuius appellationis affert originem S. Thomas 1. 2. Q. 7. art. 1. in corpore: ut enim locus distinctus quidem est ab eo quod intra se comprehendit, & extrinsecus illi, omnino tamen exigitur ad positionem ipsius in certo mundi situ: & propterea dicitur circumstare id, quod intra se continet: ita illa tria, sunt quidem distincta, & extrinseca actui humano, nempe intellectioni, & appetitioni, quia tamen exiguntur omnino ad ipsius positionem in anima (intelligimus enim obiecta, virtutum, ac vitiorum, appetimus fines, & quidem hic vel ibi, hoc vel illo tempore, & sic de aliis circumstantiis) ideo dicuntur circumstare actus humanos.

23. Cæterùm inter omnes has circumstantias, principalis est internus finis, & materia, primariam enim speciem, ac formam dat actui humano: reliquæ autem, vel non conferunt speciem, sed individualem aliquam addunt rationem, vel aliam novam supervenientem afferunt speciem. Quapropter distinctiùs de his agendo Philosophi in tria partiuntur, in obiectum videlicet, & finem, tanquam primaria, & in circumstantias tanquam secundaria. Ita Sacerdos Eccl. Catho. vel religiosus abstinens à prohibita carnis voluptate, ex obiecto proprio, fineq; primario, castus est, ex circumstantia autem personæ, quæ abstinet, aut fine externo est voti religiosi observans, aliaque distinctâ specie ornatur virtute. Rursus ex modo, quia abstinet cavendo à dicta voluptate intensa cum diligentia, est fervens castitatis, & voti executor, id quod addit duplici illi virtuti individuam quandam perfectionem, & ita de alijs circumstantijs discurrendum.

Jam

Jam quæ consideratio omnium circumstantiarum debeat esse in quavis virtute, vel vitio, & qua ratione pro earum mutatione jam virtus vertatur in vitium, jam hoc in illam, explicatum est huius libri parte priore cap. 15. Sect. 1. in abstinentiæ virtute, & quod de hac, ac opposito vitio est dictum, idem reliquis virtutibus applicandum. Atque ex dictis ibi, & hîc etiam jam præmissis, facilè contrarietas inter virtutem, & vitium intelligi potest. Nam si in eadem materia sint duæ operationes, quæ vel in fine, vel in circumstantia quapiam sibi repugnant, ex una quidem parte prudentiâ rectè præscribente, ac præcipiente appetitui, ex alia autem eâdem deficiente in præscribendo, & in imperando, jam in hoc ipso erit contrarietas honesti, & inhonesti, in quod ex imperio rationis fertur appetitus. 24.

Exemplo id clarius reddetur, ponamus rationem prudenter præscribere usum cibi, eo fine, ut natura sustentetur, & quidem loco competenti, decenti etiam modo; si quis ita vescatur, temperans erit. Quòd si aliter suadeat deficiens ratio, sumaturq; cibus cum gravi repletioue, & eo fine, ut repletus despumet luxuriosas confusiones, quemadmodum scribit S. Judas in sua Catholica, vel certè in loco prohibito, quale est templum, aut avidè, & indecenter: talis cibi sumptio erit contraria virtuti abstinentiæ, ac proinde vitiosa, ob aliquot malas assumptas circumstantias. Primò ob finem proximum, & internum, quia est sumptio cibi, non ut natura sublevetur, sed ut satietate nimia expleatur. Secundò ob circumstantiam loci prohibiti, tertiò nimiam aviditatem: simul etiam erit, & luxuria opposita castitati, ex extrinseco fine, ad quem ordinatur cibus, ut sequatur luxuriosa confusio. Et cùm malum ut, inquiunt Ethici, ex quolibet sit defectu, vel una circumstantiâ (quantumvis parvâ) adhibitâ malâ, tota tolletur virtus. Ergo ad intemperantiam cibi, satis est, vel avidè comedisse, etsi omnes aliæ rectę adsint circumstantiæ, neq; intemperantiæ sic inductus habitus delebitur ex anima comestione cum omnibus alijs bonis circumstantijs, nisi addatur etiam hæc una comprimens aviditatem, quòd si hæc defuerit intemperantiæ actus admittetur, & ex illo consequens vitium manebit in anima, quod non potest nisi per novum alium actum abstinentiæ cum dicta circumstantia & per habitum ex eo consequentem tolli. Ita de reliquis judicandum in hac virtutis, & vitij contrarietate. 25.

Sectio III.

Quæ sint remedia contra enumerata virtutum obstacula?

SAnctus Thom. 1. 2. Q. 66. art. 1. in corpore tractando de augmento virtutum quatuor ponit earum adminicula, dispositionem naturę, perspicacius judicium, consuetudinem, & gratiæ divinæ donum, quæ omnia videntur mihi non ad augmentum tantum, verùm ad ipsam quoque virtutis introductionem conferre, ita quidem ut sint velut remedia contra jam explicata obstacula eius. Primò ergo inclinatio apta naturæ, multùm facit, ut creata bona non alliciant ad se cum dispendio virtutis. Fratres erant Esau, & Jacob, diversę tamen propensionis, prior gulosus, & vorax, non item alter: secutum tandem ut ille vendiderit etiam cum iuramento jus primogeniti, Gen. 25. & quidem ut illic narratur pro vili cibo. Ita innumeri perdunt jus æternæ hæreditatis, propterea quòd abutantur bonis creatis, ad morem gerendum suo genio, ac propensioni. Hoc naturæ donum tanquam magnum beneficium prædicat Salomon Sap. 8. *Puer*, inquit, *eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, & cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Idem quisq; facere debet, qui in se advertit aliquid boni, veluti scintillam, propensionem dico ad virtutes, ad humanitatem, misericordiam, liberalitatem, magnificentiam, concordiam & ad alias. Neq; satis est adscribere hęc beneficia Auctori naturæ Deo, nisi testetur quis gratum se illi esse sequendo bonas inclinationes. Qua in re defuit sibi Salomon, etsi enim ad omnia bona natus factusq; erat Dei munere, non semper tamen debitè veneratus est tantum benefactorem, eiq; obsecutus. Jam qui contrarios virtuti experitur in se impetus, quid ei agendum sit mox dicetur.

27. Alterū ponit S. Thomas pro virtute remediū, judiciū perspicax, quod contra secundum virtutis obstaculum, scilicet, contra dæmonis astus, ac fallacias apprime conducit. Vaferrimis utitur orci veterator artibus, nec iisdem semper, sed cuiq; decipiendo accommodatis, cęterùm qui perspicaces habet iudicij oculos, facilè eas eludet. Vt enim Proverb. 1. legimus: *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Quis non miretur sagas, ac veneficos diabolo se mancipare, à quo etiam in hac vita adeo fædè, & immaniter tractantur, & ut, plurimùm deprehensi igni devo-

ventur? nimirum isti vilia inter homines lucri mancipia, destituti judicio non difficulter decipi se sinunt, ita ut jam dixi crassè, & fædè. His similes dicendi, quicunq; ut aliquid prosperi consequantur, dæmones invocant, eos familiares habent, infensissimo hominum hosti, tanquam amico se suaq; credunt. His etiam qui ita carent judicij claritate, quid sit faciendum, infra ostendetur. Tertium honesti obstaculum posuimus vitium, contra hoc remedium S. Thomas dat, bonam consvetudinem, seu habitum virtutis, qui qua ratione acquirendus, sequentia capita continebunt.

Restant obstacula duo, corruptio, & fragilitas naturę, contra utrumq; primum affert remedium Sanctus Doctor divinæ gratiæ munus: 28. ubi enim in ipsa natura non suppetit auxilij copia, ubi etiam labor potentiis naturalibus adiunctus minus pręstat, recurrendum est ad Deum, & ita quidem, ut ille est supra naturam auctor munerum gratiæ. Et cùm quamvis creaturam intellectualem, quantumvis integram, necdum corruptam, ostenderimus paulò superius Sect. 1. pronam esse ad hoc, ut bonis creatis vitiosè adhæreat, accedente præsertim suasione alterius: quantumcunq; naturâ quis propendeat in bonum, perspicaciq; utatur judicio, ac optimis imbutus sit habitibus, adhuc necessarium ei est divinæ gratiæ adiumentum, multò verò magis ijs, qui & judicio carent, & ad malum sunt propensi. Atque hoc est, quod paulò ante dicturum me recepi, quò enim recurrere debent homines naturâ ab honestate alieni, parvique judicij, ac insuper vitiosi, preterquam ad Deum, à quo potenter juventur.

Nolo hîc immorari in explicanda divina gratia, quam S. Augstinus Tom. 7. aliquot ex professo libris de prędistinatione sanctorum, de 29. bono perseverantiæ, de gratia & libero arbitrio, de correptione & gratia, alijsq; explicat, quem seqvuntur omnes Theologi, assignantq; gratiam unam esse habitualem, quæ spectat ad justificationem animæ, alias etiam habituales, quę perficiunt potentias eiusdem, ut est fides, spes, charitas, cæteræq; infusæ divinitus morales virtutes. Præter has, habitus sunt actuales gratiæ, illuminatio, scilicet, mentis nostrę, voluntatisq; oblectatio in bono, quod utrumq; divina bonitas præstat, immittendo intellectui radios sui luminis, motionesq; pias excitando in voluntate. Duo verò conferunt homini hæ gratiæ præsertim actuales, primò ut ea possimus agere, quæ alioquin nisi adiuti, nequaquam possemus, secundò ut non tantùm possimus, verùm etiam agamus factis: quæ

prius efficit, vocatur gratia sufficiens, efficax, quæ dat posterius: plura de his subtiliùs discutiuntur à Theologis, neq; hîc sunt necessaria.

30. Illud non omittendum, quò constet diuinæ gratiæ summa ad salutem necessitas, eamq; præfatis libris egregiè probat S. Augustinus contra Pelagianos hæreticos, qui naturæ dono vitam tribuebant honestam. Sed ut ijs contrarium ostenderet Augustinus, idque verissimum, duos ponit primos è creatura intellectuali peccatores, eosq; in integra natura, donis insuper supernaturalibus insigniter instructos, quorum beneficio poterant non peccare. Tales erant angelus in cœlo, Adam in paradiso. Itaque ut ostenderet Deus etiam tales, sic ad bonum formatas (nisi ulterius à se juventur) posse cadere, atque, ut suæ gratiæ pretium, ac beneficium immensum, omnibus (etiam perfectione sanctitatis maximis) commendaret, tam angelum è primis, quàm hominum primum permisit labi. Et dum quosdam ex Angelis ab hoc lapsu singulari protexit gratiâ, judicia sua occulta, etsi nobis ignota, sanctissima tamen, & ab omni nota alienissima, testari voluit, de quibus rectè Apostolus Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia eius, & investigabiles viæ eius. Quis enim cognovit sensum Domini aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Sed jam quid de necessitate gratiæ citatus sciebat Augustinus videamus. *Quapropter*, inquit, *saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum, Dominumq; rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere, sic ordinasse angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deniq; quid posset sua gratiæ beneficium, justitiæq; judicium.* Hęc ille.

31. Quibus ostendit Deum de intellectualibus creaturis ita statuisse, ut cùm divina sua misericordia, ac bonitate omnes ad æternam felicitatem secum ordinârit, & ad id consequendum contulerit gratiarum dona, quibus poterant omnes, eò, quò erant destinati pervenire: nonnulli abusi gratijs lapsi sunt, alij singulari beneficio à peccato pręservati. Itaque semper, & omni intellectuali creaturę unicum, universale ac præcipuum contra peccata remedium est, divina gratia, multò verò magis nunc posteris Adæ corruptionis massâ infectis.

32. Porro hæc gratiarum dona ad salutem necessaria (quidquid sit de Angelis, & Adam in innocentia posito, an hi dicta bona per Christum sibi

sibi à divina misericordia habuerint concessa id quod ad Theologos remitto) nunc in hoc hominum statu, nemo potest obtinere, nisi per merita Redemptoris Christi Jesu. Ita quippe ipse de se Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere*: Ita Apostolus ad Tit. 3. *Secundum suam misericordiam, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.*

Tanta divinæ gratiæ cùm sit necessitas ad consequendam salutem, 33.
unum restat, ut nihil ita avidè, ita intensè, ita sollicitè, ac crebro à Deo petamus, atq; eius per merita Christi gratiam: hæc est enim voluntas ipsius, Joan. 16 sic declarata: *Vsque modo non petiistis quidquam Patrem in nomine meo, petite & accipietis.* Neque aliud certè peti à nobis instanter vult, quàm bonum spiritum divinæ gratiæ, ut est apud Lucam cap. 11. Neque erat Christo satis jussisse, ut id peteremus, nisi etiam doceret nos verba à se inventa, quibus à Patre eius quotidiè peteremus, ut bene declarat S. Augustinus Tomo 7. lib. 1. de perfectione justitiæ, agens contra hæreticos Pelagianos osores gratiæ divinæ, sic ergo ibi in fine libri scribit: *Hic vero quantum libet isti se obtegant, aperiuntur, declarant enim se contra Dei gratiam, vel misericordiam disputare, cum dicimus: Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra: & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo. Vt quid enim ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis, & currentis, & non miserentis est Dei? non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet, quod agit, nisi divinitus adiuvetur. Hæc est fidei sanitas, quæ nos facit orare, quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulsare ut aperiatur nobis.* Et infra: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem, negat autem hoc qui contendit ad non peccandum, gratiæ divinæ adiutorium non esse homini necessarium, sed solâ lege accepta, humanam sufficere voluntatem, ab auribus omnium amovendum, & ore omnium anathematisandum non dubito.* Hæc ille.

Quapropter, qui peccata, & vitia cupit evitare, sive contra eadem, 34.
naturæ adminiculis munitus sit, bonis, videlicet, propensionibus, perspicaciq; judicio, sive non, divinæ gratiæ adiutorium assiduis gemitibus imploret oportet, implorando verò simul jungat laborem, ac studium suum, quo vel obviet vitijs, ne intra animam sedem figant, vel si jam fixerint, pellat ea, & exturbet. Ad hoc certè datur gratia teste Sancto Paulo 2. ad Cor. 6. *Exhortamur* inquit, *ille, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed exhibeamus in multa patientia, in tribulationibus, in laboribus, in jejuniis,*

& alijs

& alijs quæ ibi recenset. Hic jam restat, ut ostendamus rationem, quâ vitijs resistere, habitusq; virtutum eorum loco inducere possimus.

CAPVT. XXVI.

Quotuplex est & quibus modis acquiritur vitium.

ANtequam agatur de ratione adipiscendæ virtutis, præmittendi videntur modi, quibus generantur vitia, simul & conditio eorum afferenda, ut perspectum hostem, viresque eius, aptè ad victoriam impetat honestas.

1. Quoniam verò ex actibus seqvuntur vitia, tanquam ex suis causis, ut in Philosophia certum est, quot sunt diversitates humanorum actuum, tot erunt vitiorum. Porrò actus (quantùm ad præsens spectat) trifariam dividi possunt, sunt quidam solùm materialiter, ut dicunt Theologi, mali, qui aliâs vocantur motus primo primi, ac impetu naturæ aut appetitus, priùs excitati, quàm illos ratio deliberata advertat, rectè necne sint: talis est v. g. ira præceps, quam sequitur cædes, timor, & id genus operationes. Ex his seqvuntur habitus persimiles, quos possumus doctrinæ gratiâ appellare materialiter malos: doctrinæ, inquam, gratiâ, nam revera nullus habitus vitiosus est malus formaliter, cum malitia, & inhonestas actibus soleat adiungi, habitus autem est tantum propensio acquisita, quæ nisi cohibeatur, prorumpit in actum malùm, sicut & appetitus, qui tamen non est formaliter malus, quia potest mala agere. Hoc ergo primum genus vitij, distinctionis causa vocamus materialiter malum, quia ex actu materialiter malo generatur. Secundum genus operationum humanarum, est formaliter, malarum, quæ ex deliberatione tales sunt, ex quibus conseqvuntur vitia, quæ etiam doctrinæ gratia possumus vocare quasi formaliter mala, quia ab actu malo omnino producuntur. Tertium genus actionum est occultè malorum, ut Sectione 3. explicabitur: ex his quoq; persimile quasi occultè malum nascitur vitium, de quibus singulis agendum.

Sectio I.

Quæ sit ratio acquirendi materialis vitij, & num debeat eradicari, ac quomodo.

Primò

PRimum igitur genus vitij est nondũ consummati, nempe eius, quod remanet post actum nondum malum, talem tamen, qui mox potest esse malus, ubi adverterit ratio, & non correxerit illum, vel cessando ab eo, vel in alium bonum commutando. Et quod nascatur eiusmodi vitium, clarum est, actus enim positus nequit esse otiosus. Quod verò tale vitium, quod producitur per talem actum extirpandum sit omnino multa suadent. Primò quidem quia juvat naturam corruptam ad patrandum malum, addendo illi novam acquisitam inclinationem: Si enim innatæ propensiones appetitus sunt frenandæ, ne prorumpant in contraria honestati, profectò inclinationes quoque acquisitæ, tollendæ sunt, ne addant calcar currenti, & in ruinam impellant. 2.

3. Secundò noxij sunt huiusmodi vitij habitus, propterea quòd contineant in se mediam proprij vitij rationem, nempe propensionem actione comparatam, tantumq; illi deest alia pars media, advertentia, scilicet, rationis: & cùm inventis facilè sit addere, non minus promptum erit præsuppositæ parti vitiosæ, aliam addere partem: id quod, & naturâ, & experientiâ clarum est. Nam appetitio vehemens, tenebras offundit intelligentiæ, (ut cap. præcedenti dictum est) adeo quidem, ut licet videat bonum, deteriora tamen deliberatè sequatur: quod si verum est, quis non videt quantùm eiusmodi materialia vitia concitent hominem ad peccandum, cum similem appetitioni habeant inclinationem? Hinc experimur eos, qui motibus primò primis crebrò laborant, crebriùs quoque peccare, quàm alios, qui non sunt ijs obnoxij, idque ex eo, quia excitatus vehemens motus, trahit secum intellectum, ut licet advertat, persequatur tamen malum.

4. Contra hæc talia vitia nitendum est virtutis studioso duplici hac ratione, prima est singularis Dei motio (quę est petenda) excitata in nobis sine nobis, ut loqvuntur Theologi, id est non advertentibus nobis, quæ motio relinquit habitum, è diametro, & directè oppositum vitio jam explicato. Sicut enim sunt primi motus materialiter vitiosi, ita è contrario excitantur à Deo primi motus, etiam materialiter boni, quibus præparatur anima ad bene deliberatè agendum, ita nimirum, ut quod quis primò incipit non advertendo, prosequatur deinde deliberatè agendo. Tales ergo motiones, producunt habitum, qui tollit oppositum: v. c. vitium luxuriæ materialis ortum ex primo motu tollitur per habitum materialis etiam castitatis consequentis primum à Deo immissum motum, & sic de alijs. Alia ratio contrarietatis est quodammodo

indirectè tollens oppositum habitum, quando, scilicet, deliberatè tendimus contra oppositum vitium, quod indeliberatè inductum est in animum: Ex. Ca. qui contraxit vitium luxuriæ indeliberatè, per primum ut dixi motum, debet deliberate illam detestari, ex quo sequetur verus & formalis castitatis habitus qui multum debilitabit præsuppositum si præsertim fuerit intensior illo. Nam cum prior inclinet hominem ad impura, posterior ad puritatem, sequitur ut ille prior (cùm supponatur esse remissior) non possit exerere suas vires, exereret autem, si non esset posterior habitus, à quo potentius confortatur anima ad non luxuriandum, quam à priore. Sic ergo indirectè opponitur virtus vera, & formalis, vitio materiali, debilitando, scilicet, vires ipsius: debilitando, inquam, neq; enim tollit illud, tanquam propriè contrarium, quia hoc ob defectum deliberationis in actu, ex quo secutum est, non videtur veræ, & formali opponi virtuti.

5. Quod si quis contendat virtutem veram, & formalem propriè contrariam esse vitio materiali, saltem ex parte habitus in appetitu & voluntate manentis, etsi non ex parte habitus, qui est in intellectu deliberatè agente: si quis ita sentiat, dicendum erit à virtute tolli propria contrarietate, quasi medium vitium nempe habitum in appetitu existentem, non autem tolli alterum medium, nimirum habitum in intellectu deliberatè agentem, qui supponitur non esse. Atq; ita vera virtus adhuc indirectè expugnabit materiale vitium, nam delendo acquisitam in appetitu propensionem, præstat animæ, ut privata illa minus inclinet ad agendum aliquid, malè deliberatè in illa materia, in qua fuit acquisita ex primo motu propensio indeliberata.

6. Sed quidquid sit de oppositionis modo, certum est debere nos conari contra vitia ex primis motibus contracta, ut ita pauciores habeamus inclinationes, vel saltem debiliores, quibus feramur in oppositum virtuti. Jd nisi fiat nunquam assequemur virrutem, sed naturæ corruptæ innatas ad malum propensiones, acquisitis augebimus & roborabimus, quibus tandem valentiores & quasi graviores effecti cum vehementiori impetu deturbabimur in vitiorum barathrum. Hac ex causa pueri qui ante usum rationis assvescunt ad contentiones, discordias, pugnasq; mutuas, vel inter edendum lac, illud sibi contentiose præripiendo, adulti deinde facti, nisi egregiè se vincant, ad lites, jurgia, cædesq; feruntur, sic ægri in querelas, & adversâ fortunâ pressi in maledicta inconsiderata prorumpentes, ægrè mansvetudlnem, & patientiam attingunt nisi has as-

has assvetudines corrigant: sed de acquisitione virtutum plura, & distinctiùs sequentibus capitibus.

Sectio. II.

Quibus modis acquiritur vitium propriè dictum. & quotuplex sit, ac quomodo exstirpandum.

ALterum genus vitij proprij jam, & formalis est, quod ex deliberatè mala atq; inhonesta consequitur actione, quæ jam venialis, jam letalis potest esse, & vel ex infirmitate minoreq; consideratione operantis vel ex pleno judicio, ac resoluta malitia. Qualiscunq; fuerit actio, modo sit deliberata, semper gignet malam vitij sobolem, quò tamen fuerit peior actio, peiorem & pestilentiorem relinquet habitum, semper enim simile producit sibi simile. Quapropter ut distinguamus hęc vitia, in summo nocumenti gradu est illud, quod à resoluto ad peccandum, etiam graviter proficiscitur animo: ponè sequitur hoc, quod ex mortali nascitur actu, infirmitate, & inconsiderantia adiuncta, tum deinde illud, quod gignitur ex veniali culpa, iam infirmi, iam resoluti animi. 7.

Hos vitiorum gradus qui novit, sciat dispari se contra illa debere muniri robore, hæc est enim contrariorum natura, ut quanto aliquod fuerit fortius, tantò securius manebit, nisi à robustiore impugnetur. Itaq; is qui assvevit malitiâ, & quodam contemptu v. c. ebrietati, luxuriæ, usuris, cædibus, habet animam vitijs potentissimis velut ferreis constrictam catenis, quibus si absolutus esse velit, magnum conatum adhibere debebit, ut inolitæ consvetudini aliam opponat inducatq; contrariam, & sic victor ille evadat, de quo est Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum*, scilicet justitiæ, ac gratię divinæ, *& calculum candidum*, nimirum gloriæ cœlestis, *& in calculo nomen nouum* superni, videlicet, Regis. Similiter qui mortalia didicit committere magis ei laborandum, ut resistat: neq; ex eo solum, quod talis destitutus sit auxilijs supernaturalibus, conari proinde multum debeat, ut ea impetret: sed etiam ex eo, quod nisi vitium tollat, facile illo instigante de novo, & aliter delinquat. Et licet is pœnitentiam agat gratiamq; qua erat privatus recipiat, retinet tamen propensionem acquisitam ad malum, propter quam manet in periculo 8.

culo recidendi. Seriò ergo, & magno animo agendum ei, ut radicem evellat mali, nisi eligat semper in periculo damnationis persistere, aut etiam in ipso, damnationis statu, quorum utrumq; tam miserum, quàm est misera ipsa miseria timoris, non aliud, scilicet, quàm damnationem præstolari.

9. Hanc ob rem minùs rectè instruuntur peccatores, inter confitendum sua peccata, qui tantùm jubentur cum bono proposito dolere de illis, & aliquid facere in pœnam eorundem. Si enim perinde, ut olim manent vitiosi, mox, *ut sus ad volutabrum, & canis ad vomitum* 2. Petr. 2. redeunt, ad pristina. Docendi ergo sunt viam, rationemq; pugnandi cum vitijs, & consuetudine prava, ut hoste prostrato vitam animæ per sacramentum confessionis divinitus collatam, tutiùs conservent. Id quod in quibusvis vitijs, non tantùm in his secundi generis tenendum est.

10. Postremò nec illa sunt parvi pendenda, quæ ex venialibus consequuntur operationibus: nam ut monet Ecclesiasticus cap. 19. *Qui modica spernit paulatim decidet*, assuetus levibus ad maiora viam sibi sternit, sentitq; se promptiorem, maximè cùm in eadem materia crebrò tam leve, quàm magnum sit. Hinc videmus eos, qui furantur sæpius modica, oblata occasione surripere tandem maiora, urgente, scilicet, consuetudine in parvis acquisita, quæ deinde in maioribus præbet agendi facilitatem. Contrarium cernimus in aliis, qui à levissimis abstinent, ægrè quippe tales in magnis vincuntur, eò quòd nulla procedat stimulans vitiosa consuetudo. Itaq; & contra hæc vitia armanda mens, si nolit à parvis ad maiora progredi. Cæterùm de roboranda anima virtutibus, agetur ex professo sequentibus capitibus.

Sectio III.

Quodnam sit vitium occultum, & quî abolendum.

11. Tertium tandem, & ultimum genus vitij est proprij quidem, & formalis, à præcedente tamen differentis, eò quòd præcedens manifestè habeat causam sui malam, quâ ex malitia, quâ ex fragilitate, illud malam etiam, sed occultam, vaframq;, unde tale vitium occultum quoq;, astutumq; placuit appellare. Sunt quippe nonnullæ res,

quas licet usurpare, morem gerendo appetitui justam ob causam: verùm modum terminosq; usurpandi præscribere debet ratio, ne vel excedatur nimio, vel in exiguo erretur: id quod difficile est assequi, & pene difficiliùs, quàm omnino abstinere ab usu. Quis non videt operosius esse inhibere eqvum currentem, quàm non permittere ut currat? an navem validissimo vento, velis expansis actam, non difficilius est sistere, quàm in anchora tenere? Id prorsus negotij est cum appetitionibus nostris, quæ sunt inquit Raphael Tob. 6. *Sicut eqvus, & mulus quibus non est intellectus*, & teste Juda Apostolo in epist. eius *sunt fluctus feri maris*. Quando igitur istis bestijs frena laxare, & in altum mare provehi est necesse, quàm operosum erit, & currere sine lapsu, & navigare sine naufragio, aut periculo utriusq;? Concessum fuit primis hominum parentibus vesci paradisi fructibus Gen. 2. concessio eò illos adduxit, ut reliquis omnibus, & quidem optimis omissis, usi fuerint vetito. Necesse habuit famem depellere Esau oppidò lassus Gen. 25. avidiùs sumendo coctionem rufam à fratre paratam, primogenita vendidit, & quidem profanè teste Paulo Hebr. 12.

Quis numeret abusum cibi, potusq; in plerisq; hominum? quot in eo committuntur defectus, in fine reficiendæ naturæ, in materia, ac circumstantiis? Defectus hi crebrò censentur debita sustentatio, nimirum pallio honestatis tecta, atq; ut actio revera est inhonesta, subtiliq; excusatione vindicatur ab intemperantia, ita & habitus ex illa natus, vitium erit vafrum, & subtile. Rectè id probat August. in ijs qui jeiunandi proposito à carnibus abstinent, interea tamen exquirunt alia, quæ avidiùs, & intemperantiùs sumunt, hasq; gulæ illecebras facilius est prorsus non tangere, quàm utendo non excedere. Sic ille de hoc, libro uno de moribus Ecclesiæ catholicæ Cap. 33. laudans monachos à carnibus, & vino, mortificandi sui gratiâ abstinentes. *Non solùm* inquit, *à carnibus & vino abstinent, pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam, quæ tantò concitatius ventris, & gutturis provocant appetitum, quantò quasi mundiora nonnullis videntur, quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est, ridiculè, turpiterq, defendi.* Quod in una vescendi operatione advertimus, idem in omnibus aliis appetitui gratis, & concessis putandum evenire, ut facile vitijs cedamus decepti, vel potiùs delectati specie ficta, simulachrisq; virtutum; & quò illa quæ usurpantur gratiora sunt appetitui, quò etiam passio naturâ suâ est potentior, eò procliviores sumus ad eiusmodi tecta contrahendi vitia,

13. Videant jam suasq; scrutentur conscientias matrimonio juncti, num debitis modis, & præscriptâ ab auctore naturæ utantur honestate: expendant omnes, quotquot non muti sunt, quis linguæ eorum, datæ ad revelanda arcana cordis, sit usus: rem familiarem qui curant, pro sui status conditione, advertant, num ita id agunt, ut nec proximi damnis vexentur, nec ipsi nimio congregandi teneantur desiderio: quibus incumbit munus puniendi delinquentes, advertant quousq; ira procurrat, sub specie justi zeli. Postremò qui in negotijs, aut pro officij debito, ingenio, doctrinâ, eloquentiâ agunt, considerent an tantùm hæc adhibeant, quantùm exigit honestas operis non amor vanitatis. In quibus, & similibus, quàm pronum sit deflectere à virtute, ille expertus novit, qui novit cuniculos occultos naturæ corruptæ obstruere, ne ijs veluti latrunculi vitia irrepant, & ipsam occupent animæ arcem, intelligentiam dico, quod tum fit, cùm subtilibus hisce vitijs, agendi, & dominandi datur potestas. Jam modus eiusmodi vitia exstirpandi alius non est, quàm cavere ne quid mali sub specie boni, & concessi subrepat, & tantò attentiùs cavere, quantò callidiùs hæc mala in cordis arcana se insinuant. Cautela dicta non meliùs peragetur; quàm exercitatione virtutum, de qua sequentibus capitibus.

Sectio IV.

Vnde cognosci possit, an, & quo quisque vitio laboret.

14. Post explicatas malorum habituum differentias, utile videtur signa quædam afferre, ex quibus cognosci possit an, & quibus ex dictis teneamur vitijs, quo agnito contra eadem erigamus animum. Rectè signa inquirimus, neque enim (quamdiu in hac mortali vita à phantasmatis pendemus) ipsa in se videre possumus, quemadmodum & animam, ac proinde & ea, quæ ei insunt. Jam igitur inter signa primum certum esse debet, ipsa operatio: cum enim hæc sit causa habitus (non quæro hic an sola, an cum potentia, id quod minùs nostro proposito servit) qui conscius est se operatum esse malè, sciat quoq; certò se contraxisse vitia, tantò plura, & maiora, quantò plura mala egit, & deteriùs egit, memorq; est se in contrarium fecisse nihil, quo expellatur hostis.

15. Hoc argumento convictus Apostolus Petrus, quando interrogatus est ter-

est tertiò à Domino diligeret nec ne illum plùs cæteris: non jam ut antea solitus erat, audacter respondit, sed ut scribit Joannes cap. ultimò contristatus dixit: *Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te.* Meminerat, scilicet, se ter negasse, & licet lacrymis culpam diluerit, verebatur tamen, ne id quod terno actu inductum, confirmatumq; fuit, oblata opportunitate incitaret ad simile priori delictum, propterea tristis dixit: Domine, tu, ut omnia, ita & hoc nosti, quid & quantum in me post opus malum relictum sit malæ propensionis, & quid tibi respondere debeam.

Apostolum hac ratione vitam corrigentem, rectè imitantur illi, 16. qui memores improbitatis pristinæ, non satis habent si pœnitentiam agant, cavent insuper præteritorum illectamenta, atque occasiones: neque enim consuetudo inolita, quamdiu non tollitur, otiosa esse potest. Ergo ebrietati assuetus, vitabit potatores, ansamq; potandi: luxuriæ deditus, impudicos, & fomenta impudicitiæ: usuris irretitus, lucrorum negotia: iræ, & maledictis familiaris, fugiet eorum consuetudinem, quibus cum contendendi, urget quædam necessitas. Ita quivis, qualem se olim meminerit fuisse, talem certò, & peiorem (ex habitu videlicet) sciat futurum, nisi vetera aboleat, & antequam aboleat, timidus, sibiq; diffidens cavebit pristinorum occasiones.

Alterum ex quo colligitur vitium, non minùs præterito est judicium 17. certum, in iis qui natura sunt moderati, carentq: impotentiâ passionum: hi si sentiant se ad aliqua inhonesta vehementer inclinari, non aliunde id provenire putent, quàm ex consuetudine vitiosa. Testem huius habemus unum è, filijs David, qui de se Sap. 8. ita scribit: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, & cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Continentiæ naturalis sunt istæ laudes, ad quam juvenis adhuc propendebat Salomon, neque ita ut germanus eius Amnon ardore libidinis æstuabat, ut est 2. Reg. 13. Cùm verò de eodem jam in regem uncto legamus 3. 11. *Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas, his copulatus est ardentissimo amore*, tantùm amorem ex prava consuetudine profectum, eodem loco narrat scriptura: *Cùm*, inquit, *jam esset senex, depravatum est cor eius, per mulieres.* Hæc gesta cum eo, qui natus, fictusque ad continentiam, longissimè ab ea, quin & abiectissimè aberravit, (nam ut ibidem scribitur, Deo vero relicto, idola veneratus est, ut per hoc ethnicis mulieribus placeret) hoc, inquam, cum Salomone gestum, duo clarè manifestat. Primum est, eum qui optimè à natu-

à natura ad virtutem est compositus, si deindè sentiat se ferri potenter ad contraria illi, vitiis esse obnoxium: alterum neminem, etiam optimæ naturæ, fore optimę virtutis, nisi adlaboret innatę propensioni, & tanquam terræ feraci bona mandet honestatis semina.

18. Prȩter jam dicta est & tertium vitij jndicium, subtilius quidem illud, verum tamen, quod ut percipiatur, experientia cuiusq; consulenda, quam omnes sentiunt, etsi non omnes sciunt unde ea sit. Omnes sentimus turbari nos intus, causa verò turbationis, si est extrinseca, scilicet, res quæpiam affligens, tamdiu turbat solicitatq; quamdiu non amovetur. Ita Dominus, ut refert Matth. cap. 6. alijque Evangelistæ, erat in horto tristis, mæstus, tædiosus, ob imminentem, scilicet, passionem, quâ transactâ, non amplius turbabatur. Quod si causam investigemus internam, dissidium, videlicet, inter superiorem hominis partem, quæ est ratio, & inter appetitum, hęc perennis est, semper enim ratio altiora, & honesta spectat, appetitus infima, & sensui grata. Quia tamen suâpte naturâ id quod superius est dominari debet, subesse id quod est inferius, modico usu atque consuetudine, tollitur illa rebellio, ut vel non sentiatur, vel mox ut cæperit excitari, sedetur, accedente præsertim adiutorio superno.

19. Jam si vis appetendi potens sit, & diuturna in resistendo, non leve erit argumentum tantam resistentiam non à sola natura, sed à vitio quoque proficisci, quod addidit vires novas naturæ, eamq; armavit, & quasi in suas partes hostiles traxit, ut quemadmodum vitium suapte vi rebellat virtuti, innatęque ad bonum propensioni, ita & natura rebellis efficiatur tamdiu, quamdiu non tollitur vitium. Quapropter & adiutorium Dei, datur priùs ad debellandos hosce virtutis hostes, ut ijs devictis pars inferior subdatur tandem superiori, ante quam subiectionem, ılut in obsidione tenetur inferior à tyrannide vitiorum.

20. Ac quemadmodum servitus tyrannica gravis, molesti tædij est & acerbitatis plena, ita quæ à vitijs obsessa tenetur anima sentit gravissimas, easque diuturnas molestias, tædiaque, simul verò ac abolita fuerint vitia, vis appetens, ultro dat manus rationi, & cum ea facilè concordat. Hinc jam agnoscitur tertium, quod attulimus vitiorum signum, longa, videlicet, & vehemens cum ratione pugna, adiunctis gravibus molestijs, tædijs, & acerbitatibus turbatæ animæ. Id planè docuisse videtur Aristoteles 7. Ethicorum cap. 8. ubi impotentiam negat esse vitium, eò quòd non tam rationi resistat, quàm naturali inclinatione fertur in

tur in conforme sibi bonum, quod est indifferens ad honestum, & inhonestum. Cæterùm vitium suapte vi pugnat cum ratione, unde impotentiam vocat meliorem, & faciliorem ad concordiam rationis. Addit deinde utrumq; aliqua ex parte sibi esse simile, quia scilicet, utrumq; idem agit licet non eodem modo: nam vitiûm ex proposito facit mala, impotentia ex naturali impetu: Impotentes, inquit, faciunt iniusta, non tamen sunt iniusti. Quod eius dictum Theologus ita exprimeret, ut impotentes agant, ex motu primo primo non peccando, vitiosi deliberatè, vel si peccant levius, & quasi ex abrupto illi, isti ex obfirmato consvetudine animo. Tandem concludit impotentem animum facile ire in sententiam rationis, ubi se recollegerit; vitiosum pertinacem esse, eò quod mala consvetudine firmus contra virtutem, obstinatus sit.

Hoc ipsum egregia similitudine declaravit S. Augustinus Tomo 8. in Ps. trigesimum primum enarratione prima, in qua asserit, omnia quæ ab homine sive bene sive malè fiunt, fieri amore, qui à natura datus est homini, ut sine eo perinde esse nequeat, atq; sine vita. *Num vobis* inquit *dicitur, ut nihil ametis, absit pigri, mortui, miseri eritis, si nihil ametis.* Jam ut amor à natura inditus, sit bonus, talem dat id præstandi rationem, ita prosequendo. *Purga amorem tuum, aquam fluentem in cloacam converte ad hortum, quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi.* Amorem naturalem assimilat aquæ, bona sensibilia ad quæ amor innato impetu propendet, cloacam vocat, seu peccata, quibus assuescimus malo amoris usu. *Adulteria* inquit, *homicidia, luxurias, omnes, flagitia nonne amor operatur?* Sicut ergo si deducatur aqua ad amœnum hortum, facilè erit munda, perspicax, & ad multa idonea. Si verò, permittatur in sordidam influere cloacam, difficilè evadit munda, propterea quòd vitiosa, eaq; pertinaci imbuatur qualitate: ita prorsus ubi amor naturalis ad Deum, & ad honestatem fuerit conversus, mox evadit purus, & sanctus. Quod si sordibus peccatorum fuerit inquinatus, magna cum difficultate purgatur, eò quòd vitiorum tenaci qualitate ita inficiatur, ut quemadmodum sordes è cloaca contractæ, totam permeant aquam, quas ab ea separare magni est laboris: Sic propensio è peccatis relicta, totam labefactat inficitq; animam à qua illam seiungere, non labor tantùm est magnus, & rarus, sed & dolor ingens, quemadmodum parte priore huius libri cap. 4. ostendimus. Etenim ut in carne continui divisio non fit sine gravi sensu; ita in anima longè quam corpus subtiliore, separatio eorum, quæ unita esse debent, subtilem, & acutum generant animi dolorem,

22. Et hæc quidem, quæ ſeparantur ſunt duo, ratio ſcilicet, & inferior facultas appetendi, illa ſurſum tendit, ſecumq; trahit vim appetentem, hæc à vitio gravata deorſum inclinat, hinc illa in anima acerba torſio. Senſit eam in ſe valedicturus vitijs Auguſtinus, de quo in libr. Confeſſ. multa reliquit, inter alia libri 2. c. 2. ſic ſcribit: *Obſurdueram ſtridore catenæ mortalitatis meæ, pæna ſuperbiæ animæ meæ, & iactabar, & effundebar & ebulliebam per fornicationes meas. Tacebas tunc, & ego ibam porro longè in plurima, & plura ſterilia ſemina dolorum, ſuperba deiectione, inquieta laſſitudine.* Et lib. 8. cap. 9. *Vnde hoc*, inquit, *monſtrum, & quare iſtud? luceat miſericordia tua, & interrogem, ſi fortè mihi reſpondere poſſent latebræ pœnarum hominum, & tenebroſiſſimæ contritiones filiorum Adam. Imperat animus corpori, & paretur ſtatim: imperat animus ſibi, & reſiſtitur: unde hoc monſtrum, & quare iſtud?* Et cap. 11. ſic idem proſequitur: *Dicebam apud me intus, ecce modò fiat, & cum verbo iam ibam in placitum, iam pene faciebam, & non faciebam, & conabar, & paulò minùs ibi eram, & paulò minùs iam, iamq; attingebam, & tenebam. Et non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæſitans mori morti, & vitæ vivere: pluſque in me valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum, punctumq; ipſum temporis, quo aliud futurus eram, quantò propiùs admouebatur, tantò ampliorem incutiebat horrorem. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: Dimittis ne nos? & à momento iſto, non erimus tecum ultra in æternum? & à momento iſto non tibi licebit hoc, & illud ultra in æternum.* Talia cum dolore teſtatus eſt de ſuo dolore Auguſtinus, quem graviſſimum pertulit, vitijs, & inolitis, vale vltimum dans, conſuetudinibus, quæ ſi abfuiſſent, cum ſolo naturali appetitu, non tantum fuiſſet negotii, & laboris. Tantus ergo labor, & dolor, eſt manifeſtum vitiorum indicium in quauis operationum materia.

23. Veriſſimam doctrinam, & experientiam eorum, qui aliquando à tyrannide vitiorum ſe extricare conati ſunt, ſequendo, primò non deiiciamur animo, neque putemus actum eſſe de virtute, ac deipſa ſalute, ſi naturæ vehementiores impetus nacti ſumus ad aliqua, quæ non ſunt mala niſi tum cúm accedet propoſitum iudicii deliberatum. Modò enim impetus iſti ad honeſta referantur; mox fædus cum ratione ineunt, vt rectè ille dixerit: ſapiens dominabitur aſtris: inclinationi ſcilicet, ab aſtrorũ influxu impreſſæ. Sapientiam iſtam dominus Luc. 11. deſcribit: *cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.* Talis debet eſſe do-

se domina in homine anima, minimè cedens blanditijs carnis, atq; appetitus, armata item fide, & spe futurorum, vincentibus se promissorum præmiorum, ad hæc timore æterni tormenti victis præparati. Hoc est primum quod ex allata doctrina inferendum est. Alterum ut non miremur si tum, cum de mutandata vita in meliorem agimus, aut cùm aliquid, quod malè tenemus, vel assequi volumus, statuimus deterere, tristes tædiosos, melancholicos nos experiamur, eos vero angores doloresq; animi sentiamus, quibus alios corporis tolerabiliores existimemus. Non miremur, inquam, vitiorum hæc sunt præsentium, & manifesta argumenta, & tormenta acerba, quæ non sentire, nulla dat potestas: nisi ea quæ dat, ut non sint vitia, aut dum sunt ut non operentur, quod posterius non fit absq; miraculo, quam diu vero sunt operanturq;, debent ista sentiri, nam si vitia sequamur, retrahit ratio, si ad hanc convertamur, revellunt vitia: sic misera anima hinc inde validissimè tracta, quasi discerpitur, & tormenti non habet finem, quamdiu non est vitiorum finis.

Ista nosse utile est ijs, qui primum relicto mundo, Deo in ascetico ordine servire decernunt: tum illis, qui non statim, vitam mutant, malis nuntium remittendo moribus: postremò & illis, qui serviunt Deo, aut probi alioquin sunt, interdum tamen occurrente quopiam negotio, tædia, & angores animi patiuntur, inde fortè, quòd aliquid sit, cui vitiosè inhærent, res scilicet, aut persona: dico, forte, potest enim interdum id à dæmone fieri, juxta dicenda infra cap. 28. §. 7. de tentatione perfectorum: nam & se 5. ac 6. de tentatione imperfectorum, sed non diu, neq; ordinariè, & plerumq; notabili oblata occasione. 24.

Nosse ista, utile, ut dixi est, sed non satis, si enim impatientes tædiorum, à proposito recti tramite pedem referamus, relinquamusque id, quod à ratione affertur rectum, vitiorum mancipia nos & esse, & fore hoc agendi modo testabimur, utinam non cum ingenti, & externo animę damno. Quod ne fiat, dandæ ambę manus novo Domino cui servire incipimus Deo, providebit ille, nimirum liberalis, magnificus, & pius ea, quibus brevi decori, alacres, atque jucundi inconspectu maiestatis eius incedamus, abiecto mentis squalore, quem de mundi: & vitiorum cæno nobiscum tulerimus. Improbus, improba deserat prorsus, expectetque (purgatus à noxis) lætitiam, quę securæ mentis est juge convivium, huic verò nec digna est ulla, quæ comparetur concupiscentiæ voluptas. Is demum, qui cæteroquin laude est dignus, hoc ad reli- 25.

qua addat, ut ne in uno vituperandus sit: cùm, ut docuit Apostolus Christi Jacobus cap. 2. suæ epistolæ: *Qui offendit in uno fiat omnium reus.*

26. Hæc istis facienda, ac ne solitarios se in tali opere putent, oculos aperiant, videantq; innumeram eorum multitudinem, qui ipsis præcucurrerunt. Omnes omnium ordinum perseverantes religiosi, hac via præcesserunt: quisq; peccatorum maximus, correctus deinde, & pius effectus hoc vincendi sui institutum secutus est: deniq; illi, qui omnibus partibus absolutam tenuere vitæ probitatem, tantum in uno studij, quàntum in reliquis posuerunt. Et quanquam ij, qui potentioribus animæ passionibus vitijsq; obnoxij erant, experiebantur id, quod Jer. 13. legimus: *Si mutare potest Ethyops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Sed hoc difficultatem corrigendi sui declarat, non adstruit impossibilitatem, unde eodem capite dicit Deus: *Væ tibi Ierusalem, non mundaberis post me usq; quo adhuc*: quasi dicat: potes me juuante mundari modo velis. Sed jam videndum, quo pacto strenuos in studio virtutum sectando, hostes earum vitia scilicet debellemus.

CAPVT. XXVII.

Quæ ratio sit moralem acquisitam adipiscendi virtutem.

QVoniam vitia adversantur virtuti morali, id quod ostendimus ca. 25. nulla alia in nobis quidem, suppetit ratio delendi illa ex animo, præter virtutem, quam qui proprio assequitur studio, habet id, quo vel prohibet, ne vitium animam occupet, vel pellit si occupaverit. Dixi in nobis, nostroq; labore nihil superesse aliud: nam Deus, ut quamvis aliam rem ita & vitium, si velit, corrumpere potest, sicut tamen alia conservat contraria, quamdiu à potentiore non corrumpuntur, ita & hæc. Quare voluntas Dei est, ut si habitibus malis vacui esse volumus in oppositos incumbamus bonos, & tales quidē qui malis potentiores sint.

Sectio I.

Qui gradus, & quæ excellentiæ sint virtutum moralium.

PRiùs verò quàm de via id præstandi agamus opere pretium est cōmunem

munē afferre virtutis moralis divisionem,non tam in suas species,quod jam toto hoc libro fecimus,quam in excellentias quasdā, perfectionesq; ipsius, quibus cognitis, magnum adhibeamus conatum, in cuiusq; consecutione, si non virtutem tantùm, sed ipsam quoq; eius excellentiam cupimus adipisci.

1. Itaq; S. Thomas 1. 2. Q. 61. Ar. 5. affert ex Macrobio virtutes hasce morales quadrifariam spectari posse, primò ut sunt, ad vitam inter homines necessariæ: atq; ita vocantur politicæ, cuius appellationis non parva est & quidem in natura virtutis, fundata excellentia. Nam cum homo sit animal sociale, & politicum, ipse sibi suæq; naturæ adversabitur si careat virtute, qua inter homines dignè versari, & humana rectè tractare possit id quod hoc libro 1. parte cap. 2. & 3. latiùs prosecuti sumus.

2. Secundò appellatur virtus moralis, purgatoria, quæ præstat studioso illius, ut passionibus & difficultatibus non patiatur se ab honestate abduci, initia enim, & progressus in quovis negotio, quod impedimenta habet, ardua sunt. Tale est negotium vincendi sui, & pugnandi cum natura corrupta, vitijsq; eius ipsam magis corrumpentibus: quod dum tangitur, purgatur anima à corruptione, aut ita, ut tollantur penitus habitus mali, aut ut diminuantur eorum gradus quos vocant philosophi intensionis. Affectiones quoq; appetitus leve facessunt negotium illis, qui se strenuè vincendo, & magna licet ardua, operando purgant heroico quodam & excelso animo, ut docet Aristoteles 2. Eth. cap. 1. & 4. Eth. c. 3. ubi sic ait: Magnitudo animi videtur, quasi splendor quidā & ornamentum esse virtutum omnium. Rectè proinde virtutes in hoc pugnæ statu constitutæ, vocantur purgatoriæ, & in via ad absolutam animi puritatem, excelsamq; eius constitutionem.

3. Vnde præter dicta tertium tribuit ijsdem virtutibus S. Thomas nimirum, esse decora, & perfectiones purgati jam animi, qui tale pertingit culmen, ut nullos sentiat appetitionum inordinatos motus. Eiusmodi excellentiâ gaudent beati in cœlo, in hac quoq; vita Christus, & mater eius merito suę dignitatis idem nacti erant: cæteri sanctorum etiā insignium, sicut non erant immunes à peccatis ita nec à vitijs: aut à fomite mali. Et licet nonnulli in aliqua materia, ex gr. concupiscentiæ carnis, aut gloriæ vanæ Dei munere consecuti erant, ut non experirentur rebellionem appetitus, præsertim post multam, & egregiam pugnam id tamen non reddebat eos omnimode purgatos, quia in aliis sentiebant

legem membrorum, & interdum vincebantur, etsi exiguo suo cum damno: *In multis enim offendimus omnes*, ut de se aliisq; fatetur Apos. Joan. cap. 3. suæ epistolæ. Ad hæc non repugnabat statui illorum posse inordinatè moveri, quanquam de facto non moverentur: cæterùm beati jam nullam sentiunt, nec sentire possunt rebellionem, cùm id sit fælicitati illorum prorsus contrarium, & repugnans.

4. Vltimò tandem habent virtutes morales, ut vocentur exemplares, in Deo, scilicet, in quo altissima, & eminentissima sunt ratione. Prudentia, in eo est regula omnis honesti, qua omnia sanctissimè peragit: temperantia, est conversio ad se infinitè oblectans bonum, quo summè & ultimo fruitur: fortitudo est immutabilitas in agendo, quæ à nullo queat perturbari: deniq; justitia est legis æternę, à prudentia, & providentia eius præscriptæ inviolabilis observantia. Jta in Deo virtutes emicant seq; quantum fas est, nobis imitandas præbent, & idcirco vocantur exemplares.

5. Quapropter politica virtus ascendit ad exemplarem vel in hoc, quòd honestè operetur, etsi imperfectè, magna scilicet, cum repugnantia naturæ, & vitiorum. Purgatoria tanto accedit vicinius, quantò & pręstantiora agit, & maiori cum tranquillitate animi. Virtus purgatæ mentis altissimè erigitur eò quòd summa cum pace ea possidet, quæ omnimoda exigit fælicitas. Nulla verò totum in se exemplar divinarum virtutum exprimere potest, quæ in ea excellentiæ altitudine, Deum ornant, in qua ipse est solus talis: *Quis enim alius est sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat*: Ps. 112. Exposita virtutis moralis, secundum suos gradus perfectione, restat ut modos inquiramus consequendi eam.

Sectio. II.

Duplex apparens ratio exercendæ moralis virtutis.

6. TRes modi occurrunt agendi pro acquirenda virtute morali, primus est cum exhibetur externum opus, aut signum, nihil non laudis præ se ferens: hoc nisi aliud habeat, non est virtus, sed quædam eius apparentia, varijs ex causis orta. Aliquando enim ex eo laudabile aliquid videtur, quia deest occasio manifestandi, sit nec ne passio quæpiam verè domita virtute, aut si nondum sit domita, in quod, & quale

qua eprorumperet opus si daretur opportunitas. Ita Petrus Apostolus fortitudinem, & fidelitatem in Christum prædicabat, quam putabat se habere, quando dicebat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* Matth. 26. Putabat ita, quia caruit fortè aliâs simili occasione, qua oblata, & exerceret, & ostenderet passiones timoris, ac desideria, solvendi promissa, subacta honestati. Eadem ratione ebriosus, & impurus crebrò sobrius, & castus censetur, quia non se inebriat, neq; aliquid impuri agit, id tamen non est ex virtute, sed quia vel est ægro corpore, vel animo circa alia occupatur, ut Ex. Ca. circa devotionem hebdomadæ sanctæ, vel deest occasio. Hi tales non exercent actum virtutis, quia non ex eius proposito agunt, sed vel putant se habituros propositum, ut in dato exemplo, Petrus, putabat: vel nihil de futuro cogitant, ut ille impurus, aut ebriosus.

Ad hæc laudabile aliquid apparet ex naturę dispositione, aut impotentia: sic frigidi abstinent à coniugio, nullo alio habito fine, quam quod impotentes sint, quæ abstinentia quia ex naturæ est propensione, non erit virtus, sed indifferens quid ad eam, ita etiam leves, & tardi natura, non moventur offensis ad vindictam, qui nimis ægrè apprehendunt opprobria, quod tamen non est mansvetudinis, sed stuporis cuiusdam naturalis. 7.

Deniq; honesta interdum censentur opera, quæ naturæ quodam instinctu aut inconsiderata consvetudine fiunt, velut cum quis moderatè vescitur, non quod ei ita præscribat ratio, sed quòd sic assvevit natura duce, quo pacto bestiæ quædam paucis sunt contentæ. Ita cùm quis exeundo templo dat, non considerando quòd agat eleemosynam, ex consvetudine & exemplo aliorum id facit, perinde, ac dum fricat barbam, tergit os, aut aliud quid naturæ instinctu operatur. Eodem naturę instinctu sunt aliqui amantes silentij, misericordes, ad compassionem & fletum super aliena miseria faciles, quæ omnia si ex electione fiant, non difficulter induunt virtutis rationem. cæterùm absente deliberatione videntur tantum, sed non sunt virtutes: Hinc est ut plurimi infidelium, Judæorum, hereticorumq; laudentur ab humanitate, liberalitate, hospitalitate, & id genus aliis, quæ tamen creberrimè non virtutes, sed simulachra sunt earum: nam qui ea habent prædicantur, ita, ut leo à magnanimitate, & fortitudine, formica à prudentia, canis à gratitudine, & aliæ ab aliis bestię, quæ in ijs sunt quædam naturę instinctus, speciem præferentes honesti. 8.

Iste

Digitized by Google

9. Iste est primus, sed apparens bene agendi modus. secundus peior, cum exterius honestas spectandam se offert, & interdum præclarè ratio tamen, & appetitus, omnino adversatur honestati. Atq; hic operandi modus, vel est hypocrisis, vel fraus, vel quæpiam alia virtutis larva ta po-stis, de quibus quia suis locis actum est, hîc nihil.

Sectio III.

Vera acquirendæ virtutis ratio

10. TErtius ergo & verus adipiscendæ virtutis modus est in eo, ut materiâ operationis oblatâ, præscribat vis intelligendi obiecti debitam formam, finem, ac circumstantias (iuxta dicta supra cap. 21, à num. 21. de fine obiecto, & circumstantijs) & sic præscripta ac disposita appetat voluntas, operatio ex dictis causis sequetur honesta, sive ea intus in anima remaneat, sive in externum prodeat opus, cum accesserit appetitus sensitiuus per naturalem cum voluntate sympathiam & organum corporis per imperium rationis. Exempli gr. quando reficiendum est corpus cibo, potuq;, rationi incumbit obiecti præscribere decorum, nempe naturæ rationalis, congruam sustentationem: tum si vult poterit addere finem externum, ut scilicet, refectum corpus sit aptum ad sua munera, laboresq;: deniq; adiungendæ sunt circumstantię, loci scilicet temporis, & aliorum. His pręmissis, & vescendi assensus, qui in intellectu residet, & desiderium quod intus in voluntate & appetitu latet, & externa sumptio cibi, ac potionis, est operatio temperantiæ.

11. Quæ omnia ita in longum explicata, non egent in exercitij actu diuturno temporis spatio, aut multo labore, sed in momento perficiuntur in exercitatis jam virtuteq; præditis, aut in ijs, qui carent adhuc virtute sed sedulo sibi intendunt & viriliter aggrediuntur opus: in remissis & vitiosis egent morâ ob longiorem & inveteratam luctam. Nam quemadmodum ij, qui sunt periti artis tangendi v. c. testitudiuem, celerrimè ludunt, arte, appetitu ludendi, digitisq; concurentibus: è contra, qui discunt primùm, cum tædio omnia, & cum mora agunt, ita studiosi virtutum, celerrimi sunt in operibus earum, alij tardi, & morosi.

12. Porrò unum est quod utrosq; mirè iuuat in rectè operando, id vero à natura ipsa hominis petendum. Nam ut constat ex prima 2. à Q. 8. ad 17. San-

17. Sancti Thomæ, aggressuri aliqua præsertim magna, & ardua, primò intellectu cognoscimus, & expendimus aggredienda, deinde eodem intellectu imperamus imperfecto ad huc modo voluntati, dicendo quasi illi: Fac, ut appetas. Post hæc sequitur intentio, & desiderium finis, ponè succedit consultatio in intellectu adiuncta voluntate, tum electio mediorum ad finem conducentium, post hæc adest perfectum intellectus imperium, movens & voluntatem ad usum internum, & potentias exequentes ad externum, tandem est finitio finis intenti. Prius ergo solemus statuere nobiscum, & præparare nos ad futura opera, id ita naturæ Auctore Deo exigente, & præcipiente Proverb. 24. *Prepara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam.* Vbi vult Deus, ut quod agendum est foris, præparetur intus in anima, & statuatur ut fiat (quemadmodum in exemplo hîc ponitur cultura agri) deindè exerceatur opus, tum demum fructu laboris utamur, qualis est in dicto exemplo ædificij structura.

Jam cùm nihil maius ab homine præstari possit, quàm ut virtuti studendo Deum timeat, eique serviat, id quod ipse testatur hominis conditor Deus Eccle. ultimo: *Deum time & mandata eius observa hoc est enim omnis homo*: si ad ullum aliud opus, ac negotium præparandus est animus, certè ad hoc virtutis. Itaq; qui omnia honestè operari cupiunt id ipsum apud se prius statuere debent, efficaci desiderio rectè operandi. Id verò desiderium non illud tantum generale esse debet, quo honesti esse volumus(quanquam & hoc bonum est) sed præterea necessarium est alterum particulare, proprium cuiusq; virtutis: v. c. ad castitatem spectans debet esse desiderium castitatis, ad sobrietatem, sobrietatatis, & ita de reliquis quod ènucleatiùs tradidi hac parte capite 2. à num. 32. 13.

Et in exercitatis quidem virtute, facilis est dicta præparatio, cum sint instructi habitibus bonis, qui pro necessitate atq; occasione cuiusq; operis prorumpunt in efficacia rectè faciendi desideria: in carentibus virtute, & passionatis sicut opus bonum, ita & voluntas eius retardatur, natura enim effrenis & vitia resistunt: ergo his acre adhibendum est studium, si quid dignum laude præstare volunt. 14.

Posset quidem aliquis subtiliùs moralia rimando movere dubium, semper nec ne opus sit tali præparatione animi, ac desiderio cùm videatur fieri posse, ut quis sine ulla eiusmodi antecedente desiderij volontate, mox ubi ratio proposuerit obiectum, finem ac circumstantias, honestè agat. E contra alius objiciet impossibile id esse, cum in omni nostra opera- 15.

ratione deliberata præcedat intentio, sequatur electio, tandem usus; non ergo usus solus esse potest, nisi alia adsint (etsi ut dixi cellerrimè in anima peragantur) alioquin usus contineret in se eminenti quadam ratione intentionem, ac electionem. Hæc utrinque obiecta remitto ad scholam quæ in prima 2. Q. 17. Sancti Thomę de distinctione imperantis ab imperato actu, videat quid horum sit verius: mihi interim prior sententia communior in praxi esse videtur, ordinariè enim, ut supra num. 11. ostẽdi, prius desideramus, intendimusq; finem, postea deliberamus de medijs, tum demum his utimur, operamurq;. Ceterùm in exercitatis & celeribus ingenio, ac vivacitate, citò hæc fiunt: quin non videtur impossibile statim ac fuerit ab intellectu aliquid propositum, & imperatum, sine tot diversis actibus rem aggredi & perficere. Quo in eventu actus voluntatis, qui vocatur usus internus v. c. vescendi, feretur simul, & semel in moderatum cibum, & in executionem vescendi tanquam in unum obiectum, continebitq; in se virtute intentionem, & electionem, eo modo quo prima, 2 Q. 19. Art. 2. doceri solet, de imperio voluntatis, quæ uno actu tendente in alterum, & simul in finem ac obiectum suum, continet in se virtute illum alterum actum: Exempli gr. qui vult temperatè comedere, ut placeat Deo habet actum amoris, in qua est virtute actus temperantiæ: ita qui utitur cibo temperato, habet actum, in quo est virtute intentio vescendi temperatè, & electio conducentium ad sic vescendum.

16. Sed ut dixi, quidquid sit de hoc, ad praxim, & exercitationem virtutum illud omnino scire, agereq; oportet, ut tum dum operamur, sive intra mente, sive extra corpore, quâ intelligendi, quâ appetendi facultate, totam honesti rationem cum debito fine, materia, & circumstantiis comprehendamus, & eam appetamus. Quòd si inter agendum nihil eorum præstemus, non erit actus virtutis, sed aut malus, aut indifferens ad bonum, & malum, à natnrâ, vel consvetudine indeliberatè transactus. Si verò reflectamus nos in illum, velimusq; deliberatè, ac honestè operari, voluntas hæc posterior, erit quidem bona operatio, non tamen illa quæ jam peracta est, sed alia habens pro obiecto præcedentem operationem: Exemplo id clarius fiet, qui oblatum sumit potum, nulla adhibita consideratione finis honesti, & circumstantiarum, sumptio illa quia inconsiderata, nec culpa est, nec virtus, sed erit actio, quasi bruti cuiuspiam. Jam si postea advertat se eam ita ineptè transegisse, & velit esse honestam, voluntas hæc erit quidem operatio bona, minimè tamen reducet

trans-

transactam actionem ad honestatem: idq; ideo quia prior, & aliud habuit obiectum, materiamq; à materia posterioris, & jam penitus transacta est, quod vero factum est, infectum fieri nequit.

Hæc qui percipit, & si paulò obscurius tradita ob subtilitatem rei, advertet certè in plurimis operibus perdi virtutis fructum. Nam si primò ea, quæ de se indifferentia sunt nullo honesto exerceantur fine, vel erunt naturalia quędam, & inconsiderata opera: vel si ultro omittatur rectus finis, erunt peccata venialia, ut docent Theologi cum S. Thoma prima 2. Q. 18. Ar. 9. omnia ergo talia opera fiunt sine fructu. 17.

Deinde non raro imò creberrimè evenit, ut inter operandum occurrant pravæ intentiones finium, & circumstantię à recto alienæ: quo casu duplex est prudens agendi ratio, aut enim negligenda sunt hæc obliqua avertendo alio mentem, ut ita sicut obrepserunt non vocata, sic etiam non acceptata abeant, aut horrenti detestatione depellantur de corde. Hoc quidem secundum cùm maiori fit fructu, ac merito, sed vix semper adhiberi potest, citra grave valetudinis incommodum, si cum omnibus pugnandum esset, & ijs qui angusto sunt animo, non est consultum sic anxie pugnare, ne detur scrupulorum ansa. Hæc igitur ita, ut dixi, debent in praxi expediri, aliâs vel erunt motus primo primi inconsideratiq; actio, vel si deliberata fuerint in materia quidem obiectoq; malo, non deerit culpa. Quam verò multa talia in singulis pene momentis vicissitudine sua mutentur, quisq; in se inquirat, expendatq;, quo pacto se in illis gerat. Illud certe in usu habeat oportet, si velit tanto bonorum carere dispendio, ut uel initio cuiusq, actionis, vel in decursu antequam ea finiatur, in finem, ac circumstantias rectas feratur animo, sic enim quemadmodum in obiecto obiectiva, ut dicunt Theologi, ita & in actu formalis elucebit honestas. 18.

Jd à nobis exigit ille, qui singulorum operum rationem exquiret, 19.
in suo iudicio Christus, non solum puniendo mala commissa, sed & omissa bona, ad hæc nihil præmij dando pro ijs, quæ nec bona nec mala fuêre. Quod ut persvaderet, usus est tali Mat. 6. similitudine: *Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Progressuri aliquo semper aperimus oculos, qui videant quo sit ferendum corpus, ne offendat, id vult Dominus fieri ab omnibus qui non corpore tantum eò ire debent, illucq; pertingere, ubi ipse residet: neq; alia est progrediendi ratio, quam opera pia, sic enim idem Joan. 5. *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ.* Jtaq; ut rectè, & sine

sine offensa eo deveniatur, adhibendus mandato Christi, est oculus mentis, ut ratio prudens, & intentio pia, ac honesta luceat operanti, ducatq; ad destinatum bravium.

20. Qui secus fecerit, inscitiâ, aut desidiâ, quia vel non scit, nec discere cupit modum honestè agendi, vel si scit, negligit, is in tenebris est, cui unum obest certò, alterum valdè timendum. Certum est talem plurimorum operum perdere fructûm, ac merita præsertim supernaturalium donorum, timendum verò ne cum iactura horum perdat etiam æternam vitam. Prius est in doctrina Catholica receptum, ut docent Theologi cum S. Thoma 1. 2. Q. 11. Ar3. opera enim quæ carent honestate non possunt mereri fructum gratiæ, & gloriæ. Alterum non minus certum quando quis letale operatur malum, facile autem operatur non attendendo ad intentiones, quem sine dubio, ignis gehennæ manet: *Procedent*, inquit Christus Joan. 5. *qui mala egerunt in resurrectionem judicij.* Quapropter tantùm unicuiq; curæ esse debet, invigilare singulis suis operibus, eorumq; expendere fines, ac circumstantias, quantum est ut resurgat non in iudicium, sed in vitam.

21. Curam hanc quâ de agimus & vigilantiam attentam in nostris operationibus voluntate Christi à nobis adhibendam solidè deducit S. Augustinus ex ipsa hominis atq; adeò reliquarum rerum creatione Tomo 3 lib. 8. de Gen. ad literam cap. 9. ubi asserit Deum ipso mundi initio duplicem laborem in creatura, quâ irrationali, quâ rationali incboasse. *Hinc jam* inquit ille, *in ipsum mundum veluti in quandam magnam arborem rerum, oculus cogitationis attollendus, atq; in ipso quoq; gemina operatio providentiæ reperitur, partim naturalis partim voluntaria: naturalis quidem per occultam Dei administrationem, quæ etiam lignis, & herbis dat incrementum, voluntaria verò per Angelorum opera & hominum.* Totum mundum cum eius conditore Deo vocat Augustinus arborem rerum, in qua excolenda laborem impendit Deus, Angelus, & homo, Deus naturalem operationem occultè promovendo. Quis enim Angelorum, aut hominum tot, quotannis producat herbas, arbores, fructus, tot genera metallorum, & innumera talia præter solum Deum. Et quanquam Angeli exequendo suum ministerium circa naturalia, homines etiam terram colendo, cooperantur Deo in operatione naturali, minimum tamen est, quod ipsi præstant: nam ut scribit Paulus 1. ad Cor. 3. *Neq; qui plantat, neq; qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*; nimirum, qui providentiâ suâ ad occultos omnia dirigit fines, & omnipotentiâ sustentat ne deficiant. Ratio-

tionalis operatio tribuitur Angelo, & homini, non quòd his etiam non opituletur Deus, præsertim in pijs actionibus supernaturalibus, de quibus testatur Christus Joan. 25. *Sine me nihil potestis facere*, sed quòd tam Angelus, quàm homo libertate sua sint domini rationaliū operationum.

22. Jam quemadmodū Deus non casu, & fortunâ, aut quasi motu primo impulsus, sed summâ rationis prudentiâ, & sanctitate voluntatis agit omnia, eumq; imitatur Angelus beatus, ita & homo utrumq; sequi debet, prudentiæ attollendo oculum in mundum, Conditoremq; ejus velut in arborem magnam. Quare in omni suo labore pius sit in Deum, sobrius, & justus in reliqua: Deum colat, ametq;, proximum justè tractet, sibi sobriè & moderatè usum creaturarum concedat. Quævis operatio hominis aliud non sit, quam vel pietas, vel sobrietas, vel justitia, voluntaria enim, & rationalis, honestaq; actio esse debet, non, neq; mala, neq; bona, multò minùs mala. Jd quod totum esse nequit, nisi attendatur, invigiletur & seriò curetur tanta arbor, quanta est totus mundus, & Auctor eius Deus: & nisi ita fiat, sequetur id quod ibidem infert S. Augustinus: Quod, inquit, *ad arborem agit colendi negligentia, hoc ad animum discendi segnitia, persuasio iniquitatis*. Itaq; labor noster, quem ex Dei mente, ut docet hic Pater, subire debemus, est discere, scire, & velle æquitatem, seu honestatem operandi, quod quanto conatu à nobis sit præstandum sequens docebit caput.

CAPVT. XXVIII.

Quisnam conatus adhibendus sit in operando honestè.

DVplex est causa conatus, magniq; studij ponendi in adeptione virtutis, prima ut difficultas superetur, ut enim qui præruptum montem ascendit, nitatur oportet, neq; leviter, si in cacumen ipsum evadere velit: ita ei, qui culmen perfectæ honestatis attingere cupit, tantò maiore tendendum robore animi, quantò sublimior est excellentia virtutis, quavis altitudine montis. Altera causa contentionis est, ut tota animæ exeratur facultas, & si nihil sit quod ei obsistat: sicut oculus attentè conspicit picturam, non quod eum aliquid remoretur, sed quòd in rem gratam, quibus potest tendat viribus. Jdem à nobis faciendum, quando honestatem magnâ cupimus appetere aviditate, ac voluptate. 1.

Vtraq; hæc causa amplius explicanda est in singulari, quantùm ad praxim est necesse, nam in communi dictum est sup. c. 25.

Sectio I.

Quanta est difficultas ex obiecto in adipiscenda virtute morali acquisita

2. CVm Salomon Prov. 5. prædicat illam virtutem, quę est copiosa iustitia: *In abundanti*, inquit, *iustitia*, *virtus maxima est*. clarè fatetur dari unam aliâ maiorem, neq; enim dicitur unum maximum nisi sit aliud magnum, aliud maius. Porrò magnitudo virtutis non est in mole quantitatis, à qua dicimus domum magnam, lapidem magnum, aut quid simile, sed in proportione, atq; accessu ad perfectionem, excellentiamq; eius honestatis, quam præcedenti cap. num. 4. appellavimus exemplarem: quantò enim quis ad hanc magis accedit, tanto est perfectior, maiorq; bonitate, & sanctitate.

3. Jam verò certum est ea, quæ in superioribus, & perfectioribus reperiuntur, difficiliora esse adeptu inferioribus, & imperfectioribus: sicut puero esse maturum prudentiâ, & robustum viribus, aut impossibile est, aut perquam rarum. Talis difficultas inest materiæ, & operationi quarundam moralium virtutum, vocaturq; à Theologis difficultas obiecti, nam quædam sunt suapte naturâ cuiq; pervię, & faciles, ut amor vitæ, sanitatisq; proprię (qui plerumq; aliarum virtutum operationes prędicit, & eas imperat, unde ad varias reducitur virtutes, potissimum tamen ad temperantiam) hic inquam amor facilis est, quid enim iucundius secundum Deum, & ea quæ in cœlo expectamus, quam vitâ sanâ frui? similes sunt aliæ virtutes, quæ parum habent in se ardui, ut non ulcisci exilem iniuriam, quod est mansvetudinis, non appetere excellentiam in re modica, quod est humilitatis, amare amantes, & sic de alijs.

4. Sunt verò nonnullæ valde arduæ ex suo obiecto, ut est tolerantia magnorum adversorum, fortitudo in periculo mortis, magnanimitas in condonatione vindictæ pro gravi offensa, & similes. Atq; hæc est prima in assequendis virtutibus difficultas desumpta ex ipsa earum excellentia, & accessu ad perfectionem divinam, ad quam superandam invitabat suos Christus, quando Mat. 5. longo efficaci verborũ circuitu svasit insignes virtu-

virtutes. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos: si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? & si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est.*

In tam suavi, ac forti sua persvasione tria continet Dominus, primum virtutes aliquas adeo esse faciles ut quisq; etiam peccator, vel paganus non sit ab ijs alienus, qualis est salutare fratres, diligere diligentes: secundum est, nonnullarum virtutum opera, ita esse præclara, itaq; ardua ut earum exemplar ab ipso Deo petendum sit, talis est amor inimicorum. Tandem tertium quod docet eos qui ita sunt animo constituti ut cedant molestijs inter agendum bene occurrentibus, nunquam insignes consecuturos virtutes, sed eas tantum quæ Ethnicis, publicanis, & magnis peccatoribus sunt usitatæ. Molles igitur, delicati, leves, inconstantes, & qui à talibus parum discrepant, paucas, easq; exiguæ honestatis polliceantur sibi virtutes. 5.

Hinc est, ut quidam vota Deo oblata sacrrilegè violent, nec superent molestias in earum explicatione supervenientes, quemadmodum ostendimus supra c. 17. a num. 12. ad 21. & à n. 85. per aliquot. Eadem de causa alij omittunt ea, quæ magnificè, & magnanimiter cum præclara tollerantiæ, fortitudinisq; laude agerent: ex eodem fonte est, ut multi plurima animo concipiant bona, nec tamen assequantur. Quod cum evidens sit, illud quoq; non minus clarum, paucos admodum esse, qui multas, ne dum omnes virtutes morales, suæ personæ convenientes, possideant, cum æquè, ac id quod jam dixi notum sit, homines ut plurimùm sibi parcere se fallere, in arduis deficere. 6.

Palam id dominus de talibus testatus est, Joannem baptistam ab excellenti laudans virtute Mat 11. *Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam, sed quis existis videre hominem mollibus vestitum, ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* Duo genera hominum notat, arundini similes, & mollibus vestitos, hi nimirum delicati ardua virtutum non attentant, illi quia leves & inconstãtes maiore difficultate velut vento moventur, moxq; succumbunt. Mollium tot recenset Dominus, quot sunt pingvioris fortunæ, reges scilicet, domini, eorum asseclæ, & quicunq, bene in mundo habent: reliquis, arundini compararis, nullum assignat numerum, quasi tacitè innumeros iudicans, quovis in statu, & gene- 7.

genere hominum etiam illorum, qui virtutem profitentur. Sicut enim rara est arundo, quæ à vento non agitetur (nisi fortè ea, quæ & beneficio situs, ac loci, & aucti jam roboris à motu sit tuta) ita perquam rarus qui sit superior quavis etiam ardua difficultate, ille videlicet, qui firmo rectè agendi instituto, veluti solido loco, se immobilem affigit, viresq; ac robur audendi excelsa in horas maius acquirit. Hæc de prima virtutis difficultate, pergamus ad alias.

Sectio. II.

In ipso homine sunt quædam, quæ impediunt adeptionem virtutis moralis acquisitæ.

8. QVę præcedenti sectione exposita est difficultas virtutis moralis, generalis illa censenda, & ad quamvis creaturam rationalem etiam in natura, ut dicunt Theologi, integra extenditur, qualis erat in Angelis, in Adamo quoq;, & Eva ante lapsum: cuiq; enim erat molestum conscendere in altum, & sequi velle divinas perfectiones. Cæterùm est alia, quę naturam corruptam afficit, & eam quæ relinquendo vitijs imbuitur, quod utrumq; in nobis est, qui & fomitem mali gerimus, & perperam agendo, pravis inficimur habitibus, ex vtroq; autem hæc ingens oritur bene operandi difficultas vocata à Philosophis, ex parte subiecti, etiam in ijs, quę aliàs non sunt ex obiecto ardua.

9. Et quod ad fomitem attinet, augetur ille, si accesserit innata ad malum inclinatio maior ex cuiusq; individui materiali dispositione. Hinc quippe videmus hominibus temperamenti ignei, difficilem esse mansuetudinem, ac humilitatem: ut enim ignis & celer est, & sursum fertur: ita hi moventur irâ statim, & alta de se præsumunt. Vitiorum quoq; augentur vires ipsa eorum intensione, ac magnitudine, nam quanto unum quodq; rubustius est, tanto potentiùs resistit virtuti, & ipsam aggreditur validiùs.

10. Hæc secunda virtutum difficultas, est quidem in se spectata minor priore (siquidem hæc ex divina sumitur excellentia, ut iam vidimus illa ex nostra imperfectione) verùm si ut cum Philosophis loquar, dicamus ad hominem persæpe maior est per comparationem ad nos, qui ob malas in nobis qualitates plùs turbamur retrahimurq; à bono, quam si his carentes

rentes cum sola obiecti difficultate certaremus. Et quoniam ad virtutes potentiæ concurrunt, intellectus scilicet, voluntas, appetitus & phantasia, in omnibus his potest, & solet esse remora, impedimentumq; virtutis, ut supra hac parte cap. 25. atq; alibi ostensum est.

Et aliquando una potentiarum magis retardat honestum opus, interdum plures, vel omnes: id quod ex Domini quodam facto cognoscere licet. Dicebat ut refert Matthæus cap. 8. cuidam volenti eum sequi quocunq; iret: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet:* Alteri simili, sed petenti ut sepeliret patrem suum respondit: *Sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Cur huic nonpermisit abire sepultum, patrem illum non admisit, ut se sequeretur, sciebat nimirum istum, vel natura, vel usu ita commodis carnis addictum, ut ijs carere non posset. Licet ergo rationis ductu, & voluntate pia in sequendum propenderet Christum, appetitus tamen carnis sensusq;, facilè eum sequentem retraheret à cæpto, propterea Dominus non sensit inchoandum, id quod non erat finiendum. E contra ille alter sensum, & appetitum jam abnegaverat, neq; enim cupiebat videre patrem quem sciebat mortuum: existimabat tamen se obligatum pietate sepulturæ, cuius prætextu id, quod maius erat, nempe sequi Christum differebat: sed prohibitus est à Domino, qui prævidebat fore, ut sicut, primò quidem sepeliendi debitum, ita deinde alia in periculum vocationem divinam conijcerent; nempe matris orbitas, angùstię suorum, cæteraq; quæ cogitantem, & apud se ratione ruminantem difficulter redire ad Christum permitterent. Hęc igitur pericula in mente, ac cogitatione eius pręsciens Salvator, noluit incautum ijsdem exponere. Quo suo facto declaravit, quid in utroq; esset, quæ propensio, qnodve virtutis, ex parte subiecti obstaculum. 11.

Ex quo aliquot praxi utilia deduco documenta: primò sicut ij duo propter difficultatem non sunt secuti Dominum (neq; enim id constat ex Evangelio, præsertim de primo ut testatur Augustinus Tomo 10. de verbis domini in Matthæum) in eo quod erat consilij, ita alii ob eandem causam multa non agunt bona, quà consilij, quà mandatorum. Et consilium quidem negligere, est negligere maiorem perfectionem; verùm mandatum transgredi, salutem animæ flocci pendere, & de ea periclitari, grave est animæ detrimentum, quale facile subit, qui negligit consilia. Dicet forte quispiam, id sibi non videri, ut qui consilia negligit, idem agat in pręceptis: nam sicut diversa sunt consilia à mandatis (ho- 12.

rum enim urget obligatio, ad illa libera devotio impellit) ita & affectus est diversus ad utraq; : etsi ergo aliquis ob difficultatem missa faciat opera consiliorum; nequaquam tamen audebit omittere ea, quæ iubentur mandato.

13. Ad hæc & à priori, ut loquuntur Philosophi, & à posteriori in promptu est responsio. A priori seu ex natura rei certum est unamquamq; causam, agere id quod potest, & ita ut potest: quare sicut qui habet sedatas animi perturbationes, vitiaq; per virtutes abolita, operatur rectè, sive magna instante necessitate, atq; obligatione, sive alia quapiam minore, modo ratio dictet operandum esse hîc & nunc (dictet autem pro oblata decenti occasione iudicio sano, nam unusquisq; prout affectus est, ita iudicat, teste Philosopho, & nunquam se excusat molestiâ, ab assvetis enim non fit, ut est proverbium passio) sicut ergo virtus hoc facit, ita qui pravis aguntur inclinationibus, plerumq; non ad obligationem, aut devotionem operandi attendunt, sed ad molestiã cui cedunt ex eò quòd secundum affectum malum malè iudicant, cedendo quam sentiunt passioni. Tam ergo hi prompti sunt ad omittenda consilia, quàm ad transgredienda præcepta Idẽ à posteriori & ab effectu manifestum est nam potentiori natura, & vitio, tam insolens est abstinere à delicatiore potu, quod est consilij,quam abstinet ab ebrietate, quando eius datur opportunitas, societas & copia, quod est mandati, par de alijs iudicium. Quapropter tales sæpius redeunt ad eadem peccata, sæpiusq; eadem confitentur; nec est modus eis valedicendi nisi consvetudinem, & habitus mutent, qui sunt altera natura; naturam vero, dixit ille, pellas furca, tamen usq; redibit.

14. Itaq; ex his constat certum esse primum documentum, pravam, scilicet, animi inclinationem maximo esse nocumento quibusvis pijs operibus sive illa fuerint consilij, sive mandati. Non minus certum est & aliud, paucos, nimirum, esse ex ijsdem de quibus agimus, qui vel solidas suo statui proprias nacti sint virtutes, vel imperfectas & minus solidas. Solida nequit ibi esse virtus, ubi est contraria, eaq; magna admixtio inclinationis pravæ, aut vitij, à quibus virtus tollitur, ut ostendimus supra cap. 25. & 26. Nec imperfecta erit, ubi pauciores, vel nulli sunt actus honesti, qui virtutis habitum generent: Quare qui ob pravas eiusmodi propensiones omittit honesta, aut nullam virtutem habet, aut paucas, easq; in remisso admodum gradu, qui facilè à contraria qualitate velut scintilla, aqua conspersa, extinguitur. Ex gr. est quis cholericus natu-

naturâ, cui modum gerens tota vita decies millies, vel plùs prorumpit in iræ irrationales impetus, tamen (ponamus ita) compescuit se millies: hic talis habebit vitium oppositum mansvetudini potentissimum, nihil autem virtutis. Nam quem mille actus generarunt habitum bonum, hic à malo alio, qui est à decies millies vitiosis actibus productus in nihilum redigitur, idem de alio quovis dicendum, qui perinde cæteris effectibus ut de una ira dixi militat, atq; ita quisq; talis finit vitam, abitq; in alteram, plenus vitijs, & si salvatur, pœnitentiâ & virtutibus infusis compensat acquisitarum defectum.

An verò acquisitas daturus sit Deus salvato, qui ijs caruit, rursus in quo gradu, & quando, num ibi primo beatitudinis momento, an dum purgatorias luit pœnas pro neglectu earum: hæc & similia quia transcendunt praxim, quam tractamus, mortali vitæ, ad Theologos remitto. Illud de quo hic constat affirmo, quam pauci sunt, qui multo sæpius ex honestate, quam ex affectu agunt, tam esse paucos, vel solis virtutibus, vel pluribus quam vitijs esse imbutos. Atq; ut quisq; sibi optat (quemadmodum debet) honestatem, ita partium suarum putet esse illud quod Christus Mat. 11. de salvandis testatus est: *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud*. Vis ista renitenti naturæ corruptæ, & vitijs inferenda est, & ita inferenda, ut licet renixus sit ingens, nequaquam tamen evadat superior, quando victoriæ bravium propositum est regnum cœlorum, si nos vicerimus, gehennæ metus, si à nobis fuerimus victi. 15.

Sectio III.

An & quanta difficultas sit virtutis acquisitæ moralis ex eventu.

DVplex exposita difficultas, semper est annexa jam materiæ præstantium virtutum, jam operanti læso: est tertia quæ casu nobis objicitur, illo sic ordinante apud quem nullus est casus, verùm omnia *in numero, pondere & mensura*, & quidem svaviter, ac fortiter disponuntur Sap. 8. & 11. Eventum fortuitum voco tentationem, quam Deus permittit, non ut discat, vel experiatur quid sit in homine, quod est proprium tentare, ut in hac parte cap. 12. a num. 15. dictum est, sed ut vel retrahat, tentatum à malo, vel in bono confirmet, notumq; illud cæteris faciat; vel ut puniat delicta id quod ostendimus parte huius libr priore c. 14. à n. 12. 16.

 Pori-

17. Porro tentatio ut plurimùm fit per diabolum ut patet Tobiæ 1. & Mat. 4. tanquam ministrum justitiæ divinæ, & eorum qui tentantur est duplex genus, quidam ad peccandum sunt faciles, alij timent offensam divinæ maiestatis, quin placere ei semper expetunt: utrosq; quo pacto tentator aggrediatur, docuit S. Ignatius Fundator nostræ Societis qui de prioribus tale reliquit documentum libro Exercitiorum in regulis de discernentibus motibus, qui à diversis excitantur spiritibus. Illis *qui* facile peccant letaliter, & peccatum peccato addunt, ferè solet inimicus noster illecebras carnis, & sensuum delectationes obijcere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat: Spiritus verò bonus è contrario conscientiam illorum pungit assiduè, & per synderesis, rationisq; officium à peccando deterret.

18. Ex his S. Patris verbis colligo inprimis eos, qui facilè peccant, eo genere peccatorum tentari ad quæ assveverunt, ad ea enim iteranda mox alliciuntur, quæ jam experti sunt grata sibi & iucunda. Neq; verò curæ est dæmoni, ut ad omnia trahat, satis ei quibusdam irretitos, & captivos tenere, itaq; luxuriosi, & ebriosi, lætitiâ, delicijsq; trahuntur ab alijs abstinent, avari utilitate lucrorum moventur, feroces vindictæ cupidine, sic alij alijs. Colligo deinde difficilem esse talibus virtutis operationem, nam quia sunt mali & crebrò peccant, sunt ad malè agendum consvetudine, habituq; inclinati, quibus difficilis est virtus ut probavi hoc cap. sectione præcedenti. Ad hæc tentantur ij dem à dæmone varias adhibente fraudes unicuiq; vincendo accomodatas, quas evitare etiam sanctis non semper est integrum, multò minùs talibus de quibus agimus: hinc est, ut ijs, perdifficile sit rectè operari, id quod amplius declaratur, nam sic ad malum propensi, ipsa tentatione habent proposita obiecta, & materias suæ propensioni familiares, ac congruas, perinde atq, si igni applicetur stupa sicut ergo si stupa igni inijciatur fieri non potest, ut non accendatur, ita quoties tales tentantur, semper ferè vincuntur. Addo ferè, quia enim liberè agunt, non ex necessitate, ut ignis, possunt non vinci adiuti divina ope, ac gratia: cum tamen hæc non adigat ad rectè operandum, sed invitet duntaxat, & mali ut plurimùm malas sequuntur inclinationes, propterea ferè semper succumbunt tentationi.

16. Hoc ex S. Augustino probo, qui Tomo octavo scribens in Psalmi 48. illa verba: *Iniquitas calcanei circumdabit me*, per calcaneum intelligit affectus carnis, qui in homine rationis consorte sunt quid infirmum, velut

velut pes & planta in corpore. Sicut ergo qui habet pedes debiles, labentesq́; , semper proclivior est ad cadendum, præsertim si à quopiam protrudatur, ita qui affectibus laborant rationem debilitantibus, si à tentatione impellantur, mox deijciuntur. Clarum & certum id est non ex Augustino tantùm, sed ex ipso fonte unde ipse hausit Spiritu Sancto, qui proverbiorum 6. iuvenibus, in quibus carnis concupiscentia viget, svadet ut si labi nolint ea vitent quæ mulieres malæ ad labefactandam adhibent pudicitiam, ut est blanda lingva, & similia sic ergo ibi *Conserua Fili mi præcepta patris tui, ut custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ: non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum ne capiaris nutibus eius.* Mox affert causam sui consilij affirmatq́; fieri non posse, ut affectus intus latens non exardescat præsente eo, quod tentat. Quare quamdiu est talis affectus à tentatione prorsus fugiendum. *Nunquid* inquit, *potest homo abscondere ignem in sinu suo ut vestimenta eius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ eius.*

Quæ cum ita sint, quid & quantum homo conscientiæ pravæ agere debeat, ut exorta tentatione sectetur virtutem, idem S. Augustinus eodem loco præclarè docet: *A Deo inquit, quid dictum est serpenti? ipsa tuum obseruabit caput, & tu eius obseruabis calcaneum*; per calcaneum ut supra dixi, intelligit affectus carnis, per caput suggestionem diaboli, & prosequitur deinde. *Diabolus calcaneum tuum obseruat, quando labaris, ut deijciat te, tu obserua caput eius: quod est caput illius? initium malæ suggestionis; tunc repelle antequam surgat delectatio, & sequatur consensio.* Opponit S. hic Doctor calcaneum capiti, serpentem homini, serpens capite tentat, homo tentatur calcaneo; ille ut vincat, nunquam non erigit caput, nunquam non observat calcaneum; hîc ne vincatur, semper observet caput eius, semper fixum, ne labatur, teneat calcaneum suum, hic est conatus hoc studium, hæc lucta à malo ineunda, ut tandem desinat esse malus, & virtuti militet. 20.

Verumenimverò rarus admodum est, qui assvetus peccatis de ijs non cogitet, & ultro eorum non acceptet suggestiones, voluptatemq́; excitatam, & non præbeat consensum: consvetudo enim, est recens, perennisq́; memoria experimenti, experimentum excitat desiderium jucundi, tandem in desiderio excitato, est labes, & turpitudo peccati. Hæc in plurimis dolendum est reperiri, quis tamen prohibet, vel paucos excipi, quos S. Petrus 1. Petri 5 fortes vult esse, contra rugientem leonem diabolum, fortes in eo, ut primis suggestionibus insolitarum, & 21.

potentissimarum consvetudinum obsistant, velut scuto, actu illo supra explicato cap. 18. num. 63. in hac parte: nolo, vel non consentio: quem toties repetendo quoties suggestio redit, tandē victores evadant, & è faucibus se rugientis eripiant leonis, honestatemq; sequantur deinceps.

22. Hæc de tentatione pravorum hominum, bonos aliâ viâ aggreditur tentator, de qua sic ibidem Ignatius. Aliis hominibus, qui se à vitiis & peccatis purgandos curant solicitè, & in obsequio divini studij magis, ac magis in dies promovent, immisit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, & alias id genus perturbationes quibus profectum illum impediat: spiritui autem bono ex opposito proprium consuetumq; est rectè agentibus animum, ac vires addere, consolari, devotionis lachrimas ciere, illustrare mentem, & tranquillitatē dare, sublatis obstaculis omnibus, ut expeditiùs alacriusq; per opera bona semper ultra tendant. Hæc ibi Ignatius; Cur autem jam bonus jam malignus spiritus sic tentent, & diverso modo animæ se insinuent, affert causam eodem in libello in regulis ad pleniorem spirituum discretionem cognoscendam. Cuius inquit diversitatis ratio est, quatenus angelo utrilibet similis est, vel dissimilis animæ ipsius dispositio: si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus invenerit, cum strepitu, & pulsu, qui facilè adverti queat, ei se coniungit, si conformem verò, tanquam in propriam & apertam domum subit cum quiete.

Sectio IV.

Quæ sint molestiæ ac tentationes incipientium viam virtutis.

23. QVæ S. Patris doctrina ostendit pios virtutum amatores, solere molestari, quoties volunt operari rectè, & molestiarum quidem triplex genus reperio, pro numero, & gradu eorum, qui discunt virtutes nempè incipientium, progredientium & perfectorum. Incipiunt, qui aut passiones vividas, acriaq; retinent vitia, aut virtutem nullam vel exiguam. Progrediuntur, qui prioribus malis utcunq; levati, bonis magna ex parte imbuuntur habitibus. Perfecti, propensiones ad malum ita compressas habent, ut vel nullo laborent vitio, vel levi admodum, suntq; eorum loco solidas nacti virtutes. Ex his primi anguntur scrupulis, qui

lis, qui, ut idem S. Ignatius eodem libello de scrupulis docet, aliud non sunt, quã timor & suspitio mali in operatione jam peracta. Non inficias iverim scrupulosos etiam de ijs, quæ aggressuri sunt, aut aggrediuntur solitos perperam iudicare, non tantum de præteritis: sed tum duos habent actus, erroneam scilicet, conscientiam, qua ex levibus indicijs concludunt esse peccatum ubi nullum est, tum memoriam præteritorum saltem confusam, quã de præteritis sunt soliciti, vel certè habent timorem ex præteritis scrupulis comparatum, qui in præsenti illos turbat, & perplexos reddit. Quia enim sæpius, & ex consvetudine sunt anxij, de præteritis, facilè etiam in his quæ præ manibus habent in angustias rediguntur. Hæc est tota ratio scrupuli fingentis peccata, aut periculum eorum, cùm revera nullum subsit.

Jam si prudens ratio, ac synderesis ostendet culpam, aut periculum eius in aliquo opere, abstinendum est ab eo, nam ut rectè monet Spiritus Sanctus Eccl. 3. *Qui amat periculum in illo peribit*. Hæc tamen prudens ratio debet aut obscurè, aut evidenter manifestare culpam, obscurè tum manifestat, cùm probabile est non subesse periculum, non tamen est tutum, id est non sine peccato: probabilis autem, non tamen tuta opinio, non dat licentiam operandi, nec securam reddit conscientiam ut passim tenent Theologi in 1. 2. Q. 19. ar. 5 & 6. Vas. disp. 62. cap. 4. cæterique v. g. probabile est in solo vino sine admixtione aquæ posse consecrari sanguinem, non tamen tutum, nec immune à peccato, quia Ecclesia declaravit, adhibendam esse aquam, rata id Christum fecisse, quemadmodum in calidioribus partibus plerumq; inter vescendum solet admisceri, cui consvetudini dominus se conformauit. 24.

Iidem Doctores tenent licere sequi præsertim viris doctis, suã probabilẽ sententiã, etsi minus tutam, aut aliorum etiam improbabiliorem suã, minusque tutam (maximè superiorum, quibus parendum est) & secundũ eum deponere conscientiam. Quod si erronea conscientia, dictet subesse culpam & quidem, ut dicunt Theologi, inuincibilis, id est quę convincat quasi evidenter errantem, dictando aliquid esse malum, etsi & revera nullum sit, durante tali conscientia, abstinendum est ab opere, siquidem nihil est quod à culpa excuset. Vbi verò occurrerit ratio in contrarium, jam vincibilis erit, deponendaq; est, per probabilem rationem jam explicatam. Quod dixi de probabili sententia minùs tuta, idem multo magis asserendum de probabili & tuta, quam licet sequi, quin & minus probabilem omissa probabiliore (modo sit tuta) ut est communis citatorum 25.

torum jam Theologorum, & multo adhuc magis licebit sequi evidentem ut res ipsa ostendit.

26. Postremò si dubium fuerit, eo stante, non licet opus aggredi nisi alterum ex duobus adsit, quod probabilem afferat pro agendo rationem nempe aut superioris voluntas, cui in dubiis parendum est, aut possessio rei, vel libertatis suæ. Ita qui dubitat, sua nec ne sit vestis, quam possidet bona fide, potest ea uti: similiter qui dubius est, emiserit nec ne votum quodpiam, potest illud servare possidendo libertatem suam. Quod si quis illud objiciat communiter à Theologis usurpatum: in dubijs tutior pars sequenda id verum est quando non suppetit ratio pro tollendo dubio, qualis est ut diximus possessio, & obedientia. Ita doctores supra citati tenent, & alij quos adduxi supra cap. 17. n. 55. Quanquam potest illud axioma de tutiore parte in dubiis sequenda, in ijs habere locum in quibus non tantum agitur, an quid liceat sed an etiam validum sit tanquam medium ad consequendam salutem: sic qui dubitat an infans baptisatus sit, & iam moritur, tutius est talem baptisare, sub conditione, ne decedat sine medio salutis.

27. Verùm de scrupulosis reliqua prosequendo, sive qui facta damnent peccati, sive facienda, initio quidem honestè institutę vitę non sunt adeo culpandi, nempe ut tanquam tirones assvescant, vereri ne in actione subsit aliquod malum, sintq; sibi attenti, & rationem discant consulere semper, nec progredi in opere antequam illa permittat. Postquam uerò timori, diligentiæq; assveti, & rationem didicerint sequi, scrupulis ulterius agi non est operæ pretium, quin noxium, & damnabile. etenim multa bona scrupulosus omittet propter periculum mali, & ea, quæ faciet ob timorem, & inquietudinem admixtis imperfectionibus peraget, interdum se exponet periculis peccandi. Nam fieri potest, vt ex una parte convincatur se aliquid debere facere, ex alia erroneum iudicium ligabit conscientiam: quo in eventu si non faciet, peccabit, quia debet facere, si faciet, peccabit etiam, quia sibi peccatum finxit. Nec pacem talis internam habere potest, quippe qui secum luctatur rectè nec ne actum, aut agendum sit. Postremò in Deo non sentit idem ut pręcepit Salamon sap. 1. in bonitate: etsi enim non habeat reflexum huiusmodi iudicium: Deus est rigidus exactor, vel non conscius nostræ fragilitatis, aut quid simile, re tamen ipsa quodammodo ita tenendo, in minutis, & quæ prorsus sunt incerta cruciat se, ac in se ipsum est immanis, quasi voluntate rigidi Dei.

Hæc

Hæc & multa alia in animis ſcrupuloſorum geruntur & ſcrupulorum quidem fundamentum eſt, ut plurimum, in natura melancholica, quæ ſolet eſſe timida, & ſuſpicatrix, non rarò tamen dæmonis fit operâ ut quis aſſveſcat ſcrupulis, à quibus deſveſcere valde eſt difficile. Primum quidem ex eo, quia tales magno animi conatu intra ſe agitationibus mentis colliduntur, ut malum perplexitatis, quo torquentur, elidere poſſint. eo quadamtenus modo, quo laborans morbo epileptico, ingenti niſu conatur illo ſe excutere. Tantus ergo conatus potentem ingenerat habitum, qui ægrè tollitur. Deinde cum ſcrupuloſus plerumq; apprehendat magna in eo, quod agit, graviaq; pericula, quaſi de tota re ſalutis tum agatur: hinc eſt, ut ne tantam rem perdat, omnibus viribus laboret, quibus in contrarium niti eſt tam difficile, quàm difficile totis viribus currentem in oppoſitum convertere curſum. Id non aliter eſſe magis ſciunt, fatenturq; illi, qui id aliquando ſunt experti, quàm qui idem rationis aſſequatur coniectura. His omnibus tentator, & carnifex animarum dæmon conatur exoſam reddere virtutem, & ab hac tanquam à carnificina quadam animi avertere. Quæ cum ita ſint, & cum plurima virtutum bona, ut iam oſtendi, impediant ſcrupuli, nitendum eſt omnino in contrarium, Dei invocato auxilio. 28.

Ac in primis inter eoſ ipſos, qui primum incipiunt virtutis ſequi tramitem, alii ſunt qui facilè reſumunt præterita mala, hi meritò ſcrupulis cruciantur in pœnam inconſtantiæ ſuæ, neq; aliud illis ſvadendum quàm ut factâ ſemel verâ, ſincerâq; peccatorum pœnitentiâ, de iis amplius non ſint ſoliciti, ſed ad interiora ſe extendant, hoc eſt ad ea bona, quibus præterita mala compenſent. Poſſunt ijdem & aliis iuvari, quæ ſerviunt conſtantibus, & perſeverantibus in bene cœptis, adhuc tamen hoc vitio laborantibus. 29.

Ergo ſcrupuloſis Sanctus Pater Ignatius quædam notatu digna in libello illo Exercitiorum præſcribit. Callidè, ſunt verba eius, obſervare ſolet inimicus, qualis nam ſit animæ cuiuſvis conſcientia, craſſiorne an delicatior: et ſi quam invenerit delicatam, multò quoq; delicatiorem efficere nititur, & in extremam quandam redigere anxietatem. Et infrà his ipſis ſvadet S. Pater, ut in oppoſitum eius, in quod impellit inimicus tendant, certòq; ſibi perſvadeant, ſe niſi ita fecerint, quidquid quantumvis bonum videatur agant ex inſtinctu maligni, non Spiritus ſancti facturos, quid quid autem ſvaſu & arbitrio ipſius fit, cedit in cultum, & obſequium, eiuſdem, tanquam domini, cum contemptu veri, 30.

& supremi Domini Creatoris nostri.

31\. Hoc consilium, ut sequantur ipsi scrupulosi à se oblatum, vix est possibile, nam constituti in perplexitate & bivio, nesciunt quid melius sit, & ad hoc potius urgentur, quod suggeritur à dæmone. Quare unum restat illis, & saluberrimum quidem, ut sui superioris, aut confessarij stent iudicio, atq; illud duntaxat (toto animi conatu se vincentes) amplectantur, quod illi mandant, aut suadent, securiq; sint, se si eos sequantur, optime facturos, Christo attestante Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*: sicut è contra ni ijs pareant, putent Christo se valedicturos, & adhæsuros adversario eius suoq; Satanæ, quod ipsum ibidem docet *qui vos* inquit *spernit, me spernit*. scilicet instinctu principis huius mundi diaboli videant jam quid malint scrupulosi, num angustias seu carnificinas à tētatore animæ sibi inflictas sequendo, periculo se exponere reliquendi sui Creatoris, & illo contempto dæmoni obsequendi: an parendo ijs quos Christus iubet tanquam se audire, ipsi adhærere, carnificis sævitiam, evadere, animæ torturâ liberari, Id quod certe sequetur, si invocata cælitus ope, decies, aut si opus erit (quemadmodum erit, si habitus scrupuli invaluerit) centies, aut millies ita ut dictum est, se vicerit, adhibito examine particulari de quo hac parte cap. 18. a. n. 61.

32\. Vt verò id consilium bene cedat, is qui curam habet scrupulosi, prudentiâ utatur oportet ut nempe initiò benignè audiat, quas ille affert tricas afflicti cordis, svaviterq; doceat, quid sit facto opus, ita enim vult Apostolus ad Gal. 6. *Fratres si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* (quale est hic sequi instinctus diaboli) *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris*, Vbi verò svavia non semel præcesserunt monita, nec tamen cessant angustiæ scrupulosorum; consultum est imò necessarium rariùs permittere, ut scrupulosi sua fusè narrent. & tandem prorsus prohibere: neq; confessiones repetant, preces iterent, & alia solito cum angore animi peragant; sed potius se occupent iis quæ animum totum aliò avocant, ut studiis aut quopiam opere. Hoc nisi utantur medio, nunquam erit scrupulorum finis, ipsa quippe repetitione angustiarum illarum animæ, roboratur consuetudo timendi & stringendi se magis, ac magis. Id sane idem Apostolus ad Tit. 2. præcepit, quando benigna non prosunt: Hæc inquit, *loquere, & exhortare, argue cum omni imperio, nemo te contemnat.*

33\. Iisdem spiritualibus formatoribus, & illud adhibendum, ut cautè ijs cum agant, hoc est, non solùm cum vexantur scrupulis, sed etiam post quam

quam illis expediti, fuerint, ne sermonem misceant de difficultatibus conscientię, quibus solent illi angi: nam libenter ipsi talia audiunt, quibus assveti sunt, repetuntq; facilè, & redeunt ad idem, occasio enim, ut solet dici, facit furem

Hæc de primo Patris Ignatij contra scrupulos remedio. Alterum est tale: Quotiescunque homini dicere, aut agere aliquid volenti, 34.
quod ab Ecclesiæ usu, aut maiorum nostrorum sensu non dissonat, quod què cedit in Dei gloriam, obviat extrinsecus suggestio dissvadens, ne dicat, aut agat illud propositum adductâ vel malę gloriæ, vel mali alterius cuiusvis fucatâ quadam ratione, tunc ad Deum elevanda mens siquè appareat ad eius gloriam spectare dictum, aut factum eiusmodi, vel certe contrarium non esse, tendendum rectè erit adversus talem cogitationem, atque obstrepenti nobis inimico, respondendum cum divo Bernardo: *Nec propter te capi, nec propter te finiam.* Hoc secundum illis commendat S. Pater qui jam utcunq; evalêre scrupulorum molestias, & liberiùs operantur. Ne verò etiam tunc anxij sint, in cognoscendo eo, quod ad Dei gloriam spectat, vel illi non sit contrarium, noverint omne illud tale est, quod sit præceptum, aut prohibitum de quo ipsi sciant, vel laudatum & commendatum: quod si dubitent, sequantur doctrinam supra hoc cap. num. 26. datam de dubijs. Quæ de scrupulorum remedijs dicta sunt hactenus, molesta videbuntur in praxi, adhibenda tamen neq; enim gravis morbus aliâ quam amarâ pellitur medicinâ.

Sectio V.

Quænam molestant progredientes in virtute.

SEd jam pergamus ad tentationes progredientium, quos quando feliciter honestatis viam decurrere advertit animarum hostis neque potest ab ea revocare, saltem retardare nititur, id quod præstat interdum scrupulos ingerendo, sed hos illi nimirum iam exercitati, facilè superant: Crebriùs desolatione spiritus pulsat, duos sibi in eo præfingens fines. Primus est, ut is qui premitur desolatione in operibus pijs, destitutus divinis quærat mundana solatia, contemptaq; vita spirituali adamet carnalem. Alterum quod intendit dæmon est, ut si desolatione vexatus, nolit rectè vivendi deserere propositum, saltem in eo languidior fiat. 35.

Digitized by Google

36. Cæterùm tam ipsam desolationem, ac oppositam consolationem, causamque utriusq;, quàm modum in utraque se gerendi optimus vitæ spiritualis magister, optimè describit S. Pater Ignatius in illo suo libello Exercitiorum in regulis de discernendis spiritibus. Ac primò consolatio, inquit, spiritualis tunc esse noscitur, quando per internam qvandam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec jam Creaturam ullam, nisi propter ipsum potest diligere. Quando etiam lachrymæ funduntur, amorem illum provocantes, sive ex dolore de peccatis profluunt, sive ex meditatione Passionis Domini, sive alia ex causa qualibet, in Dei cultum, & honorem rectè ordinata. Postremo consolatio quoque dici potest fidei, spei, & charitatis quodlibet augmentum: itē lætitia omnis quæ animam ad cœlestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem, & pacem cum Domino habendam solet incitare. E contra spiritualis desolatio vocari debet, quævis animæ obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res infirmas, seu terrenas: omnis deniq; inquietudo & agitatio, sive tentatio trahens in diffidentiam de salute, spem, charitatemq; expellens. Vnde se anima tristari, tepescere, ac torpere sentit, & de ipsius Dei Creatoris sui clementia prope desperare. Sicut enim consolationi opponitur desolatio, ita etiam quæ ab utraq; oriuntur cogitationes, sunt inter se prorsus oppositæ.

37. Hinc patet quid sit tam cousolatio quam desolatio, causam prioris docet S. Pater esse Deum, vel eius iussu Angelum, qui ideo infundunt animæ lætitiam, ut eam in bono confirment, ad nouum maiusq; excitent, & in illo promoveant. Desolationis causa est interdum Deus ipse subtrahens ea, quæ moveant lætitiam spiritualem, aut certè est dæmon permissu Dei; idq; tres ob causas fieri putat Ignatius: vel ob tepiditatem in obsequio Divino, acediamq; nostram quæ hac ratione punitur vel ut probemur quinam simus & quomodo in Dei servitium, absq; præsente consolationum stipendio nosmet impendamus, vel ut certi simus, nos nihil posse acquirere, aut retinere donorum, solatiorumque spiritualium, nisi accedat liberalis Dei misericordia.

38. Postremò docet S. Pater quid sit in desolatione, agendum. Tempore, inquit, desolationis nihil innouandum est circa propositum animi aut vitæ statum; sed in eis perseverandum quæ fuerunt prius constituta. Quemadmodum enim dum fruitur quis consolatione, non proprio suo, sed boni spiritus instinctu regitur, ita obversante sibi desolatione, agitur à malo spiritu, cuius instigatione nihil unquam rectè conficitur. Hæc documen-

documenta tanti, & tam periti viri instruunt eos, qui constanter pergunt in via Divini obsequij, semel sanctè cœpta, ut licet nihil gustus, alacritatis, & lætitiæ sentiant, sed ariditatem, angoresq; animi, sint tamen firmi, hoc est perinde orationi vacent, sacramenta frequentent, proximo se humanos, & benevolos exhibeant, in se pari etiam studio invigilent, deniq; cætera omnia rectè peragant, quę quisq: pro suo statu debet. Ac quod potissimum est, humilitatem, mansvetudinem, patientiam, fortitudinem, spem in Deum, fiduciamq; sectentur; harum enim virtutum, vel maximè opportuna tali tempore adest occasio, quæ insigniter, & heroicè tunc exercentur, cùm quasi destituti à Deo (nequaquam tamen destituti, ille enim dicit Psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione) soli obijciamur hosti, cum eo certaturi,

Nolo vel exempla afferre, ne sim longior vel pericula eorum recensere, qui hanc tuendi sui, in vita sanctè inchoata normam neglexerunt 39.
& vel retro abière, vel summa agressi, in medijs, aut infimis remansère satis erit unum sancti Pauli testimonium, qui bene, & piè viventibus, multis tamen angustiis pressis, hoc unicum ad consequendam gloriæ mercedem assignat, stare videlicet, fortes in cœpto proposito, verba eius sunt ad Hæb. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem, patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, & non tardabit: iustus autem ex fide vivit, quod si subtraxerit se non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.* Clarè hic docet Apostolus bonos alioquin, si impatientes fuerint angorum, & desolationum (quæ sunt potentiores tum, cum extrinseca quoq; cruciant mala, scilicet, egestas, fames, bella, morbi, infamiæ, damna bonorum & similia) aut ab æterna hæreditate, aut a maiore eius portione se se subtrahere.

Sectio VI.

Quæ tentationes vexant perfectos.

VLtimò de tentatione perfectorum dicendum, quos quia hostis animarum cernit omnibus virtutibus præditos, & ad maiora semper 40.
animatos, duo in illis teste S. Ignatio in ijsdem locis satagit effi

 cere,

cere, de primo sic scribit, Solet adversarius imitari aliquem belli ducem qui obsessam arcem expugnare, atq; deprædari cupiens exploratâ prius naturâ, & munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum & ille circuit animam, & callidè inquirit quarumnam virtutum præsidijs, moralium, scilicet, an Theologicarũ, ipsa vel munita, vel destituta sit, eaq; potissimum parte machinis omnibus admotis irruit, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minus cæteris firmatam, custoditamq; esse præviderit.

41. Hæc Sanctus Ignatius, quæ etsi ille ad imperfectiores dirigit, possunt tamen ea etiam perfectis accõmodari, nemo enim ita in omnibus est exercitatus virtutibus, ut in æquali gradu, ac præstantia quasuis teneat. Id quod manifestum est ex S. Paulo 1. Cor. 12. ubi docet divisiones gratiarum esse ab uno eodemq; spiritu, inter quas gratias, non solùm sunt gratis datæ ad utilitatem proximi, ut est donum sermonis, aut lingvarum, sed etiam quæ cuiusq; propriam constituunt sanctitatem, cui annectuntur virtutes, id enim ibidem scribit: *Æmulamini autem charismata meliora*; Et prosequitur commendans charitatem, aliasq; virtutes cap. 13. Jam sicut teste eodem Apostolo, ipsaq; experientiâ, uni datur donum sapientiæ, alteri sermonis, tertio scientię, & quæ ibi enumerat, ita uni datur perfectior virtus, alij eadem quidem sed imperfectior: quæ omnia operatur spiritus prout vult. Quod cùm verum sit, sequitur ut dęmon imperfectiorem quampiam è virtutibus in aliquo deprehendendo, ad eam prorsus tollendam, machinas admoveat tentationum. Ergo timidiores (etsi perfectos) pusilliminitate & diffidentiâ tenstat, minus mansvetos, & humiles irâ pulsat, & superbiâ, charitate proximi non adeo præstantes indignatione & invidiâ molestat, ita alios aliter atq; aliter. Et perfectis quidem molestum est sic agitari à dęmone cæterùm pius Deus ad bonum eorum permittit hanc agitationem, ut ita compleat id quod deest boni, & in timore sancto, atq; humilitate conservet, ne unquam putent securos se esse in hac vita ab hoste. Divinæ huic circa se providentiæ morem gerentes perfecti, in eo se sedulò exerceant, in quo tentantur, utentes hac ratione satanæ malitiâ ad propriarum animarum bonum, sicq; primam technarum eius fraudem eludentes.

42. Alterum tentationis genus quo solent impugnari perfecti sumo ex hisce Sancti Patris verbis eodem loco conscriptis. Id moris est spiritui maligno, ut in lucis Angelum transfigurans se se, cognitis pijs animæ votis,

votis, primò obsecundet, mox deinde ad perversa sua desideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio bonas, sanctasq; cogitationes hominis sequi, & fovere, ac deinde in occultas fallaciarum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat. Hæc à Sancto Patre notata, perfectis potissimè serviunt, neq; enim eos dæmon ad mundana, ac terrena allicit, nimirum quos videt ab ijs planè aversos, itaq; sub specie boni ad intentum conatur perducere finem, id quod duplici via præstat, semper se bonum fingens angelum. Primò obsecundat pijs animæ votis, & tandem eò deflectit, quò incauta pervenit: ita ieiunijs, carnisq; castigatione adiectis, asperiota svadet, ut illi talibus attriti, ad spiritualia sint minùs habiles; sic orationi assuetos, extraordinaria perfundit mentis svavitate, ut eos à iuvandis proximis avocet. Quis potest omnia enumerare, quę fiunt à perfectis viris specie boni, quæ tamen deprehenduntur esse non bona. An non perfectus Petrus, an non perfectus Paulus Apostoli? uterque tamen erat sibi contrarius, ut ipsemet scribit Paulus ad Gal. 2. uterq; in suo facto bonum intendebat. Quis verò eorum deliquit arbitrans se bene egisse, Petrus ne comedendo porcinas carnes, clam Iudæis, an Paulus hoc ipsum reprehendendo: dies manifestabit Domini, quando nihil erit opertum, quod non reveletur, ut promisit Christus Mat. 10.

Ex hac una Apostolorum operatione, deduco duo esse genera culparum levium, in hominibus perfectis, unum ex fragilitate, passione, scilicet, prævolante rationem, quæ tum minùs considerando delinquit. 43.
Ita irâ, vanâ complacentiâ, immunda cogitatione, aut motione peccatur ab illis: sic non attendendo debitè ad cultum orationis, ad Diuinæ Maiestatis reverentiam, atq; amorem ad beneficiorum magnitudinem, omittuntur ex passione segnis molliciei virtutum actus, devotionis, scilicet, reverentiæ, amoris, gratitudinis & aliarum. Secundum genus imperfectionum est sub specie boni aliqua facere, quæ melius expensa pænitet fecisse: Ita David 2. Regum 24. bono ad speciem fine (neq; enim putandus est tantus sanctus directè intendisse vanitatem) iussit numerari totius regni subditos ad militiam aptos, percussit deinde pectus suũ agnouitq; se instinctu procul dubio mali angeli fecisse ea (qui si non induxit in hoc, prosecutus certè est.) quod ab initio putabat à bono sibi suggestum. Eadem ex causa multa fiunt à sanctis: lugent illi non rarò se plus aliquantulum corpori sustentando indulsisse, quam natura postulet, dixisse aliquid quod proprium non nihil redolet honorem acrius monu-

Digitized by Google

us monuisse sibi subiectos, & alia fecisse, quæ bona videbantur, verùm detracta subtili examine boni specie, tentatoris fraus daprehenditur. Eoq; interdum simulatio versuti hostis procedit, ut gravis delicti sit causa; id quod hac parte secunda cap. 12. a. n. 11. latè ostendi, de illusione tractans.

44 Hæc est una via qua Angelus satanæ transfigurans se in angelum lucis nititur decipere perfectos, & ut non decipiat monet loco citato S. Ignatius attendendum esse finem, quo collimat persvadendo quidpiam, si enim in eo reperitur aliquid sinistri, quod adversatur virtuti; opera ad talem finem directa, quantumvis prævideantur, mala sint oportet, nimirum à malo spiritu, ad malum finem destinata. Itaq; vel prorsus omittenda, vel si aliqua eius fuerit utilitas, aut necessitas, in parte, aut in toto exequenda sunt, præfixo alio bono fine. Hanc doctrinam secuti pij aliâs viri videant, qua ratione se præparent, ad præcipuas solennitates sanctè celebrandas. Nonnulli enim multa præmittunt ieiunia, vigilias, & id genus corporis afflictiones, quibus si illud efficitur, ut sint devotiores, aptioresq; ad orandum, ad percipiendam sacrosanctam Eucharistiam, ad audienda Divina, omnia illa securè suscipi possunt, tanquam à spiritu bono commendata. Quod si experiantur iidem se aliquando fuisse, & quidem sæpius, aut prudenter conijciant fore segnes, somnolentos, debiles, minusq; habiles ad devotionis munia, moderandam sibi putent corporis castigationem, ac si nolint, sciant se angeli satanę suasui morem gerere, qui eo fine mortificationes carnis tantas suggerit ut in spiritualibus, quibus illæ deservire debent, iacturam patiantur.

45. Jam alia via quâ satan perfectos oppugnat est cum eos aut præsumptuosos, aut timidos, & diffideutes conatur reddere. Novit ipse multis tales Dei donis ornatos esse, scit etiam à se non posse illos spoliari ijsdem manifestis peccatis, à quibus hi abhorrent prorsus: quid jam agit illusor, inducit, præsertim eos, qui sunt lętiore corporis temperamento & magni, altiq; animi ad identidem spectanda illa Dei dona. Qua in re simulat bonum finem laudis divinæ; gratiarum actiones, amoris, reverentiæ, cæterùm quod intendit est, ut sic crebrò se suaq; considerantes securos, certosq; de salute reddat, nimirum qui tantis à Deo excellentijs sint insigniti. Ex quo facile sequitur remissio animi, ut advertentes se multa habere nolint velle plura: subsequitur etiam vanitas, & complacentia sui, quam intuitus pręstantium rerum solet excitare. Quę & simi-

similia efficiunt in anima præsumptionem, de divina quidem misericordia, plus tamen æquo, & interdum periculosè, si videlicet præsumptioni admisceatur securitas, securitati laxitas, laxitati defectus timoris, defectui tandem neglectus conscientiæ. Hæc ne sequantur, suo exemplo cavet Apostolus 1. ad Cor. 4. dum inquit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est:* & primâ ad Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Hac ratione explicata tentat satan perfectos animi fidentioris, aliter eos qui naturâ, aut senio sunt tristiores, animi etiam timidioris, his enim divinæ iustitiæ rigorem, & abyssum iudiciorum inculcat crebrò, potenterq;, ut nempe hæc expendendo timeant, ne in tota eorum vita sint aliqua, quę ipsis videantur bona, à iudice verò mala æstimantur. Adhæc dona Dei, quibus inspectis erigitur anima ad spem iu Deo collocandam occultat dęmon peccati umbrâ, tanquam malum sit illa nosse & expendere. Hinc verò nascitur diffidentia quædam, quasi Deus justitiæ suæ tales iudicandos reservando, nolit misericorditer dare dona ad salutem, aut perfectionem necessaria. Nascitur & obscuratio mentis, ut nimis timendo suspicentur subesse aliqua sua mala, quę revera sunt bona. Deniq; sicut primis crebrò illud usurpandum svadet ex ps. 12. *Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi:* ita his sæpius objicit quod dixit Iob. cap. 9. *Verebar omnia opera mea.* & quod primâ Petri 4. legimus *Iustus vix saluabitur:* quibus hoc efficere molitur, ut timoribus angustiati, despondeant animum, minusq; pro perfectione augenda laborent, cum se præteritis laboribus nihil putent assecutos, vel certè talia, de quibus perplexi dubitent.

Ita crebrò jam fidentes jam diffidentes tentando, quod ultimò tandem intendit veterator est, ut sive pręsumptione, sive desperatione victum, spoliare possit donis, & gratiâ Dei Contra has mali angeli techas, servanda est S. Ignatij regula, diligenterq; expendendus finis. Si, 46. enim in eo deprehensum fuerit aliquid sinistri, nempe remissio animi & languor in studio perfectionis, vana complacentia, & præsumptio de Dei misericordia quasi illa certò & indubitanter sit conservatura ad finem usq; à se collata dona, etsi nos minùs ei cooperemur viâ, & medijs debitis; si, inquam, aliquid tale cognitum fuerit, avertenda est mens à consideratione eorum quæ possidentur magna, & ad proprium nihil, quod quisq; de se est, convertenda, hocq; in conspectu Dei confitendum

cum S. Paulo 2, ad Cor. 12. *Nihil sum.* Postremò timendum ne iusto Dei iudicio privati, in pœnam ingratitudinis alieno, hoc est divino, nobiscum illud retineamus, quod sumus, videlicet nihil.

47. Quod si à notitia Dei donorum hoc fine deterreamur, quia divinæ strictissimæ justitię vix aliquid probari potest tanquam bonum, quia licet teneamus aliquas virtutes, quis tamen novit, an cum his sint alia ad salutem necessaria, quia aliud non restat, quàm ut semper in timore, in perplexitate, & angore animi vivamus: si hæc, aut similia torqueant animam: ad considerationem eorum, quę à divina bonitate sunt misericorditer concessa nos convertamus, cui sicut placuit dare talia, ita etiam placebit conservare data, & adiungere ea, quæ sunt necessaria, aut utilia, semper enim de Deo in bonitate est sentiendum, ut ipse sapientię primo præcepit. Porro ille in bonitate sentit, qui faciendo quod potest, invocandoq; ipsius opem reliqua eidem bonitati supplenda relinquit, in qua aliud non est, quàm infinitas & immensitas ipsiusmet bonitatis, ac misericordiæ: quid jam ab hac infinitate non expectandum boni.

48. Verùm ut paucis ea comprehendamus quibus perfecti virtute sive præsumptione, sive diffidentiâ tentati se tueri possint, tentati, inquam, periculosè utroq;, sed posteriore molestiùs: quis enim non vehementer angatur, si laborum & dolorum non speret optatum finem? quacunque igitur ratione tententur, medios se locent inter divinam misericordiam, & iustitiam, tanquam inter duos patronos, certi ab illa se habere bona Dei, ab hac castigari sua mala: sed nec iustitia sine misericordia castigat nec misericordia dat sine iustitia, ita enim dat misericordia, ut si bonis eius admiscuerimus nonnihil de nostro malo, id à justitia corrigatur, ita verò corrigit justitia, ut bona à misericordia data perficiantur, non corrumpantur.

49. Hac ratione divinæ misericordiæ, & justitiæ committat se perfectus, duoq; tanquam signa habeat, quæ indicent ipsum receptum in tutelam ab hisce divinis patronis. Alterum quod quidvis mali sit peratus ferre potiùs, quam vel levissimâ culpâ offendere diuinæ iustitiæ majestatem; alterum quòd quidvis boni agere velit ùt placeat Dei bonitati. Qui hæc duo verè, & sincere in se experitur, quamdiu experitur, misericordiam, & justitiam Dei piam in se, clementemq; noverit esse, illam à qua habet ut semper plura expectet divina bona, hanc ut nulla velit esse, quæ puniantur propria mala.

Sect.

Sectio VII.

Quo conatu superanda est difficultas ex parte potentiarum in consequendis virtutibus moralibus acquisitis.

INitio capitis huius duo ostendimus esse quæ exigunt, magnum studium in consequeuda virtute, difficultatem scilicet obiecti, & potentiarum vim ac naturam, de primo jam dictum alterum explicandum est. Illud verò hic supponi debet, quod in Philosophia est certum, quamvis potentiam, sive ea libera sit, sive necessariò operans, habere limites virium, ac facultatis suæ, quos quidem excedere non potest, conando ultra quàm à natura est concessum; potest tamen eos non attingere, si libera sit, aut libero subdita imperio. Propterea Deus Deu. 6. & Mat. 22. exigit ab homine, ut diligatur *ex toto corde & in tota anima, & in tota mente*; scit enim eum posse, non totâ, sed parte facultatis suæ amare, si ita velit. Quod si summum bonum summumq; honestum, ac iucundum, nempe Deus non summis, totisq; viribus amari potest, quid de virtutum honestate dicendum: si maximo non datur totum, quod potest, & debet facultatis conatus, quantum dabitur minori. 50.

Jam verò ut sciamus in quo consistat hic, quo de agimus animi conatus, supponendum qroq; in homine quasdam esse potentias cognoscentes, appetentes alias, quarum utræq; virtuti obsecundant: priores quidem tantò exactiùs, quantò attentiùs se explicant, & clariùs percipiunt honestatis rationem: posteriores verò idem etiam præstant, si propensius in eam ferantur, & purius, hoc est, sine admixtione finistrorum finium, aut circumstantiarum, ut docet S. Th. 1 2. q. 52. a. 3. in cor. 51.

Ex his jam patet, quis sit conatus adhibendus in studio virtutum, id quod in exemplo clariùs patebit. Qui v. c. mansvetudinis virtutem exercere velit, faciet id si facultas eius cognoscens, alijs semotis ad præstantiam iræ compescendæ sit planè attenta, cùm fortior sit qui se quam qui fortissima vicit mænia: deinde si omnino convincatur necessitate mortificandi sui, & uno verbo si omnia perfectè videat ad hanc virtutem conducentia cognoscenti, cooperabitur appetens vis, si eandem victoriam expectat, tanquam quid vehementer amandum, & amplectendum, quasi aliud nil supersit expetendum, aut ex imperio rationis in effectu 52.

ponendum, neq; id agat, ut videatur operans, laudetur, aut speret aliquid inde lucri, sed purè hoc fine, ut iram subdat rationi, sic qui agit, operatur honestè, tota mente & tota virtute, seu toto potentiarum conatu, in materia quam attuli mansvetudinis, & quavis in alia idem faciendum.

53. Non caret sua difficultate hęc operandi contentio; videmus enim omnia quæ appetitum, ut Theologi dicunt, elicitum habent, seu talem qui à potentia cognoscente regitur, non se applicare totaliter ad operandum, quemadmodum faciunt illa, quæ aguntur appetitu purè naturali, ut sunt inanimata, & animata vegetantia, quæ semper faciunt id quod possunt. Ignis enim tota levitate sursum tendit; terra gravitate tota descendit deorsum, ita reliqua talia. Cætera animantia experimur sibi connivere, neq; enim semper equus currit, quantum potest, nec bos trahit aratrum, nisi adigatur, luscinia non perpetuo canit, aut cornix crocitat. Cuius alternationis varia est causa, jam temperamentum corporis, ex hoc bos piger tardusq; ad laborem: jam varia phantasiæ apprehensio, hinc luscinia esuriem sentiens intermittit melos, quin & valedicit cantui, si pullorum alendorum incitet necessitas, poterunt etiam aliæ esse causæ.

54. Quòd si ita hæc agunt, quæ tamen non sunt libera, homines profectò, & ob temperamentum corporis, & ob varia occurrentia, & ob naturæ libertatem, pro libito jam sic, jam aliter, operantur, aut non operantur. Sunt quidam pigri, tardi, oscitantes, veloces, prompti, seduli alij: hi multa agunt, sed omnia leviter attingendo, illi pauca, accuratè tamen. Nonnulli ægrè ad inchoandum inducuntur, ubi verò cęperint, durant ad finem usq;, erunt qui simul viderint, rapiuntur; sed ut citò rapti, ita mox fatigati, aut mutati cessant. Tanta, & multiplex alia varietas. parit non mediocre animo negotium ei, qui illam in debitum ordinem, normamq; redigere velit, sequentibus contentam punctis.

55. Primum est, ut quando adest rectè agendi necessitas, applicet se ad operandum virtutis amans, neq; permittat libertatem exorbitare dilatione operis. Atq; ut intelligatur de qua libertate nunc est sermo: sciendum est à Theologis duplicem assignari, executionis unam, alteram specificationis: illa sui juris est, quoad agendum, & non agendum; in hac est situm agere unum, ex contrarijs, bonum v. c. potiùs quàm malum; item ex bonis primò unum potiùs, quàm aliud v. c potiùs orare, quàm

quàm jeiunare. Hic agimus de libertate exercitij, seu executionis? Quantùm verò virtuti præiudicium faciat libertatis huius abusus, docuit Christus severo sui judicij prognostico, & quasi progymnasmate quodam apud Matth. c. 25. ubi pigrum servum, qui acceptum talentum defoderat in terra, neq; eo ad fructum uti volebat, ita excepit: Serve male, & piger, *sciebas quia meto, ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utiq; quod meum est cum usura*; tollite itaq; ab eo talentum & inutilem servvm eiicite *in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.*

Progymnasma id Christi, dogma continet eorum, quæ fecit jam, & quæ facturus est ad finem mundi cum ijs, qui talenta facultatum ad bene operandum divinitus concessarum, in profundo acediæ defoderunt, tempus & opportunitatem virtutum negligentes. Epulo ille teste Christo apud Luc. 16. *Sepultus est in inferno*, non quia spoliavit Lazarum bonis, aut vitâ, sed quia egenti ægro, & morienti non succurrit. Virgines quinq; de quibus Matth. 25. & sexu, & gloriâ virginitatis teneræ, ac delicatæ, non quia loco olei sordidum, spurcumq; habuêre in lampadibus liquorem, sed quia non sumpserunt oleum boni alicuius operis omissi, audierunt sibi dictum: *Amen dico vobis, nescio vos*; clausaq; est cœli janua, non reseranda in æternum. Quot his sex pares, (de quibus non scimus) sepulti jacent in inferis? ac, quod de uno bono opere omisso constat, idem de alijs æque certò tenendum; quæ si sunt necessaria ad salutem (ut erat auxilium Lazari in extrema pauperie constituti, & illud oleum operis cuiuspiam) omissa inferni merentur ignes, & exclusionem à regno Dei. Quòd si sint opera minoris necessitatis, omissio eorum est culpa levis, & si ad consilium spectant, ac perfectiorem, cum imperfectione negliguntur. Qualiacunq, ea sint illud prorsus in eventu relinqvunt; ut quæ potuit, aut debuit esse virtus, non sit; habitus enim bonus, ut jam sæpius est dictum, nascitur ex operatione bona. 56.

Ex dictis, hanc puncti primi jam explicati noverimus esse praxim, ut putemus faciendam esse libertati exercitij vim, nolit data opportunitate omittere bonum, præsertim si necessitas salutis immineat. Ita libertate ista excitata, facilè comitabitur alia, quoad specificationem, qui enim non vult pigritare, & vult agere; aget certè id, quod quovis tempore expediens, decens, & utile erit. Quanquam ad excitandam alteram hanc libertatem novus requiritur conatus; nam fit, neq; rarò ut quis velit bonum operari; ubi verò occurrerint aliqua ex multis, quæ 57.

possunt fieri bene, hæreat in ipso exordio operum. Talis fuit ille adolescens Matth. 19. volebat honestè agere, ut vitam adipisceretur beatam, ad quam possidendam proposuit Christus mandata sua tanquam necessaria media, & consilia perfectionis: illa grata, & usitata sibi esse ostendit juvenis, hæc non item. Nam audito Christo sic suadente: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo*: *abiit*, scribit Matth. *tristis, erat enim habens multas possessiones.*

58. Habuit hic rectè ordinatam libertatem exercitij, quam demonstravit offerendo se ad operandum pro gloria cœlesti, quando dixit: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam: voluit etiam bene operari, non malè, quod ex verbis eius constat: Quid, inquit, boni faciam: verùm cùm suaderet Dominus ut ex bonis, illud eligeret, quod erat melius; hîc jam hæsit ob defectum libertatis quo ad specificationem. Patet ergo novam esse difficultatem libertatis, quo ad specificationem, à libertate exercitij, nunquã superandam naturaliter.

59. Alterum punctum circa jam dictam libertatis difficultatem, (quæ subiectum operantis concernit) non jam est in operando, verum in operandi modo, ut, scilicet, debitus potentiarum conatus adhibeatur. Hic conatus intelligitur primò summus, qui haberi potest, supra n. 52. descriptus; sed id paucorum est, ut ad honestatem totos se applicare velint: nam licet virtutis moralis bonum sit maius omni alio materiali, magis tamen hoc trahit ad se homines, nimirum sensibus expetum. Quo fit, ut voluptas carnis, dignitas titulorum, pecuniarum lucra ardentissimè expetantur, quærunturq́;; è contra castitas, sobrietas, humilitas, parsimonia, leviter, & remissè, eò quòd hæc remota sint à sensibus, nec cognoscantur in se, sed per quasdam similitudinum formas, & imagines. Humilitatem enim v. c. fingimus esse velut picturam quandam obscuram quidem, elegantem tamen in anima, castitatem, candorem quendam splendidum in eadem, & sic de alijs. Cùm itaq; summus conatus potentiarum, rarus sit in virtutum exercitatione, vel magnus ab eo exigendus, cui difficile est habere maximum. Tum autem magnus adhibetur, cùm facultas cognoscens attenta est, ut operis honesti totam utcunq; percipiat sui applicatione seriem, atq; amplitudinem, appetens quoq; cupit cum aliqua ea frui, tandem cùm utraq; prædicta facultas efficaciter præcipit exequenti potentiæ, ut opere terminetur id, quod præcessit in mente, atq; appetitu.

60. Conatus jam descriptus multis solet impediri, primò difficultatibus quas

quas in hoc cap. sex præcidentibus sectionibus exposuimus: nam quantò plura sunt quæ in contrarium hominem trahunt, tantò ægriùs incipere aut progredi potest. Ergo passiones, vitia, materiæ, ac obiecti honesti difficultas, deniq; tentatio sunt quædam retinacula arbitrij nostri, quibus quasi ligatur, & quę nisi magna contentione animi perrumpantur, tenent illud immobile velut loco affixum.

Secundò impeditur dictum studium impatientiâ laboris quantumvis nullam demus enumeratarum jam difficultatum: nam conatus intellectus, voluntatis, appetitus, membrorumq;, fatigat corpus (maximè si sit inneptum ad laborem) siquidem dolore, & molestiâ illud afficit, quæ sustinere, nec sustinendo deficere, est streuui, & fortis. Quis enim talis semper, aut diu quem beatum Eccl. prædicat cap. 31.? *Qui inuentus est sine macula, & post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris, quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Quod si beatus & mirabilia patrans est is qui in pecuniarum amore nec deficit, nec excedit, quàm beatior, & mirabilis qui in reliquis difficilioribus, & prorsus in omnibus est talis? 61.

Tertiò impeditur adhuc libertas nostra ignorantiâ fructus ac mercedis. Multa multi in vita hac laboriosa ferunt, constanterq; cœpta prosequuntur, quia eorum vident consequentem fructum: messis colonum, lucra mercatorem, militem spolia invitant. Cæterùm honestatis quæ sit merces in altera vita, obscurè fides narrat, in hac valde crebrò, & ferè semper mali feliciores sunt bonis, horum autem fructus in anima post studium virtutum manet, nempe pax, tranquillitas conscientiæ, ac pulchritudo animæ, qui fructus valde est remotus à sensibus talisq; quem nemo nisi expertus novit, nec experiri ante laborem potest. Et quia labor terret, frangitq; id verò quod eum sequitur longinquum, incertum arcanum est; hinc efficitur ut pigeat strenuè laborare. Hæc pigritia, & impatientia laboris ipsos etiam angelos ad lapsum perduxit, ut tenent Theologi cum S. Thoma, prima parte Quæst. 63. art. 3. sancti illi erant, perfectiq;, nec aliud ab eis exigebatur, quam ut in eo quod habebant constantes, ac immobiles perseverarent, & perseverando augerent, tandem mererentur ultimam beatitudinem verùm tædebat eos moræ, nolebant obsequendo Deo præstolari ultimum bonum, quo factum est, ut deficerent quasi defatigati; jam luunt æternas inconstantiæ suæ pœnas: tantùm refert non durare in studio, labore, & in spe mercedis. 62.

Postremò impeditur libertas nostra ipsa sui mutabilitate, quæ in omni- 63.

Digitized by Google

omnibus ad quæ se applicat, nutat, uno summo bono dempto Deo, & quidem clarè viso: cætera enim bona creata etiam honesta, cùm non contineant in se omnimodis potentias, id quod hac parte supra cap. 25. 2. num. 10. explicatum est. Hinc verò sequi oportet, ut proposita virtutum moralium honestate, id studij in appetenda ea adhibeat anima, quod ipsi placuerit, jam magnum, jam parvum, jam totum quod potest, ut videre est in duabus germanis sororibus, Martha & Magdalena Lucæ 10. Vtraq; earum pia, & rectè divinis addicta erat, maiore tamen studio Magdalena ijs intendebat, quàm Martha: gratiæ divinæ id quidem tribuendum, sed tamen illi cooperari debuit libertas, applicando se ita ut excitabatur à Deo. Sicut ad omnes jam enumeratas virtutum difficultates est necessaria gratia Dei, verùm hęc nihil agit, nisi ei sociemur teste Paulo, qui de se primâ Cor. 15. *Gratia Dei mecum.* Impedimentis libertatis nostræ perspectis, restat ut contra ea totâ, vel saltem magna facultatum omnium contentione nitamur, si virtutis gradum, & quidem insignem assequi cupimus.

64. Non una eaq; excellenti similitudine expressum id habemus à Domino, primò Luc. 9. ubi sic agit. *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Virtutum cultura in intimo animæ velut in terra à quovis nostrum exercenda est, si regno Dei apti esse volumus, sed illud cavet Salvator, ne retro aspiciatur: scit quippe aspicientem etsi non destiturum, aut interrupturum opus inchoatum (si tamen aliquid plus non sequatur) remissurum certè de conatu: neq; enim non videns perinde gradiendo pergit, atq; videns etsi uterq; procedat. Benignus Dominus non exigit à nobis ut summo ad regnum curramus studio, sed id vult quod adhibet lento incedens gradu arans, qui tamen non remittat, sed in suo permaneat rigore. Et quemadmodum colonus facie, oculisq; ad anteriora conversus, manibus & pedibus operi incumbit, ita labor virtutum omnes, quâ cognoscentes, quâ appetentes, exequentesq; potentias ad se trahat, & in se detineat oportet. Idem alijs quoq; similitudinibus Salvator declarare voluit Lucæ 10. *Nolite*, inquit, *portare sacculum neq; peram, neq; calceamenta, & neminem per viam salutaveritis:* quibus significat vitam honestam in hac mortalitate esse viam ad æternam beatitudinem: atq; ut expedite cœptum prosequamur iter, abijcienda ea suadet Christus, quæ nos quasi gravant, & lassos toties sistere cogunt, ut sunt sacci, peræ, calceamenta, per hęc significantur talia, ob quæ in honestate deficiamus, jucundis utilibus,

vel

vel molestis, detenti. Quin, & salutationem censet omittendam, hoc est amicitias hominum, velociter in via honestatis pergenti noxias, vt est noxia mora currenti, si salutationibus distineatur.

Ita Christus, Magister virtutis, vult attentos nos ei esse saltem cordato, & strenuo conatu, si non summo, & toto: mentem Magistri discipulus eius Apostolus Paulus accomodata etiam declarauit similitudine 1. ad Cor. 9. *Nescitis, inquit, quod ij qui in stadio currunt omnes quidem currunt sed unus accipit brauium, sic currite ut comprehendatis.* Quanta debeat esse contentio virium in cursu virtutum illo (sic) indicat, docetque omnes quidem nos egere virtutibus varijs, pro vario statu, & conditione cuiusq; , omnes item debere laborare, & niti eas consequi, ut referamus brauium vitæ cœlestis, bonis operibus promissum: qu is tamen ab uno quoq; labor adhibendus sit, non definit S: Paulus: neq; enim unus esse potest, cum tot habeat diuersitates, quot sunt qui in via honestatis desudant. Jllud tanquam certum assignat, sic esse currendum, & laborandum, ut cuiq; ad bene viuendum usq; ad finem est necesse, propterea dicit: *sic currite, ut comprehendatis.* Nam quibusdam est facilis virtus quæpiam, alijs difficilis, nonnullis eadem difficilior, tantum igitur quisq; promat virium, quantum videt sibi opus esse, ut bene agat. Debet autem videre tum in subiecto, & persona sua; tum in gratia Diuina, quâ adiuuatur, & à qua habet instinctus impellentes; tum in excellentia virtutum, quas cupit consequi. 66.

Quod alios docuit Paulus fecit id ipse, nam quid volunt illæ eius de se laudes 2. ad Cor. 11. *Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis. in carceribus abundantius, in plagis supra modum in mortibus frequenter,* & alia quæ ibi in longum prædicat: his, inquam, quid voluit significare, quàm quòd sibi cæteris juniori, naturæ robustioris, & fervidioris, persecutori olim Ecclesiæ, deniq; copiosâ præuento gratiâ ad patiendum multa pro nomine suo, talem in muuere Apostolatus viuendi rationem, ac viam definiverit Christus, aliam Petro, Joanni & cæteris aliam. Jam cum ex ostensis constet conandum esse, neque segniter, in consecutione virtutis moralis acquisitæ, & quidem alia atq; alia contentione virium: cùm etiam multa, & grauia sint, quę hanc contentionem impediant, naturæ, videlicet, corruptio, vitia, tentationes, difficultas obiecti, ipsa denique libertatis volubilitas, inconstantia, & pigritia: postremò cùm valde arduum sit, his omnibus superiorem esse; quisq; clarè videt rarissimum inueniri, qui sit omnibus hisce virtutibus preditus. 66.

67. Quare, si quod ut plurimum in negotio salutis fit ab hominibus sincerè fateri velimus (neminem tamen in singulari persona iudicantes, sed Deo relinquentes iudicium) quatuor eorum genera reperio: sunt primi qui fere nullam habent acquisitam virtutem, homines, scilicet crassè ignari, & nihil curantes honestatem, qui secuti naturæ corruptionem omnia vitiosè agunt, non attendentes ad finem, & circumstantias recti. Quod si contingat, ut aliquid casu bene agant, illud ipsum malis deinde, & oppositis sæpiusq; repetitis factis obliterant: nihil igitur in talium animis morale residet, præter male facta, passiones, quibus cum nati sunt, & vitia, quæ in horas acquirunt peiora. De talium vita & multitudine sic legitur in Eccl. 1. *Peruersi difficile corriguntur & stultorum infinitus est numerus.*

68. Sunt alij, qui bene operantur, sed ita languidè, remissè, & rarò, ut sæpius ac propensius malè agant: vel ergo tot habent vitia, quot virtutes, vel (id quod plerumq; fit) plura vitia, quàm virtutes, vel intensiora illa, quàm has. Tales sunt ij, qui morali, & communi æstimatione dicuntur boni homines, quiq; tenent aliquam honestatis notitiam, timoremque Dei, crebrò tamen malis operationibus multa efficiunt vitia.

69. Tertium genus est eorum, qui honestæ vitæ studiosè afficiuntur, ex quo affectu cupiunt semper bene operari: quia tamen fieri potest, ut vel leuiter non delinquant crebrò, quia etiam non rarò languidiùs bene agunt: sequitur ut tales sint quidem præditi virtutibus, aliquâ tamen sibi necessariâ careant, vel certè laborent quopiam vitio cuius oppositam virtutem in remisso tenent. Eiusmodi homines sunt pij, probi, sibi ac saluti æternæ intenti, etsi ob languorem animi adhuc imperfecti.

70. Ultimum genus hominum est paucissimorum, qui adeo virtuti student, ut semper velint honestè operari, & quidem eo contra omnia eius obstacula conatu, quem possunt adhibere cœlitus adiuti. Hi & omnes & in excellenti gradu habent virtutes, vitia nulla, vel vix aliqua; nam quæ ex levibus culpis nascuntur, mox contrarijs tolluntur actibus. Tales sunt perfecti & sancti, ea sanctitate, quæ à virtutibus moralibus acquisitis conferri potest. Videat jam unusquisq; in quo sit horum genere, & quod bene sibi, ac optimè cupere debeat: *Qui enim sibi nequam est cui alij bonus erit?* Monet Spiritus Sanctus Eccl. 14. *& qui sibi inuidet nihil est illo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius.* Cum igitur sibi homo non inuidus esse debeat, in ijs præsertim quæ sunt summa; illud eligat genus honestè agendi, & hoc ipsum contendat assequi, quod sibi optasse pæniteat nunquam.

Cap-

CAPVT. XXIX.

An, & qua ratione virtus iam acquisita deperdi possit.

CUM non minus sit laudabile parta tueri, quàm acquirere noua; postquam egimus de modis acquirendi virtutem moralem, restant duo hoc capite explicanda. Primum, an virtus jam acquisita deperdi possit; secundum, qua id via ac ratione fieri soleat. Quod ad prius attinet, nullum est dubium perdi posse virtutem semel acquisitam cùm euidens sit ita experientia fieri, quod verò fit, certum est fieri posse. Et quod ita fieri experiamur, clarum est in illis qui olim probi, effecti sunt vitiosissimi, idq; ob ipsam virtutis acquisitæ mutabilem naturam: quia enim illa ex actibus consequitur, sicut actus sunt variationi subiecti, ita & habitus qui ex illis nascuntur.

Sectio I.

Contrarietas actus destruit habitam jam virtutem.

DUplex porro in actibus reperitur variatio, unam vocare possumus 1.
more scholarum, positiuam, negatiuam alteram; positiuam intelligo ipsam contrariorum pugnam: nam sicut virtus vitio est contraria, ita actus utriusq; sibi contrarij erunt. Exempli causa, quia humilitas & superbia sibi opponuntur; humiliatio quoque superbiendi actui repugnet necesse est; neque potest simul unus & idem humiliare se & superbire.

Dicet fortè aliquis non videri repugnans, simul dari actus virtutis, 2.
& vitij contrarios, nam cùm ut hactenus ostendimus, vitium & virtus possit se compati in remissis gradibus: sicut enim una, eademq; manus potest & calefieri à sole, & simul frigefieri in remisso gradu à glacie apposita, ita poterit eadem anima simul & humiliari, & superbire in remisso gradu, hinc ergo sequitur, posse simul duos actus contrarios bonos & malos dari. Respondendum ad hoc negando id quod infertur; nam quando virtus, & vitium compatitur se in remissis gradibus, gradus hi non sunt sibi oppositi, sed tales qui simul in eadem anima esse possunt; pari

ratione & actus, qui ab illis procedunt non erunt oppositi. Id qu... ipso exemplo à natura petito constat; calor enim & frigus, in qu... gradibus se compatitur in una v. c. manu, in ijsdem etiam gradibu... test esse & calefactio, & frigefactio. Itaq; potest manus calefieri u... & frigefieri ut 2. quia in his gradibus, ex utraq; hac qualitate coniun... neq; octavum excedentibus potest esse concordia ut sic ex 6. calori... 2. frigoris fiat complementum ut 8. Cæterum si calor sit ut 4. & fri... ut 4. nequit idem subiectum, calefieri ut 5 & frigefieri ut 5. quia in... gradibus etsi remissis est contrarietas, jam enim ex utrisq; essent 10 gra... dus, quod in natura repugnat, ut docent Philosophi. Ad eum pla... modum, non potest quispiam & humiliari, etsi remissè, & superbire e... tiam remissè simul actibus contrarijs sibi, sicut nec virtute humilis es... & superbus vitio, etsi remissè, contrariè tamen: hæc est enim natura o... mnium contrariorum, ut in eo in quo sibi repugnant, nequeant co... uenire.

3. Ratio autem contrarietatis in virtutibus, & vitijs sumitur, (quod ostendimus cap. 25. a. n. 21. hac parte) ab omnimoda identitate obiecti, ut loquuntur Philosophi, sicut & ipsa habituum actuumq; natura ab obiecto desumitur: si ergo fuerint obiecta diversa, potest & vitium cum virtute, & actus utriusq; simul esse siue in remisso, siue in intenso gradu, sicut calor ut quatuor & frigus, ut quatuor, aut calor ut unum & frigus ut 7 in his gradibus compatiuntur se, exigente ita natura qualitatum, quapropter qui humilitatem sectatur in excellentia, fama, & gloria literarum, non potest eam simul & humiliter & superbè appetere, siue in remisso, siue in intenso gradu, quia illa excellentia est in eadem re, atq; obiecto: & sicut non possunt duo actus humiliationis, scilicet, & superbiendi se compati, neq; etiam poterunt habitus ex illis actibus consequentes. Quod si una excellentia ponatur in literis, alia in robore corporis; potest unus & idem simul humiliter appetere excellentiam literarum, & superbè excellentiam roboris, siue id sit in remissis gradibus, siue in intensis; & idem de habitibus loquendum, qui ex talibus consequuntur actibus, idq; ideo, quia hæc sunt diuersa obiecta.

4. Non disputo hîc quæ nam ista sit diuersitas in dato de humilitate exemplo, formalisne an materialis, si enim humilitas, de quocunq; ... obiecto, est virtus infimæ speciei, diuersitas erit materialis, si au... plures habet species, potest dici formalis, sed quidquid sit de hoc ad ... mandos mores satis est scire, ibi non esse actuum, & habituum contra...

rieta-

rietatem, ubi est diuersitas obiecti, quæcunq; illa sit materialis, vel formalis. Sicut licet calor ut quatuor, & calor ut octo, sit eiusdem speciei, solumq; differat materiali quadam conditione, tamen in gradibus ut quatuor, compatitur se cum frigore etiam ut quatuor, exigente ita natura, repugnat verò cum frigore ut octo eadem natura prohibente: idē dicendum de repugnantia virtutum, & vitiorum, operationumq; quæ ab utrisque promanant, quidquid sit quod diversitas obiecti jam sit formalis, jam materialis, modo non circa idem omnino occupentur.

Verùm de his plura ad Philosophos, & Theologos remittenda; dicta sufficiant ad id, quod ex illis inferre volumus, nimirum unum ex duobus modis, quibus virtus jam acquisita deperditur, esse per contrarietatis pugnam, quæ tum fit, cùm actus producitur malus, qui relinquit habitum vitij incompatibilem virtuti præcedenti. 5.

Quo in eventu virtus jam habita perditur, sive tota, sive in parte, & in aliquo gradu: tota interit, si actus malus produxerit habitum vitij intensi, qui superat totam virtutis suppositæ graduū perfectionem, in parte autem tunc deperditur, si vitium non omnes, sed aliquos tantum interimat virtutis gradus. Ad eum planè modum, quo ignis calefaciens lignum, principio aliquos frigoris destruit gradus, tandem omnes, totumque calorem ut octo, inducit inflammando lignum, id quod in exemplo fiet plenius Habeat v.c. quis humilitatem in excellenti gradu, qui sit ut octo; superbiat deinde remissè ut unum, non resistente humilitate: remanebit intensio humilitatis ut septem. Quid si rursus superbiat idem ut duo, manebit humilitas ut sex, ac si ita pergatur in superbia, eò tandem venietur, ut hæc excedat omnes humilitatis gradus, corrumpatq; eos cum ipsa virtute, & remaneat loco eius intensissima superbia Atq; ex his constat quonam modo virtus supposita corrumpatur; & quod dico de interitu virtutis per superveniens vitium, idem dicendum de corruptione vitij per superinductam virtutem, contrariorum enim eadem est ratio pugnæ. 6.

Paulò difficilioris de mutua hac repugnantia doctrinæ (quæ tamen ad intelligendam rem necessaria erat) ad morem spectantis, sit hic fructus, ut quantum in nobis est caveamus malas operationes, primò ideo quia vitia ex illis nata tollunt partas cum labore virtutes. Et certe si dolemus perire, nobis incendio, aut aliter bona, opesq; si fama, honorq; laus dignitasq; amissa vehementer nos afficit, si valetudo ægra aut quodvis aliud corporis incommodum excruciat, tantoq; dictorum bonorum 7.

magis percellit carentia animam, quanto ipsa fuerint maiora . . . tiora: quem sensum oportet habere eam qui virtute privatur, . . . ter omnia alia secundum Deum summo? ita enim Spiritus . . . Eccl. Ultimo testatur: *Deum time, & mandata eius obserua hoc e . . . omnis homo*: quasi dicat; nihil maius homo habere potest, quam . . . & virtutem, seruando, scilicet mandata, habeat.

8. Sed enim deest plurimis illa prudentia quam Christus Lucæ . . . prehendit in filijs tenebrarum, non item in filijs lucis. Quid . . . egit villicus ille ut non spoliaretur omnibus opum bonis? quid n . . . re oportet ut non spoliemur summis virtutum bonis? Quæ non . . . reges ne decidant à regnis honore dignitate regia? quantum la . . . dediti voluptatibus ut ab ijs non impediantur? Quotusquisq; filius . . . vel his paria pro non amittenda virtute sufferat? verè Christus . . . Filij tenebrarum prudentiores sunt filijs lucis; & non contentus . . . id reprehendisse, quid ipse prudentiâ suâ de virtute morali sentiat . . . dignatus est declarare.

9. Itaq; Dominus, & Creator bonorum fortunæ, corporisq;, ani . . . etiam virtutumq;, ut ostenderet quantâ laborent imprudentiâ, qui il . . . rum amissi mem summo cauent studio, horum vix leui aut nullo prior . . . contempsit prorsus ita coram Pilato protestatus Joan 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*, cum honoribus, scilicet, opibus, & voluptat . . . eius. Jam vero animæ bona quanti fecerit, & quo studio retinere vol . . . erit, vel illo uno eius clarum est testimonio Mat. 11. Discite à me qui . . . mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus v . . . Duarum tantum virtutum præstantiâ spectabilem se exhibendo, qu . . . dicere voluit: sint sanè qui in mundo habentur felices opibus, sce . . . coronis, deliciarum copia, magniq; in oculis hominum; sint qu . . . prædicent; fortunæ ipsorum gratulentur, imitentur fortem, ego . . . mnibus bonis, vel solam humilitatem, ac mansuetudinem præfero . . . bisq; in me imitandam propono, si magni, felicesq; esse velitis . . . felicitate requiem inuenire. Si bonum duarum virtutum moral . . . fert Christus omnibus mundanis bonis, quid jam reliquarum vir . . . quantum & quale est? Hoc Domini testimonium, atq; exempl . . . tos inprimis nos efficere debet, ne partam virtutum honestatem . . . nobis patiamur, importuna invasione vitiorum.

10. Est & aliud indidem ad bonum nostrum excerpendum . . . enim id habemus, ut ad ea recuperanda quæ semel amisimus, . . .

inuiti, idq; vel ideo maximè quia in iisdem morando mox fastidium quoddam, nauseamq; concipimus, & lassi deficimus, si præsertim mora illa, nouam habeat annexam difficultatem, ob quam inuenire id quod amisimus videatur graue, & pene impossibile. Quare nisi amissa æstimemus tanquam magna bona, multumq; amemus, prorsus negligimus, id quod probat in multis euentus. Quis enim redeat aliquot leucas, ut deperditum inueniat nummum, aut acum, aut quid simile. Jam cum ut vidimus, etiam apud filios lucis, ne dum tenebrarum, vilis res sit virtus neq; amatur tanquam magni pretij bonum, si semel amissa fuerit, à paucis admodum recuperatur denuo, maximè cum recuperatio ardua sit, neq; uno ex capite.

Primò enim fomes augetur, viresq; assumit ipsa familiaritate mali; II. tum deinde accedit noua vitij consuetudo; ad hæc ipsa, ut dixi, in recuperanda re non multum amata, nausea, tædium, & fatigatio. Postremò fit non raro ut Deus in pœnam neglectæ custodiæ tanti animæ boni subtrahat ampliorem gratiam; hanc verò sequitur, ut pigeat laborare in inueniendo amisso bono, potiusq; delectet inopia, teste Salomone Pro. 21. *Omnis piger semper in egestate est*. Jd ita esse testatur Augustinus eorum gestis, qui in Ecclesia ad præcipuam aspirant vitæ sanctitatem, de quibus ita Tomo 2. Ep. 137. *Simpliciter fateor coram Domino Deo nostro, ex quo Deo seruire cæpi, quod difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasterijs profecerunt: ita non sum expertus peiores, quàm qui in monasterijs ceciderunt, ita ut hinc arbitror in Apoc 22. scriptum: Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc.* Hæc Augustinus suâ, & præteritorum ante se temporum experientiâ edoctus, non dubitauit asserere. Illis quippe sæculis vixerunt religiosi, qui vel auctores erant variarum sectarum, vel adiutores: recenset illos late Florimundus Remondus in sua historia de hæreticis cap 4. & 7. Huiusmodi fuerunt Sergius monachus Thechellis eremita. Ameter item Eremita, sectæ Mahumetanæ; tum Iouinianus, Theodorus, Pelagius, Eutyches, quarundam nouarum hæresum, alijq; aliarum. Refert etiam eodem cap. 7. nostri temporis ex varijs ordinibus hæresiarchas aut eorum collegas, Lutherum, Bucerum, Conradum, Pelicanũ Petrum Richerium, Æcolampadium, Thomam de Thiel, Ochinum, Petrum Martyrem, cęterosq;. Qui omnes pestes erant fidei, & virtutis Christianę, semelq; pessimi effecti non amplius ad meliorem rediêre frugem, non alia certè de causa, quam quòd difficilè, & perquam rarum sit, amissas recuperare virtutes, etiam ijs, qui in excellenti gradu

forsi-

forsitan eas assecuti fuerant, nc dum alijs minus exercitatis. Quod [illegible] ita sit, rectè Saluator exemplo suo monet, ut discamus semel effecti [illegible] tes, humilesq; (& idem iudicium de reliquis virtutibus) semper [illegible] esse donec inveniamus requiem, & quæ hic haberi potest & quæ in [illegible] lo expectatur, neq; perdere parta, tum quia magna sunt bona, t[illegible] am quia ægrè recupetantur amissa.

13. Quare qui aliquam è virtutibus adeptus est illud expendat S. Pa[illegible] ad Hæb. 10. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes [illegible] portetis promissionem, adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est [illegible] niet, & non tardabit, quod si subtraxerit se non placebit animæ meæ.* His [illegible] det Apostolus, ut in pugnam contra vitia patientiam, longanimitatem & constantiam teneamus, credamusq; breui adfore mercedem labo[illegible] pro honestate susceptorum, neque nos hisce laboribus subtrahamus, [illegible] dentes vitijs; qui enim se subtrahunt, non placent animæ Dei, & [illegible] tò sanè. Nam tales singulari Diuina ope, ac beneficentia effecti diu[illegible] bonis virtutum, ultro se illis priuant, & ad egestatem redigunt [illegible] rabilius certè, quàm si nunquàm diuites fuissent: magis enim dol[illegible] quòd quis ex opulento egenus fiat, qnàm quod semper sit mendic[illegible] verùm qui sapit, cum eodem Apostolo eodem loci sentit, & dicit: *Nos autem non sumus subtractionis filij, in perditionem, sed fidei, in acquisit[illegible] animæ.*

Sectio II.

Cessatio ab operatione virtutum destruit easdem.

14. Vidimus jam quo pacto per positiuam variationem à contrario [illegible] vitio corrumpitur virtus, restat ostendere negatiuam variatione[illegible] quà etiam illam perire necesse est: hæc autem variatio fit per [illegible] sationem ab operibus virtutum, seu per non usum earum, quemad[illegible] dum docet S. Thomas 1. 2. Q. 53. articulis tribus, & Q. 66. art. [illegible] 2. & 2. 2. Q. 24. art. 10. alijq; cum ipso Theologi. Fit autem [illegible] bus modis, quorum primum insinuat S. Thomas prima 2. Q. 5[illegible] & 3. quando, scilicet, retardatur virtus in sua operatione. Nam [illegible] eam requiratur cognitio, & appetitio partim in potentijs spirit[illegible] partim in sensitiuis, si utrumq; hoc varietur, non quidem con[illegible]

virtuti modo (de quo sectione precedente diximus) sed extraneo, & ut loquuntur Philosophi disparato; imprimis virtus quasi sopita, ligataq; manet, aut enim non operatur, aut rarò, & grauatè, deinde prorsus deficit, idq; ideo quia admittuntur extranea virtuti, & à proprijs cessatur.

Exemplum sit in eo qui assueuit frequentare Eucharistiam, augendæ sanctitatis gratiâ, si enim is iudicet idcirco non expedire, ne familiaritas pariat quandam rei sacræ vilipensionem, meliùsq; esse rarò cum maiori animi demissione id facere, per tale judicium non priuabitur quidē statim virtute deuotæ erga hoc Sacramentum religionis (neq; enim contraria illi sentit) eò tamen deueniet, ut primò grauatè communicet, paulò post rarò, tandem vix aliquando, idq; aget ex habitu, & iudicio illo, quòd meliùs sit sacra rariùs usurpare, ut vitetur familiaritas. Quod dum fit virtus præcedens, crebri nimirum usus Sacramenti, per ipsam cessationem initio manebit otiosa, tandem euanescet, ut infra dicemus. Hoc eodem modo perdunt virtutem crebrò, & piè orandi, quando orantes videntur tanquam nimis deuoti, aut quod videri velint pij, timore, & pudore vano territi, tandem mutant bonam consuetudinem in aliam minùs bonam: loquor autem hic de virtute religionis, ac orationis prout potest viribus, nostris acquiri, aut perdi penitus, non ut infunditur simul cum gratia: id quod melius explicabitur libro secundo, cum agetur de augmento, & productione virtutum infusarum, & de corruptione earundem. 15.

Hanc perdendæ virtutis rationem per cessationem eius videtur declarare Paulus primo Cor. 15. cùm inquit, *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*, neq; enim illa tantum colloquia corrumpunt bonos mores, quę contraria mala suadent, sed quæ etiam aliena quoquomodo à bono afferunt. Quare reprehendit ibidem quosdam, qui non credebant resurrectionem mortuorum, ad quam impiam hæresim non solum inducebant afferentes, contrarium fidei, nempe resurrectionem non esse, sed etiam talia inculcantes: Manducemus, & bibamus cras enim moriemur Contra quos Apostolus: *Nolite seduci, corrumpunt bonos mores colloquia praua*, quasi dicere vellet: qui talia libenter loquuntur & audiunt, eò pedetentim venient, ut putent esse omne suum bonum in manducando bibendo, & his similibus, nihilq; expectent in futuro, nec tandem credant resurrectionem. 16.

Hic expendat quisq; qui pro virtute sudavit multum, & alsit quanta illi cautela habenda, non solùm ut contraria vitet, sed etiam extranea. 17.

quin & bona, sed minora, quàm quæ adeptus sit. Videat quibus cum agat, quos adhibeat, familiares, de quibus loquatur & audiat: sapientia certe diuina sapienter ut omnia Christus non ante voluit, ut discipuli sui exequerentur illud mandatum Mat. cap ultimo: Euntes docete omnes gentes, quàm acciper ent Spiritum Sanctum, sic enim præceptum legimus iniunctum ijsdem Luc. 24 *Sede'e in Ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto.* Hac virtute Spiritus Sancti instrui, formariq; debebant Apostoli contra omnia quæ audire, aut videre poterant, suę pietati aduersa siue extranea ab illa, ne ex talibus aliquid referrent incommodi, quemadmodum illis fuit promissum Luc. 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Qui experitur se non habere hanc potestatem à Christo per Spiritum eius datam, experitur autem, si dictis, auditis, & visis, quâ contrarijs virtuti, quâ non usq;adeo illi fauentibus mouetur, credit, sequitur: quid aliud sibi polliceri debet, quàm ut à scorpionibus, & serpentibus vitiorum mordeatur, cùm antea fuerit sanus, hostisq; animæ satanæ virtuti subiaceat, fortis aliâs, & robustus. Quod si sani, & valentes viribus periclitantur de virtute, si cum dissimilibus agant, id quod in Eua Dæmon, in Adam Eua probauit; quid debiles, & infirmi si in similes sibi, aut peiores se (quorum plenus est mundus) incidant.

18. Hæc est prima perdendæ virtutis ratio, cessando ab opere eius, respicitq; obiectum, seu materiam virtutis, quando proponuntur aliena ab ipsa. Altera ratio quæ etiam ex S.Thoma 1. 2. Q.110.ar. 1. in corp. sumitur, subiectum seu operantē concernit, qui cùm ad rectè agendum phantasia, appetitu, membrisq; egeat multum pendet à materialibus dispositionibus corporis, pro quarum varietate variatur apprehensio, appetitio, & usus membrorum. Hinc est ut in iuvenibus, celeres sint motus sensuum, appetitus, membrorumq;, in senibus non item: idq; ideo quia dispositiones materiales caloris, humoris, & similes perfectiores sunt in illis, quàm in his. Idem solet euenire ex alijs causis, non tantùm ex iuventute, aut senio: quod cùm verum sit, fateri oportet, virtutem quoq; variari, pro varietate dispositionum. Atq; id experimur in artibus quoq;; nam qui est peritus ludendi in testudine, si ob senium, vel aliam causam sentiat notabilem in corpore variationem, euadet ita ad ludendum ineptus, ut vel minus dextrè tangat, vel totam amittat dexteritatem. Id ipsum in nostro proposito asserendum, posita dicta muta-

mutatione corporis, nam cum torpescunt v. c. omnia in corpore, primò tardi efficimur ad apprehendendam, appetendamq; honesti rationem, pigri etiam manu, pede, sensibus externis ad cooperandum virtuti, licet illa integra adhuc maneat, deinde rariùs eam exercemus, accedet postea aliud judicium, aliaq; voluntas non quidem virtuti supposita contraria, sed tamen minùs perfecta, quam relicta priore, consectabimur. Tandem hoc in casu virtus habita velut sopita manebit, & otiosa nihil operando, ultimo corrumpetur prorsus, ut mox dicemus. Quæ tamen noxia virtutis variatio ex eo est, quia cessatur ab eius opere, ob ineptitudinem corporis.

Experiuntur id quod dico illi, qui per longius tempus intermittunt studium quarundam virtutum, exempli gratia, castigationis corporis, confessionis, culparum etiam levium, aut aliarum: nam si easdē resumere velint sentiunt difficultatem, repugnantiam, consilia à prioribus diuersa, deniq; tantam ineptitudinem, ut vel omittant olim usitata, vel grauatè ad ea redeant. 19.

Hac de causa S. Pater Jgnatius Fundator Societatis in constitutionibus parte tertia cap. 1. par. 28 præcepit suis ut aliquoties singulis annis à suo Superiore petant iniungi sibi publicas pœnitentias, propter defectum obseruationis regularum, cuius præcepti ponit ibidem causam: Vt inquit, *hac cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali in via Dei quisq; habet* intelligentia horum verborum duplex potest esse: prima quòd velit, ut quisq; compenset omissa, atq; ipsa pœnitentiæ usurpatione virtuali quadam efficacitate reassumat, qui enim dolet se aliquid fecisse, paratus est ea corrigere. Secundò innuitur dictis verbis, ut ille velit, & desideret eadem facere, quæ prætermisit. 20.

Hac duplici intelligentia offertur ratio quam debeant tenere ij, qui per corporis mutationem nequeunt, quędam rectè facere, ut, scilicet, doleāt illa se non posse re ipsa prętare, habeantq; bonam prętandi voluntatem. Et quidquid sit de dolore, qui est virtutis pœnitentiæ, voluntas, ac desiderium omnino est necessarium ad quasvis virtutes conseruandas. Nam cùm talis voluntas v. c. mortificandi sui ad eandem spectet virtutem, ad quam & cæteræ eius operationes, immo inter alias, voluntas illa est una ex primis cuiusq; virtutis operationibus, ut ostendi hac parte cap. 1, n. 33. & 34. sequitur ut per eam, & conservetur, & augeatur virtus ad quod nō requiritur omnium operationum frequentatio, sufficit aliquarum. Quare cessare ab operibus quibusdam, præsertim ex 21.

tim ex

tim externis nihil obest virtuti, obesset, ut dixi, si ab omnibus prorsus vacaretur.

22. Atq; hic præter duos jam cessandi explicatos modos, est tertius à S. Thoma 1. 2. Q. quinquagesima 3. articulo tertio in corpore clarè positus, quando, scilicet, ex quacunq; causa siue ex duplici jam allata, siue ex mero placito operantis omittitur exercitatio virtutis, tum enim omissionem, seu cessationem ab actu, consequitur virtutis corruptio. Rationem qua id probatur, sumit S. Thomas à natura habitus, qui sicut ab actu producitur, ita & conseruatur, quæ enim ut aiunt Philosophi ad generationem concurrunt, eadem conferunt & ad conseruationem. Porro duobus modis conseruatur effectus a sua causa ut docent Philosophi, primò per se, seu per vim efficientem continuo influxu effectionis, ita sol conseruat lumen in hisce inferioribus, continuò illud producendo: secundò conseruatur aliquid per accidens, nô remouendo, scilicet prohibens corruptionem, sic qui construit ædem, conseruat superiorem eius partem in alto loco sitam, non remouendo fundamentum prohibens casum, hoc quippe remoto, destrueretur ędes. Simile quid in nostro fit pr. posito, cùm enim operatio virtutis prohibeat operationem malā sibi contrariam (& consequenter vitium quod ab ea productum tolleret virtutem) sequitur, ut qui non cessat ab operatione virtutis conseruet illam, non remouendo, scilicet, prohibens, seu actum bonum, qui producendo habitum bonum resistit per illum vitio.

23. Posset quidem dici non ex eo, quia vacatur ab opere virtutis, sequi ut malum contrarium producatur opus, maximè si non supponatur vitium, â quo tale opus efficiatur. Sed ad hoc bene respondet S. Thomas citato loco, etsi enim nullum supponatur vitium, innata tamen concupiscentia prorumpit in passionum motus, qui si non reprimuntur per virtutum actus, vires assumunt, vitiaq; generant, tantò potentiora, quantò per longiorem temporis tractum, nullam à virtute resistentiam experiuntur. Qua sua responsione declarat S. Thomas id quod res est, animam, scilicet, nostram (quamdiu degit in mortali corpore) esse similem terrę, feraci quidem, sed egenti cultore, & bono semine: quę duo nisi adsint, inutiles ex se proferet herbas. Ad eum modum & anima nostra, ferax est operationum, neq; enim potentiæ cognoscentes, atq; appetentes vacare possunt, quin semper operentur, etiam tum, cum sōno reficitur corpus: quare nisi uigilet anima, & ad honestatem connitatur, mox in inhonesta prorumpit, partim ex fragilitate omni creaturæ ratio-

rationali insita, partim ex naturæ corruptione. Quod si ita est, sicut omne opus deliberatum, aut bonum aut malum sit oportet (neq; enim indifferens datur, nisi forte indeliberatum, ut docent Theologi cum S. Thoma 1. 2. Q. 18. a. 9.) ita si non ponatur bonum, ponetur oppositum illi malum, à quo pullulabit vitium. Atq; si longiore tempore multæ bonæ negligentur operationes, erunt loco earum malæ, quæ innumera gignent vitia, à quibus plurimæ virtutes, aut extinguentur prorsus, aut in sua perfectione minuentur, pro quantitate, & qualitate vitij; nam si omnes gradus virtutis vitium superabit, exstinguet illam, si aliquos minuet.

Ex his clarè constat, quæ sit necessitas frequentandi virtutum operationes, ea certè ut bona quæ tanto labore nostro, totq; cœlestibus auxilijs parta sunt, retineantur, ne si desides fuerimus, nec vita, nec vires suppetant ad recuperanda amissa. 24.

Quæ hoc capite de corruptione virtutis diximus, si compendiosè recapitulentur, duas muneris, cuiusq; probi hominis continent partes psal. 36. illis verbis expressas: *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi.* Declinat ille à malo, qui nihil contrarium facit virtuti: facit etiam bonum, qui non negligit studium eius. Quicunq; est talis, brevi mortalitatis spatio elapso, inhabitabit in sæculum sæculi, quod nescit finem. 25.

CAPVT. XXX.

Quis ordo, quæue ætas conferat ad virtutem acquirendam vel conseruandam.

EA Est virtutis & necessitas, & difficultas, & præstantia, ut ad eam possidendam multa requirantur, quæ quisq; eius studiosus totâ vitâ, & magno virium conatu adhibere debeat, inter hæc est ordo, atq: ætas. Et ordo quidem quàm sit necessarius inde clarum est, quod nisi adsit, quodvis negotium, res & status rei, concidat necesse sit. Quid metet agricola, nisi prius excolat terram, deinde sementem in culta recondat humo? An ulla ciuitas durauit usquam diu, in qua nullus fuit rector, nullus parentium consensus, disciplina, & leges nullæ, ita de reliquis similibus æstimandum. Animam nostram præcedenti capite terram

esse diximus eamq; excoli debere, ac semina excipere honestatis: in quo utroq; ordo seruandus, ut producatur fructus virtutum. Eadem anima una cum corpore, membris, sensibusq; eius, suisq; internis potentijs communitatem quandam constituit, in qua quædam imperant facultates, obediunt aliæ, hîc quoq; requiritur debitus ordo, qui verò is sit, jam ostendendum.

Sectio I.

Ab imperfectioribus virtus inchoanda.

1. PHilosophi duplicem assignant in natura ordinem, perfectionis, videlicet, & generationis: perfectio finem indicat (ad perfectionem enim tenditur, ut in ea possessa, velut in fine quiescatur) generatio viam & media ad finem, quia quod generatur, nondum est assecutum ultimam suam consúmationem. Et cum id quod est præstantius, meliusq;, & in quo habetur quies, finis vim obtineat, hinc est ut virtutes præstantiores ad ordinem perfectionis referantur, minùs autem præstantes ad ordinem generationis; nam qui has posteriores adeptus est optat, si fieri potest illas priores, qui verò istas est consecutus, non curat illas, nisi fortè ita ut sunt necessariæ ad aliquod complementum perfectionis, id quod mox clariùs explicabitur.

2. Jam verò præstantia maioris, vel minoris perfectionis ex duobus sumitur, primo ab obiecto, & natura virtutis ex quo capite virtutes ad Deum relatæ, ut est cultus Dei, obedientia illi debita, & similes perfectiores sunt justitiâ commutatiuâ, temperantiâ, alijsq; quæ spectant proximum, aut ipsum operantem. Secundum præstantię caput est, subiectum, cuius intuitu præstantior dicitur illa virtus, quæ intensior est, aut quę oppositi vitij minùs habet admixtum, vel quę non luctatur cum vehementi concupiscentia.

3. Ex his suppositis aliqua sunt deducenda, quæ moralem continent doctrinam. Prima est, ut ab imperfectioribus, & minùs præstantibus, inchoetur consecutio virtutum, minùs, inquam, præstantibus ex natura ipsarum. Jd ita faciendum advertet facilè, qui noverit virtutum studium esse persimile disciplinæ literarum, aut cuilibet arti, discimus enim rectè viuere, perinde atq; artes. Quemadmodum ergo in his

in his nemo repente summus, neq; à summis v. c. à Theologia, vel Philosophia idiota incipit, ita in virtutis schola non à perfectissimis inchoandum sed ab inferioribus. Optimus Magister rectè operandi Christus quærenti discipulo Mat. 19. *Magister bone. quid boni faciam, ut habeam vitam æternam.* respondit, primò seruanda esse mandata quæ cum seruari à se fassus esset adolescens, addidit: *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Quo suo responso reliquit doctrinam ab omnibus sectandam, ut si ad perfectionem vitæ pertingere velimus, ab imperfectioribus ordiamur, neq; ullus speret se fore eximiè sanctum, qui priùs in mandatis Dei exequendis non se exercitauerit.

Doctrinam hanc Christi à Spiritu S. cordi infusam didicit S. Iob, 4.
qui primò coluit Deum, eiq; semper est obsecutus, favente fortuna; deinde orbatus omnibus, nihil de cultu minuit, quod perfectius erat, habetq; annexas multas insignes virtutes, humilitatem, obedientiam, tolerantiam, mansuetudinem, fiduciam in Deo, sincerum, & fortem eius amorem, aliasque, quibus illi carent, qui occurrentibus aduersis torpescunt in obsequio Diuino, aut quod peius est maledicunt, desperant, blasphemant. Nouerat bene Satan Iob esse virum probum seruantem mandata Dej, dubius tamen de perfectione, putansq; eum seruire quasi mercenarium pro bonis acceptis, non quasi filium benevolo amoris affectu, propterea dixit Deo, ut est Job primo *Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, universamque substantiam eius per circuitum?* Ad hanc instantiam Satanæ voluit Deus tentari virum sanctum, quo ipsi & mundo testaretur, sincerum eius in se amorem, & simul daret ansam exercendæ maioris perfectionis.

Id quod pulchrè declarat S. Augustinus tomo 8. in psal. 55. *Attenditur, inquit, homo, & ea quæ ipsius sunt, & nemo scit qualis sit, Deus videt. Aliquando & ipsum Diabolum latet, nisi tentet non inuenit, & ideo dixerat. Nunquid Iob gratis colit Deum? Videte, quo prouocat inimicus, ibi perfectio est. Videbat hominem Deo seruientem, omnia bene operantem, & quia erat felicissima domus, obijcit, ideo colit Deum, quoniam dedit illi hæc: Hoc enim erat verum lumen, hoc lumen viuentium, ut gratis coleret Deum: Deus videbat in corde serui sui cultum suum gratuitum, placebat enim illud cor in conspectu Domini in lumine viuentium, Diabolum latebat, quia in tenebris erat:* ita Augustinus: ex quo discimus seruos Dei non statim ac cœperint obsequi illi, probari duris, sed postquam in facilioribus fuerint exercitati: sic nimirum iumento minora primo imponuntur ferenda onera, deinde crescen-

crescente ætate, & usu, maiora, idem nobis in consequendis virtutibus agendū est. Qui igitur huic studio se tradit, hanc esse Dei voluntatē non dubitet, ut à minoribus eius diuino nutu inchoandum, sibi putet: atq; ita primò carnem abstinentiâ, sobrietate, castitate domet, ab aliorum damnis, & iniurijs abstineat, iustitiam exactè servet, tum ad devotionis, orationis, contemplationis gradum ascendat. Quod si statim ab initio totum se pietatis, religionisq; officijs accommodare velit, graviter errabit; nam caro rebellis effrenes concupiscentiæ (adde culpas inde sequentes) vel tollent omnem devotionis sensum, perinde ac venenum interimit vitam, vel, ut, inquit, Eccl. cap. 10. *tanquam muscæ morientes perdent suauitatem vnguenti* hoc est pij studij.

6. Hoc non ita dico, ut putem initio, tantum esse imperfectiores sectandas virtutes, relictis omnino perfectioribus (semper enim etiam ab imperfectis colendus est Deus, orandus, amandusq;) sed quod dico est ut non speremus in gradu insigni perfecta, nisi imperfectiora fuerimus assecuti, & in ijs confirmati. Assero præterea, principio maius studium in minus perfectis adhibendum, et sic deinceps ad ulteriora procedendum. Id quod affirmo facilè probo quotidianis passim exemplis, nam qui se toties orationi tradunt, alijs minoribus carentes virtutibus, si interdum quietè id agunt, mox tentatione suborta tentantur, nec facile conquiescunt, cessant deinde ab orando, quin eo veniunt, ut precandi studio prorsus valedicant, mundanis & carnalibus implicati: quod non fieret si in discenda virtute tenuissent debitum ordinem. Non venisset certè eò quò venit, studiosus procul dubio orationis (nimirum Capucinorum Institutor) Ochinus, si prius humilitatem fuisset consecutus, nec Lutherus ita ut cecidit cecidisset, aliàs scripturæ observans contemplator, scilicet, prædicationi intentus, si ante sobrietati, abstinentiæ, & castitati bene vacasset. Neq; Iudas Apostolus suspendio crepuisset medius, & in locum diabolo, angelisq; eius destinatum abiisset, alioquin constitutus princeps super omnem terram (Psalmo 44) & nominis Christi, divinorumq; prædicator, si tanto muneri pecuniarum præmisisset contemptum.

7. Quamobrem minùs mirandum est, quod aliquando videamus, vel audiamus homines magnos magnisq; distentos, & præclarâ fulgentes gloriâ, ac dignitate, doctos insuper, & ad res agendas idoneos fædè labi vel in apostasiam à fide, statuve religioso, vel in alia abominanda scelera: ut plurimum id inde est, quia in schola virtutum non rectum ser-

uarunt ordinem. Nam aut neglectis imperfectioribus, aut quæ jam nacti erant, suâ culpâ deperditis, ad summa conscendere, maximisq; præstare voluerunt. Itaq; bene deductum jam est primum, nempe virtutum studium ab imperfectioribus inchoandum esse.

8. Alterum non minùs certum, hanc imperfectionem non ex natura tantùm virtutis desumendam esse, sed ex subiecti quoq; seu operantis dispositione. Nam qui experitur se ad peccatum quodpiam stimulari vehementèr, ordinariè, & vix data aliqua occasione, is inprimis argumentum evidens habere potest exorbitantis in se concupiscentiæ, & hinc non leviter coniectabit se in ea, in qua vexatur materia, carere virtute, aut certè exilem eius habere gradum, sed illius loco vitium. Etsi enim insignes virtute soleant à diabolo tentari, aliter tamen quàm perfecti. Illi quia Deus permittit, non ut inducat ad virtutem tunc primum exercendam, sed ut constantiam in ea firmet, coronam augeat, cæteris documenta præbeat. Id quod facit interdum, non ordinariè, ut de Iob legimus, & eo modo, quo constat deforis esse immissam molestiam, non ab ipsorum imperfectione derivatã, ut de se testatur S. Paulus 2. Cor. 12. cui datus erat *stimulus carnis per angelum satanæ*, & nos hac parte cap. 26. Sect. 4. attulimus signa, ex quibus cognosci possit, quando à nobis, quando à Dæmone ad mala impellimur.

9. Quare qui ita se intus moveri à se sentit, conari inprimis debet in eo se virtutis genere exercitare, in quo magnos in contrarium experitur impetus. Ratio cur ita faciendum, in promptu est sumpta à corpore humano, quod quàmdiu ægritudine laborat, ea primò sumere debet, quæ tollant morbum, sanitatemq; conferant, tum deinde usurpare alia, quæ robur dant, atq; alacritatem, & in optima constituunt habilitate. Ad hunc prorsus modum cum anima agendum, cuius ut docet S. Augustinus tomo 9. lib. 1; de pastorib. cap. 6. *infirmitas est, imminentes passiones nolle, aut non posse tolerare*: scilicet, resistendo illis. Hæc igitur infirmitas nisi tollatur per virtutes, quæ reprimant passiones, & deleant vitia, nequit anima (nimirum ægra) ad altiora, perfectioraq; assurgere, quibus reddatur alacris, læta, & optimè in se constituta.

10. Videtur hanc exercendæ virtutis rationem probasse Christus facto suo, de quo habemus Lucæ 19. Zachæi enim domum ingressus, salutem illi vitæ æternæ promissurus, primò recubuit, tamq; expectavit diu, quoad ille stans in medio dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum*: hæc ubi IESVS audivit,

uit, ait: *Quia hodie salus huic domui facta est.* Cur non ante tantum ei obtulit donum? nimirum volebat, ut Zacheus divitiarum amore vitiose irretitus, & iniurijs proximorum oneratus, ijsdem vitijs per oppositas virtutes ultimum diceret vale: neq; enim salutis gratia; sanctitas, & perfectio, aut haberi, aut habita tutò possideri potest, dominante concupiscentia, & vitijs.

11. Itaq; ex hoc etiam secundo ad operantem relato capite ab imperfectioribus honesta ordienda est vita. Verùm hîc illud quæri potest, quisnam inter ipsa, quæ hactenus diximus imperfectiora ordo tenendus, an videlicet ad illa prius opera bona applicandus animus, quæ ex natura obiecti minùs habent præstantiæ, vel certè ad ea in quibus sentitur maior vehementia appetitionum. Ad piam quæstionem respondendum est, ex communi doctrina Philosophorum, & Theologorum, qui asserunt malum naturæ esse carentiam, & negationem boni, ac perfecti, esseq; duplex, unum vocant puram negationem, alterum præter negationem dicunt esse pravam dispositionem, per habitus, scilicet, vitiosos ac impetus fomitis. Jam cum prava dispositio sit maius malum purâ negatione, non solùm quia est duplex, & negatio videlicet, & dispositio. Sed etiam quia excruciat ad peccatum impellendo: palam est contra hanc pravitatem primò instandum, nempè contra maiorem, & periculosiorem internum hostem, deniq; talem, qui assiduò minatur, aut infligit animæ vulnera.

12. Quare Sancti Viri, etsi perfectis, summisq; sint intenti; minimè tamen negligunt passiones, quarum sicut semper aculeos sentiunt, ita nunquàm eos non retundunt quemadmodum scribit S. Augustinus tomo 7. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 11. *Apostolos inquit, quia homines erant, & corpus quod corrumpitur, & aggrauat animam, in hac vitæ mortalitate portabant, absit ut dicamus, sicut iste calumniatur, semper immoderata libidine fuisse pollutos, sed dicimus à consensione prauarum libidinum liberos: de concupiscentia tamen carnis, quam moderando frenabant, tum humilitate, & pietate gemuiße, ut optarent eam non habere potiùs, quàm domare.* Si sancti, teste Augustino semper domant gemendo, & gemunt domando concupiscentias, quia etsi eas non acres sentiunt, vellent tamen sentire nihil, id quod perfectius, & securius est (debellato enim hoste tutior pax) profectò qui primùm componit vitam ad normam honestatis, ea quæ acerrimè sentit, principio reprimere debet, ne ab eo, à quo tantùm impugnatur, expugnetur tandem. Itaq; ab ea imperfectione, quæ

inter

intra nos est, incipienda rectè agendi ratio, deinde ad minùs præstantes pergendum virtutes: hic ordo, & rei naturæ, & utilitati est commodus. Sed videndum iam de ętate, quæ ad idem propositum sit magis idonea.

Sectio II.

Quantò quisq; iunior, tantò ad virtutem capessendam est aptior.

SAlvator molestè tulit ut testatur Math. cap. 19. prohiberi parvulos ne ad se venirent, causamq; veniendi eam asseruit, quod talium sit regnum cœlorum. Parvuli hi nondum suo labore meruerunt regnũ cœlorum; erant enim ut Lucas cap. 17. declarat infantes; tamen eis pollicetur Christus regnum non solùm merito circumcisionis, quæ tunc infantibus erat salutaris; sed quia matres, quæ illos ad Christum ferebant, testabantur hoc suo facto optare se, ut earum parvuli (prævia deinceps congrua ætate) ab illo exordium vivendi sumerent, quemadmodum scriptum est Thr. 3. *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Id inter alia studio dicto matrum voluit significare Dominus, à quo flagitabant, ut imponeret infantibus earum manus, suamq; impertiretur benedictionem: quid enim maius, & præstantius optare poterant, quàm ut illi infantes simul ac iudicij primordia attingerent, salutis viam munere salvatoris feliciter ingrederentur. 13.

Non parvas neque leves habet causas SpiritusS., ob quas svadet ab adolescentia portandum esse iugum suum, è quibus aliquot hîc afferam. Prima est, quod in tenera ætate, animi sint adhuc tabulæ rasæ; virtute quidem illi tum carent, sed simul & vitijs, neq; etiam multùm appetitus exorbitant, quippe quorum modicus eo usq; soleat esse usus. Sic constitutus tener animus, facilè (modò doceatur, & ipse velit) assvescit virtuti; neq; enim habet, quæ, ut dixi, obsistant, nempe vitia, & appetitus. 14.

Hæc porro duo appetitus, & vitia, duo quoque efficiunt in anima (si illis mos geratur) quæ vehementer obsunt virtuti: primum S. Thomas 2. 2. Q. 15 ar. 1. in corp. vocat cæcitatem mentis: etsi enim anima, nimirum spiritualis ad spiritualia propensa sit; quamdiu tamen corpori alligatur, sympathia naturali consentit, & cooperatur eidem; Vnde quando vires eius inferiores corpori inhærent, ipsa quoque etiam vi 15.

 spiritu-

spirituali eisdem immergitur, quasi obcæcata amore sensuali, ne sua bona spiritualia consideret. De sic obcæcata mente putat S. Thomas dictum illud in Psalmo 57. *Super cecidit ignis amoris*, scilicet, terrenorum, *& non viderunt solem*, nempe lumen iustitię. Cęterùm Christus maius quid in anima effici à vitijs, & passionibus censet, id quod exprimere voluit Luc. 15. apta similitudine patris, qui de filio natu minore compotationi, luxuriæ, cæterisq; vitijs assveto, & deinde ad meliorem frugem reverso, sic loquitur: *Hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* Quo dicendi modo quid insinuatur aliud, quam summa difficultas redeundi ad vitam honestam, si inhonesta præcesserit? Propterea vitiosus non jam cæco, sed mortuo comparatur, & ei qui perit. Sicut enim mortuum excitare, eumque qui perijt ab interitu revocare, difficile est, & soli possibile Deo; ita solius Dei potentiâ ab inhonestis ad honesta fit regressus.

16. Hoc non alio fine Ethnici olim teneram, virtute qua poterant instituebant iuventutem, idem fuit, estq; nunc solenne apud pios fideles, ut ostendimus huius libri parte priore cap. 19. a. num 32. per multos. Quare qui studium honestatis differt ad longius tempus, maturioremq; ætatem persimilis videtur illi, quem Dominus Lucæ 6. videndum exponit: *Qui, inquit, audit sermones meos, & non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna.* Audiunt adolescentes sermones Dei, jam ab ipso intus monente, jam ab hominibus, si tamen non se ad faciendum applicant, vel ad mortẽ cum venerit instantem, vel ad reliquam ætatem virtutis studium differendo: quidquid tunc (si tamen tunc dabitur agendi opportunitas) structuræ spiritualis erexerint, (omnes autem iubente Apostolo l. Cor. 3. erigere debemus) ruet, ita prædicente Christo, nimirum passionibus, tanquam moli arenæ superædificatum, debilitatumq; alluvione vitiorum. Quod cum ita sit multò rectiùs, utiliusq; agunt, qui antequam pravis habitibus imbuantur, student comparandis bonis, uno tantùm labore occupati, qui est adeptio virtutis, & non pugnando cum vitijs ac passionibus.

Altera causa consilij Spiritus S. est infirmitas nostra, ex qua illud consequetur, ut nisi à teneris virtutem adipiscamur, ætate crescente, sive ob difficultatem, sive ob aliud quid nolimus vacare honestati. Duplex genus potest esse eorum, qui differunt hoc studium: quidam qui vitijs se totos dedunt: alij non item, humanis tamen distinentur curis, rei fami-

familiaris, mercaturæ, agri colendi, militiæ, & similium, qui licet interdum peccent, & peccatis nonnulla contrahant vitia, non ita tamen, ut illi priores. Ex ijs, qui vitijs scatent, difficulter admodum cum virtute ineunt societatem, ut ostendimus jam num. 15. & 16. Cęteri etsi carent tanta difficultate; nihilominus & ipsi tardi ad idem studium, morosiq; sunt, cuius rei non alia est ratio, quàm quod ægrè consveta relinquamus, hinc agricolis semper & maximè cultura est cordi, militibus arrident castra, piscatores de retibus fabulantur; venatores feras, & canes somniant: ita quisq; ad quod à teneris assvevit, illud modicus tenet, alia nec nota sibi, nec solita, missa facit tanquam aliena à suo palato.

18 Ex quo illud efficitur ut à talium animis, exulet virtus, sive quę ad salutem est necessaria, sive quę ad perfectionem; necessaria, inquam, in suis actibus: etsi non malitiâ, ut illi primi, infirmitate quadam, aut nihil boni, aut parum assequuntur. Clarè hos depinxit Christus Lucæ 14 parabola hominis, qui fecit cænam magnam. Homo hic ipse est Dominus, qui nobis fecit cęnam ultimę beatitudinis; sed invitati excusant se, unus villâ emptâ, alter boum iugis, tertius uxore recens ductâ; qui omnes cùm se excusent non magnis, & manifestis sceleribus, sed curis vitæ, tanquam evidens hinc inferre possumus, homines terrenorum bonorum studio intentos, à virtutis amore, alienos esse, vel ob hoc solùm, quia assvetudo eos detinet, etsi cum periculo cœlestis negligendæ cęnæ, quod dico certius est usu, quam probatione.

19 Multi ex his dum ad rectè agendum excitâtur, ad crebram, videlicet, peccatorum confessionem; ad sumptionem sacrosanctę Eucharistiæ, ad longiores preces; ad templum sæpius invisendũ; ad ferenda adversa patienter, & mansvetè; ad invocandum in his ipsis omni cum fiducia Deum, & ad his similia: quid ad hæc illi? non latrocinia, non homicidia, non adulteria, non paria his monstra impedimento sibi imputant, quid ergo? Placere sibi omnia, ad quæ invitantur aiunt, velleq; se in his versari; sed unum obstare, nempe curas quibus quisque implicatus est domi, foris, militiæ, in aula, in foro, in senatu, in congressu amicorum, in convivijs, in negotijs venditionum, emptionumq; in dilatandis, & meliorandis agris, in nuptijs sibi, suisq; curandis in quibus non? Quæ omnia facultates animi, membraq; corporis velut constringunt, ne quod bonum videtur, & probatur, vel maiore (ut certè deberent) vel saltem pari conatu cœlestia atq; mundana sectentur. Tales itaq; qui eiusmodi sunt, hoc sentiunt, & hoc re ipsa dicunt: Non place

virtus, quia prius placuêre mundi curæ.

20. Occurret quispiam, posse has curas, unà cum virtute suscipi; quis enim ijs omnino est solutus? non eo inficias; sed dico illum, qui se totum ijs immergit, primò distrahi, & quasi sui oblitum sæpissimè peccare leviter non ordinando indifferentia ad finem honestum, in quo est venialis culpa, ut Theologi sentiunt cum S. Thomâ prima 2, Q. 8. ar. 9. atq; ita vitia aliqua contrahere. Ex quo deinde facile fit, ut assvetus ad terrena, cœlestia fastidiat, sit lentus ad ea, & piger excusando se mundanis sub specie necessariæ curæ, tandem efficitur, ut etiam illa beata cæna vili pendatur, quando divina mandata negliguntur, ad spinosas terrenorum curas, & sollicitudines, de quibus ita Salvator Math. 13. *Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, & solicitudo sæculi huius & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficit.* Quibus omnibus itur obviam, si honestatis studium, ac consvetudo vel præcedat aliorum usum, vel unà cum his acceptetur. Et cum fieri nequit, ut homo statim ac per vires corporis, animiq; potest, occupetur negotijs vitæ: virtuti quoq; quàm primum, hoc est à teneris annis obsequi debet, ne terrenorum familiaritas avocet ab ijs, quæ ducunt cælestia.

21. Postrema consilij Spiritus Sancti in portando iugo eius ab adolescentia occurrit communis illa ratio, quod ad perdiscendum aliquid, aptiores sunt iuniores, quam alij: idq; primò ex eo, quia talibus facile quidvis persvadetur, nimirum omnia credentibus, & de se minimè præsumentibus: persvasionem comitatur habilitas corporis, promptitudo, celeritas, vigorq; animi, membrorumq; agilitas. Quæ omnia perinde reddunt corpus, animumq; idoneum ad suscipiendam virtutis formam, ac in Physicis materia per materiales qualitates fit disposita ad recipiendam formam naturæ. In maturo homine desunt ista, aut non ita sunt exacta, tantòq; minus, quanto est provectior. Ægrè illi aliquid persvadetur, nempe nitenti scientiæ, & experientiæ suæ, torpescit corpus, cui annectitur langvor animi: membra sunt tardiora: sensus non ita expediti: deniq; ipsa novitas non usurpatorum ante, retardat, & quasi stupidum ad ea reddit.

22. Accedit huc quod cum virtus ęquè usu crebrâq; egeat exercitatione atq; doctrina addiscendi honestatem: etsi demus maturos posse perinde ac iuvenes agnoscere bonum, nequaquam tamen par exercitium eis concedendum: neq; solùm ob ineptitudinem hactenus explicatam, sed ob ipsum etiam tempus. Accomodatum ad hoc legimus dictum Eudæmoni-

dę vel

de, vel ut alijs placet, Eudamidas, qui ut refert Plutar. in Laconicis, cum audiset Xenocratem de virtute disputantem, eamq; inquirentem, conversus ad præsentes ait: Quando ergo ea utetur? merito hunc ita risit Eudamidas. Quis enim non ridendum putaret senem, aut decrepitum, si in ea ætate artem quampiam discere vellet, nec reputaret secum forsitan non sibi concessum iri ut ægre vivat, ne dum ut laboriosè operetur.

Rectè S. Augustinus Tomo 9. lib. 1. (qui ei tribuitur) de duodecem abusionum gradibus, magnum putat esse abusum vitę humanæ, usque ad senium non didicisse virtutem: *Abusionis*, inquit, *gradus est, si sine religione senex esse inuenitur, sicut in lignis reproba arbor comparet, quæ post flores, fructus optimos, cultori suo non exhibet: sic in hominibus reprobus est, quē flos iuuentutis deseruit, & tamen in sui corporis senectute bonorum operum maturos fructus proferre parui pendit.* Ita ibi: Quod si quis in senectute primum det se virtuti: *Quid*, inquit, *Augustinus, stolidius poteſt fieri, quàm* (tum videlicet virtuti incipere studere) *dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi minuuntur, flatus non suauiter olet, tussis cachinnat*, (& alia cruciant, quæ ibj recensentur) *quibus etiam interior, qui non senescit homo aggrauatur?* Propter hanc aggravationem rectè stoliditas imputatur seni, quod cùm corpus & anima instar gelu rigescat, & ut saxum deorsum tendat, ad excelsa virtutis conscendere velit. 23.

Sunt alij senes, quos idem Doctor mirè prædicat scribens Tomo 9. Conci. 3. super illa Psalmi 36. verba: *Iunior fui, etenim senui, nec vidi iustum dereictum, & semen eius quærens panem.* Senem hunc iustum, docet esse Christum in corpore Ecclesiæ, sive ille consideretur ut caput eius, sive ut homo primus in eadem Ecclesia, cæterorumq; dux ac princeps. Hic ergo homo initio mundi erat iuvenis, & parvus, iuvenis, quia tunc incipiebat Ecclesia, parvus, quia pauci erant fideles: nunc magnus, quia provecta jam Ecclesia multis imperat: senex, quia ijdem ad maturitatem, plenitudinis eius perveniunt, saturati pane gratiæ, legisq; Divinæ. Suadet proinde Aug. fidelibus, qui sunt semen iusti illius, in lege ipsius educti, & omni genere virtutum instructi, ut id quod tota vita cum labore adepti sunt, in senio conservent, ne q; tunc quærant iustitiæ panem, sed comparato jam saturentur. Quanquam enim ad comparandam nova inhabilis sit senex, valde tamen ad conservandum ante parta conducit senilis ętas, in qua ipsa consistens corporis constitutio, maturitasq; iudicij in bono usu firmati, immobilitatem constantiamq; parit. 24.

Et quo-

Et quoniam ab assvetis vt aiunt Philosophi non fit passio, acquisitis antea non gravatè utitur senex; quin & iucundè, quia ex habitu operatur magna cum voluptate. De tali verissimè testatur sapientia Dei Prov. 22 Proverbium est: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab eo.*

25. Quare sicut is, qui à teneris assvevit virtuti, etiam in senectute eam retinet, meritoq; debet gratias agere divinæ prudentię, à qua tantum beneficij consecutus sit: ita qui malo suo genio morem gerens, virtutibus iuvenis rebellis fuit, etiam senex refragabitur. Vtinam vel unam sibi tunc conciliet, pænitentiam, scilicet, quod translacta ætate abusus sit; quod unicè fidum vitę comitem, honestatem spreverit; quod elapsum tempus nunquam resumere possit, & eo uti ad lucrum futuræ æternitatis. *Angelus enim* (Apoc. 10.) *stans super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.* Quoniam ergo tempus vitæ ad hoc Auctore vitæ homini concessum est, ut in eo operetur, & recipiat prout gesserit in corpore suo: cum etiam idem tempus in senio, sit ineptum ad bene agendum, ubi verò consumatum fuerit, nunquam redeat: quis non videt, quàm imprudenter, & quàm periculosè illi agant, qui meliorem vitam ad ultimam reservant ætatem. Igitur non melius & sentire, & discere, & facere possumus, ac debemus, quàm quod Spiritus Dei per Prophetam Thren. 3. mandat: *Bonum est Viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit*; conscius, scilicet, lętusq; *quia leuauit super se*; nempe migrando à temporali in inferioribus vita, ad æternam in supremis cælorum.

CAPVT. XXXI.

An vna virtus sine alia, vel omnibus, acquiri, haberiue potest.

QVis ordo in acquirendis virtutibus tenendus sit, quæve ętas ad id aptior, constat ex capite præcedenti; ad eundem acquirendi laborem spectare videtur & illud cognoscere, possit nec ne una virtus haberi, non habitâ aliâ: an ut unam possideamus, omnes reliquæ quærendæ, ne si forte aliter fiat, frustra, & quasi otiosè impędatur, et sine debito ordine atq; ætate. Quod idem est ac quærere, num virtutes ita sibi connexæ sint, ut sine una nequeant omnes consistere, & una sine reliquis omnibus.

Cum

Cuius quæstionis duplex potest esse sensus, aut enim est sermo, de existentiâ virtutum, ut cum unâ existant reliquæ, & cùm reliquis quævis; aut de æqualitate earum, ut in quâ perfectione est una, in eadem reliquæ; & è contra quales reliquæ, talis una; utrumq; resolvendum est. 1.

Atque ut intelligatur rei veritas, adducenda hîc doctrina S. Thomæ 1. 2. Q. 65. ar 1. in Corpore tradita, virtutem moralem acquisitam bifariam spectari posse, vel in se, suâque propriâ naturâ cum fine, materiâ & circumstantijs, vel in consistendi stabilitate. Utroq; modo spectata est vera virtus, sed hoc interest; quod in priori acceptione sit valde imperfecta, secus in posteriore: neq; hanc imperfectionem efficit defectus cuiuspiam rei ad naturam virtutis necessariæ (supponimus enim adesse omnia illa tria, finem, obiectum, & circumstantias debitas) sed efficit inopia auxilij, & societatis alterius virtutis, ad stabilem requisitæ statum. Exempli gratiâ, is qui sæpius exercitatus est in virtute castitatis, adhibitâ eius materiâ, fine, & circumstantiis, verè est castus: quòd si immineat periculum mortis, vel gravis adversi, non potest tutò servari castitas, nisi idem fortis quoque sit, omniaq; adversa subeunda sibi putet, quàm ut honestate castimoniæ privetur. Annecti ergo debet fortitudo castitati, non tanquam aliquid spectans ad materiam, finem, vel circumstantias eius (potest enim quis castitatem exercere v. g. coniunx in usu decenti copulæ, nulla habita notitia periculorum mali) sed tanquam firmans stabilitatem, opemq; ferens, quando ea fuerit necessaria. 2.

Ex hoc exemplo patet, quo sensu castitas solitaria dicatur imperfecta, ex eo videlicet, quia caret auxilio aliarum virtutum, quæ ubi adfuerint, est perfecta, nempè firmiter consistens: Idem de reliquis judicium. Hoc ipsum similitudine aptâ notius efficitur: nam Rex electus, approbatus, aut (ubi successione agitur) natus, & coronatus verè est Rex: quid enim jam illi deest ad Regiam dignitatem? Vt tamen firmiter possideat regnum, terminosq; illius ab hostium incursionibus tutos, milites, qui irrumpentes propulsent hostes, arma, commeatum, aliorum Regum favorem & cætera præsidia habeat, necesse est. Quæ omnia non conferunt novum regnum; quis enim neget esse dicive Regem; qui jam coronatus sit, hostes tamen in finibus sentiat, & ad bellandum necessarijs destitutus sit? Erit igitur Rex ille verè, non tamen firmus in possessione regni, nisi habeat in finibus securitatem, & eos 3.

qui illum tueantur. Ad eundem planè modum, id quod approbante prudentiâ, & eligente voluntate fit in anima, verè est virtus ornata suâ honestate tanquam coronâ regiâ, & dominans in homine velut rex in regno, si tamen destituatur consortio aliarum virtutum, debile admodum habet regimen, facilèq; illo priuatur ab hostibus vitijs.

Sectio I.

An ad perfectam stabilitatem virtutum moralium acquisitarum exigitur connexio ac præsentia omnium.

4. EX præmissa doctrina facilè est deducere, id quod in hac re verè tenendum sit. Ac primò negandum non est posse esse quamlibet virtutem solam sine alia, aut alijs, modò adsit propria eius materia, finis & circumstantiæ. Jllud quoque fatendum requiri societatem aliarum vel omnium, ad firmum & stabilem earum statum: ita docet S. Thomas 1. 2. q. 65. art: 1. & 2. & quęst: 66. art: 2. multisq; alijs in locis, idem tenent reliqui Theologi. Sed inter eos est aliqua dissensio, præsertim de mente Sancti Thomæ: nam Caietanus in articulum illum primum quæstionis 65. aliiq; Thom: putant non debere dici veram virtutem, quæ non habeat comites alias; propterea quòd ad virtutem veram, requiratur prudentia quædam totalis, quæ circa omnia agibilia rectè sit disposita, idque ideo, vt quamlibet virtutem constituat in sua firmitate aliarum consortio. Nam si mulier inquit Caiet: polleat prudentiâ in materiâ castitatis, & non in materia fortitudinis, nequit esse casta; quia imminentibus aduersis (quæ essent toleranda ob retinendam castitatem) amittet castitatem. Requiritur ergo totalis prudentia ad quamuis virtutem necessaria, & cum totali prudentiâ requiruntur omnes virtutes. Jta Thomistæ, contra quos Scot: in 3. Sent: dist: 36. & alij cum ipso Theologi asserunt ad veram virtutem satis esse particularem prudentiam illi propriam, quæ ipsius particularem definiat materiam. Nam vt ostendi n. 2. & 3, Potest quęlibet solitaria virtus, cum sua solitaria prudentia operari honestè, non igitur eget consortio aliarum virtutum, ad hoc vt sit vera honestas. Harum sententiarum dissidium enucleatiùs definiendum Theologis relinquo, ad propositum nostrum sit satis imperfectum, & perfectum virtutis nosse statum; ille est solitariæ, hic sti-

hic ſtipatæ comitibus, vt iam declaraui: in vtroq; tamen ſtatu vera honeſtatis conſiſtit ratio, id quod rectius tenet Scot: & alij cum eo, quàm Caietanus.

Nec S. Thomas contrarium tenet loc: cit: in quo duo clara reperio, primum eſt inclinationem ad agendum aliquid de genere bonorum eſſe, vel ex naturæ diſpoſitione, vel ex aſſuetudine: vbi cùm diſtinguit aſſuetudinem ſeu habitum à naturâ, palam docet inclinationem illam, quę eſt ex aſſuetudine virtutem eſſe, ſecus illam quæ eſt ex natura & corporis diſpoſitione. Addit deinde (quod eſt ſecundum) ſic acceptam ex aſſuetudine inclinationem non eſſe connexam cum aliis virtutibus, datq; exemplum in liberalitate & caſtitate, poteſt enim quis eſſe liberalis, qui tamen non ſit caſtus, atque talem liberalitatem, vocat imperfectam virtutem, non ex eo, quòd deſit illi aliquid ad rationem liberalitatis, ſed ex alio capite, vt mox oſtendam. 5.

Etenim aſſerit ille virtutem moralem ſine prudentiâ totali non habere rationem virtutis. Sed id in ſenſu ab eo intento qui verus eſt accipiendum, quòd nimirum non habeat rationem virtutis qualiſcunq; ſed perfectæ, ſeu quo ad longam durationem. Et quod in hoc ſenſu intelligendus ſit S. Thomas clarum eſt, nam dicit per inde ſe habere virtutes acquiſitas ad prudentiam totalem, atq; ſe habent virtutes infuſæ ad charitatem, vt enim hæc vnit hominem plenè cum bono diuino; ita illa ordinat integrè hominem ad bonum morale. Sicut ergo ſine charitate quædam virtutes infuſæ habent veram virtutis rationem, nempe fides, & ſpes, etſi non habeant rationem virtutis perfectæ, ſcilicet, viuæ per charitatem, quæ vita eſt illis extrinſeca, & acceſſorium quoddam: ita ſine prudentiâ totali virtutes morales acquiſitæ habent veram rationem virtutis, etſi non perfectæ nimirum quoad acceſſorium illud firmæ ſtabiliſque exiſtentię: hæc omnino videtur eſſe mens S. Thomæ pro veriore ſententia. 6.

Neque Caietani in oppoſitum vrget ratio, nam qui deficit à caſtitate ob inopiam fortitudinis, non ideo deficit, quod caruerit vera caſtitate ſi enim habuit omnia ad eam requiſita, nempe materiam, finem, ac debitas circumſtantias, adfuit etiam prudentia & electio bona; reuera negari non poteſt, fuiſſe veram caſtitatem, neque enim dici poteſt luxuria aut quid indifferens vt clarum eſt. Cum igitur vera fuerit caſtitas, quod deficit vrgente graui periculo, eſt quia non erat adiuta à ſociâ fortitudine, quæ ſocietas non requiritur tanquam quid ſpectans ad naturam 7.

castitatis velut forma & species; sed vt extrinsecum quid, confortans ad resistendum vt consistendum in durationem. Instat Caietanus consortium virtutum requiri, vt medium vel circumstantiam, ad vniuscuiusque rationem: vt enim quis castus sit, aduersorum tollerantiam adhibere debet ad finem castitatis tanquam medium & circumstantiam. Sed ad hoc respondetur ista media vel circumstantias esse extrinsecas & accessorias: potest enim vna virtus imperare actum alterius, pro exigentia rei, quo pacto castitas imperat dura fortitudini, vt potius mors subeatur quam violetur ipsa: hoc tamen imperium castitatis est ipsius rationi ac naturæ extrinsecum, quo eget, vt tantùm secura consistat sed eget homo cibo & potu non ad rationalem naturam constituendam, sed vt longius duret in sua consistentia.

8. Uerum his subtilioribus ad scholam remissis, praxim attendamus, fateamurq; neminem perfectum fore virtute morali acquisitâ, nisi habeat omnes. Perfectionem istam non pono in excellentiâ aliquâ virtutum, qualis est intentio vel heroica aliqua ratio; sed in existentia earum, asseroque eum qui caret aliquâ, aut aliquot virtutibus; vel paucas, vel nullam habiturum, id quod in sententia cumCaietano tenentium clarum est, qui dicunt non posse vnam virtutem veram virtutis rationem habere nisi adsint omnes: in sententia autem quam putamus veriorem, etsi vna virtus possit esse vera sine alijs, non tamen poterit consistere diu, sine societate aliarum, sed oblatis occasionibus (quales sunt plurimę in vita hominis) mox deperditur ob defectû auxilij. Hoc verò, aut ab omnibus vni, aut ab vna reliquis subtrahi potest: nam qui habet omnes virtutes temperantiæ, iustitiæq;, & vtrique harum conducentis prudentiæ, careat autem fortitudine; eius auxilio destitutus, potest perdere omnes illas; e contra qui habet fortitudinem, & caret illis tribus; earum auxilio destitutus, potest perdere etiam fortitudinem.

9. Et de modo quidem acquirendi virtutes ex professo tractabitur capite vltimo: illud hîc in dubio esse potest, quonam pacto omnes simul ab vno possideantur virtutes, cùm aliquarum actus nequeant à singulis exerceri, verbi causa a paupere actus magnificentiæ. Huic dubio bifariam satisfacit S. Tho. inprimis 1. 2. q. 65. art. 1. ad 1. Asserendo posse esse in homine omnes virtutes non actu sed potentiâ. Qui enim est bene dispositus ad operandum aliquid honestè, etsi nunquam operetur; perinde se habet, atque si actu operando nactus sit illius honesti habitum. Ita dispositus censetur, quicunq; non est obnoxius vitiis, & habet volun-

tatem vniuersalem rectè viuendi. Cæterùm hic modus possidendi virtutes est valde imperfectus & incertus: multi enim volunt bene agere; re tamen ipsa secus faciunt.

Secundò ergo eidem dubio satisfacit S. Thom: 2. 2. q. 129. art: 1. ad 2. docendo posse esse in quopiam omnium virtutum habitus etsi non omnes earum exercuerit actus. Nam vt ostendimus hac parte, cap: 1. a num: 33 ad acquirendam aliquam virtutem sufficit propositum, & voluntas illam habendi, exercendiq; actus eius quo suis quando, & vbi fuerit opus. Quare qui tale propositum & præparationem animi habet magnificentiæ exempli gratiâ consequendæ, acquiret eandem etsi non exercuerit actum eius illum præcipuum, magnificæ scilicet expensæ. Igitur hac ratione omnes virtutes possunt esse in vno, verùm de hoc accuratiùs agetur cap. vltimo. 10.

Interim ex dictis illud tanquam certum habendum, vt qui virtutes habere vult omnes, sit paratus vniuersali voluntate in quavis se exercere siue rectè viuere semper: vel quod efficatius, & certius est, habeat vniuscuiusq; in specie firmum propositum, nisi malit operam, & laborem hoc in negotio perdere. Mancum, & pigrum in Studio honesti conatum arguunt SS. Patres alijq; auctores citati à S. Thom: 1. 2. q. 65. a 1. S. Gregorius 12. Moral: cap: 1. jta de hoc: *Vna virtus sine alijs, aut omnino nulla est, aut imperfecta.* S. Aug. 6. de Trinit: cap: 4. *Virtutes quæ sunt in animo humano, nullo modo separantur adinvicem.* Cicer. 2. Tusc: quæst: *Si vnam virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum.* 11.

Quæ & similia dicta insectantur desidiam, imprudentiamq;, vel potiùs stultitiam exprobrant eorum, qui ab inchoato opere cessant, vel in medio eius fatiscunt. Quàm stultus qui bene à se excultum agrum, inseminatum relinquit, aut zizaniorum conspernit seminibus? Quàm imprudens, qui cœptum iter, mox quiete interrumpit, vel retro longiùs progreditur? Non absimilis his, qui vbi honesta aliqua operatione extoluit animum, nihil vltra agat boni, quin malorum plurima in eo spargat semina: aut qui iter virtutis aggressus, citò fatigetur, vel, quod peius est, vitiosa pergat via. Laudantur multi à liberalitate, qui tamen sunt potatores, luxuriosi, superbi, iniusti, imbelles: estne credibile vt misera liberalitas, aut consistat cum his honestatis pestibus, aut diu consistat? In nonnullis prædicatur fortitudo bellica, quos auaros, impuros, cômessatores, raptores, invasores alieni esse constat: quonam modo illa 12.

fortitudo, destituta ope aliarum virtutum erit fortis, aut quamdiu erit? Forsitan nec ille liberalitatem, nec iste fortitudinem dicendus habere, sed speciem eius pictam; sicut pictus homo est vmbra veri. Quod si quid verè fortiter fiat; vnum tale factum, centum vitiosis iræ effrænis, vindictæ, injustitiæ, & aliis obscurabitur: vnum liberale opus, tot prodigalitatibus, ebrietatibus, luxuriisque fædabitur. Horum & his similium, hoc est imprudentium, ac stultorum infinitum esse numerum, vltimum docebit caput; qua in re mira humanæ mentis est, cæcitas, atq; vtinam vel ipsa cognoscatur.

13. Tria reperio, quibus Deus hominem est dignatus, naturam, artem & virtutem: natura habet suos fines, à quibus vt non aberret, ab arte perficitur, virtus perficit vtramque. Et naturæ quidem impulsu, semper perfecta appetimus; neq; enim si daretur nobis optio vnam manum eligeremus, vnum oculum, vnam aurem, vnum pedem: aut vtrumq; pedem, sed claudum, vtramq; manum, sed mancam, vtramque aurem, sed surdam, oculum vtrumq; sed cæcum aut lippientem. Omnia certè corporis membra, & optimè formata, ingenij præterea celeritatem, memoriæ promptitudinem, & tenacitatem, quæuis demum alia, siue fulcra, siue decora naturæ expetimus, ac si possemus, conferremus nobis. Idem facit, qui artem addiscit quampiam: philosophiæ sectator non præfigit sibi infimas in ea partes; neq; geometra discit, ut emblemata ignaris probet; aut orator, vt peroret nescientibus idioma: sic in mechanicis, nec aurifaber mundando duntaxat vult insistere auro, nec sartor reficiendis centonibus, aut sutor corio tantùm purgando; sed quiuis summa appetit & vtrâq; prehendit manu, neq; contentus semel attigisse, toto vitæ spatio nititur ad perfectiora.

14. Ita naturę, & arti obsecundat homo; iam virtuti, quæ est naturæ, & artis finis ac perfectio, in qua proinde summum esset ponendum studium, quonam modo? Respondeat quispiam: ego non furor, non occido, non rapio aliena: ergo justus es in his, quid in aliis quæ religionem ad Deum ordinant in voto, iuramento, decimis? quæ præcipit, aut prohibet obedientia, monet obseruantia, gratitudo, pietas cæteræque justitiæ asseclæ: quæ exigit temperantia, castitas, sobrietas, humilitas, patientia, mansuetudo: quę vrget fortitudo, constantia, longanimitas perseuerantia? Si omnes virtutes ad libellam vocentur, quàm multi reperientur, qui nec norunt eas? quàm pauci, qui notas, & sæpius à conscientia vel magistro inculcatas non neglexerint; quorum a-

nimæ si videri possent non aliam, fęditatis obijcerent formam, quàm quæ esset in corpore humano, sine vno oculo, vna manu, pede, aure, naso; prorsus turpe cerneretur & prodigiosum monstrum, tantòq; turpius, quantò in præstantiore re nempe in spiritu, quem vt honesta pulchriùs ornant, ita inhonesta deturpant fædiùs.

Auget turpitudinem & illud, quòd in corporis natura minuit; hęc enim dando mutila membra facit quod potest, vt ex Physicis constat, atque ita si effectus ad causam deficientem referatur, nihil erroris est, aut peccati in natura, at cùm virtus sola hominis, eaque mala libertate deficiat, eò turpior est defectus, quò voluntas peior. Itaque ex omnibus quæ à Deo concessa habet homo, soli virtuti graue facit præiudicium, naturæ & arti plenè obsequendo. Hoc illud est, quod Dñus tanquam imprudens, stultum, & damnatione dignum reprehendit in Pharisæis. Mat: 23. cùm ait: *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autē pleni estis rapinâ, & immūditiâ:* Pharisæe cæce munda priùs quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id quod deforis est mundum. Pharisæum agunt, qui ea quæ deforis spectabilia parent, naturam ornant, artem illustrant, & hic enascentem pariunt voluptatem, toto studio sequuntur, opes, iucunda, alta, & honorifica; aguntq; ne quid in ijs desit, sed velut calix deforis mundus, & splendidus appareat. Cæterum ijdem virtutem, quę in interioribus sedem habet postponendo, animam sordidam, & fætentem gerunt, quæ nauseam, horroremque Deo ac beatis eius perinde facit, ac nobis calix intus spurcus, & fætidus, extrà mundus, ac politus. 15. 16.

Quamobrem naturæ dotibus, & artium gloria illustribus, ætate florentibus; forma corporis decoris; ornatu vestium, auro, gemmisque fulgentibus; ingenio, memoria, doctrina, experientia præclaris, fama, honoribus, vno verbo rerum omnium copia magnis, sed virtutum honestate destitutis, idem à Christo dici putandum, quod olim Pharisæis dixit: Cæci mundate priùs, quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod deforis est mundum. Nimirum hæ naturæ, & artis dona nisi à virtute honestentur, dedecus sunt potiùs, quàm ornamentum: *Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, & detrimentum suæ animæ faciat,* dicit Christus Marci 8. Quare vt hæc quę in mundo sunt magna, optatum retineant decus, vel sine illis, eo spectabiles simus, qui verus, & vnicus est animæ splendor, ab honestate emicans; ita vni intendamus virtuti, vt ad eam conseruandam augendamq; reliquas omnes in auxilium vocemus: ita quoque reliquas colamus, vt nec vna desit. 17.

Sectio

Sectio II.

An virtutes Morales acquisitæ debeant inter se æquales esse.

Vidimus connexionem omnium virtutum necessariam esse, vt se mutuò tueri possent à corruptione; simul etiam ostensum est vnam sine alia posse consistere etsi minùs tutam, propterea quòd careat alterius ope ad sui conseruationem; nunc explicandum est, an quæ existunt, sint sibi perfectione pares.

18. Qua in re doctrina est S. Thomæ 1. 2. q. 66. ar: 1. & 2. Communisq; Theologorum in virtute duo posse considerari, formam, videlicet, seu speciem, & materiales conditiones: species ab obiecto sumitur, & à regula rationis, subiectum spectatur vt materia, cui inest virtus. Si de priori agatur, omnes virtutes æquales sunt in regula rationis electionem definiente; nam æquè vna, atque altera eget regimine rectæ rationis. Et licet vna magis quàm altera accedit ad rationem, in quo prudentia primum locum occupat, ponè sequitur iustitia, perficiens voluntatem, tandem fortitudo, & temperantia appetitũ moderans; tamen omnes in eo conueniunt, quòd à ratione pendeant, id quod substantiam cuiusq; constituit. Sunt igitur in dependentia à ratione pares omnes virtutes, etsi dispares sint in eo, quòd vna rationi sit vicinior quàm altera, sicut etiam & in hoc, quòd vna habeat perfectius obiectum, quàm altera, licet omnes honestum attendant, in quo etiam sunt omnes pares.

19. Explicari id potest similitudine S. Thomæ à digitis desumptâ illo art: 2. qui & æquales, & inæquales dici possunt: inæquales sunt in quãtitate, Vnus enim altero maior, vel minor est, sunt tamen æquales proportione, quam inter se habent ad decentiam, & vsum opportunum, vt pollex sit breuior, sed crassior ceteris, index longior, sed tenuior, quia in re est decentia, & vsus aptus. Hac ratione omnes virtutes sunt æquales proportione dependentiæ à prudentia, sicut enim vna, ita aliæ dependent; sunt tamen inæquales in modo dependentię. Id quod comprobat Augustinus 6. de Trinitate cap: 4. à Sancto Thoma 1. 2. q. 66. ar: 2. in corp: citatus: *Si dixeris (inquit) æquales istos fortitudine, sed illum præstare prudentia, sequitur quod eius fortitudo minus fortis sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sint, quando est illius fortitudo prudentior.* In hoc sensu recte id

ctè id dicit Augustinus; Si enim fortitudo caret suâ prudentiâ, non est vera fortitudo sed picta, vnde nec æqualis alteri, in dependentia à ratione: potest tamen esse in eo æqualis, quòd si vera fuerit, fortitudo, remotior sit à ratione quàm prudentia. Idem dicendum de omnibus virtutibus in substantia spectatis (quę partim à ratione, partim ab obiecto dependet) nempe eas esse iam æquales, iam inæquales, æquales dependentiâ à ratione, inæquales modo dependentiæ, & diuersitate obiecti.

Quod ad alteram considerationem virtutis in ratione materiali attinet; sic quoque nunc sunt æquales, nunc inæquales, æquales in depẽdentia à subiecto, in quo perinde vna atque alia recipitur virtus; inæquales in modo receptionis, vna enim aliâ intensior potest esse, maioremq; habere inclinationem ad operandum, vel quia crebriùs est exercitata, vel quia à gratia Dei magis adiutá, aut à propensione naturæ. Hìc quoque similitudo à digitis applicanda est, vt omnes virtutes sint pares proportione dependentię à subiecto, dispares modo, & quantitate dependentiæ. 20.

Agnitâ iam æqualitate & inæqualitate virtutum, nostrarum est partium semper id agere, vt crescamus earum tum æqualitate, tum inæqualitate, imitemurq; hac in re naturam in exemplo de digitis dato. Nam sicut hi semper crescunt certo, & debito modo in quantitate propria cuique, ex qua resultat æqualitas proportionis; semper, inquam, crescunt, quoad ad suam maturitatẽ non perueniunt: ita virtutes, in nobis semper debent crescere, tam in quantitate perfectionis essentialis, & formalis, quàm accidentalis & materialis, quoad veniant ad suam vltimam maturitatem, siue quam ex natura habent, siue quam possunt attingere. 21.

Crescunt vt dicunt Theologi formaliter virtutes, quando vna post alteram indefesso acquiritur studio; crescunt materialiter, quando pari studio intenduntur magis ac magis, ita vt & prudentia clariùs percipiat honesta, & justitia, fortitudo ac temperantia propensiùs, ac constantiùs in eadem ferantur. Maturitas virtutum in substantia sumptarum, est cuiusq; in sua forma & specie possessio; acceptarum autem in eo quod est extra substantiam, est augmentum tale ac tantum, in vehementiori propensione, quale ac quantum potest haberi viribus nostris Dei gratiâ adiutis. Hæc qui assequitur, multùm assequitur, & planè id, quod potest toto suo naturali labore, quem honestissimum esse oportet, quippe, ad acquirendam omnem honestatem, impensum. 22.

CAPVT XXXII.

Quis status quæue conditio sit hominis carentis virtute morali acquisita.

De hac re dicta sunt non pauca principio libri primi aliquot primis capitibus; sed ea, vt ille locus exigebat, cōmunia quædam continent, hîc singularia afferenda, atque hoc ordine, vt sicut virtus moralis iam Deum, iam proximum, iam ipsum concernit operantem; ita & inopia eius per comparationem ad eosdem consideranda.

Sectio I.

Quem experiatur in se Deum is, qui negligit virtutem moralem.

1. AC quod ad Deum inprimis attinet, eum amicum habere vix talis potest: nam si illa quæ agit carent honestate, offendi maiestatem diuinam necesse erit: neque verò credibile est, vt talis tantùm leuiter delinquat; sed crebrò grauiora committit, instigante naturâ corruptâ, cui dæmonum cooperatur astus. Quia ergo rari tales, qui carendo virtute, venialia solùm (quibuscum posset cōseruari amicitia Dei) committāt, verū plerīq; omnes peccant grauiter; idcirco dixi suprà ægrè iis esse amicum Deum, sed hostem & inimicum propè semper. Id quod Filius Dei factus hominibus carne similis, propter jucundam cum ijs societatis amicitiam, Ioan: 15. sic testatur: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis*, Scilicet bona & honesta; quæ cùm non faciunt à virtute alieni, inimici sunt Christi. Christus quoque inimicus eorum, quippe qui vt est in Psalmo 5. *Odit omnes qui operantur iniquitatem.*

2. Odium istud quid effecturum sit in hostibus Dei post obitum cuiusque legimus Sap: 5. *Accipiet armaturam zelus illius* (odientis scilicet Dei) *& armabit creaturam ad vltionem inimicorum:* quam vltionem Christus Matt: 5. declarat fore ignē & supplicium æternum. Ingens pœna, & quæ nec intelligi, nec concipi satis potest: non minor altera, quin maior præcedenti eosdem tunc manet, priuari videlicet, vitâ illâ, quam promisit ibidem Matt: 25. Christus justitiæ probitatisque cultoribus: *Ibunt iusti in vitam æternam.* Si ma-

Si magnitudinem tanti mali immutabili decreto Dei in eos ferendi, qui negligunt virtutem, ita apprehenderent homines, vt apprehendit malefactor, quando à judice damnari se audit decreto ab ipso lato; profectò omnes, ad discendam virtutem certatim currerent, acceptarentque obvios eius magistros. Sed aliud quidvis, quàm honestatem studiosiùs tractant homines, nimirum tacente interim iudice, neq; proferente illam terribilem sententiam: Ite maledicti in ignem æternum: idcirco non percipitur sonus & intelligentia eius. 3.

Egregiè id elucidat S. Augustinus Tomo 9. lib: de ouibus Cap: 2. quem ad cor planè de hac re loquentem fusiùs refero, sic ergo incipit: *Dicit Deus quodam in loco: Tacui, nunquid semper tacebo? quomodo tacui cum hoc ipsum loquendo dixerit? Audio te loquentem in tot præceptis, in tot Sacramentis; audio in hoc ipso quod dicis tacui. Quomodo ergo tacuisti? quia nondum dico: Venite benedicti Patris mei: &; Ite maledicti in ignem æternum. Vltimam sententiam, quam dicturus est iudex, in tabella descriptam us sua manu, vltra quam sententiam nihil iam iudicaturus est, partes non audiunt. Illis foras exeuntibus scribitur; attonitæ sunt ambæ partes, contra quem, vel pro qua sententia procedet, Magnum secretum iudicis, magnus timor eorum, qui in causa sunt quid ille scribat ignoratur: & homo est, qui iudicat, & illi de quibus iudicat homines sunt. Ille autem Deus noster est, & nos oues manuum eius, & populus pascuæ eius, & cum sit invisibilis, nos visibiles, noluit latere nos in hac vita, quam vltimam sententiam in fine dicturus sit. Nemo ante dicit, damno, qui vult damnare, ferio, qui vult ferire: Magna ergo lenitas, magna misericordia; sed si non abutamur patientia eius ad nostram nequitiam, & illo peccata nostra portante nos quasi faciendo ei onus, augeamus peccata peccatis, quasi vt ille plus portet, qui non laborat vt portet. Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit, inquit Paulus Rom: 2. Patientia Dei illa est, quam taciturnitatem vocat, cum dicit, tacui. Et vides si semper tacebit. Tu autem secundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; iuxta opera sua.* 4.

Hucusq; Aug: qui duo exaggerat; alterum patientiam Dei, quâ tolerando virtutis osores, quasi silētio premit decretum damnationis, quod contra illos prolaturus est in suo judicio: alterum pietatem & clementiam, ex qua illud fit, vt eo quod certò facturus est, terreat à malo. Vtrūq; virtutem commendat, suadet, mandat, hoc fauoris diuini fine, vt si nihil effectum fuerit, silentium locutione, lenitas seueritate terminetur. Apprehendetur tum sententiæ illius *Ite maledicti in ignem, æternum*, sensus; 5.

quia omni sensu sentietur pœna. Apprehendetur intelligentia, quia intelligetur noxius error, non fuisse secutum virtutem rem naturæ rationali debitam, & gratam; cuius defectus naturæ, gratiæque auctorem Deum, adeo reddet homini infensum. Et hoc quidem in altero mundo: in isto, etsi non tanta ijdem perferant (quanquam non desunt multa vt ostendi huius libri par: priore cap: 14. a sect 2. per aliquot) vel hoc vnum satis mali continet, esse odio Deo, *Sunt enim Deo odio impius, & impietas eius.* Sap: 14.

6. Dauid vnctus iam Dei iussu à Samuele in regem, 1. Reg: 17. Multisq; futuri regni argumentis diuinitus confirmatus; tamen quia nouerat inimicum sibi esse Saulem regem, qui eius insidiabatur vitæ; quasi oblitus sui, continuò pauens, ita secum tacitus loquebatur, vt legimus citato proximè loco: *Aliquando incidam vna die in manus Saul, nonne meliùs est, vt fugiam, & saluer in terra Philistinorum.* Rex Saul iniquè persequebatur inocentem Dauid, & quid tandem fuit comparatus Deo? Quod si Dauid veritus infensi sibi regis inimicitias, fugit ad suos hostes Philistijm; quid faciet, quicunq; habet inimicum Deum? quò fugiet? & quis fugientem recipiet, quem Deus iustè persequitur, tanquam inimicum suum, quia est inimicus virtuti?

7. Numerantur loco illo citato 600. viri, amici, & cõmilitones Dauid, vxores quoq; fauebant eidem, & pleriq; omnes in toto regno: horum tamen amicitiæ præualebat vna Saulis inimicitia nimirum regis, ad cuius imperium reliqui, aut nocerent ipsi, aut parum prodessent. Qui virtutem oderunt vt inimicam, habent sibi amica, quæ contra illam amant, carnis, scilicet, illecebras, & harum complices; opes malè partas, Sociosq; iniqui lucri; & plurima talia. Verùm cui Rex cœli succenset, quid illorum dabit fauor? vbi voluptas in dolorem, opulentia in egestatem, quæuis grata in fastidium imperio Dei mutata fuerint, quid tãdem erit solatio, aut commodo? Sed ut hęc absint, vnum pro cunctis restat, nempe Creatorem esse alienum ab opere manus suæ; ex quo illud sequi necesse est, vt sicut inimicus Dei homo, semper illum (conscientiâ teste) infensum sibi novit, semper pauet, semper expectat, vel saltem meretur, ne faciat quod potest: ita inimicus hominis Deus, semper (prouidentiâ ipsius exigente) aduersum illum sibi prospicit, semperq; mente agitat, quid ex ijs, quæ potest, & decreuit, facturus sit. Talis status est hominis virtute destituti, inimicum esse Deo, & inimicum habere Deum.

Sectio II.

Qui virtute caret, hominum societate est indignus.

NOn se meliorem gerit in similem sibi hominem idem vitijs obnoxius, qui in Deum talis vt dixi est; & huic quidem nihil noxij inferre potest, illi, & potest & vult. Quid verò possit, aut velit in Psal: 51. ita scriptum legimus: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate:* vbi malitia, & iniquitas vitia significat, & male facta; moxque enumerat illa esse duplicia, ex quibus colligitur mala potentia: ex facto enim, rectè conijcimus quid quis possit. Primum factum est: *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum*; alterum: *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Injustitia & dolus sunt injuriæ, damnaque, quæ inferuntur proximo: per malitiam super benignitatem possunt intelligi illa peccata, quæ præseferant laruam benignitatis, humanitatis, atque amicitiæ; cæterum sub illa latent peccata lasciuię, luxuriæ, & similia, quæ suâ apparentiâ quasi superant benignitatem. 8.

Hæc sunt duo, quibus & potest & solet nocere alteri injustus, & lasciuus, siue carens virtute justitiæ, ac temperantiæ. Ab iniusto spoliatur proximus bonis fortunæ, famâ, vitâ, interdum virtute; ab intemperante perfert damna animæ castitatis, videlicet, sobrietatis, aliarumque virtutum ac rerum. Intemperantia certè primorum parentum nocuit in omnibus, omnibus hominibus! Quis enumeret damna, & injurias eorũ, qui queruntur de tyrannis, Turcis, Mauris, Tartaris, hæreticis, regna, & ditiones alienas iniquè diripientibus. Alij accusant potentiores, qui etsi subsunt tribunalibus justitiæ; quia tamen potentiores sunt, vel ea nihil timent, vel potentiâ suâ eludunt. Postremò quis recenseat mala (fætus doli, & fraudium) quæ tolerantur ab innocentibus, & illa quæ multi ad luxuriantium libidinem, vel injusti conferre debent? Hæc omnia vnde & à quibus? ex vitio certè, & à uitiosis: contra quos si institueretur actio, non melior sententia expectanda esset, quàm quæ ferri mandato Dei debuit ob grauia à Iudæis olim commissa scelera, vt est Leu: 11. 18. 20. & alibi, nempe vt tales de medio populi tollantur. 9.

Quamobrem homines virtutis inimici, tanquam bonorum hostes segregandi essent ab ijs; vt qui odit honestatis commercium, indignus 10.

ſit honeſtorum ſocietate. Eſt fateor diſſonum, ac difforme naturæ hominum ſciungi à mutuo conſortio, cum ſit quiſque animal ſociale; ſed non minùs, immo magis eſt eidem naturæ contraria fæditas, ac turpitudo inhoneſtatis, vt primis aliquot capitibus hoc libro parte priore oſtendi. Magis inquam eſt contraria inhoneſtas; quia ſocietate eget homo, ad iucundiorem vitam, virtute tanquam rationi, & naturæ ſuæ conſonâ, ita quidem; vt ſicut ſine ratione non eſſet homo, ita ſine virtute non eſt iuxta rationem homo. Ergo qui in eo quod maius eſt naturæ contradicit, quid mirum, ſi eo quod eſt minus in pœnam priuetur? Et in hac quidem mortali vita nunquam eò venitur, vt omnes improbi à probis ſeparati degant (quanquam de aliquibus id fit, & ſi ob reſpectus non ſemper fit, fieret ſi poſſet) in altera id omnino futurum, fides docet: *Erit*, inquit Chriſtus Mat: 13. *in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Hic ſtatus eſt carentium virtute in hac vita; hic finis in futura, vt bonorum ſocietate cenſeantur indigni.

Sectio III.

Homo vitioſus crudelis eſt in ſe ipſum.

11. SI, vt ſcripſit Salomon Sap: 1. *Os quod mentitur* (detrahendo, ſcilicet, aut murmurando) *occidit animam ſuam*, quia loquitur contra virtutes, quibus opponitur murmuratio & detractio; idem profectò facit, quicumq; contra alias operatur virtutes. Hac morte ſuam quiſque afficit animam interdum ſimul, & ſubitò, quaſi vno ictu auferendo caput, aut pectus tranſuerberando; aliquando vulnera infligendo, & ad mortem diſponendo. Illud agitur lethali culpâ, hoc leuioribus præſertim deliberatis, & malitiâ commiſſis; quidquid horum fiat, ab immani crudelitate non excuſatur.

12. Neque audeat quis eos excuſare, quia non ſentit vulnerum dolorē, & necis tormentum; vt enim id demus (quanquam conſcientiæ peruerſæ morſus quis non ſentiat,) conditioni mortalis vitæ adſcribendum eſt, vt hac durante animâ corpori immerſa ei contraria ſentiat acerbè, alia quæ in ſpiritum agunt leuiter percipiat. In illo æterno æuo ſicut vermis, qui ſemper intima animæ rodat non morietur teſte Iſa: 66. ita & ſenſus inti-

ſus intimorum viuet, *eritq́ȝ* inquit idem Propheta *vſq́ȝ ad ſatietatem viſionis omni carni*; clarè ſiquidem quiſq; ſuæ animę videbit cruciatum.

Itaq; futuræ vitæ reſeruatur viua cognitio eorum, quæ poteſt pati anima; hæc autem duplicia erunt, pœna ſenſus, & pœna damni: illam ignis efficiet, hanc afferet priuatio vitæ diuinæ, gratiæ, & virtutum. Interim nemo animam ſuam igne torquet, id quod vēturæ reliquit iudex æternitati: cæterùm gratiam, vitamq; diuinam toties ſibi aufert, quoties malum lethale cōmittit: ad hæc virtutibus acquiſitis ſe ſpoliat, dum agit vitiosè, quod non fit abſque crudeli immanitate. An non crudelis cenſetur in vitam, membraue ſui corporis, qui ferro cor ſuum tranſfigit aut ſe laqueo ſuſpendit, vel aquis præfocat? crudelior certè, qui excellētiori ſui parti, animę, ſcilicet longè eminentiſſimam aufert vitam, nimirum diuinam, & præclariſſimas, ac pulcherrimas ab anima partes, tanquam ſpiritualia membra, nempe virtutes ſeparat. Non ſentiuntur iſta vt iam dixi, vero illo, quem nata ſunt parere, ſenſu; vero tamen & crudeli exercentur modo, & quidem ab eo, qui à virtute eſt alienus, & in eum ipſum, qui eſt alienus. 13.

Horremus, & magnâ cum motione animi legimus illud Mach: 2. cap: 14. de Raſia, qui gladio ſe petijt, & madēs ſanguine, extracta vtrâq; manu viſcera in turbas proiecit. Quis ſtupor, quæ indignatio fuit hāc crudelitatem ſpectantium? Verùm non homines, ſed Deus ſtupet immanitatem vt legimus Eccl: 10. vnius auari (aut cuiuſpiam vitioſi, par enim omnium ratio) cui parum eſt venalem habere animam ſuam pro re vili, quâ turpiter delectatur, inſuper: *in vita ſua* inquit Spiritus Sanctus, *proiecit intima ſua*. Lethali quippe vulnere animæ inflicto, quo tollitur vita divina, proijcit à ſe intima ſua ſcilicet, gratiarum dona, & virtutes. Stupent id qui norunt, quid fiat; indignantur cœlites, qui ſpectāt auſum: ipſe auarus, & quicunq; alter vitijs deditus ſine ſenſu, vel potius ſine mente, in vita ſua proijcit intima ſua. 14.

Miſeratione talium magnâ mouebatur Chriſtus, quemadmodum inter innumera alia illud conuincit argumentum; nam de Lazaro mortuo, ſic locutus eſt: *Lazarus amicus noſter dormit* Ioan: 11. & de puella pariter extincta: *Non eſt mortua puella, ſed dormit* Lucæ 8. Nimirum ſignificare voluit mortem corporis, ſi con paretur cum animæ morte, eſſe adeo leue quid, vt ſomnus potiùs quàm mors ſit dicenda. Amicus erat Chriſti & Dei Lazarus, idem credendum de illa puella teneræ adhuc ætatis: viuebat vtriusq; anima gratiâ Chriſti; fælix vita, qua pręſente quoduis 15.

quodvis malum corporis, etiam mors, somnus est. Hoc idem volunt sonantia illa verba Christi Matt: 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autē non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

16. Scimus Saluatorem timuisse mortem corporis, quâ instante, cœpit tædere, pauere, mæstus esse, sanguinem quoq; sudare, vt narrat Math: cap: 26. Luc: 22. Quod si ipse adeo timuit somnum, qui est mortis imago; quantùm mortem ipsam, timendam putat? & si de homicidis, qui somnum corpori inducunt, tam seueras sumit pœnas, vt testis est Caim, Gen: 4. & illæ leges contra tales latæ, Gen: 24. Deut: 19. & alibi, quid de illis fiet, qui indncunt mortem animæ? Quare cùm mors talis non alio perficiatur instrumento, aut carnificinâ, quàm opere vitioso, qui virtutem odit, odit suæ animę vitam, eam sibi adimendo, inmanis in se, & crudelis; eoq; crudelior, quò & anima corpore præstâtior est, ipsiq; homini interior, & vita animę fælicior, ac diuinior.

CAPVT XXXIII.

Praxis consequendæ virtutis moralis acquisitæ, vitandiq; vitij.

Cùm multa de vitijs, ac virtutibus dicta sint toto hoc libro, & vtraq; eius parte, vbi simul allata sunt ea, quę ad quamlibet acquirendam virtutem, & vitandum appositum Seruiunt vitium: illud postremò videtur exigi, vt ostendatur via ac ratio quædam generalis, quam velut instrumentum adhibeamus in usu hactenus explicatorum in tota hac de virtutibus materia.

Sectio I.

Quæ sit differentia eorum, qui acquirunt virtutes.

1. ET meritò quidem hac de re vltimò & potissimè agendum; quid enim prodest vel ad honestè viuendum, vel ad animæ salutem nosse virtutem, si ea non teneatur moribus? nisi fortè illud quis malit, quod minatur Christus Lucæ 12. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis.* Voluntas Domini,

mini, ac Dei nostri alia non est, quàm vt honestatem, virtutemq; colamus, *Sobriè* quemadmodum per Apostolum præcipit ad Titum 2. *justè & piè* viuendo. Qua in re quot difficultates, & obstacula sint, in singulis ostensum est virtutibus; atq; ex dictis ibi, præsertim parte posteriore cap: 28. a n. 67. hęc certa pono.

Primò paucos esse, qui careant plurimis vitijs, habeantque vel aliquas virtutes. Cùm enim crebrò contraria honesto faciant, ex operationibus malis, consequenter vitiosos retinent innumeros habitus. Cùm etiam in materijs multis, rarò aut nunquam honestè agant, & si aliquando agunt, sæpius tamen oppositum, aut certè omittunt exercitationes bonas; inde sequitur vt paucissimas habeant virtutes. Horum de numero sunt homines conscientiæ liberæ, cuivis occurrenti tentationi locum dantes, eamq; opere complentes, modò adsit copia, & opportunitas; qualium militia, aulæ, cauponæ, & similia loca, vivendiq; genera plena sunt. Ex ijsdem pleriq; innumeri sunt, qui interdum pietatis assumunt speciem, pœnitentiamque (ipsi viderint qualem) agunt, sed mox ad pristina relabuntur, vel ad peiora. 2.

Nonnulli (multò prioribus pauciores) verè tandem compunguntur, & sic correcti ex hac decedunt vita, pleni quidem vitijs, verùm pœnitentiâ, & per eam merito sanguinis Christi, apud diuinam misericordiam impetrant, vt vitia dicta (modo Deonoto) corrumpantur, priusquam concedatur vita beata. Neq; verò aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens intrare potest in vnitatem beatorum Apoc. 21. qualis abominatio animæ sunt vitia, nimirum fætus peccatorum. An autem deletis vitijs, contrariæ ijs infundantur animæ virtutes; non disputo hoc loco, id enim proposito nostro minùs conducit: certum est, illud à Deo beatis collatum iri, quod deceat eorum statum, debeaturq; meritis: quid verò hoc sit relinquo Theologis. 3.

Primæ huic hominum miserę classi, adlego quosvis fidei Catholicæ expertes, vt sunt Ethnici, Iudæi & hæretici, qui communiter plurima malè operantur; neque enim aut docentur sincerè viam virtutis, aut licet aliquid norint, illud agunt, nimirum orbati fidei sanctæ adminiculis. 4.

Post hanc paucorum, sequitur alia pauciorum classis, qui omnes virtutes morales statui suo competentes nacti sint, etsi mixtas vitijs. Nam cùm virtutes hæ plurimæ sint, quotusquisq; erit, qui omnes sibi congruas nosse velit, & vbi cognouerit prosequi, ac vltro prosequendarum quærere opportunitatem; quin potiùs illud à piis alioquin solet fieri, vt 5.

cùm multa operentur bona, alia aut negligant, aut oppositum ijs agant: ex quo efficitur, vt valde sint pauci, qui omnes, imperfectas licet, adepti sint virtutes.

6. Ex eorum consortio sunt homines communis, & probæ vitę; nonnulli quidem orationi, elemosynisq; dediti, sed adeo superbi, & iracundi, vt humiliationem, tolerantiam, mansuetudinemq; auersentur: & licet in aliquo leui opere acceptent harum virtutum honestatem, in grauioribus tamen sexcenties superbiunt, plus æquo tristantur, irascunturque, quo illud modicum excitatæ in se honestatis exstinguunt prorsus. Alij sunt, humiles, patientes, mansueti; verùm tenaces, opibusq; congerendis vsque adeo immersi, vt deuotionis, necessaria etiam exercitia negligant, & in egentes grauiter, aut extremè, sint crudi & inhumani. Sunt qui iam dicta retinent bona; sed vel luxuriæ, vel ebrietati vacant: ita plerique omnes patiuntur suos manes, de quibus illud dici potest: Pauci sunt visi, qui caruêre nisi.

7. Quòd si eorum magnus sit numerus, qui crassis quibusdam obnoxij sint vitijs, communesque & ad salutem necessarias fastidiant virtutes: quot erunt, qui minùs notis, & ad perfectionem conferentibus careant, atq; his oppositis subtilioribus deformentur vitiis? Huiusmodi ex ignotis, aut præstantioribus virtutibus, est magnanimitas, magnificentia, eutrapelia, constantia, veritas, fidelitas, gratitudo, & similes. Quod cùm verum sit, fatendum est id quod posui, paucos admodum reperiri qui omnes teneant, etsi vitijs permixtas virtutes: verùm illud plerumque euenit, vt aliquot earum, vel in remisso gradu consecuti, alias aut non exerceant, aut contraria illis faciendo, vitiis neq; paucis onerati finiant vitam; & vbi bene finierint vitam, pœnitentiam habeant apud Deum patronam, quæ impetret abolitionem vitiorum iuxta dicta supra num: 3. Plures tamen ex his bene decedunt, quàm ex primis nimirum plurium virtutum fulti adminiculo.

8. Tertia tandem, & postrema classis est paucissimorum, nempe eorum, qui omnes virtutes morales cuique convenientes vel in excellenti gradu, vel in inferiori, sine vlla admixtione vitiorum sunt adepti. Paucissimos hos esse puto; magnum enim studium, cura, & vigilantia, magnaq; dei auxilians gratia, & quidem toto vitæ tempore ad consequendum id quod assero requiritur.

9. Imprimis necesse est, vt hi omnes norint virtutes cuique proprias, & ad salutem necessarias (nam quæ perfectioni seruiunt, libertati vniuscuiusq;

iusq; subduntur) vt eas sequi pro arbitrio velint. Agnitas sic oportet vt opere compleant, vel saltem efficaci voluntate, ac proposito amplectantur: & cùm fieri nequeat vt aliquando vel leuitèr aduersantia honesto non operentur, meminerint quod scriptum est prouerb: 24. *Septies cadet justus & resurget*. Quare quoties aduerterint se in aliquo deliquisse, toties in contrariam niti debent virtutem, ne ex culpa consequens maneat vitium, quod si non tollat totam virtutem, saltem immisceat se illi, & minùs puram ac limpidam reddat, contra quam in tertia horum classe supponimus esse debere. Illud quoq; quod dicitur à Spiritu S. (resurget) bene expendendum: non enim satis est, tali justo delicta piis contrarijs compensare operibus; sed ita id agere opus est, vt resurgat, id est vitio toto abolito remaneat cum virtute victrice, si non in excellenti eius gradu, saltem in puro fine vlla admixtione vitij.

Ad hæc agenda, imprimis magna Dei egemus ope, & plane Sanctis propria. Nam si in materia opum duntaxat, virtutem, ac moderationem tenere difficile est teste Saluatore Math: 19. qua difficultate adeo territi erant Apostoli vt dixerint: *Quis ergo poterit saluus esse?* Neq; verò timorem eorum reprehendit Dominus, tanquam nimium, & imprudētem, sed confirmauit, asserendo impossibile esse viribus humanis, vel hanc vnam assequi virtutem, nisi adsit diuinum adiutorium: *Apud homines* hoc inquit, *impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Si igitur vna virtus liberalitatis sine Dei ope est impossibilis, virtus inquam, de cuius perfectione ibi non agebatur (vt scilicet sola sine mixtura vitij esset) sed de ipsa eius natura, & qualitate, quanta Dei gratia est necessaria ad omnes omnino assequendas virtutes in sua puritate spectatas? 10

Præter diuinam opem requiritur quoque ad id ipsum obtinendum cura, ac vigilantia magna, & continua, totoque vitæ tempore: nam si artes quæpiam præstantes, qualis est ars pingendi, laborandi auro, sonandi testudinem, & similes totam hominis, ob difficultatem suam, vēdicant vitam, magnumq; quotidie discēdi studium, si perfectionem quis in ijs ambiat; quid hæc virtutum scientia, quo conatu persequenda? de illa certè à Deo edoctus sapiens sic Eccl: vltimo: *Faciendi plures libros nullus est finis*, id est variarum artium, & doctrinarū: sed quæ tandem sit ars artium, ita definit, & concludit: Finem loquendi pariter omnes audiamus: *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo*. Quasi dicat ad virtutes consequendas (quibus diuina obseruantur mandata) totum se homo omniaq; sua impendere debet, præsertim si perfectum se in illis conspicere velit. 11

12. Vtrum que hoc pene pe tam diuina præ cellens gratia, quàm acre perficiendi sui studium rara admodum sunt. DEVS quidem denegat interdũ maiorẽ gratiam, quia minore abutimur ingrati. Et quanquam possit abusum, hunc sua magnifica superare liberalitate, non tamen id facit, vt appareat distinctio inter homines etiã bonos. *Vnusquisq; scribit* Apostolus, 1. Cor: 7. *Proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Iam quod ad homines spectat, horum raris placet sudare dies, & noctes, præsertim in eo labore, qui & abditus est, nimirum in intimo cordis, & in hac vita non refert apparentem sensibusq; gratam mercedẽ, quemadmodum referunt alia humana studia, literarum, militiæ, mercaturæ, reifamiliaris, & similia.

13. Quapropter ea qua de agimus virtutum excellentia, corypheorum, seu heroum est in schola honestatis: qualem sibi dignitatem vendicant inprimis qui profitentur statum perfectionis, vigilantissimi, scilicet, Ecclesiæ prælati; tum qui penè eos sequuntur, accuratissimi athletæ; denique alij ex communi viuendi genere homines, qui moribus imitantur Patriarchas, Abrahamos, Isaacos, Iacobos, Iobos: Reges, Dauides, Ludouicos, Stephanos; regum & principum coniuges, Esther, Heduigem, Elizabetham: viduas, Iuditham, Brigittam: virgines, qualis erat Catharina filia S. Brigittæ, qualis etiam Kunegundis: denique alios ex inferioribus conditione, vt Tobiam, Isidorum colonum in Hispania, Liduinam & similes. Talium etsi non exiguus extat numerus; paucissimos tamen supra dixi, nempe comparatos cum ijs, qui in prima & secunda continentur classe; sicut & Dominus de saluandis etsi multis, testatur apud Math: cap: 22. *Multi vocati, pauci electi.*

14. In hoc triplici genere hominum, qui meliùs sibi in rectè agendo consulunt liquidò constat. Sed fortè dicet quispiam non esse vsque adeo laborandum, vt inter pauciores melioresque, vel inter paucissimos, & optimos simus: quandoquidem pœnitentia etiam abiectè, & supinè in via honestatis progredientibus, salutem confert, virtutumq; supplet defectum. Ita dicenti respondendum, nulli qui verè pœniteat, negandam esse salutem, & ea quæ ipsam sequuntur: sed illud in discrimine versari, quòd negligentibus studium virtutum, malèque agentibus rarò conceditur vera pœnitentia. Certè S. Paulus ita de talibus 1. Cor. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt. Nolite errare; neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebũt.* Non

puto

Digitized by Google

puto ab Apostolo enumeratos adeo esse iniquos, vt nunquam quicquam boni agant, quod vix est possibile; sed quia multa simul mala admiscent; negat illis regnum Dei, quasi nunquam, vel raro facturis pœnitentiam. In magno ergo salutis discrimine versantur, qui virtutes postponunt, pœnitentiam sibi reseruantes. Accedit huc quòd licet demus cum vitijs ex hac vita decedentibus, meritò tamen pœnitentiæ saluatis, infundi à Deo virtutes morales, quæ non erant in vita acquisitæ; non puto tamen ita fore perfectas, vt erunt in illis, qui eas magno suo sudore compararunt, idque ideo vt sit differentia inter diligentes, & negligentes, hoc in negotio. Postremò certum est eosdem desides plurimorum meritorum perdere lucra, magno cum damno præmiorum vitæ æternæ, quæ non dantur nisi pro rectè factis, &ad quę impensè Saluator excitat, cùm Lucæ 6. ait: *Date, & dabitur vobis, mensuram bonam & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum: eadem quippè mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.* Hæc sunt quæ expendi debent à quouis in studio honestatis, si nolit tria dicta incurrere animæ detrimenta.

Sectio II.

Duplex ratio Practica consequendæ virtutis vitandique vitij.

COgnita eorum differentia qui student virtuti ternione prosequendum, id quod proposuimus, ostendendaq; certa ratio acquirendi virtutes, quas quisq;, & in quo gradu cupit assequi, id quod tam copiosè, quàm solidè docuit S. Augustinus Tom: 10. ser: 4. de verbis Domini, asserens duas esse vias, perueniendi ad virtutem. Monet tamē ibi non deijciendum esse animum, quantumvis multa aduersentur conatibus nostris, præsertim passiones indomitæ; duplex enim illa quam affert via, efficacissima est ad consequendum id quod cupimus. Itaque adducta lingua, de qua Iac: 3. legimus: *Linguam nullus hominum domare potest*, & ex Math: cap. 5. *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*, sic pergit. *Video me ad multitudinem loqui, sed quia vnum sumus omnes in Christo, tanquam in secreto consilium capiamus, nullus nos audit extraneus. Quid faciemus! ibunt ergo omnes in gehennam ignis? absit: Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem* Psalm 89. *Attende similitudinem ab ipsis bestijs quas domamus; equus non se domat, elephantus non se domat, aspis* 15.

Digitized by Google

non se domat, leo non se domat; sic & homo non se domat. Sed vt dometur equus, leo, &c. quæritur homo; ergo, Domine refugium factus es nobis. Quid fratres? domuisti leonem, quem non fecisti, non domat te, qui fecit te? Fremit leo, quis non timeat? & tamen vnde te intelligis fortiorem, non corporis virtute, sed mentis ratione interiore. Fortior es leone, vnde factus es ad imaginem Dei; imago Dei domat feram, & non domat Deus imaginem suam? In illo spes est, & nos subdamur, & misericordiam, precemur, & dones domemur, & perdomemur id est perficiamur domitorem feramus.

16. His verbis docet inprimis Augustinus Deum esse precandum, vt in tam arduo salutis negotio, auxilio esse velit, mala in nobis domando, bona perficiendo: id quod potest, quippe omnipotens, & infinitè in nos clemens, ac misericors. Ostendit deinde quoties recurrendum sit ad Deum: nam quemadmodum in cęteris omnibus quandocunque egemus auxilio, ad eos, qui illud nobis præstare possunt, confugimus; ita cùm virtuti non simus soli pares, toties ad Deum, refugium nostrum, clamemus, quoties in operando occurrit difficultas, eo qui mox dicetur modo.

17. Alterum quod in iisdem verbis Sancti Doctoris continetur, est noster labor, & exercitatio: sicut enim equus, exempli causa, domanti, & exercenti sessori, suo itidem cursu, sudoreque ad spumas vsque collaborat; ita nos rationalia iumenta Deo domitori, proprio labore, sudoreque respondere oportet. Atque hæc est duplex via consequendi virtutem, nempe oratio, & operatio. Cæterum vt noster labor vtiliter, ac feliciter cedat, adhibet Deus, (testatur ibidem Augustinus) flagellum: Plerumque inquit ille, profert domitor noster etiam flagella: *Si enim tu ad domanda iumenta tua profers virgam, Deus non profert ad domanda iumenta sua?*

18. Flagellum Dei aliud non est, quàm aduersa, quibus nos exercet; de his quantùm nobis ad honestatem, salutemque conferant, multa sunt dicta hoc libro, parte priore, capite de patientia, & parte hac capite de fortitudine. Sed quàm perperam agant qui Deo flagellanti indignantur, rectè in illos sic invehitur loco citato Augustinus: *Audistis inquit, Apostolum* (Hæbr: 12.) *Si separatis vos à disciplina, ergo nothi, & non estis filij, quis enim est filius, cui non det disciplinam Pater eius? Quid tibi potuit præstare pater tuus, quia flagellum protulit, & cecidit te? propter pecuniam suam, quam de vsuris, & labore collegit, erudiebat te flagellis. Cædit filios timens perire labores suos, quoniam reliquit tibi, quod nec tenere hic potuit, nec auferre, non enim hic aliquid tibi dimisit, quod ipsum esse possit. Cessit, vt sic cederes; Deus autē tuus, domitor*

domitor tuus, castigator tuus, pater tuus, erudit te, quo? vt accipias hæreditatem, vbi non efferas patrem, sed hæreditatem habeas ipsum patrem. Ad hanc spem erudiris, & murmuras, & si quid triste acciderit, fortasse blasphemas? Quò ibis à spiritu eius, ecce dimittit te, & non flagellat, deserit blasphemantem, non senties iudicantem? nonne melius est, vt flagellet te, & recipiat te, quàm parcat tibi, & deserat te?

Ita ostendit S. Doctor æquissimum esse, & prorsus necessarium ferre flagella Dei si domari cupimus: verùm ad flagellationem Dei nostra quoq; actio accedat necesse est, si cupimus honestas comparare consuetudines; ideo enim castigantur iumenta, vt assuescant debitè agere, id quod instructa possunt. 10.

Et quoniam virtus omnis in præcipuis hominis facultatibus, intelligentia videlicet, ac voluntate sedem habet, & inde ad appetitum deriuatur, postremò ad membra corporis: hinc est, vt his omnibus, potissimè tamen intellectu ac voluntate sit liberandum. Intellectus imperio suo dirigere debet voluntatem, huic incumbit iam prosequi bona, iam mala odisse; & tandem appetitus atque membra exequuntur, id quod imperatum fuerit à ratione, ac voluntate, quem exercendi modum appellauimus supra hac parte cap: 8. a num: 62. examen conscientiæ particulare. Atq; breuiter hîc relatum in duabus voluntatis operationibus situm est, in nolle, scilicet, ac velle; vt nolimus ea quæ ratio iudicat honestati esse dissona, velimus autem consona eidem: in his duobus actibus tota virtutis, ac vitij consistit ratio. 20.

Iidem actus ad veram, integramq; pœnitentiam sunt omnino necessarij, qui in proposito emendandæ vitæ includũtur. Nam potator v. c. Si verè resipiscit, debet nolle se inebriare, & velle sobrius esse; luxuriosus nolle luxum, & velle castus esse, ita cæteri. Qui carent his actibus, carent verâ pœnitentiâ, nec Sacramentali absolutione digni sunt; qui verò illos habent, sed citò mutant, nunquam virtutem consequẽtur, & rarò salutem animæ, quos hoc cap. à num: 2. ad primam vitiosorum classem retulimus. Meliùs his actibus vtuntur in secunda positi classe; constantiores enim sunt in bono: optimè se habent circa eadem ex tertia classe, qui leues vitiosos defectus & raros, corrigunt seriâ, frequentiq; pœnitentiâ, ac exercitatione virtutum. 21.

Sectio III.

Magis compendiosa ratio exercendæ virtutis, vitandiq; vitij.

Quæ

22. QVæ hoc capite dicta sunt breui methodo proponenda videntur; quam tenendo honestatis studiosus tantum in virtutibus progressum faciat, quantum sibi imperabit, vt connitatur laborando, & laboret connitendo. Ergo primùm, & pręcipuum in hoc studio est, petere à Deo gratiam consequendi omnes virtutes cuique necessarias. Secundum velle efficaci desiderio easdem consequi, & nolle contraria illis; ad quod iuvat nosse omnes vt tam oratio, quàm voluntas *in certum* quod feratur. Atq; vt labor, & anxietas tollatur inquirendi singulas, est initio vtriusque huius libri partis index omnium virtutum, vitiorumque positus. Itaq; perlectis, vel auditis (saltem aliquando) omnibus hunc aut similem in modum praxis vsurpanda: Misericordissime Deus precor, vt omnes has virtutes assequi, & omnia hæc vitia vitare possim. Simul addendum: volo assequi omnes has virtutes, & nolo his contraria vitia. Quod si cuipiam molestũ videbitur, enumerare legendo, aut audiendo in specie hæc singula, vel sic breuiùs id agat: Misericordissime Deus precor vt velim assequi prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam; nolim autem imprudentiam, iniustitiam, ignauiam, & intemperantiam.

23. Atque hæc praxis, vtilis quidem est, quippe quę disponit, erigit, excitatq; animam ad bonum, & in eo corroborat: generalis tamen ea est, quæ sola non dat honesti solidam possessionem, idque ideo, quia tali vno actu desiderij inchoatur tantùm virtus, egetq; pluribus alijs ad sui complementum: quemadmodum fundamenta sunt inchoatio domus, quæ vt sit integra, parietes, tectum & reliqua debent adiungi. Vnde experimur ipsi talia desideria, ac proposita generalia crebrò cedere difficultatibus, quæ inter operandum occurrunt: multi enim multa volumus, vbi tamen ad rem fuerit ventũ, voluntas tanguescit, negligitur opus.

24. Quare ad duo præmissa generalia tertium particulare adiungendum, & propositâ quauis in specie virtute, cuiq; pro eius statu necessariâ, in eam solam & oratio, & studium dirigendum; oratio hunc, vel *alium* in modum: Misericordissime Deus, precor gratiam consequendi hanc virtutem v. c. humilitatis studium, sic: Volo humilitatem in hoc exercere, nolo in hoc superbire. Istud (in hoc) rectè est intelligendum; significat enim opus certum virtutis, quod quisque proponit exercendum, siue quod difficillimum ei sit, siue excellens, siue ordinarium quodpiam; & quò difficilius fuerit, eò perfectiùs, & celeriùs acquiretur virtus maiore enim conatu virium impendet se anima in adeptionem illius.

Hæc

Hæc est ratio exercendi se vnicè commoda atque efficax: nam qui sic plurimas, vel omnes exercitatione percurrerit virtutes, id assequetur vt oblata occasione, propè semper honestè operetur; habitus enim acquisiti intus latentes, exerent suas vires, vbi locus, tempus & cætera adfuerint opportuna. 25.

Fateor non sine labore animæ, viriumque eius, corporis item, & totius hominis assumi opus hoc domandi sui, & virtutē perficiendi: sed cùm id sit vnum, & præcipuum vitæ humanæ negotium, ad quod omnia reliqua, ipseq; totus homo sit referendus (nimirum *Deum timere, & mandata eius seruare, hoc est omnis homo*, vt testatur Ecclesiastes cap: vltimo) profectò cuique cordato, & summa atque vltima sua spectanti labor ille non detrectandus: maximè cùm finis sit, fælicitas, qua non vlla maior & beatior. Referat illam citatus supra Augustinus, & finiat hunc secundæ partis laborem nostrum. 26.

Sic ergo ipse Tomo decimo sermone illo quarto de verbis Domini: *Quid equo retribuis, quem nec sepelis cùm mortuus fuerit, sed discerpendum volatilibus proiicis? Domito tibi Deus hæreditatem seruat, quod est ipse Deus, & ad tempus mortuum, resuscitat te; carnem tuam vsque ad numerum capillorum reddet tibi. Erit tunc Deus omnia in omnibus; nec erit vlla infælicitas, quæ nos exerceat; sed felicitas sola, quæ pascat: ipse pastor noster, Deus noster: ipse potus noster, honor noster, diuitiæ nostræ: quæcunq; hic varia quæris, ipse tibi vnus omnia erit.* Ad hanc spem homo domatur. Et paulò inferiùs, ita concludit: *Dicamus ergo Domino Deo nostro, Domine refugium factus es nobis, à generatione in generationem, in prima generatione, & vltima. Tu refugium, vt nasceremur, qui non eramus, tu refugium vt renasceremur qui mali eramus*; hæc Augustinus. Quibus id vnum nobis vult persuadere, vt sicut Deo auctore semel nati, qui non eramus, & ad breue tempus mortui, semper deinde futuri sumus; ita eodem adiutore, Deo (ipsi collaborando remota ad sanctitatem virtutum moralium acquisitarum dispositione) aliquando renati, qui mali eramus, semper quà mortales, quà immortales renati esse possimus, hac in vita gratiæ, gloriæ in futura. 27.

***

Deo, & Matri eius laus æterna.

INDEX

Rerum in posteriore hac parte libri primi contentarum.

Prior numerus indicat caput, Posterior marginis distinctionem.

A.

 nec Ta-

Egregi-

S.

num: 31. & 32.
Vincere passiones internas, est difficilius quam tormenta pro Fide pati cap. 2. n. 26. & 27.
Vindicationi opposita quaenam sint vitia: Cap. 22. a num: 22.
Vindicta e:si iusta, non semper est exigenda. Cap. 22. num: 25.
Vindicta iniusta quaenam sit. Cap. 22. a num: 26. ad 28.
Virtus quanam egeat firmitate. Cap. 1. num: 23.
Quo pacto vna virtus imperet alij. Cap. 1. num: 32.
Virtutis acquirendae duplex ratio. Cap. 1. num 33. & 34.
Virtutes triplicem habent in operando difficultatem, cap. 3. num: 4.
Virtus quamnam dicatur habere firmitatem. Cap. 3. num: 48.
Virtus quo pacto diuturnitatem temporis, & conatum intensionis respiciat. Cap. 3. num 49. & 50.
Quae sint virtutum obstacula, & remedia. Ex his obstaculis quaedam impediunt virtutem ne sit. Cap: 25 a n. 2.
Alia obstacula tollunt existentes virtutes. Cap. 25. a num. 14.
Inter virtutem, & vitium quomodo peragitur pugna. Cap. 25. a num: 14. per multos.
Virtutum remedia sunt quatuor. Cap. 25. a num: 26.
Quid sit virtus vindicatina. Cap, 22. a num 15.
In quibus sit haec virtus. Cap. 22. a num: 18. ad 21.
Virtutum moralium gradus & excellentia cap. 27. a num: 1.
Gradus hi sunt, esse politicam, purgatam & perfectionem purgati animi & exemplarem. Ibidem.
Virtutis exercendae moralis apparens duplex ratio. cap. 27. a num: 6.
Vera ratio eiusdem acquirendae. Cap. 27. a num: 10.
In virtute acquirenda conatus est adhibendus duplici ex causa, cap. 28. n. 1.
In acquisitione virtutis quaenam concurrant. Cap. 27. a num: 14.
In quo sit virtutis magnitudo. Cap. 28. n. 2. 3. & 4.
Virtutes quaedam sunt valde difficiles. C. 28. a num: 4.
In ipso homine sunt quae impediunt virtutem. Cap. 28. a num: 8.
Virtutis magna difficultas ex tentatione Cap 28. a num: 16. ad 49.
Quo conatu superanda difficultas, in virtute consequenda, residens in ipsis potentijs cap. 28. a num: 50. ad finem capitis.
Conatus hic iam summus, iam inferior, & sufficiens est. Cap. 28, a num: 52. ad 59.
Libertas hominis impedit conatum in recte operando, in virtutibus consequendis. Cap. 28. a num: 55. ad 59.
Impeditur etiam idem conatus multis, vt est impatientia laboris, ignorantiaque mercedis. Cap. 28. a num: 60. ad finem capitis.
Qui virtutem assequi volunt in quadruplici sunt genere. Cap. 28. a num: 67. ad 70.
Paucissimi sunt qui habeant virtutes morales praesertim plures, ne dicam omnes [illegible] Cap.

 tandi

qui ad idem cooperantur, cap. 6. n: 24. & 25.
Quanta sit iniquitas vsuræ, cap. 6. a num 26. ad 31.
Vsura omni iure detestanda. Ibidem.
Cur CRHISTVS apud vsurarios (quos lucratus est) iucunde sit versatus C. 6. num: 29.
Vsurariorum quæ sint pœnæ cap. 6. num: 26. & num: 31.
Vsuram CHRISTVS Dominus vehementius cæteris peccatis detestatus est. 6. a num: 27. ad 38.



Errata

Primus numerus paginam, ſecundus lineam deſignat.

Operaturo, *pro* operatur p. 6. l. 34, illum, *pro* illam, p: 9. l. 9. vacare *pro* vacat. p. 10. l: 8. Aliæ, *pro* alia, p. 12. l. 32. Aut omnino vitetur, *omiſſum eſt*. p. 17. l. 6. At *pro* ſint p. 18. l. 32. Actus, *pro* ornatus p. 24. l. 15. Quæ, (*delendum eſt*) p. 25. l. 11. Sun, *pro* ſunt p. 28. l, vltima. Mouereri, *pro* moueri p. 33. l: 12. Ethnicorum *pro* Ethicorum p, 33. l. 17. Reddidiſſet, Cumulaſſet, *pro* reddidiſſent cumulaſſent p. 38. l. 21 Amorem, *pro* maiorem p. 38. l: 24. Hanc *pro* hunc p. 40. l. 8. Spectans, *pro* ſpectat p. 44, l. 36. Homo, *pro* hamo p. 51. l. vltima Cruciatus, *pro* cruciantur p. 58. l. 2. Faciunt, *pro* faciant. p. 58. l. 2. Cremendas, *pro* cremandas p. 64. l. 27. Ferent *pro* ferrent p. 71. l. 35. Et *pro* vt p. 72. l. 1. Quò *pro* quod p. 73. l. 35. Aritele *pro* Ariſtotele p. 99. l. 4. Eius *pro* huius p. 100. l. penvltima Ante modus *ponatur* non p. 104. l. 2. Qua *pro* aliqua p. 104. l. 13. Voluntas *pro* voluptas p. 106. l. 13 Antē *pro* ergo p, 100. l. 8. Declarauit *prc* declaraui p. 113. l. 27. Requirat *pro* requirit p. 119. l. 26. Cuius *pro* cuiuis pag. 122. l. 3. Debitam *pro* debito p. 124. l. 31. Feteri *pro* fateri p. 133. l. 27. Se *pro* à ſe p. 134. l. 2. Eradit *pro* euadit p. 134 l. 21. Debet *pro* debeat p. 139. l. 34. Vitia *pro* vitio p. 145. l. 9. Ante identitate (*deeſt*) idem p. 148. l. 30. Ante ratio (*deeſt*) eadem p. 155: l. penult. Dicit *pro* diſcit p. 160. l. penult. Eliena *pro* aliena p. 161. l. 29. Adhibenda *pro* adhibendo p. 167. l. 28. Aduerſarij *pro* aduerſari p. 168. l, 2. Exta *pro* extra p. 170, l. 18. Poſt cap. (*deeſt*) 24. p. 177. l. 30. Obligationem *pro* obligatio p. 181. l: 29. Impotes *pro* impotentes p. 183. l. 21 Domum *pro* donum p. 186. l. 21. Poſt porro (*deeſt*) conſtat p. 187. l. 25. Prœditus *pro* præpeditus p: 190. l. 27. Gigni *pro* digni p: 198. l; 23. Generalis 6. c. *pro* Generalis 6. d. 32. p. 205. l. 5. Diligentur *pro* diligenter p. 204. l. 17, Viæ *pro* iræ p. 28. l. 14. Ante aures (*deeſt*) in, p. 218. l. 1. Suruanda *pro* ſeruanda p. 222. l: 18. Confrimandos *pro* confirmandos p. 222. l. 37. Ante tollat (*deeſt*) non. p. 225: l. 9. Bono *pro* bona p. 231. l. 25. Habeant *pro* habeat, p: 231. l. 28. Iniu-

ſte

sto, *pro* iniustè p: 232. l: 17. Diuiuinum *pro* Diuinum p. 233. l. vltim. Videamus *pro* videamur p. 235. l. 29. Contemnuntur *pro* contemnantur, p. 237. l: 18. Animarū *pro* cōmunitatum p: 237. l: 28. Deliquunt *pro* delinquunt p. 239. l: 19. Epistolam *pro* epistola p: 243. l: 8. Nullū *pro* vllum p; 251. l: vlt. Volabiles *pro* volubiles p: 252. l: 18. Addit *pro* additq; p: 252. l. 27. Post, eo quod, (*deest*) ad, p. 253. l. penult. Cogit *pro* cogitare p. 153, l. vltima Quomo *pro* quomodo p. 257. l. 19. Quia *pro* quæ p. 258. l. 27. Quia *pro* quæ p: 259 l. 36: Eo *pro* reo p: 260. l. 6. Ante se (*deest*) si, p: 273. l. 2. Eam *pro* eum p: 277. l: 22. Ante honesta (*deest*) vel p. 284. l; 7. Apparentiam *pro* contrarietatem p. 292. l: 6. Post natura (*deest*) sua, 6. 296: l: 29. Parendum *pro* parcendum p. 303. l. 27. Ecclesia *pro* Epistola p: 305. l. 1. Si *pro* sit p. 306 l: 1. Famen *pro* famem p, 311. l: 25. Hic *pro* his p: 311. l: 26 Ilia *pro* alia p: 312. l: 7. Quidem *pro* quidam p. 312: l. 15. Jllic *pro* ille p. 312 l: 31. Diligem *pro* diligam p, 312. l: 37. Fœmitemq; *pro* fomitemq; p. 313. l: 14. olim *pro* Deum p. 316. l: 4. Acceptis *pro* exceptis pag: 317. l: 15. Accipit *pro* excipit p. 317. l: 16. Viri *pro* veri p: 317. l. 27 Scrib: lib: *pro* Suar; lib: 2. de Relig. p: 318. l: 22. Nequapiam *pro* requapiam p. 219: l: 19 Ea *pro* eo p. 319. l: penultima Accessum *pro* accessari p. 321. l: 23. Illum *pro* illud p: 327. l: 10. Dirigetur *pro* dirigitur p: 329. l: 3. Posterius *pro* posteris p: 330. l: 7. uoxissinia *pro* nouissima p. 331. l: 17. Ante is (*deest*) quod p: 333. l. 17. Qui *pro* quo p. 335. l. 2. Nil *pro* vel p. 335. l. 7. Ignitur si *pro* igitur hi p. 340. lin: 29. Se 1. *pro* sequentia docent p: 343. l. 7. Petrus *pro* Pater p. 348 l: 21. Hic *pro* si p. 348. l: 31. Gustum *pro* gustus p. 349. l: 4 Illi *pro* vlli p. 349. l: 11. Alternis *pro* alterius p: 349. l. 25. Fidem *pro* effectum pag. 351. l. 6. Sacæsq; *pro* Sacræq; p. 356. l. 26. Ierosolymus *pro* Ierosolymis p. 361. l. 24 Vt *pro* aut p. 366. l. 26. Venereretur *pro* veneratur p. 367. l: 30. Fructum, *pro* fructuum p. 371. l. 6. Principium *pro* Principum p. 373. l: 2. Æstimetur. *pro* æstimentur p. 374. l. 31: Beneficijs, *pro* beneficia p. 375. l: 19. Eam, *pro* ea p. 380. l. 18. Hunc. *pro* nunc p. 383. l. 13. Illem *pro* ille p. 383. l. 15. Omnis, *pro* hominis p. 285. l. 32: Ita *pro* 3. p. 392. l. 27. Ante Theologi (*deest*) aiunt pag. 395. l: 12 Post datur (*deest*) ex gratia p. 396. l: 16. Post bonorum (*tollatur*) & p: 402. l: 13: Post constet (*tollatur*) quod jbid. Deo *pro* Dei p. 405 l: 5. Sacrificijs *pro* Sacrificij p. 413. l. 29. Quidam *pro* quidem p, 416. l. 18. Cuiusq; *pro* cuiq; p: 416. l. 19. Vident *pro* rident, p. 418. l. 24. Interdum *pro* interim p: 421. l: 13. Vita *pro* vitæ p. 423. l: 21. Accenditi *pro* accedenti p. 425: l: 6. Se *pro* si p: 427. l. 27. Quāto *pro*

to *pro* quarto p. 429. l. 1. Constitutum illi, &c, *pro* constituta p: 429. l. 20: Correpta *pro* corrupta p. 431. l. 6, Statum *pro* statim p. 432. l. 7. Num *pro* nam p 432. l: 22. Magna *pro* Magia p. 434. l. 7. Omittitur *pro* comittitur p. 435. l. 16. Altereatur *pro* alteratur p. 439. l. 13. Post aut cum, (*deest*) eo p. 441. l: 6. Dominus solus *pro* Dominicus Sotus, p. 442. l. 26. Effectu *pro* affectu p: 443. l. 27. Ex homine *pro* ex omine p: 449. l. vlt. Opponitur *pro* apponitur p: 454. l: 15: Obseruationem *pro* obsecrationem p: 458, l: 3. Vsurus *pro* vsuras p: 472. l: 29. Toto *pro* Soto p. 478: l. 8. Gratia *pro* gratiæ p: 496: l. 21. Abijciente *pro* obijciente p: 497. l: 9. Vouerent *pro* vouerant p: 497. l: 30. Quia *pro* quidem p. 499. l:25. Quid vtrumq; *pro* Quod vtrumq; p: 504. l: 17. Verbo *pro* vestro p: 523. l. 4. Dispensionem *pro* dispensationem, p: 527. l: 15. Christi *pro* Christus p. 532. l: 25. Christiani *pro* Christiana p. 547 l. 12. Perfectionem *pro* perfectiorem p. 547. l: 19. Eam *pro* eum p. 552. l. 9: Ubi *pro* vni p: 552. l: 17. Mittit *pro* mittet pag. 553. l: 29. Nitentes *pro* vtentes p. 554. l: 7. Mente *pro* morte p. 555. l: 2. Delibi *pro* debili p. 565. l: 15. Operi *pro* appeti p. 565. l. 20. Rariore, *pro* rariores p: 571. l: 27. Videbuntur *pro* vitabuntur p. 574. l. 25. Doluisse *pro* fuisse p. 579: l. 7. Recipiat *pro* recipit p. 581. l: 23. Intentione *pro* intensione p. 584. l: penult: Post Dei (*deest*) esse p: 587 l. 11. Primes *pro* primis p. 598. l: 19. Sponi *pro* Sponte p: 598. l: 20. Potestati *pro* potestate p. 606. l. 12. vnquam *pro* nonunquam p. 619. l: 20. Rationalis *pro* rationali p: 620. l. 3: Vnumq; *pro* vnumquemq; p. 622. l: 28. Puo *pro* quo p: 624. l. 2. Auferuntur *pro* conferuntur p. 636. l: 13. Obscenatá *pro* obstinata p. 637. l: 2. Vnusquiusq; *pro* vnusquisq; p 637. l. 5. Proximus *pro* quam proximus p. 637. l: 6. Mele *pro* melle p: 637. l: 32: Deferendi *pro* deferendū p. 640: l. 3. Honotū *pro* hominum p. 656. l: 12. Pluras *pro* ploras p: 672. l: 28. Amphipologicè *pro* amphibologicè p. 672. l:21. Hac *pro* hæc p. 673. l: 23: Rationale *pro* rationales p: 681. l. 7. Iuurit *pro* inurit p. 684, l. 3. Ethicorum *pro* Ethnicorum p. 684. l: 32. Liberalitatem *pro* liberalitatis pag. 692. l 29. Est pecunia *pro* & pecunia p: 693. l. 34. Aliquod *pro* aliquot p. 695. l 28. Ut *pro* ad p. 699. l. 18. Cogantur *pro* coguntur p. 699. l. 31. Formatas *pro* formatos p. 722. l. 10. Virtate *pro* virtute p: 726. l. 18. Cundidum *pro* candidum p. 727. l. 26. Contrahendi *pro* contrahenda p. 729. l. ult. Deterere *pro* deserere p. 735. l. 6. Apeirant *pro* aperiant p. 736. l: 4. Pro lus *pro* prorsus p 738. l. 6. Quis *pro* quid p. 747. l: 30. Compararis *pro* cōparatis p. 747. l. 36. Discernentibus *pro* discernendis p. 752. l. 7. Perfectiorem *pro* perfectionem p. 769. l: 26.

Errata

l: 26. Expetum *pro* expetitum p. 770. l. 22. Streuui *pro* strenui p. 781. l. 11. Omnimodis *pro* omnimode p. 772. l. 3. Poteſt *pro* non poteſt, p. 774. l. 20. Carnalibua *pro* carnalibus p. 788. l. 22. Modicus *pro* mordicus p. 793. l. 9. Un *pro* vel p. 800. l. 2. Durationem *pro* duratione ibid. Quo ſuis *pro* quoſuis p. 801. l. 8. Extoluit *pro* excoluit p. 801 l. 31. Appoſitum *pro* oppoſitum p. 812. l. 20. Ternione *pro* terna p. 817 l. 19. Liberandum *pro* laborandum p. 819. l. 15. Tangueſcit *pro* langueſcit p. 820. l. 27.

Alios errores minores Prudens Lector corrigat.

JNDEX
RESOLVTIONVM EX THEOLOGIA MORALI PRO CASIBVS CONSCIENTIÆ.

Accusator.

VTrum, & quando debeat accusator præmittere admonitionem, antequam reum accuset? *c. 9 n.* 24

VTrum peccet, qui propter modicum damnum, facilè intentat lites, maioribus impensis terminandas, aut de his accusat, quæ non potest juridicè probare? *n.* 24. *&* 25.

Item quomodo delinquit, qui falsum imponit, aut fraudibus vtitur? *ib. n.* 25.

VTrum liceat cum nota innocentis, aut non compensatis damnis, à lite desistere. *n.* 25.

Adiuratio.

VTrum adiurari possit Deus, beati, homines mortales, dæmones, res intellectu carentes? *cap.* 16. *n,* 10. Quomodo adiuratur Deus, & creaturæ *ibid à num.* 10. *ad* 14.

VTrum Deus, aut quiuis hominum, vel Angelorum possit seipsum adiurare? *num* 12.

VTrum Deus possit adiurare aliquã creatã personã per se, vel alium cui debetur honor? *ibid. n* 12.

Aduocatus.

VTrum Aduocati si non habeant certa, & euidentia argumenta, possint vti probabilib⁹? *cap,* 9, *n.* 26: quid ad illorum officium ritè peragẽdum requiritur? *jbidem.*

VTrum Aduocati participent de peccatis eorum, quorum iniustè defendũt furta, rapinas, homicidia, &c *jbid n.* 27,

VTrum grauiter peccent, si pro iniusta tutela, iniqua stipendia exigant? *jbidem.*

Astrologia

VTrum, & quod detur principium conijciendi ex stellis futura citra peccatum? *cap.* 15. *n.* 27.

a Vtrum

VTrum aliquando liceat conijcere puerum natum sub Leone, aut eandem fore cholericum, & quare? *ibid. n.* 37.

VTrum possint prædici sine culpa res futuræ, quæ pendent à libertate humana? *ibid. vide* Diuinatio, Obseruatio vana.

Beneficium.

VTrum grauiter peccetur, si ex omissa distributione Beneficiorum, incommoda non leuia communitas patiatur. v.g. Si vacat Episcopatus, aut minoris Pastoris dignitas. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 4 *n.* 14.

VTrum maior committatur culpa in iniusta distributione bonorum Ecclesiæ, quam Reipublicæ ciuilis? *n.* 14

VTrum collatio Ecclesiastici Beneficij indigno facta sit irrita? Item quomodo iniusta distributio Ecclesiæ compensanda sit? *ibid n.* 16. *vide* Officiū.

Blasphemia.

VTrum Blasphemia aliud sit peccatum ab idololatria, & contraria virtuti Religionis? *c.* 15. *n.* 17. quot modis committitur. *ibid. à n:* 17 *ad* 20.

VTrum blasphement Iudæi, Arriani, Anabaptistæ, & similes negantes Deum esse Trinum, & Vnum? *ibid. n.* 18.

VTrum blasphemia delinquant, qui non de ipso Deo aliquid maledicunt, sed creaturam in contemptum eius vili pendunt. *ibid n.* 19. Item quomodo DEVS, de blasphemis pœnas sumere voluerit? *ibid. n.* 20.

Census.

VTrum non sit palliata vsura contractus census & quæ sit natura ipsius? *c.* 16. *à n.* 32. *ad* 35.

VTrum rectè diuidatur census in Personalem, ac Realem, & quid requiritur vt sit iustus. *ibid. n.* 33.

VTrum, si vendens censum nimis oneretur, minor debeat esse pensio, vel si venditoris assecuratio sit incerta, possit emptor exigere maiorem fructum? *ibid. n.* 33.

Contractus.

DE contractu Emphyteusis feudi, locationis, conductionis, pignoris, hypothecæ, fide iussionis, assecurationis, sponsionis, societatis, commodati, depositi, cambij, donationis, &c. *cap.* 6. *à n.* 15. *per multum*

Decimæ.

VTrum quantitas decimarum debeat esse determinata, an non? modo sufficiat sustentationi ministrorum Ecclesiæ? *cap.* 15. *n.* 55.

Vtrum

VTrum iure naturæ obligentur fideles ad reddendas decimas operarijs Christi, qui ex officio Verbum Dei, & sacramenta administrant populo? *cap.* 13. *n.* 36. Cur non obligentur sacerdotes gratis in spiritualibus inseruire? *ibid; à n.* 37.

VTrum lege Ecclesiastica decimæ sancitæ sint? *ibid. à n* 39 Item quis, cui, vnde, & quali iure debeat illas soluere. *ibid: à n. 42. ad 45: inclusiuè.*

Defensio.

VTrum liceat in defensione vitæ, adhibito inculpatæ tutelæ moderamine, alium occidere? *cap* 8. *n.* 10.

VTrum eodem seruato moderamine pro defendendis bonis famæ, & fortunæ, inuasor possit occidi? *ibid. n.* 11. num in tali casu Sacerdotes, & religiosi propter homicidium incurrant irregularitatem, *ibid.* Item sitnè necessario exercenda talis defensio ex obligatione an non, *ibid n* 12.

VTrum licitum sit inuasorem bonorum animæ, in defensione mutilare? aut etiamsi imparatus sit morti adijcere? *ibidem n.* 13.

Detractio.

VTrum detractio possit fieri non tantùm verbis, sed etiam factis, nutu, risu, & cauillis? *cap.* 7. *n.* 7. quibus modis committitur? *Ibid. n.* 8 & 9.

VTrum sit detractio si opus bonum, aut indifferens, mala intentione factum dicatur? n 10.

VTrum, & quæ reperiantur causæ, quæ occulta mala aliorum referentem liberent à detractione, *ibid. n.* 9. & *à n.* 11. *ad* 17.

Dispensatio.

VTrum ad dispensationem requiratur Potestas, & causa sufficiens? *c.* 17. *à n.* 70 *per aliquot.* tollitnè legem Dei, an potius illam interpretatur hæc potestas? *ibid;* Cui datur? & num possit delegari? *ib n:* 72. & 73. quid requiritur ad causam sufficientem? *ib. n.* 75. Valetnè dispensatio si petens occultet aliquid essentiale, vel concedens non inuestiget? *ibid n.* 77.

VTrum & quæ ad dispensationem & commutandum soli Pontifici reseruata sint? *ibid: n.* 79. vbi de 5. votis. Castitatis, Religionis, Peregrinationis ad S. Petrum, Compostellam, & Hierosolymam

VTrum prædicta vota, sine noua gratia Papæ possint commutari in statum Religiosum, & num requiratur in eo, ad valorem huius commutationis perseuerantia? *ibid. cap.* 17 *n.* 79. quomodo differat dispensatio à commutatione. *ib: n:* 70. *vide totum.*

Diuinatio.

VTrum, & quæ futura prædici, aut præsentia vel præterita manifestari possint, sine præiudicio Diuini honoris *cap.* 15. *à n.* 21 *ad* 25.

VTrum Eclipsis solis, & lunæ, item pluuiæ [illegible], ex his similes effectus qui [illegible] in terra, ventis &c. concurrentibus causis [illegible], certò prædici possint? ibid. n. 21.

VTrum incognita, quæ ex causis naturalibus sciri nequit, nec à Deo supernaturaliter communicatur, semper à dæmone cum iniuria Dei censenda sit? n. 24. vide Astrologia, Magia, obseruatio vana.

Donatio.

VTrum cui res post donationem, & acceptationem non est tradita, possit iure agere contra donantem? c. 6. n. 47.

VTrum donatio reuocari possit, propter immutationem circumstantiarum? ibid. Quæ sine conditione [illegible] mutantes donationem? ibid. n. 47.

VTrum ingratitudo donatorij sufficiens causa sit retractandi donationem? ib. n. 47. quid si res donata, iam sit tradita, potestne citra præiudicium ob supra dictas causas inuito donatario ab illo alienari? ibid. n. 47.

Emptio vel Venditio.

VTrum in emptione, & venditione, vt sit iusta, semperque spectanda sit æqualitas rei ad rem, vel rei ad pecuniam c. 6. n. 7. quænam sint pretia legitima & vulgaria, item summa, media, & infima, quum variari possint ibid. n. 7.

VTrū sine iniustitia possit aliquid vendi carius quàm emptum est, vt si res meliorata sit, aut plures illā egeant, aut si venditor absq; detrimento suo priuari illa nequeat? ibid. n. 8.

VTrum, & propter quas causas possit rescindi contractus emptionis, & venditionis? ibid. n. 10. Item semperne sit fraus, quando res mala, pro bona venditur? ibid. n. 10.

VTrum deceptio peccaminosa sit subticere vitium rei vendendæ, si iusto pretio vendatur? ibidem.

VTrum Clericis, & Religiosis iure Ecclesiastico prohibita sit negotiatio, & quas ob causas? ibid. cap. 6. n. 14.

Fama.

VTrum grauius sit infamare præsentem, quàm absentem? c. 7. n. 5. quando diffamatio iuncta contumeliæ efficit mortale peccatum ibid. n. 6.

VTrum obijcere alteri contumeliosè ignobilitatem naturalium vitia, &c. sit graue peccatum? ibid. n. 6. Item, si quis Religiosum sanctitate clarum, aut quampiam aliam authoritate, & pietate celebrem personam diceret inebriari? ibid. n. 6.

VTrum infamatio sit contra iustitiam, & vehementer? si quis [illegible] nomen alterius famosum totaliter, vel ex parte, [illegible] in aliquo loco publico omnibus, vel pluribus notum, aut decreto damnandum? ibid. c. 7. n. [illegible]

VTrum saltem indirectè peccet ipsemet, qui dum se offert occasio, aut necessitas prædicandi pœnitentium, neget, aut reticet eius virtutem, dexteritatem &c. *ibid. n.* 10.

VTrum liceat diffamare seipsum *c.* [illegible] *n.* 17. *ad* 20. quanta sit obligatio restituendi famam? *ibid. à n.* [illegible] *ad* 30. quomodo facienda? *ibid. à n.* 35. *ad* 41. *inclusiuè. vide* Detractio. Honor.

Furtum, *vide* Rapina.

Gloria vana.

VTrum citra culpam possit appeti gloria propter honestum finem? *cap.* 3. *n.* 34. in quibus consistit appetentia culpabilis vanæ gloriæ? *ibid. n.* 35.

VTrum vana gloria in se ipsa spectata constituat venialem, aut mortalem culpam? *c.* 3. *n.* 36. quam ob causam? *ibidem.*

VTrum lethaliter peccet qui gloriatur de eo, quod est contrarium Deo, vt de perpetrata cæde, fornicatione, & his similibus? *ibid. n.* 36.

VTrum graue crimen sit ex parte gloriantis, si in gloria reponat vltimum finem, pluris; eam faciat, quàm Dei voluntatem, nunq; talea sine Hera-
... *ib. n.* 36.

VTrum iactantia, præsumptio, hypocrisis, pertinacia, discordia, contentio, inobedientia, sint propriæ filiæ vanæ gloriæ, vel etiam aliunde participent malitiam? *ibidem n.* 37.

Homicidium.

VTrum, quibus, & quare licitum sit homicidium citra violationem supremi dominij, quod Deus habet in vitam hominis, *c.* 8. *n.* 7.

VTrum, & quam ob causam enormius crimen sit seipsum priuatâ authoritate interimere, quàm alterum? *ib. n.* 7. quinam sint tam nefando sceleri obnoxij? *ibid. n.* 8.

VTrum, & quare liberantur à peccato, priuatâ potestate mortem subeuntes. vt fuit S: Apollonia, & alij multi Martyres? *ibid. n.* 9.

VTrum qui se obligarunt ad defendendum alios, si eos, & bona eorum aliter, quàm cum morte, defendere nequeant: teneantur id facere? *ib. n.* 14.

VTrum qui adhibita prudenti cautela fortuitò occidit hominem, peccet? *ib. n.* 15. item ad qualem restitutionem obligantur homicida? *ib. n.* 16.

Honor.

VTrum contumelia, conuitium, & improperium, quibus honor læditur, sint peccata eiusdem speciei? *cap.* 27. *n.* 1.

VTrum qui contumeliam commisit &c. ex passione non animaduertens alijs effecit ex quo modica, honoris secuta est iactura, grauiter delinquat? *c:* 27. *n.* 2.

VTrum qui bonâ intentione ad corrigendum alium per contumeliam, & conuitia, honorem illius lædit incautus, peccet? ibid. n. 2. Item qui obiurgat ex officio, sed non adhibitis circumstantijs debitis? n. 3.

VTrum, & quando, qui audiunt inferentes alijs contumelias debeant impedire? n. 4.

VTrum famuli ex iustitia teneantur defendere honorem dominorum suorum. ibid. n. 4. vide Fama. Detractio.

Horæ Canonicæ.

VTrum Officium diurnum institutum sit ab Ecclesia, quot partibus constet, & in cuius rei memoriam? cap. 10. n. 31.

VTrum sub graui peccato ad horas obligentur in sacris Ordinibus constituti Beneficiati, & Religiosi? ibidem.

VTrum exstet aliqua institutio de officio Diuino studiosè. & deuotè absoluendo, ib n. 31. quid sibeneficium curatum habens omittat totum, vel partem, tenetur ne ad restitutionem ibidem.

VTrum & quomodo peccet, qui contra Ecclesiæ præceptum mutat officium Diuinum? ib. item caditnè Ecclesiæ preceptum in actum internum præcipiens deuotè recitare horas? ib. n 32.

VTrum qui sponte omitit attentionem, in oratione, sub mortali præcepta quales sunt Horæ Canonicæ, mortaliter, an venialiter peccet? ibidem.

Irrisio.

VTrum si aliquid parui attribuatur alteri, vt inde risus & recreatio animi excitetur nullum sit peccatum? cap 7. n. 23.

VTrum recensere aliquod malum in audientium, vel illius cui attribuitur præsentia, ex quo sequitur confusio, & dedecoris nota, sit graue peccatū? ibidem cap 7. n 23.

VTrum malitia irrisionis consistat in verbis iocosis ruborem excitantibus, vnde sequitur despicientia? ibid.

VTrum grauitas peccati erescat pro magnitudine irrisæ, & pro vilitate irridentis personæ? ibid. n. 23.

VTrum irrisioni adiecta subsannatio, quæ fit signis, nasi, oris, & vilium gestuum, ad grandem obliget noxam? ibid.

Irritatio.

VTrum & qualis potestas requiratur ad irritationem voti? cap. 17. an. 58 per multos.

VTrum Parentes, Tutores, Magistri, Summus Pontifex, superiores maiores, vt Generales, Abbates & Abbatissæ, Prouinciales, & reliqui superiores locales habeant potestatem iurisdictionis irritandi vota sibi subiectorum, ibid, a n. 59. ad 63.

Verum

Iudex.

Iuramentum.

modi loquendi, aut nutus iuxta morem cuiusq; gentis sint verè iuramentum, si desit intentio ? cap: 16. n. 20: Cur falsò iurans Deum offendat ? ibid. n. 23. ad 28. qualis consuetudo iurandi vitanda ? n. 28. item quę ponit assuetum in statu mortalis culpæ ? ibid n. 29.

VTrum grauiter peccet, qui assueuit iurare non considerando sitne verum an falsum ? n 30. sub quali præcepto obligatur talem consuetudinem tollere ? ibid. n. 31.

VTrum teneatur satisfacere iuramento, qui ex subitaneo motu, aut sine aduertentia & intentione iurauit ? n 38. quarum conditionum defectu nō tenet iuramentum ? n. 39. item si sit de re inhonesta, impossibili, dubia, & quomodo ? n. 39. & 40. quid de his qui amphibologiâ in iuramento vtuntur n 42. num error, & metus irritum reddat à n. 43. ad 49. & 65.

VTrum iuramentum ob bonum publicum lege positiua possit irritari ? c. 16 n. 44 quomodo tollitur iuramentum per condonationem, relaxationem, irritationem, dispensationem, & per commutationem ? ib: à n. 45. per aliquot.

VTrum vsurarius à iudice possit cogi ad dimittendam solutionem vsuræ, pro qua sibi reddenda mutuatarius iurauit ? n. 46. quomodo differunt relaxatio, condonatio, irritatio, & quid ad illas requiritur ? n 48.

VTrum dispensator nequeat dare Eleemosynam cum iuramento promissā, non approbante Domino iuramentum ? ibid

VTrum coniuges possint iurare longiores peregrinationes sine mutuo consensu ibid. Item num Religiosus obligatus sit ad præstandum pium etiam opus, cum iuramento promissum, sine consensu superioris ? ibid. à quo debet fieri dispensatio iuramenti, & quid ad illam requiritur ? n. 49. & 50.

VTrum eadem sit potestas dispensandi in iuramento, atq; in voto ? n. 51.

Lusus

VTrum, & qua lege prohibitus sit vsus alearum Clericis ? c. 6. n. 41. quæ pœnæ transgressoribus assignatæ, ibidem.

VTrum qui prohibito lusu lucratur, teneatur ad restitutionem pecuniæ acquisitæ ? n. 42.

VTrum qui in licito, & honesto lusu, ita multa perdit, vt reddat se impotentem ad soluendum debita, aut ad alendum eos, quos debet alere ex iustitia, delinquat. n. 42.

VTrum qui adeo est deditus delectationi lusus, vel lucri cupidus, vt sit paratus aliquid contra Dei legem committere, grauibus sese exponat periculis, ac proinde peccet. n. 42.

VTrum qui in lusu aliquid fraude, vel vi acceperit, debeat restituere & quare ibidem.

Magia.

VTrum, & quare non liceat ex Dœmone præteritas, præsentes, futuras res occultas cognoscere, cap. 15. n. 24. qui sunt modi quibus ad

Dœ-

Digitized by Google

Maledictio.

Martyrium

Mendacium.

VTrum mendacium sit iure Diuino, & naturali prohibitum? c. 23. à n. 31. Estné secundum se sumptum veniale? n. 41. qualem culpam inuoluit mendacium iocosum, & officiosum? n. 42; perniciosum quando est graue? ib.

VTrum grauiter peccent mendacio Hæretici falsa dogmata spargentes? ibidem.

VTrum vnum peccatum committatur, qui mentiendo nocent alijs in bonis famæ, corporis & animæ? ibid.

Missa.

VTrum Sacrificium missæ à Christo sit institutum: & quibus verbis præceptum? cap. 10. n. 31. num cæremonias, plerasque ante, & post sacrificium orationes addiderit Ecclesia, ibidem. quando, & à quibus Sacerdotibus ex præscripto debet celebrari: vide cap. 14. quot partibus constet, & quomodo se in his debet gerere Sacerdos. ibid cap. 14. à n 74.

VTrum & quæ omissio in sacro grauem inuehat culpam. capite 14. n 75.

VTrum immutatio, vel additio precum, aut cæremoniarum obliget ad culpam, & qualem? ib.

Monopolium.

VTrum peccent monopolio, qui propter commodum Reipublicæ prohibent, ne liceat alicui vendere extra regna merces, præter eos, quibus id concessum est? cap. 6. n 15.

VTrum citra monopolium concedi possit à Principibus priuilegium, propter priuatas rationes, & commoda eorum: vt vnus vel pauci tantum vendant certas merces: ibid. Item num idem priuilegium liceat concedere ob amicitiam? cap. 6. n. 15.

VTrum qui monopolia statuunt obligentur ad restitutionem, & cui. ibidem. Item quomodo in Polonia excusari possunt Domini impedientes subditis, vt cereuisiam, vinum crematum, &c. in certis locis quò alijs non licet aduehere, ditiendant, capite 6. num. 16. & 17.

Mutilatio.

VTrum licest permittere, vt sibi secetur membrum, si aliter totius corporis, aut vitæ periculum euitari non possit cap. 8. n 6. num ob eandem causam ipse sibi quispiam membrum amputare valeat? ib. obligaturne ad hoc? cap. 8. n 6.

VTrum ille cuius vita communitati est necessaria, si illam aliter tueri nequeat, nisi abscissione etiam cum acerbiori dolore membri, teneatur id facere? cap. 8. n. 6.

Vtrum

VTrum graue sit peccatum seipsum mutilare ob bonum virtutis, v. g. ad vitandas tentationes, vel ad exercendam magnam patientiam? *ibidem vide* Homicidium.

Mutuum.

VTrum exigere aliquid precio æstimabile vltra sortem, tanquam debitum, pro mutuo, committatur iniustitia, *cap. 6. n. 18. & 19.* quod si titulo gratitudinis, vel liberalis promissionis quidpiam offeratur, licebitne acceptare, *ibid.* in quo mutui contractus consistit? *ibid n. 18.*

VTrum qui accepta mutua pecunia lucratur illâ mercando, ad nihil teneatur mutuanti ratione lucri ex pecunia acquisiti? *ibid n. 21.* Idemne dicendum est de rebus, in quibus vsus earum distinguitur, *ib cap. 6 n. 21.*

VTrum qui dando mutuam pecuniam alteri cogitur aliquod non tantùm damnum subire, aut lucro priuari, sed etiam quodcunq; incommodum ex mutuo consequens pati, possit aliquid vltra capitalem summam accipere, *ibid n. 23 vide* Vsura.

Obedientia.

VTrum obedictia Prælatis Ecclesiæ, Principibus Politicis, & communitatibus citra peccatum negari possit, *cap. 19. à n. 16. ad 21.* Estne respectu trium prædictarum potestatum diuersa obedientia. *ibid. n. 15.*

VTrum grauius sit peccatum negligere mandatum Summi Pontificis, quam Parochi, Consulis, quàm Regis *cap. 19. n. 15.*

VTrum obtemperandum sit, si aliquid imponatur, quo cum Deus offendendus esset, vel cum obseruantia præcepti damnum insigne perferendum *ibid. cap. 19 n. 26.* Item cur præcipienti quidpiam cum detrimento animæ non sit obediendum, *ibidem.*

VTrum præcepto hominis de matrimonio, cœlibatu, seruitute, & vita religiosa parere quispiam teneatur, *cap. 16. n. 26.*

VTrum, & quare cum periculo vitæ, milites Imperatori, Religiosi Pontifici, seu superioribus obligentur parere, *ibid. n. 26.*

VTrum Rectoribus vrbium pro bono communi grauia iniungentibus priuati debeant obedire sub peccato, *cap. 16. n. 26.*

VTrum, & in qua materia, sub graui peccato, teneantur Religiosi suis superioribus, obtemperare, *ibid. à n. 27. per multos.*

Obseruatio vana.

VTrum & quale peccatum sit in actionibus & negotijs recurrere ad Dæmonem? *cap. 15. à n. 44.* in quibus negotijs, & quomodo ad Dæmonem solet fieri recursus? *à n. 44. per aliquot.* Regula generalis ostendens sitne peccaminosa an non, obseruatio? *n. 45.* Vtrum peccent in septentrionalibus partibus, qui ex præsentia gruum, vel anserum conijciunt æstiuos calores, aut ex recessu eorundem frigora, *ibid. n. 49.*

Digitized by Google

VTrum, & quando delinquunt, qui nolunt certis diebus iter aggredi, timentes infortunia, aut qui expectant aduersa, si offendant in via fœminam, vel certum quodpiam animal *n.* 49. quid de illis sentiendum, qui fundunt ceram, vel plumbum liquatum in aquam, vt ex figuræ situ cognoscant aliquid *cap.* 15. *n.* 39.

Pastor.

VTrum Pastores obligentur ad suscipiendam curam, & laborem circa sibi commissos? *cap.* 4. *n* 26. Item si opus fuerit in bello, peste, & quouis alio periculo vitam profundere? *n.* 27.

VTrum Episcopi sub prætextu ingressus Religionis sine scitu Pontificis possint oues deserere? *ibid.* Quid de alijs pastoribus, vti sunt Parochi &c. *ib.*

VTrum Parochi quamdiu non resignant beneficium, teneantur prodesse ouibus etiam cum vitæ periculo? an per alium facere possint? *ibid. n* 27.

Peccatum.

VTrum qui fraude, aut vi inducit proximum in culpam, peccet non tantùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam? *cap.* 8. *n.* 23.

VTrum, & quando iudicia temeraria, suspiciones & dubitationes sunt peccata? *cap.* 9 *à n* 2 *per aliquot.*

VTrum venialia subijcienda sint confessioni? *cap.* 14 *n.* 36. Estne absolutus, qui non habet propositum vitandi mortalia? *ibid* Item suntnè grauiora peccata Religiosorum, quàm secularium? *cap:* 18, *à n.* 85. *ad* 92.

Periurium.

VTrum periurium ex defectu veritatis semper sit peccatum mortale, cur, & quando? *cap:* 16 *n.* 55:

VTrum qui cupiditate lucri, aut timore damni ex proposito falsò iurat, vnum periurij peccatum committat? *cap:* 16. *n.* 57. Quid de illo dicendum qui falsò iurat ex contemptu Dei? *ibid.* aut qui exterius iurat non habens intentionem testandi Deum? *n:* 59.

VTrum peccet grauiter, qui sine intentione iurandi asserit in iuramento rem veram? *ibid. n:* 60 quæ excusant à periurij peccato? *ibid: à n:* 61. *per aliquot.* Item qui repente, ioco, & amphibologicè sine intentione iurat? *à n:* 61 *per aliquot*

VTrum cum ad iustam causa liceat vti verbis in eo sensu, quem nos vsurpamus, non verò in eo, quem intendit alter? *ibid: n:* 62 Virgo coacta à parentibus ad spondendum cum iuramento, possitnè dicere; iuro me consensuram, intelligens, in aliam à matrimonio rem. *ibidem:*

VTrum à culpa possit excusari ciuilis consuetudo iurandi inter aulicos, iurantes se non comesturos, nisi amicus comedat &c. *n.* 63.

Vtrum

Digitized by Google

VTrum grauiter peccet, qui detrahendo alteri iurat rem veram, sed malam v. g. Iuro Petrum commisisse hoc scelus *n. 66. & 67.* Item qui eo fine iurat, vt res mala comprobetur *n 67.* aut iurans, & non faciens id, quod spopondit. *ibid. n, 68.* aut qui iurat impossibile Physicum vel morale, *n 70.* aut qui iurat se eleemosynam nunquam daturum ex liberalitate, nisi teneatur sub peccato? *ibid.* Item quomodo peccat qui dicit, Iuro me iocosè iuraturum? *n. 70.* Vtrum liceat à peieraturo, & quando exigere iuramentum? *n. 73. & 74*

Præsumptio.

VTrum, & quando præsumptio est graue peccatum *cap. 3. n. 29.* Quomodo peccat qui fluuium audet tranare carens viribus, & arte natandi? *ibid.*

VTrum ignarus artis medicæ periculosè ægrotantem suscipiens, aut sacerdos curam animarum non habens scientiam, grauiter peccet *ibid.*

VTrum Sacerdos idiota aut doctus, sed sine iurisdictione, vel approbatione excipiens confessiones grauem culpam committat, *ibidem.*

Princeps.

VTrum Principes, & gubernatores communitatum peccent, qui exigente bono communi non distribuunt officia? *cap: 4. n. 13. & 14.* Item qui omissis dignis, aut dignioribus, indignis ea conferunt. *ibid. n. 14.*

VTrum teneantur mala communitatis vergentia in magnam perniciem impedire? *cap. 5. n. 8* Item obligenturnè etiam cum periculo vitæ Remp. tueri? *cap. 4. n. 28.*

VTrum Principes debeant cum eodem periculo vitæ in spiritualibus prouidere communitati, vt imminente *v. g.* Hæresi, aut Paganismo, *cap: 4. n. 28.* Item teneanturnè iniurias à suis subditis propellere? *cap. 5. n. 7.*

Pusilanimitas.

VTrum peccent, qui talentis à Deo datis vti recusant? *capite 3. numero 39.*

Vtrum citra præiudiciũ humilitatis possit quis dona à Deo sibi communicata in publicum producere? *c. 3. n. 39.*

VTrum incurrant grauem culpam, qui propter pusilanimitatem omittunt alijs prodesse? *n. 40.*

Rapina.

VTrum grauius crimen sit rapere alienum quàm furari? *capite 6. à num. 1.*

VTRVM consuetudo malè rapiendi, tollat malitiam Rapinæ? *ibidem.*

VTrum Iudices, aut Ecclesiastici habentes in officio suo sufficientem sustentationem teneantur pro labore ad restitutionem acceptorum, n. 15.

Reus.

VTrum reus iuridicè quæsitus debeat verum fateri cap. 10. n. 20.

VTrum reus teneatur subire tormenta à iudice iniuncta, aut citra peccatum ac vltimata sententia vti possit appellatione ad texendas dilationes, ibid.

VTrum reus peccet, qui iudicio contendit, vt effugiat satisfactionem, aut qui vult quidem refundere damna, sed non nisi post latam sententiam, & tot expensas. ibidem.

Sacramentum vide cap. 14. n. 25.

Sacrilegium.

VTrum non solùm per violationem rerum, sed etiam personarum Deo dicatarum committatur sacrilegium, c. 15. n. 3. ad 12. quot modis res sacræ Deo auferri possunt, ibid. n. 3 quæ est natura sacrilegij, n. 4.

VTrum Religiosi, Sanctimoniales, & Clerici in sacris constituti sacrilegium committant, si quidpiam contra sua vota perpetrent? ibid. n. 5. Item qui sacramenta indecorè tractant, templa violant, vasa sacra auferunt, & ad vsus profanos conuertunt. Imagines Christi & Sanctorum reliquias dishonorent; dies festos prohibitis operibus profanant; Sacram scripturam ad sensum prauum detorquent; Personas Deo consecratas iniuriâ afficiunt, quasi sacrilegio peccant? c. 15. n. 5.

VTrum qui diebus festis piscantur, aut venantur sacrilegio delinquant, n. 5. Item, Extrahentes ex Ecclesia publicos latrones; nocturnos depopulatores agrorum, fures rerum Ecclesiæ, homicidas per insidias, & raptores virginum; liberandi sint à sacrilegio? cap. 15. n. 6.

Simonia.

VTrum rectè describatur simonia, quod sit voluntas emendi, vel vendendi spirituali annexum? cap. 15. n. 7. quot modis contrahitur simonia? ibidem. Quid per spirituale quod simoniâ venditur & emitur, intelligendum sit, cap. 15. n. 7.

VTrum vendere, & emere dona, virtutesq; supernaturales, aut earum actus, & potestatem ad illos exequendos sit simonia, n. 7.

VTrum scientia naturalis cum sit res spiritualis, aut Religio ad cultum Dei naturalem relata possit vendi aut emi? cap. 15. n. 8.

VTrum, & quomodo venditio, aut emptio calicis, & similium sacrarum rerum possit fieri absq; simonia? cap. 15. n. 10.

Vtrum

Digitized by Google

Religiosus.

Respublica.

Restitutio.

Vtrum

VTrum Pastoribus Ecclesiæ Sacramenta administrantibus, missas celebrantibus, mortuos sepelientibus, &c. liceat accipere pretium? *ibidem n* 10. quo iure prohibita est simonia? *n* 11. Possuntnè Ecclesiastica beneficia ratione temporalis commodi, sine consensu Pontificis, aut Episcopi in sua Diœcesi vendi, aut commutari? *ibid.* vnde dicta est simonia? 13.

Sortes.

VTrum licitæ sint sortes diuisoriæ, consultoriæ, & Diuinatoriæ, *cap.* 15. *n.* 39. quæ potest esse causa effectus liberi ex sortibus diuisorijs consecuti? *num.* 40.

VTrum sine necessitate licitum sit ad Diuinam prouidentiam sorte diuisoria recurrere? *n.* 4. quando distributio beneficiorum Ecclesiasticorum per sortes prohibita est? *cap.* 15 *num:* 41.

VTrum delinquant, qui leui de causa vtuntur consultorijs sortibus? *cap:* 15 *n* 43. quibus rariùs, Diuisorijsnè, an consultorijs sortibus vtendum est? *ibidem vide* Obseruatio vana.

Testamentum.

VTrum valeat testamentum in pias causas factum ex bonis alienis? *cap:* 6. *n:* 48. item illius qui debet ex iustitia creditori, aut ex pietate parentibus. *ibidem.*

VTrum, & de quibus bonis Clerici testari possint? *n:* 48. Iidem si relinquant ex prouentibus Ecclesiæ bona in capacibus dominij, quorsum spectabunt? *n:* 49.

VTrum testamentum factum in pias causas sine solennitatibus, & testibus à iure Ecclesiastico requisitis sit validum? *n.* 50. num testamenta profana in foro interno sine solennitatibus valeant? *ibid. n:* 51.

Testes.

VTRVM infra viginti annos idonea sit ætas ad testandum? *capite* 9. *num.* 31.

VTRVM mulieres, adolescentes, consanguinei, & serui testari possint? *ibidem.*

VTrum, & quando est obligatio sub peccato ad testandum? *ibid.* quale peccatum est falsò testari? *cap.* 9. *ad n:* 33.

Votum.

VTrum ad valorem voti requiratur in vouente deliberatio, intentio, promissio, & quomodo? *cap:* 17 *à n:* 2. *ad* 4. qualis materia voti esse debeat? *à n:* 5. *per aliquot.* & 54. potestnè votum cadere tam supra actus internos

ternos, quam externos ? n. 7. an debeat esse de re meliori n. 6. & 11. Cur de ieiunio interiore amore Dei teneat? n. 9. potestne fieri aliquando de matrimonio ? n. 9. & 10.

VTrum vouens ieiunium certo die, si incidat in infirmitatem, aut aquæ potum si fuerit ebrius ? teneatur voto ? cap. 17. n. 21.

VTrum votum simplex sit perpetuum, & reddat inhabilem ad faciendum oppositum ? n. 22. Impediatne aliquod simplex votum matrimonium ? ibid. Quomodo solenne differt à simplici ? ibid. quæ sunt de ratione voti solennis ? cap. 17. n. 22.

VTrum votum solenne irritet matrimonium, contractus de bonis temporalibus, & obligationes personales ? n. 22. quid tenendum est de voto personali, & reali ? n. 24.

VTrum pueri, amentes, & ebrij, sint capaces voti ? n. 47. liceatne retractare votum ob molestias non præuisas, quæ non mutant substantiam rei n. 49. an vouens 100 aureos pro eleemosyna, si incidat in egestatem? aut qui vouet Eleemosynam vt vanè laudetur, teneatur dare ? n. 50. Item puella quæ ob minas parentum vouit Religionem debetnè illam ingredi? ibidem.

VTrum filijs & seruis, quamdiu sunt sub potestate parentum, & Dominorum, ad valorem voti necessarius sit consensus eorum ? n. 51. Coniuges possuntnè sigillatim vouere id quod iuri matrimoniali, non præiudicat? n. 3. quid facere debeat dubitans an fecerit votum ? an cum sufficienti vsu rationis an cum consensu ? & cum alijs circumstantijs requisitis? cap. 17. n. 55.

VTrum qui vouit tota vita ferias sextas ieiunare, si Natalis Domini incidat teneatur ieiunare ? ibid. Quomodo in materia voti intelligendum sit illud principium ? In dubijs tutior pars eligenda ? n. 56. Dubitans an sacerdos verè consecrauerit hostiam teneturnè illam adorare? ibid. quid faciendum in dubio positiuo, aut pro vtraq; parte negatiuo, n. 55. & 56.

VTrum mutatio totalis, aut partialis materiæ liberet à voto. n. 57. an qui vouet rem quæ postea corrumpitur, vel perit teneatur in simili reddere, ibid. quid si dederit vouens culpabilem causam mutationis tenebiturnè ad cōpensandum ? ibid. an virgo quæ virginitatem vouit, si eam amittat semel, teneatur ad partem scilicet ad castitatem seruandam? aut qui vouit 100, Vngaricos Eleemosynæ quos penes se habet, si pereant teneatur alios dare, ibidem, vide Dispensatio & irritatio.

Vsura.

VTrum contractus, qui apud Polonos vulgò dicitur Zastawa, sit vsurarius, in quo pro data mutuo pecunia ad vnum, vel plures annos, mutans accipit bona immobilia, & ex illis fructus, donec illi capitalis summa reddatur, cap. 6. n. 22. Potestnè idem contractus dici emptio cum pacto retrouendendi, aut emptio fructuum ? ibidem.

VTrum & quare submittens se ad dandas, pro mutuo vsuras, teneatur illas in foro interno soluere, & num peccet dicta submissione? cap. 6. n. 24.

VTrum Princeps, aut Respublica valeat permittere vsuras, & quam ob causam? cap. 6. n. 25. Item num cogere possit mutuum accipientes ad soluendum vsuram. ibid. Item, an conced ens vsuras pro mutuo, si velit eas iuri-

Digitized by Google

diceè repetere, debeant Iudices hanc repetitionem admittere? Quid si repetitio datarum vsurarum negetur in foro externo, tenebunturne tamen vsurarij in conscientia illas restitnere? *cap. 6. n. 25. vide mutuum.*

INDEX QVÆSTIONVM DIVISARVM EX THEOLOGIA CONTROVERSA CONTRA HÆRETICOS.

Quæstiones communes, Lutheranis, Caluinistis, & alijs.

De Pontifice.

De inuocatione & cultu B. V. Mariæ, & aliorum Sanctorum.

De Sacramentis.

De cōmunione sub vtraq; specie

De Sacrificio Missæ.

Vtrum

Vtrū & quomodo sufficiat Christum semel ita sacrificium obtulisse, vt repeti nequeat? *ibid n* 12. Vtrum sacrificium missæ soli Deo offerri debeat, vel etiam alijs Sanctis? *ib. à n.* 19. *ad* 21. Vtrum, & quos adferat nobis fructus Sacrificiū Missæ? *lib.* 1. *p.* 2. *c* 14 *à n* 21. *ad* 24. *&* *à n.* 41 *ad* 54. *&* *à n.* 62. *ad* 74 Vtrum per Sacrificium remittatur culpa? *ibid. n:* 41.

De Purgatorio.

VTrum detur locus in quo animę iustorum purgentur antequā intrent cœlestem gloriam? *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 10 *à n.* 60. *ad* 65. Vtrum pro animabus in Purgatorio existētibus oratio instituenda sit? *ibid. n.* 62. Vtrum & vnde probetur, orandum esse pro defunctis? *ibid.*

De vocatione Ministrorum.

VTrum Ministri nouæ legis à quouis institui possint? *lib* 1. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 6 Vtrum ex scriptura ostēdatur quomodo Ministri destinentur ad munus Sacerdotale? *ib: n.* 7. *Et c.* 18. *n.* 103. Vtrum, & quib⁹ virtutibus ornati esse debeant, quibus hoc mun⁹ cōmittitur? *c.* 18. *à n* 92. *per multos*

De peccato:

Vtrū peccatū originale cōsistat in priuatione iustitię originalis? *l.* 1. *p.* 2 *c.* 25 Vtrum post remissam culpam peccati maneat pœna temporalis? *lib. p.* 2. *c.* 14. *n* 50. *&* 54. Vtrum peccata æqualia sint omnia, vel certè aliqua grauiora alijs? *ib. c.* 18. *à n.* 81. *ad* 89. an rectè diuidātur interna & externa? *c.* 12. *n.* 7 Vtrum omnia sint mortalia? *l:* 1. *p:* 2. *c:* 14. *n:* 44 *in fine,* *&* *c.* 26, *n.* 10.

De libero arbitrio.

VTrū & qualis libertas in homine reperiatur? *l.* 1. *p.* 2. *c.* 28. *à n.* 94. *ad* 59. quid libertatē hanc debilitat *c.* 28. *à n.* 60. *ad* 66. vtrū cogi possit? *c:* 8: *n.* 21.

De fide iustificante.

Vtrū pręter fidē necessaria sint bona opera ad salutē? *l:* 1. *p:* 2. *c.* 18. *à n.* 35. *ad* 43. Vtrū, & quomodo Sancti tam in veteri quàm in noua lege bona opera præter fidem adhibuerint? *lib.* 1. *p.* 2, *cap.* 18. *à* 56. *&* 57.

De obseruatione præceptorum.

VTrum pręcepta Dei seruari possint, & ex quib⁹ locis scripturæ id ostēdatur *l.* 1. *p.* 2. *c.* 8. *n.* 33. *&* *c.* 10. *n.* 57. *&* *c.* 18. *num.* 2. *&* 3.

De Cæremoniis.

VTrū rectè Hæretici impugnēt cęremonias Catholicorum? *l.* 1. *p.* 2. *c.* 10, *à n.* 3. *ad* 9. Vtrum ex scriptura probari possint in Ecclesia semper laudabiles fuisse cæremonias, circa cultum Diuinum? *ibid. à n.* 4.

De indulgentijs.

VTrū, & quid sint in Ecclesia Catholica Indulgentiæ? Negāt cum aliis Lutherani & Caluinistę, sed quā rectè inuenies *l.* 1. *p.* 2. *c.* 14. *à n.* 58. *ad* 62. quid tollatur per indulgētias? *ib. n.* 57. vnde thesaurus tant⁹ conflatus sit? *ibid. n.* 59 Vtrū ad consecutionē Indulgentiarū requiratur causa, & dispositio? *ibid. n.* 58 Vtrū, & quomodo indulgētiæ cōmunicari possint animab⁹ in purgatorio? *n.* 60.

De voto & statu Religioso.

VTrum vota Religiosorū spectēt ad Dei cultū? negant Lutherani cū alijs recētiorib⁹ Affirmant Catholici *l.* 1. *p.* 2. *c.* 17. *à n.* 12. *ad* 14. Vtrū gratiora

Digitized by Google

INDEX CONCIONVM
In omnes dies Dominicos totius Anni.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Videbunt Filium Hominis venientem in nube, Luc. 21.

NUNC Christus veluti in alba nube sub specie Sacramentali residens gratiam nobis offert, sed postea comparebit in nube sanguinea, vindictam de nostra ingratitudine sumpturus. Qualis sit futura hęc nubes, & ex qua materia conflabitur. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 22. *à n.* 15. *ad* 29. *vbi de virtute vindicante malos actus, & de vitiis illi oppositis.*

DOMINICA II. ADVENTVS.

Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam? Matt. 11.

VARIIS virtutibus varia solent tribui insignia. sed cum Christus D. Ioannem negat esse arundinem vento fauorum agitatam, rectè insigne fortitudini eius tribui potest columna similis illi Exodi. 27. cum basi ænea mucronata, & capite argenteo; quæ iuxta Rupertum significat constantiam in obseruandis Dei præceptis. vide quibusnam similis columna erigi possit. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 60. *ad* 65. *vbi ostenditur quinam sint verè fortes.*

DOMINICA III. ADVENTVS.

Dirigite viam Domini. Joan. 1.

QUEMADMODUM Regibus terræ præcursores viam parare solent virga aurea, ita Rex Regum Christus viam per Ioannem voluit parari sibi virgâ directionis regni sui. Psal. 144. Quænam verò fuerit hæc virga parandæ viæ Christo *lib* 1. *p.* 2. *c.* 4. *à n.* 17. *ad* 24. *vbi de iustitia legali & eius obligatione, quam Ioannes baptizandis inculcabat.*

Digitized by Google

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Luc. 3.

QUOMODO montes passionum aceto mortificationis (vt olim ab Hannibale) superandi sint. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 13. *ad* 24. Item quomodo valles cordis aridi implendæ sint aquâ gratiæ saliente in vitam æternam *l.* 1. *p.* 2. *c.* 14. *à n.* 35. *ad* 41. vbi de Sacramento pœnitentiæ.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. Luc. 2.

OPUS magnum est gladio mortis vitam subiicere, sed magis arduum gladium doloris in ipso animo tolerare. Prius patet in Martyribus: posterius declaratur in B. Virgine *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 1. *à n.* 25. *ad* 27, *Et in aliis jbidem à n.* 27. *ad* 29.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Et erat subditus illis Luc. 2.

MAGNI loco miraculi habetur solem paruisse Iosue. *Iosue* 10. *v.* 17. sed maius est Deum obedire homini: quia ibi creatura creaturæ, hic verò ad vocem creaturæ sistit gradum increatus sol justitiæ. Porro quid ad lucem stantis huius solis filij præcipuè discere debeant. est *lib.* 1. *p.* 2. *cap* 21. *à n.* 1. *ad* 14 vbi de officio filiorum erga parentes tractatur *Potest etiam hic agi de educatione liberorum.*

DOMINICA II. POST EPIPH:

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ. Ioan. 2.

SICUT firmamentum varietate stellarum, ac planetarum decoris gratiâ distinctum est, ita hunc mundum diuersitate statuum, Deus veluti stellis, ornare voluit. quæ verò harum stellarum sit necessitas, diuersitas, atq; præstantia. *lege lib.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *à n.* 4. *ad* 25. vbi cuiuslibet statûs dignitatem sub diuersa dignitate Planetarũ, tractare poteris coniugium v.g. Lunæ, cælibatum soli &c. cõparando.

DOMINICA III. POST EPIPH.

Ecce leprosus veniens adorabat eum. Matt: 8.

QUOD-

Quodlibet peccatum secundùm Theodoretum appellatur lepra, quantum verò hæc lepra peccati malum afferat? habes *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 14, *à n.* 43. *ad* 54. vbi assignantur causæ pœnarum peccatis inflictarum. Et *n.* 49. *de rigore iustitiæ Diuinæ* contra peccatores. vide *Leuitici caput* 13. *& damna lepræ applica peccato.*

DOMINICA IV. POST EPIPH.

Qualis est hic quia uenti, & mare obediunt ei. Matt. 8

AD nutum DEI cœlum ignem mittit 4. *Regum* 1. Terra inobedientes absorbet. *Num.* 16. mare fluctus componit. Solus homo ratione præditus inobediens est. quid & quale sit peccatum inobedientiæ *Lib.* 1. *p.* 2. *c.* 19. *à n.* 42. *ad* 45. *inclusiuè.*

DOMINICA V. POST EPIPH.

Superseminauit Zizania. Matt. 13.

MUltis in otio dormientibus, superseminat inimicus zizania vitiorum, quæ illi vtpote dormientes non aduertunt: quomodo igitur agnosci possint vt eradicentur? *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 26. *à n.* 14. *ad* 26.

DOMINICA VI. POST EPIPH.

Minimum quidem est omnibus seminibus cum autem creuerit maius est omnibus oleribus. Matt. 13.

MOdicum in se granum sinapis in magnam excrescens arborem, non tantùm naturam & artem, sed etiam virtutem repræsentat, quæ à paruis ad maiora progreditur. *Lib.* 1. *p.* 2. *c.* 30. *à n.* 1. *ad* 13.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Quod iustum fuerit dabo vobis. Matt. 20.

DE iustitia habes *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 4. *à n.* 1. *ad* 6. quomodo cuiq; suum reddẽdum sit. ibidem *à n.* 6. *ad* 8. *& à n.* 8. *ad* 10.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audiunt, & sollicitudinibus & diuitiis suffocantur. Luc. 8.

REctè pecuniæ, seu diuitiæ à Christo spinæ appellantur, siquidem ita, se colligentes, pungunt, vt animum sæpè expungant. Quinam verò has spinas possint colligere sine vulnere mortifero, & qui non? *vide lib.* 1. *p.* 2. *c.* 6. *à n.* 6.

n. 6. *ad* 18. *& à n.* 32, *ad* 47. vbi de variis contractibus, quomodò iustè, aut iniustè soleant iniri, tractatur.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Cæcus quidam sedebat secus viam. Luc. 18.

MAgna cæcitas eorum est, qui neglecta virtute immergunt sese vitiis, dum Christus pro illis patitur: quomodo horum cæcitati mederi possimus felle miseriarum quæ illos manent. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 32. *à n.* 1. *ad* 8. vbi explicatur qualem erga se DEvm tales experiuntur. & *à n.* 8. *ad* 11. quia se indignos reddũt societate hominum bonorum, *& à n.* 11. *ad* 16. quia crudeles in se ipsos existunt.

DOM. I. QVADRAG.

Tunc reliquit eum Diabolus. Matth: 4.

SI victoria de hoste visibili, non industriâ hominum (vt docuit Alfonsus Rex Ferdinandum filium suum) sed DEI Opt. M. benignitate & arbitrio paratur, multò magis eadem de Diabolo obtineri poterit: quomodo autem Duce Deo, ac Matre eius obtinenda sit, vide *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 37. *ad* 40. *& à n.* 44. *ad* 47

DOMIN. II. QVADRAG.

Duxit illos in montem excelsum seorsum & transfiguratus est. Matt. 17.

VIrtutes in arduo monte, ob difficultates, habitare dicuntur, qui ergo cupit transfigurari cum Christo, hunc montem virtutum petat. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 27 *à n.* 1. *ad* 21. vbi de modo obtinendi morales virtutes. Item quam arduus sit hic mons. *ibid. cap.* 28. *à n.* 1. *ad* 21. vbi de difficultate obtinendi has virtutes. item quomodo superandæ sint difficultates huius conscensûs. *ibid. c.* 28. *à n.* 50. *ad* 70.

DOMIN III. QVADRAG.

Erat IESVS eijciens Dæmonium. Luc: 14.

QUamuis Dęmon virtute CHRISTI sit adinstar canis ligati, de multis tamen triumphat morsu Lethifero. Causa huius rei ostenditur *Lib.* 1. *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 40. *ad* 44. item quanta eius vis nocendi. *ibid. à n.* 47. *ad* 53.

DOMIN IV. QVADRAG.

Facite homines discumbere. Ioan: 6.

Virtus

VIRtus liberalitatis duos potissimum hostes habet, tenacitatem, & litatem, quantum verò hæc obsit saluti. *lege lib.* 1. *p.* 2. *c.* 24. *à n.* 25. Potest agi etiam hic de magnanimitate in arduis *ibid. cap.* 3. *à n.* 6. *ad* 26.

DOMIN. V. QVADR.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Ioan. 8.

MUlti errant, qui solum externis & non internis actibus putant Deum offendi *lib.* 1. *p.* 2. *cap.* 12. *à n.* 7. *ad* 11. vbi de peccatis internis agitur.

DOMIN. PALMARVM.

Cædebant ramos de arboribus & sternebant in via. Matth. 21.

RAmi Palmarum iuxta Heliodorum erant signum victoriç ac triumphi in quo præferebâtur, quomodo vero nobis sit palma hæc acquirenda Christoque triumphanti offerenda hodie. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 28. *ad* 33. vbi ostenditur qua ratione de nobis victoria obtinenda sit.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

Vt venientes vngerent IESVM Marc. 16.

NOn immemor Magdalena beneficiorum à Christo acceptorum gratitudinis ergo venit illum vngere. De gratitudine *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 20. *à n.* 1. *ad* 9. quomodo hominibus ostendenda *ibid. à n.* 9. *ad* 13. *Item Deo ibid. à n.* 13. *ad* 35

FERIA 2. PASCHÆ.

Interpretabatur illis in omnibus scripturis. Luc. 24.

AN quiuis leges interpretari possit, & quid ad rectam interpretationem requiratur *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 4. *à n.* 44. *ad* 46. Jtem potest dici de Pusilanimitate discipulorum dicentium. Nos autem sperabamus *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 3. *à n.* 38. *ad* 41.

FERIA 3. PASCHÆ.

Stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis Pax vobis. Luc. 24.

QUomodo pax & integritas Reip. sit conseruanda? *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 4. *à n.* 39. *ad* 44 vbi de iustitia legali de qua etiam habes *à n.* 46. *ad* 50. *& cap.* 5. *n.* 1. *ad* 2.

Jtem quomodo pacis turbatores vti sunt susurrones Deo sint exosi *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 8. *à n.* 27. *ad* 29.

DOMINICA I. POST PASCHA.

Non credam. Ioan. 20.

De pertinacia *lege lib.* 1. *p.* 3. *n.* 50. *& n.* 37.

DOMINICA 2. post Pascha.

Ego sum Pastor bonus. Ioan. 10.

PAstoribus bonis Cornel. à Lap. pro symbolo tribuit virgam amygdalinam Aaronis quæ ex Hebræo dicitur Scaked id est euigilans. Preterea magnas aëris iniurias fert cum prima floreat & est amara. vt pastor sit vigilans, laboriosus, & amaritudinem mortis pro grege non timeat. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 4. *à n.* 24. *ad* 28. Idem Principibus Politicis applicari potest, *ibid. à n.* 28. *ad* 34. Item de priuatorum officio *ibidem à n.* 34. *ad* 39.

DOM. 3. post Pascha

Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra uertetur in gaudium. Ioan. 16.

MOriturus Christus pro testamento suis electis hîc relinquit tristitiam, sed in gaudium conuertendam: potest dici de testamentis quænam secum ferant tristitiam, & quæ gaudium *lib.* 1. *p.* 2. *cap.* 6. *à n.* 47. *ad* 54. Item quomodo aduersa fortiter toleranda sint. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 1. *ad* 10.

DOM, 4: post Pascha.

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis: Ioan: 16.

Multis rebus mundus abundat, sola (vt Ludouicus Galliæ Rex de sua aula dicebat) veritate caret, eò quod cunctos mendacium subiugauerit. Spiritus igitur veritatis mundum à seruitute mendacij liberaturus venit. qualis sit hic hostis mendacij. *Ostenditur lib.* 1. *p.* 2. *cap.* 28. *à n.* 35. *ad* 48.

DOM: 5. post Pascha.

Vsq; modo non petijstis quicquam in nomine meo. Ioan: 16.

ORatio comparatur *Ps.* 140. incenso, & sicut non omne incensum, sed certum ex stacte, onycha, galbano, & thure erat acceptabile Deo *Exod.* 33, ita non omnis oratio illi grata est, ob rationes expositas *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 10. *à n.* 19 *ad* 28.

Ascen-

Aſcenſio Domini.

Videntibus illis eleuatus eſt Actorun 1.

CHriſtus in aſcenſione ſua nuncupatur aquila, & videntibus hominibus aſcẽdit, vt eos, velut aquila, ad volandum prouocet viam oſtendendo, ſed multos ex his alios prope terram alios altius, nonnullos verò ſub ipſum cœlum volantes, ille gygas à S. Antonio viſus impedit & præcipitat *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 28. *à n* 23. *ad* 50. vbi de tentationibns incipientium, proficientium, & perfectorum.

Dominica 6. poſt Paſcha.

Quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis. Ioan. 16.

IUra gentium exigunt humanam legatorum tractationem: inde variis nationibꝰ varia ſuſcipiendorum legatorum ratio vſitata eſt. Ideo vos quoq; Chriſtus præmonet de Aduentu Spiritus Sancti ueluti legati pacis; vt nos pro illius ſuſceptione pręparemus. qualis vero hæc præparatio eſſe debeat. *eſt l.* 1. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 61. *ad* 63. *incluſiuè* vbi de Examine conſcientiæ duplici.

Dominica Pentecoſtes.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit Ioan. 14.

DE excellentia amoris, cauſis, & modo diligendi Deum. *vide libr.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *à num.* 21. *per aliquot.*

Feria 2. Pentecoſtes.

Non enim Deus miſit filium ſuum vt iudicet mundum. Ioan. 3.

NUnc Filius Dei in mundo poteſtatem iudicariam commiſit iudicibus, ipſe vniuerſos in fine mundi iudicaturus. vt ergo judices rectè ſuo munere fungantur docentur *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 9. *à. n.* 12. *ad* 20.

Feria 3.

Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat Ioan. 10.

De furto, & rapina, *habes lib.* 1. *p.* 2. *c.* 6. *à num.* 1. *ad* 6

Dominica 1. poſt Pentecoſten.

Nolite iudicare & non iudicabimini Luc. 6.

QUomodo iudicium temerarium iniurioſum ſit proximo, vt Deum offendat. *lib.* 1 *p.* 2. *c.* 9. *à n.* 1. *ad* 12,

In

In Festo Corporis Christi.

Hoc facite in meam commemorationem.

GAudebat suis sacrificiis, non tantum lex naturæ per Abel, & Noe, sed etiam lex scripta, *Num.* 15. solam legem gratiæ cæcitas Hæreticorum ab hac gratia excludit dum sacrificium missæ explodit. Aperiendi sunt illis igitur oculi *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 14. *à n:* 1. *per multos.*

Dominica 2. post Pentec.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc: 14.

PRidem Ecclesia inuitat Hæreticos ad cænam agni, sed hi Epicuro dediti minus pro se sufficientem putant fore cœnam sine poculo. vt igitur agnoscant sufficientiam huius cœnæ. *ostenditur lib.* 1. *p.* 2. *c.* 14. *à n.* 14. *per aliquot* vbi de communione sub vna specie.

Dominica 3. post Pentec.

Hic recipit peccatores & manducat cum illis. Luc. 15:

LIngua detractorum similis est gladio ignito, vtrinque acuto, & aditum ad paradisum prohibenti *Gen,* 3. quàm sit acutus & perniciosus. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 7 *à n.* 5. *ad* 11.

Dom. 4. post Pent.

Relictis omnibus secuti sunt eum. Luc. 5.

SIcut Magnes ferrum, aut succinum paleam, ita liberalitas animos hominum trahit; nam & discipuli visâ Christi liberalitate adhæserunt illi. *de hac l.* 1. *p* 2. *c.* 24 *à n.* 19. *ad* 26. Potest hîc dici de perfectione Christiana *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 18 *à n* 58. *ad* 85.

Dom. 5. post Pent.

Nisi abundauerit iustitia vestra plus quã Pharisæorum. Matt 5.

Quidnam faciendum sit nobis, vt abundemus iustitiâ *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *à n.* 71. *per aliquot.*

Dom. 6. post Pentec.

Gratias agens fregit. Marci: 8.

SEmper memores nos esse beneficiorum suorum Deus vult, vnde *Deut. cap.* 36 Adorato, inquit, Domino tuo, epulaberis. Idem nobis Christus sua gratiarũ actione inculcat. *de qua l.* 1 *p.* 2. *c.* 20. *à n.* 26. *ad* 28. *& à n.* 30. *ad* 34.

Domi-

Dominica 7. post Pentec.

Attendite à falsis Prophetis: Matth. 7.

MUlti falsi Prophetę reperiuntur similes illis 3. Reg. 18. qui vt lucrum habeant, plurimos per falsam diuinationem seducunt. *de qua lib. 1. p. 2. cap. 15 à n. 21. ad 50.*

Dominica 8, post Pentec.

Hic diffamatus est apud illum.

DE lęsione famæ alterius *lib. 1. p. 2. c. 7. à n. 1. ad 35.* Item de officio accusatoris. *lib. 1. p. 2. c. 9. à n. 20. ad 33.*

Domin. 9. post Pent.

Et ingressus in templum cœpit eijcere vendentes in illo. Luc 19.

SAnctus Chrysostomus templum vocat in terris cœlum, in quo Deum laudant Angeli magna cum reuerentia. Vnde videndum est quanto in honore templa sint nobis habenda. *lib. 1. p. 2. c. 13. à n. 20. ad 34.*

Domin. 10. post Pent.

Decimas do omnium quæ possideo. Luc. 18.

CUm decimæ (inquit Alexander III. Papa) non ab hominibus sed à Deo Leu. 27. sint institutę quasi debitum exigi possunt. *de quibus lib. 1. p. 2. c. 13. à n. 34. ad 45. & cap. 15. n. 2.*

Dom. 11. post Pentec.

Et præcepit illis ne cui dicerent Marci 7.

PRohibuit Christus opera sua diuulgare, non quod ipse timeret periculum vanæ gloriæ, sed quod nobis exemplum illam fugiendi relinquere voluerit. *de hac lib. 1. p. 2. c. 3. à n. 32. ad 36.* Item quæ illam vitia sequuntur *ibid. à n. 31 ad 38.*

Dom. 12. post Pent.

Et proximum tuum sicut te ipsum Luc. 10.

QUomodo hoc præceptum violari possit, & quæ mala inde oriantur. *lib. 1. p. 2. c. 8. à. n. 18. ad 27.*

Dom. 14. post Pent.

Non potestis Deo seruire & mammonæ. Matt. 6.

QUantopere displiceant Deo qui à seruitio illius alios auocant, *lege lib. 1. p. 2 c. 8. à n. 33. ad 46.*

Dominica 15. post Pentecosten.

Noli flere. Luc. 7.

FOrtium est æquo animo mortem ferre. *lib* 1. *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 17. *ad* 29.

Dom. 16. post Pent.

Qui se humiliat exaltabitur. Luc. 14.

NIhil ad cõseruandam perfectionem & sanctitatem magis est necessarium atque humilitas. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *à n.* 83. 85.

Dom 17. post Pent.

Interrogauit eum vnus ex eis Legis Doctor tentans eum. Matt. 22.

DUplex tentatio proponitur *lib.* 1. *p.* 2, *c.* 12. *à n.* 7. *ad* 15. vbi de Dæmone in Angelum lucis sese transfigurante, & de his qui Deum tentant.

Dom. 18. post Pent.

Hic blasphemat. Matt. 9.

De peccato blasphemiæ. *lib.* 1 *p.* 2. *c.* 15. *a n.* 17. *ad* 21.

Dom. 19. post Pent.

Prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt. Matt. 22.

IOseph in conuiuio fratribus de suis ferculis partem misit. Gen. 43. At Christus in sua mensa seipsum nobis offert. *vide qui sunt fructus missæ lib.* 1. *p.* 2. *c.* 14. *à n.* 62 *per multos.* Jtem potest dici de prodigalitate multorum circa conuiuia & alias res minus necessarias. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 24. *à n.* 26. *ad* 35.

Domin. 20. post Pent:

Domine descende priusquam moriatur filius meus. Ioan. 4.

MUlti medici felices ingenio varia medicamenta inuenerunt, sed felicior hodiernus Regulus qui etiam contra mortis infirmitatem efficacem adinuenit medicinam, hæc autem cuiusmodi sit, & quomodo conficienda. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 10. *à n.* 34. *ad* 42. vbi de oratione & eius requisitis. Item potest dici de his quæ nobis à Deo petenda sunt. *ibid. à n.* 53. *ad* 60.

Domin. 21. post Pent.

Redde quod debes. Matt. 18.

QVisnam teneatur ad restitutionem? *lib.* 1. *p.* 25. *à n.* 3. *ad* 9. Cui debeat fieri *ibid. à n.* 9. *ad* 14. quantum *à n.* 14. *ad* 20. Item de restitutione famæ. *l.* 1. *p.* 2. *c.* 7. *a n.* 25. *ad* 41.

Domi-

Dominica 22. post Pentec.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Matt. 22.

QVid ciues communitati debeant. *lib. 1. p. 2. c. 4. à n. 17 ad 24.* jtem de obseruantia subditorum. *lib. 1. p. 2. c. 19. à n. 16. ad 27.* Item de horis Canonicis quomodo Deo reddendæ sint. *lib. 1. p. 2. c. 10. à n. 42. ad 53.*

Domin. 23. post Pent,

Si tetigero tantùm vestimentum eius salua ero. Matt. 9.

MUlier hæc erexit Christi imaginem gratitudinis ergo æneam, ad cuius pedes effigiem suam supplicantem collocauit teste Eusebio lib. 7. ibidem crescebat herba quæ attingens fimbriam Christi imaginis similes morbos curabat. Poteris dicere de imaginibus & reliquijs Sanctorum honorandis. *lib. 1. p. 2. c. 13. à n. 14. ad 20.*

Domin. 24 post Pent.

Cum videritis abominationem desolationis. Matth. 24.

SIcut Ciuitas spoliata ornamentis ac munitionibus dicitur esse desolata: ita anima virtutibus exuta. Per quos verò hostes anima deuastetur *habes l. 1. p. 2. c. 25. à n. 2. ad 14.* Item quomodo præsumptio & ambitio eandem in animam inuehat desolationem. *lib. 1. p. 2. c. 3. à n. 27. ad 35. & cap. 8. n. 18.*

In Dedicatione Ecclesiæ.

Et hic Princeps erat Publicanorum & ipse diues. Luc. 19.

MUlti bello inuicti auaritiæ telis succubuerunt, de hac Zacheus Christo Duce feliciter triumphat, cuius felicitas vt clarius agnoscatur, videndum est qualis sit hostis auaritia & quàm noxia. *lib. 1. p. 2. c. 24. à n. 35. àd 50.*
Jtem potest hodie dici de veneratione templorum. *vide Dom. 8. post Pentec.*
Jtem de decimis dandis *Dom. 10. post Pentecosten.*



Dominica 15. post Pentecosten.

Noli flere. Luc. 7.

FOrtium est ęquo animo mortem ferre. *lib* 1. *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 17. *ad* 29.

Dom. 16. post Pent.

Qui se humiliat exaltabitur. Luc. 14.

Nihil ad cõseruandam perfectionem & sanctitatem magis est necessarium atque humilitas. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *à n.* 83. 85.

Dom 17. post Pent.

Interrogauit eum vnus ex eis Legis Doctor tentans eum. Matt. 22.

DUplex tentatio proponitur *lib.* 1. *p.* 2, *c.* 12. *à n.* 7. *ad* 15. vbi de Dæmone in Angelum lucis sese transfigurante, & de his qui Deum tentant.

Dom. 18. post Pent.

Hic blasphemat. Matt. 9.

De peccato blasphemiæ: *lib.* 1 *p.* 2. *c.* 15. *a n.* 17. *ad* 21.

Dom. 19. post Pent.

Prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt. Matt. 22.

IOseph in conuiuio fratribus de suis ferculis partem misit. Gen. 43. At Christus in sua mensa seipsum nobis offert. *vide qui sunt fructus missæ lib.* 1. *p.* 2. *c.* 14. *à n.* 62 *per multos.* Item potest dici de prodigalitate multorum circa conuiuia & alias res minus necessarias. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 24. *à n.* 26. *ad* 35.

Domin. 20. post Pent:

Domine descende priusquam moriatur filius meus. Ioan. 4.

MUlti medici felices ingenio varia medicamenta inuenerunt, sed felicior hodiernus Regulus qui etiam contra mortis infirmitatem efficacem adinuenit medicinam, hæc autem cuiusmodi sit, & quomodo conficienda. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 10. *à n.* 34. *ad* 42. vbi de oratione & eius requisitis. Item potest dici de his quæ nobis à Deo petenda sunt. *ibid. à n.* 53. *ad* 60.

Domin. 21. post Pent.

Redde quod debes. Matt 18.

QVisnam teneatur ad restitutionem? *lib.* 1. *p.* 25. *à n.* 3. *ad* 9. Cui debeat fieri *ibid. à n.* 9. *ad* 14. quantum *à n.* 14. *ad* 20. Item de restitutione famæ. *l.* 1. *p.* 2. *c.* 7. *a n.* 25. *ad* 41.

Domi-

Dominica 22. post Pentec.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Matt. 22.

QVid ciues communitati debeant. *lib. 1. p. 2. c. 4. à n. 17 ad 24.* item de obseruantia subditorum. *lib. 1. p. 2 c. 19. à n. 16. ad 27.* Item de horis Canonicis quomodo Deo reddendæ sint. *lib. 1. p. 2. c. 10. à n. 42. ad 53.*

Domin. 23. post Pent,

Si tetigero tantùm vestimentum eius salua ero. Matt. 9.

MUlier hæc erexit Christi imaginem gratitudinis ergo æneam, ad cuius pedes effigiem suam supplicantem collocauit teste Eusebio lib. 7. ibidem crescebat herba quæ attingens fimbriam Christi imaginis similes morbos curabat. Poteris dicere de imaginibus & reliquijs Sanctorum honorandis. *lib. 1. p. 2. c. 13. à n. 14. ad 20.*

Domin. 24 post Pent.

Cum videritis abominationem desolationis. Matth. 24.

SIcut Ciuitas spoliata ornamentis ac munitionibus dicitur esse desolata: ita anima virtutibus exuta. Per quos verò hostes anima deuastetur *habes l. 1. p. 2. c. 25. à n. 2. ad 14.* Item quomodo præsumptio & ambitio eandem in animam inuehat desolationem. *lib. 1. p. 2. c. 3. à n. 27. ad 35. & cap. 8. n. 18.*

In Dedicatione Ecclesiæ.

Et hic Princeps erat Publicanorum & ipse diues. Luc. 19.

MUlti bello inuicti auaritiæ telis succubuerunt, de hac Zacheus Christo Duce feliciter triumphat, cuius felicitas vt clarius agnoscatur, videndum est qualis sit hostis auaritia & quàm noxia. *lib. 1. p. 2 c. 24. à n. 35. âd 50.*

Jtem potest hodie dici de veneratione templorum. *vide Dom. 8. post Pentec.*

Jtem de decimis dandis *Dom. 10. post Pentecosten.*



INDEX CONCIONVM PRO FESTIVITATIBVS TOTIVS ANNI.

PRO NATIVITATE DOMINI.

Prima Concio in Sacratissima nocte.

Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Luc. 2.

NOn patebat Exod 20. accessus homini ad ineffabilem DEI Maiestatem, nunc ergo Deus assumptâ humanitate factus est affabilis, ne homo timeret illius consortium. Vide quæ sit affabilitatis natura, leges, vtilitas, & Christo nato applicata *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 22. *à n.* 1. *ad* 15. Item quomodo cum hominibus amicè agat, eorum necessitates Patri offerendo ibid. cap. 10. n. 79. iustos ad amorem sui alliciendo. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 100. & 101.

Secunda Concio in Die Natiuitatis Domini

In propria venit, & sui eum non receperunt. Ioan. 1.

DIu frequentem relapsum populi Israelitici Deus tolerauit, Dan. 9. at postquam Christum reiecerunt, seuerè ingratitudinem eorum puniuit reiectione Danielis 9. prædicta lege de natura, & damnis ingratitudinis *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 20. *à n.* 35. *ad* 44 *inclusiuè.*

In Festo S. Stepani.

Stephanus plenus gratiâ & fortitudine. Actor. 1.

PRouidentia Dei efficitur vt magnorum Sanctorum nomina rei dignitatem exprimant, vt Abram impositum est Abraham Pater multitudinis Gen. 17. sic Protomartyri nostro Stephanus id est Corona. Hic enim primus multis ad martyrij coronam viam ostendit. Quibus verò gemmis hæc corona exornetur *inuenies lib.* 1. *p.* 2. *c.* *à n.* 36. *ad* 45. vbi de tribus Martyrium integrantibus; scilicet de causa, testimonio, & morte. Item an & quomodo possit aliquis coronam Martyrij assequi sine morte vbi de tribus Aureolis, quas non incongruè S. Stephano accommodare poteris *Ibid. à n.* 45. *ad* 49.

In Fe-

In Festo S Ioannis Apostoli.

Scimus quia verum est testimonium eius. Ioan. 21.

INter 12. Rationalis gemmas Tertul. lib. 4. cap. 13, Exod. 28, per quas 12. Apostolos significari asserit, reperitur Smaragdus, qui S. Joanni tribuitur hic semper viret vnde ex Hebræo dicitur Bereket id est fulgurans, proinde si eum serpens aspiciat facit illi oculos diffluere. Per virorem notatur virginitas *de qua lib. 1. p. 1.* verbo virginitas per fulgorem veritas *de qua l, 1. p. 2. c. 23. à n. 1. ad 6.* an aliquando occultanda sit hæc gemma veritatis. *ibid. à n. 6. ad 19.* quam sit vtilis *ibid. à n. 26. ad 35.* Apodosim fac ad S. Joannem.

In Festo SS. Innocentum.

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. Matt. 11.

POsset quispiam quęrere liceatne somnis credere? cvm ex vna parte S. Josephum id fecisse testetur Euangelium, ex alia verò Leuit. 19. idem prohibeatur nec obseruabitis somnia ad hoc vt respondeatur: videndæ sunt causę somniorum *lib. 1. p. 2. c. 15. à n. 32. ad 36.* item potest institui concio de aduersis ferendis. *vide Dominicam 3. post Pascha.*

In Festo Circumcisionis Domini.

Postquam consumati sunt dies octo vt circumderetur Puer. Luc. 2.

GEntiles hunc diem partim à muneribus sibi inuicem datis Author Antiquitatum Rom. lib. 4, c. 5. partim à sacrificijs Jano oblatis inchoabant. Nos Christus à Circumcisione auspicari nouum annum docet. Quid & quomodo circumcidere debeamus. *lib. p. 2. c. 26. à n. 1. ad 14.*

In Festo Epiphaniæ Domini:

Apertis thesauris obtulerunt ei munera. Matt. 2.

MAgnam liberalitatem ostendit Nero vni Regum Theridati cui hospiti nouē mensibus Romæ degenti in singulos dies viginti millia philippeorū suppeditauit, maiorem Rex Natus Christus tribus Regibus ostendit munificentiam qui eos à gentili errore per stellam ad possessionem Regni sui inuitauit. Agnoscunt id Reges & tantæ munificentiæ munerum liberalitate respondent. *de hac habes l. 1. p. 2. c. 24. à n. 1. ad 19.* vbi ostenditur modus exercendi liberalitatem.

In festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

Lumen ad reuelationem gentium. Luc. 2.

FEstiuitas hodierna inducta est in vicem Cerealium ludorum, in quibus per campos accensis facibus hoc tempore currebatur. Teste Durando lib. 7, c. 7. in orat. Non quod Ecclesia vsurpare velit ritum gentilium, sed vt in Beata Virgine nouum Samuelem 1, Reg. 1. Deo offerente Religionis zelum, & obseruationem veterum cæremoniarum nobis proponat *de quibus lege lib* 1. *p.* 2. *c.* 10. *à n.* 1. *ad* 9. vbi de religione & cæremonijs contra Hæreticos differitur.

In Festo S. Matthiæ Apostoli.

Cecidit Sors super Matthiam. Actorum 1.

An & quarum sortium licitus sit vsus? *lib.* 1. *p.* 2. *c:* 15. *à n.* 39. *ad* 44.

In Festo S. Casimiri.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucæ 12.

ROmanis Jmperatoribus lucernę balsamo & duabus auratis corollis instructæ præferri solebant. Eas tu accommoda S. Casimiro propter bona illius opera, quæ S. Greg, hom: 14. per lucernas designat: & quidem coronas vnā pro contemptu Regia dignitate, alteram pro seruata virginitate, balsamum verò, pro variis eius præclaris virtutibus. *de quibus lib.* 1 *p.* 1. *c.* 18. *à n.* 33. *ad* 46.

In Festo S. Iosephi Sponsi B. M. Virg.

Ioseph Fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Matt. 1.

ANtequam Deus Iosephum Patriarcham ad regimen Ægypti evexisset, prius virtutem eius aduersis probauit. Gen. 50. Ita hunc alterum præfecturus Filio suo Matriq; eius, prius animi illius magnitudinem explorat. *de qua l.* 1 *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 63. *ad* 72. Et prudentia *jbid. à n.* 71. *ad* 75. vbi festinatio lenta docetur.

In Festo Annunciationis B. M. V.

Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco. Luc. 1.

PRima B. V. Maria votum castitatis fecit (*S.* Hieronym. *S.* Gregorius Nyssenus, Nicephorus) juxta revelationem à Christo factam B. Melchtildi lib: 1. c. 2. vnde cum audiret de contemptu Filij Dei expauit. *lege* quæ sit obligatio voti *lib.* 1. *p.* 2. *c:* 17. *à n.* 29. *per multos.* jtem potest dici de virginitate *l.* 1. *p.* 2 *ibidem v. Castitas.*

In Festo S. Georgij Martyris.

Si quis in me non manserit mittetur foras. Ioan. 15.

Non

NOn satis est accedere ad Christum sed requiritur ad obtinendam coronam vitæ Apoc. 12. vt in illo per obseruationem præceptorum eius perseueranter maneamus. Cum in Christianis, vt ait S. Hieronymus: Non initia; sed finis quæratur. jn quo hæc mansio & perseuerantia sita sit. *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 3. *à n.* 47. *ad* 54. quid illi noceat *ibid: vsq; ad n.* 75. Applica S. Georgio.

In Festo SS. Philippi & Iacobi.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joan, 14.

PEr mansiones iuxta Cæsarium ser: 9. denotantur præmia meritorum: hęc verò cum diuersa sint, præmia quoq; seu mansiones diuersas assignare, munus iustitiæ est. *de hac. lib.* 1. *p.* 2. *c.* 4. *à n.* 10. *ad* 16.

In Festo Inuentionis S. Crucis.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Ioan. 3.

TRadit Aristoteles cap. 28. in Sicilia reperiri aquas, quibus si emortua animalia immergantur reuiuiscunt, & quodammodo regenerari videntur. verius id Joan. 4. conuenit aquæ gratię Dei salientis in vitam ęternam quæ in cruce è Christi latere ad viuificationem ac regenerationem nostram veluti per 7. canales, per 7. Sacramenta profluxit *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 14. *à n:* 24 *ad* 35. vbi de numero horum canalium & modo deriuandi in nos hanc aquam gratiæ..

In Festo S. Stanislai.

Ego sum Pastor bonus. Ioan. 10.

QUidam Mythologus interrogatus à Rege Nectenabo. Cui se & suos assimilaret? Respondit: Te soli verno: hos autem spicis pretiosis assimilo rectè; nam qui præsunt, debent esse ad instar solis lucidi sanctitate, quæ in tribus consistit. An fuerit talis sol S. Stanislaus? *colliges ex lib.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *à n.* 92 *ad* 108. *inclusiuè applicando illi.*

In Festo Sancti Ioannis Baptistæ.

Dominus ab vtero vocauit me. Ieremiæ 49.

FElices quos Deus in virili ætate vocauit ad suum seruitium vt Abraham, feliciores quos in iuuenili, vt Samuel, felicissimi quos ab vtero vt hodiernus Joannes, quia quanto quis iunior. tantò ad virtutem, & gratiam augendā

quæ

quę est semen glorię, aptior, *Ostenditur hoc lib.* 1. *p.* 2. *c.* 30. *à n.* 13. *ad* 25. Applica S. Ioanni inferendo eum præ alijs in gloria excellere.

In Festo SS; Petri & Pauli.

Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. Matth. 16.

REfert Paradinus apud Romanos moris fuisse, vt recens creatis Præfectis, claues in signum potestatis darentur. Christus quoq; constituens Petrum in caput Ecclesię, tradidit illi claues, quales S. Bernardus describit. Unam inquit quę aperit abyssum, alteram quæ aperit cœlum, tertiam quæ est clauis domus Dauid. Duæ priores referri possunt ad remissionem peccatorum, vltima custodit thesaurum Ecclesiæ Domus Dauid. quem Petrus dispensat, vt sunt indulgentiæ, *de quibus l.* 1. *p.* 2. *c.* 14. *à n.* 54. *ad* 62.

In Festo Visitationis Beatæ Mariæ Virginis.

Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione. Luc: 2.

OStendit Christus S. Melchtildi Virgini montem excelsum habentem 7. gradus in ascensu, & totidem fontes à gradibus profluentes. Gradus 1. vocabatur humilitas. 2. Mansuetudo. 3. Amor. 4. Obedientia. 5. continentia 6. Castitas. 7. Magnanimitas. In vertice montis positus erat Thronus B. M. V. non procul à throno Sanctissimæ Trinitatis, audiebaturq; cantus Angelorum *lib.* 1. *c.* 17. Per montem hunc rectè Christiana perfectio intelligi potest quam B. Virgo conscendit *de hac vide lib.* 1: *p.* 2. *c.* 18. *à n.* 11. *per aliquot.*

In Festo Mariæ Magdalenæ

Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Luc. 7.

NEmo non aliquod nobis vitium commendat, aut imprimit, inquit Seneca Epist. 7. aut nescientibus allinit. ideo Magdalena quamdiu malę Societati & respectibus humanis inhęsit, tam diu peccatrix exstitit sed ad Christum conuersa, niue candidior euasit, *vide quæ plerumq; hominem ad peccata pertrahunt. lib.* 1. *p.* 2. *cap:* 2. *à n.* 53 *ad* 60.

In Festo Sancti Iacobi.

Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistrā. Matth. 20.

QVod honores nō sāguini aut fortunæ sed virtuti cōferri debeāt, patet nū. 27. vbi Deus Moysi præcepit, vt Principatum & Sacerdotium non Filijs, sed illum Josue ex tribu Ephraim, hunc verò Aaroni fratri resignaret, *de hoc habes lib.* 1. *p.* 2. *c.* 1. *à n.* 1. *ad* 8. & *cap.* 4. *à n.* 13. *ad* 17. vbi ostenditur quibus conferendi sint honores.

jn

In Festo S. Annæ.

Simile est Regnum cœlorum quærenti bonas margaritas. Matth. 13.

Sicut margaritæ corpus, ita virtutes decorant animam; vnde per gemmas rationalis quo sacerdos ornabatur Exodi 28. intelligit S. Hieronymus Cardinales. Proinde non minori labore incumbendum est ad negotiationē virtutū quàm gemmarum. Porrò quinam sint hi negatiatores, & quomodo has acquirant. *vide lib:* 1. *p:* 2. *c:* 33. *à n:* 1. *ad* 27. *Applica S: Annæ.*

In Festo S. Laurentij.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ioan. 12.

ODisse animam non est aliud, quàm spiritu factâ carnis mortificare, sed cū hominis Dominiū sit penes Deum, quæri potest, quomodo sine violatione juris Diuini aspersè corpus tractandum sit. *lib:* 1. *p.* 2. *c:* 8. *à n:* 1. *ad* 10. vbi etiam de mutilatione, & cęde suiipsius. Apodosis ad S. Laurentiū.

In Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Maria optimam partem elegit, Luc. 10.

VArij varias in terris partes honorum, diuitiarum, fauorumque eligunt, sed Beata Virgo meliorem partem elegit, cùm veluti lucida & cœlestis nubes (sic enim illam vocat Epiphanius de laud. Deip.) è terra in sublime à sole justitiæ attracta, & cœlestibus obtentis bonis, facta est nobis, juxta Geometram in cap. 1. Luc. Nubes in nuncia die itineris recti. Quomodo, & quàm altè hæc nubes volet, *inuenies lib.* 1. *p.* 2. *c.* 11. *à n.* 12. *ad* 27. Ubi fusè de contemplatione agitur. Apodosis ad B. M. V.

In Festo Sancti Bartholomæi

Erat pernoctans in oratione Dei, Luc: 6.

CUm Pompilius Romanorum Senator teste Liuio lib. 45. legatione fungeretur ad Antiochum, vt illum à bello inferendo Regi Ptolomæo auocaret: Antiochus verò respondere cunctaretur. Tum legatus uirgâ regem circumscripsit. Ac priusquam, inquiens, hoc circulo excedas, redde responsum senatui, quod referam. Cui rex: Faciam, inquit, quod censet senatus. Tantùm generositas Popilii apud hunc regem valuit! Longè tamen maior est vis orationis, quæ adinstar legati, ipsum Deum accedit. Et non discedet, vt ait, Ecclesiasticus cap. 35. donec altissimus aspiciat. Porrò vt semper sit efficax hic legatus qualis esse, & quibus viututibus pollere debeat, *vide lib.* 1. *p.* 2. *c.* 10. *à n.* 9. *ad* 11. vbi de natura orationis. *Et à n.* 11. *ad* 16. de attentione, intentione, & deuotione eiusdē.

In Festo Natiuitatis B. M. V.

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, Matth. 1.

IN multis creaturis Deus magnam suam magnificentiam ostendit, sed in B. V. Maria maximam: quia iuxta S. Thomam tria à Deo meliora creari non possũt Christus, Mater eius, & gloria cœlestis. De magnificentia *vide lib.* 1. *p.* 2. *c.* 3. *à n.* 41. *ad* 44. vbi de magnificis templis, arcibus, ac ciuitatibus. Apodosis ad B. V, quę à Petro Chrisologo vocatur Templum magnum Deitatis: à S. Damasceno orat. 1. de Natiuit. B. V. Arx Sinâ sanctior: à S. Germano orat. 1. de zona Deip. Ciuitas Magni Regis.

In Festo Exaltationis S. Crucis.

Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, Galat. 6.

REfert Plinius lib. 13. c. 17. in Affrica reperiri arborem, quæ dicitur Celtis, cuius fructus est adeò dulcis, vt aduenæ obliuiscantur patriæ, si ex eo gustauerint, prodest contra morbos, vinum quoq; de eo exprimi solet. Glorietur Affrica de hac sua arbore, gloriemur nos cum Apostolo in Cruce, longè dulciorem, salubriorem, ac iucundiorem fructum, proferente. Pro quo, an, & quomodo liceat illam honorare sine preiudicio Diuini cultûs? *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 13 *à n.* 2. *ad* 14. vbi de adoratione Crucis.

In Festo S. Matthæi.

Non est opus valentibus Medicus sed male habentibus, Matt. 11.

POscentibus Phariseis quare cum Publicanis Iesus manducaret, innuit se Matthæum curaturum aduenisse, & rectè: nam licèt is corpore sanus esse videbatur, anima tamen eius vsuris vulnerata malè habuit: quia vsura ex hebręo Nesech iuxta Regem Salomonem significat morsum serpentis; quia etiam asserit S, Chrisost, in Matt. c. 5. Pecunia, inquit, vsurarij similis est morsui aspidis. Quomodo hic morsus vsurę lædat *ostenditur lib.* 1. *p.* 2. *c.* 16. *à n.* 18. *ad* 32.

In Festo S. Michaelis.

Si autem manus tua, aut pes tuus scandalizat te, abscinde eum, Matth. 18.

ABscindere, aut adurere partem aliquam corporis ob bona temporalia, fortitudo hæc nobis communis est cum gentilibus, vti patet de Sceuola manũ adurente, & aliis similibus: at verò concupiscentias carnis & passiones amore Dei mortificare, proprium est Christianis. Quod quàm Deo gratum sit, & quantam fortitudinem requirat, *explicatur lib.* 1 *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 20. *ad* 28. Potest etiam dici de scandalo *lib.* 1. *p.* 1. v. scandalum.

In

In Festo SS. Simonis & Iudæ

Si me persecuti fuerint, & vos persequentur, Ioan. 15.

ADmonet Christus Discipulos fortitudinis in aduersis. Docet Cornel. à lap. fortitudinem denotari per gemmam topazij (quem Sacerdos gestabat in pectore) propter Cœlestem colorem, qui animum cœlestem infractum, & aduersitatibus superiorem ostendit. Qualis sit hæc fortitudinis gemma, *declaratur lib. 1. p. 2. c. 1. à n. 49. ad 52. & c. 2. à n. 1. ad* 10. Ubi de vtilitate eius. hinc ostendenda erit, quomodo hæc gemma decorabat SS. Apostolos Simonem & Judam.

In Festo Omnium Sanctorum.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matthæi 5.

SI Deus Sanctos suos adhuc in terra viuentes voluit à creaturis irrationalibus honorari; vt teste Origene, ignis honorauit tres pueros in fornace: aquæ diluuij Noë, Leones Danielem, sol Iosue, Tonitrua Samuelem, Corui Heliam multò magis glorificatos vult à nobis coli, eo quod nunc & Deum illi profectius diligant, & maiori honore illos dignos esse ratio ostendat. vide dogma Ecclesiæ de cultu Sanctorum, ac eorum imaginum, *lib. 1. p. 2. cap.* 13. *à n.* 14. *ad* 20.

In commemoratione Fidelium Defunctorum.

Ecce ventus turbinis veniebat & nubes magna & ignis inuoluens. Ezech. 1.

DUplici pœnâ justitia Diuina fratres nostros affligit, vna est pœna damni, quę veluti nubes prohibet, ne solem iustitiæ videre possint: Altera est pœna sensûs, significata per ignem inuoluentem, *de quo lib. 1. p 2. c:* 14. *à n.* 46. *ad* 52. Quomodo hæc nubes dissoluenda sit, orationibus, veluti sonitu campanarum *habetur lib. 1. p. 2. c:* 10, *à n.* 60. *ad* 65. vbi de oratione pro mortuis. Item quomodo ignis extinguendus sanguine Agni, *lib. 1. p. 2 c.* 14. *à n.* 60. *ad* 61. *&* 67. vbi de Sacrificio missæ.

In Festo Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis.

Beatus venter qui te portauit.

SAnctus Damascenus orat. de Assumpt. vocat B. Virginem Librum nouum. Triennio iste liber fuit inuolutus, hodie dum Deo præsentatur, orbi legendus offertur. Porro quid in illo legere, ac discere debeamus, *ostenditur lib. 1. p.* 2 *c.* 18. *à n.* 25. *ad* 33. vbi agitur de electione statûs, quod non incongruè B. Virgini applicari potest, vt potè quę trimula perfectissimum statum, inter virgines elegit, ad templum Salomonis. Item exhibet idem liber lectionem de voto facto

Deo, de quo vt de Festo Annunciationis.

In Festo S. Martini.

Nemo lucernam accendit, & ponit in abscondito, Luc. 11.

PEr lucernam S. Gregorius hom. 13, intelligit bona opera, quomodo hęc lucerna acquirenda sit, *habes lib.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *à n.* 46. *ad* 58. vbi de modo facilè assequendi perfectionem operum. Apod. ad S. Martinum. plura de hac materia inuenies in Festo Sancti Casimiri.

In Festo S. Catharinæ.

Nescio vos, Matt: 25.

VIrgines à nuptijs exclusæ, ob neglectum oleum, significant eos, qui cum sola fide sine operibus pręsumunt se cœlum intraturos, sed maximè errant. Causa verò huius rei explicatur *lib.* 1. *p:* 2 *c.* 18. *à n.* 37. *per aliquot*. Non erat horum è numero S. Catharina.

In Festo S. Andreæ.

Illi autem relictis retibus & patre secuti sunt eum, Mat. 4.

PErfectam obedientiam Abrahami commendat scriptura qui Gen. 12. Diuinæ voci promptè, simpliciter, hilariter, humiliter, constanter, ac indifferenter obediuit: omnia hæc applicanda S. Andreæ, de obedientia habes *lib.* 1. *p* 2. *c.* 19. *à n* 9. *ad* 15.

In Festo S. Nicolai.

Lucratus est alia duo, Matth: 25.

VArijs varios & fraudulentos modos referendi lucrum ex pecunia suggerit auaritia, sed quantum hæc fraus sit exosa Deo: *vide lib:* 1 *p.* 2. *c.* 6. *à n.* 11. *ad* 14. plura ibidem de varijs contractibus.

In Festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, Matt: 1.

REperitur apud Indos arbor celebris à fragrantia & dulcedine fructûs, cui veneno suo insidiari solet serpens. ne igitur illi noceat, incolæ applicant arbori theriacam. B. Virgo iuxta Bateonem est arbor ferens fructum vnde fideles aluntur. huic ne antiqui serpentis venenum noceret, Diuina prouidentia theriacam sanguinis Christi applicuit, sicq; libera à veneno dulcem fructum Christum Jesum nobis protulit. Quale sit hoc venenum quod illa euitauit. *vide l.* 1. *p.* 2. *c.* 25: *à n.* 9. *ad* 14. vbi de effectibus originalis peccati.

In

In Festo S. Thomæ

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, Ioan. 20.

QVamdiu Thomas cum alijs in exercitio virtutum permanserat, tamdiu feruenti fide claruerat, at postquam segregatus cœpit tepescere, & exercitia fidei negligere ipsam quoq; fidem amisit. vide, quomodo cessatio ab operatione virtutum easdem destruit. *lib.* 1. *p.*2. *c.*29. *à n.* 14. *ad* 25.

Pro Concionibus extraordinarijs.

Tempore Comitiorum Generalium.

Vocauit omnes Magistratus Persarum, & Medos & Purpuratos, & Prætores, & Præfectos, & sederunt in concilio, 3. Esdræ 3.

SEptuaginta sacræ scripturæ interpretes rogati consilium à Ptolomæo Rege Ægypti, quomodo regnum saluum ad finem retinere possit? Responderunt, si æquitatē Dei, & mansuetudinem imitaretur, dignos extollendo, indignos verò ad pœnitentiam longanimitate perducendo. Conuenistis & vos N. N. N. consilia de incolumitate Reip. inituri. Faxit Deus O. M. vt id honori illius, & nostræ Reip. saluti cedat. Cedet autem si tantorum virorum consilium expenderiti. *de quo lib.* 1. *p.* 2. *c.*2. *à n:* 63. *ad* 65. vbi modus ostenditur agendi cum delinquentibus. *& cap* 4. *à n.* 6. *ad* 13. de æquitate seu iustitia, *& à n.*13 *ad* 17 quomodo violetur distributiua iustitia, vbi de pręmiandis bene meritis.

Tempore Concursûs Nobilium de Reip. bono consultantium.

Vbi non est gubernator populus corruit: salus autem vbi multa consilia. Prouerb. 11.

QVęrentibus salutem Reip. necessarium est cognoscere, & adhibere ea, quæ illam possint conseruare in suo vigore: hæc autem inuenient *lib.* 1. *p* 2 *c.* 4 *à n.* 39. *ad* 44. *vide plura superius.*

Tempore Iudiciorum tam Generaliũ, quàm Particulariũ

Iudicia tua quasi lux egredientur. Oseæ 6.

APud Ægiptios, vt refert Alexander ab Alex. lib. 3 c. 5. Tribunal solebat collocari è regione solis, hunc enim tanquam sacrosanctum diiudicandis causis præesse credebant: proinde omnem iniustitiæ maculam ita diligenter euitabant, vt sua iudicia ad instar solis pura haberent. Hæc gentiles! Veriùs Christianis iudicibus credendum est, Christum solem iustitiæ illorum iudicia, suo

tempo-

tempore discutienda, nunc spectare. Porro quid illis curandum sit, vt Tribunal suum, ad similitudinem huius solis dirigat, *vide lib. 1. p. 2. c. 9. à n. 12. ad 39. inclusiuè Et parte 1. c. 8. à n. 39. ad 56.*

Tempore belli.

Hortabatur suos, ne formidarent aduentum nationum, sed in mente haberēt adiutoria sibi facta de cœlo, 2. Machab. 15.

BEllante aduersùs populum Dei Nicanore, vidit Machabæus SS. Patronos Oniam, & Ieremiam pro se orantes, vnumq́; illorum gladium sibi porrigentem: proinde admonebat suos, vt de cœlo subsidium expectarent, Nō aliud nobis restat certius auxilium; quàm vt SS. Patronorum intercessiones imploremus: neq; enim id, vt quidam volunt, Diuino honori quidquam derogare potest. *de quo l. 1. p. 2. c. 10. à n. 42. ad 53.* vbi de vtiliter dirigenda oratione ad Sanctos. *& n. 71.*

Tempore Siccitatis & Sterilitatis.

Ecce nubecula parua, quasi vestigiū hominis, ascendebat de mari, 3. Reg. 18.

QUod regnante Achabo Rege, in magna siccitate, parua nubecula grandē attulerit pluuiam, causa fuit præcedens oratio Eliæ, quæ adinstar nubis, priùs eleuata demisit pluuiam. Oratio igitur est veluti nubes, sed quemadmodum hæc non semper propter varias causas pluuias gignit, ita sæpe oratio suum effectum non sortitur ob multiplices defectus. Videamus quid hanc orationis nubem iuuare, aut impedire possit, quominus eleuetur, & nobis pluuiæ gratiam afferat *lib. 1. p. 2. c. 3. à n. 71. ad 75. & cap. 10. à n. 11. ad 19.* vbi de conditionibus & alijs requisitis, quæ orationem ad cælum eleuant. *& à n. 19. ad 28.* de causis non exaudiendæ orationis, quæ illam grauant, ne ad Deū ascendat.

Tempore cuiusuis tribulationis.

Ne festines in tempore obductionis. Eccl. 2.

MOnemur hîc fortitudinis, ne moræ impatientes fructū tribulationū amittamus. Porro quid nos ad fortiter mala toleranda mouere possit, & quomodo nos in illis gerere debeamus? *lib. 1. p. 2. c. 2. à n. 65. ad 75.*

Tempore Iubilæi, aut plenariæ indulgentiæ alicui Ecclesiæ concessæ.

Vocabis remissionē cunctis habitatoribus terræ ipse est enim Iubileus Leu. 25.

IUbileus deducitur ex Hebræo Iobel, quod iuxta Iosephū lib. 3. Antiq. c. 14. significat eliberationem, remissionem, & condonationē debitorum. Omnia hæc

hæc in figura cõtigerunt, quę perfectiori modo in nostris indulgẽtijs continẽtur de quarum origine, & necessitate *lib. 1. p. 2. c. 14. à n. 54. ad 62.*

Tempore gratiarum actionis pro beneficio aliquo à Deo obtento.

Commendatum donum accipite, & iucundamini gratias agentes. 4. Esdræ 2.

CUm Deus populo suo beneficium aliquod præstitisset, semper gratam illius memoriam requirebat, vt patet Leuit. 23. Non minus ab eodem nobis præstitum est donum (cum & c: hîc magnitudo, excellentia & aliæ circumstantiæ præsentis beneficij explicandæ sunt) proinde gratos nos esse pro tanto beneficio opus est. De gratitudine, & gratiarum actione, *vide lib. 1. p. 2. c. 20. à n. 1 per multos.*

Tempore Professionis seu ingressus Religionis.

Verbo Domini cœli firmati sunt. Psal. 32.

REperti sunt nonnulli, qui ęmulantes Deum vti Nero, & Cosdroas, in terra cœlum fundare voluerunt, sed quia stulto, ideo irrito conatu. Melior Religiosorum sors est, quibus conceditur, vt hîc cœlum habere possint, sic enim religionem appellat B. Laurent: Iustinianus lib. de perfect. monast. c. 6. *S.* Basilius c. 19. S. Chrisost. Qualis sit sol, luna, stellæ, incorruptibilitas, quies & pręstantia huius cœli Religiosorum *vide lib. 1. p. 2, c. 17. à n. 1. per multos,* de voto *& cap* 18. *à n. 58. ad* 87. vbi de perfectione, & virtutibus Religiosorum, *& c.* 19. *à n. 27. ad* 42. de obedientia religiosa. singulis his proprietates cœli & planetarum applicandę sunt. Sequetur illatio: Felicẽ esse N. N. qui, vel quæ hodie intra hoc cœlum se se recipit.

Tempore Concursus Negotiatorum.

Non decipiet vnusquisq; proximum suum. Leuit. 19.

AGendum hîc erit de venditione & emptione *de quâ l. 1. p. 2. c. 6. à n. 6. ad* 10, Item de vi, & fraude, per quam hi contractus iniqui redduntur, *ibid. à n.* 10. *ad* 11. tandem quomodo vis, & fraus, quæ ibi reperitur, sit exosa Deo, *ibid. à n.* 11. *ad* 15.

In funere Prælati Ecclesiastici.

Ille erat lucerna ardens, & lucens. Ioan. 5.

CHristus Prelatos Ecclesiæ lucernas appellat, tum vt sanctitate vitæ alijs præluceant. tum vt charitate erga proximum ardeant. *de vtraq; l. 1. p. 2. c.* 4 *à n.* 24. *ad* 28. vbi de obligatione pastorum. *itẽ c. 18. à n. 92. ad* 108. *inclusiuè* de sanctitate & virtutib9 eorundẽ. Apodosis fiet ad defunct. N. N. in qua ostendendum erit illum verè luxisse, & arsisse.

In

In Funere Religiosi.

Relictis retibus & Patre, secuti sunt eum. Matt. 4.

BEnè vitam à mundo segregatam Paradinus expressit per Phœnicem, adiectâ inscriptione tali: Sola facta, solum Deum sequor. Nam vt Phœnix solitudinis amans, ipse sibi è fragrantibus ramusculis funus exstruit, mox è verme in auem renasciturus: ita Religiosus relicto mundo, Christum in solitudine secutus, ipse sibi perfectione vitæ, alijsq; veluti odoriferorum ramusculorũ virtutibus parentat, & qui vt vermis despectus à mundo habebatur, in nouum Phœnicem renascitur. lege de perfectione, & virtutibus religiosorum, quibus ille suum funus cohonestauit. *c.* 18. *à n.* 58. *ad* 85. Plura vide in egressu Religionis superio

In Funere Viri clari.

Similis factus sum Pelicano. Psal. 101.

ALphonsus Rex Castellę imaginem celebris in Rep: viri ostendit in Pelicano sanguine pullos suos viuificante, apposito scripto. pro Lege & grege. quòd nimirũ is, non tantùm laborem, sed etiam vitam pro conseruanda integritate legis, & subditorum impendere teneatur. *de quo vide l.* 1. *p.* 2. *c.* 4. *à n.* 28. *ad* 34. *& c.* 18. *à n.* 33. *per multos.* Apodosis ad defunctum.

In Funere Militis.

Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. 1. Timoth. 4.

ROmani ad fortiter subeundum certamen cum hoste, militem vario genere coronarum, sed corruptibilium inuitabant. At Deus Christiano militi, si bene certauerit, incorruptibilem proposuit coronam. Cum quali igitur aduersario, & quomodo certandum sit pro ea obtinẽda? *l.* 1. *p.* 2. *c.* 2. *à n.* 19. *ad* 75 vbi de tribus aduersarijs fusè. Item de modo obtinendi, aut perdendi victoriam *ibid. à n.* 31. *ad* 47. Apodosis ostendet defunctum N. N. fortiter hoc certamen peregisse.

In Funere cuiusuis Christiani hominis.

Verumtamen in imagine pertransit homo. Psal: 38.

REctè quidam mortem appellarunt speculum; quemadmodum enim hoc, similem reddit imaginem suo prototypo. ita mors talem reddit imaginem qualis vita fuit. Videamus & nos speculum nostri defuncti N. N. qualem illius reddit imaginem, an conformem illi, quam scriptura efformare docuit? *lib.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *à n.* 1. *ad* 25. vbi agitur de perfectione Christianæ vitæ.